



# «DECRETUM GRATIANI»

Excerptum

Æ. Friedberg, 1879

Corpus Iuris Canonici

Pars Prior

Romae MMVII

# CORPUS IURIS CANONICI

EDITIO LIPSIENSIS SECUNDA

POST

AEMILII LUDOUICI RICHTERI

CURAS

AD LIBRORUM MANU SCRIPTORUM ET EDITIONIS ROMANAE  
FIDEM RECOGNOUIT ET ADNOTATIONE CRITICA

INSTRUXIT

AEMILIUS FRIEDBERG

PARS PRIOR

DECRETUM MAGISTRI GRATIANI



EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ

LIPSIAE MDCCCLXXIX

**\* ANIMADVERTENTIA \***

Hoc opus excerptum ex opera Æmilii Friedberg anni 1879 (ed. Lipsiensi secunda)  
ad utilitatem studium iuris canonici maxima cum diligentia perficitur.

*Attamen in studiis magni momenti oportet semper accuratam recognitionem  
efficere textibus authenticis praeditis!*

Si errores inveniuntur, quaeso, mitte accuratum nuntium apud: [email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info).

**CONCORDIA DISCORDANTIUM CANONUM**  
**AC PRIMUM DE IURE NATURÆ ET CONSTITUTIONIS**

**DISTINCTIO PRIMA.****GRATIANUS.**

Humanum genus duobus regitur, naturali uidelicet iure et moribus.

Ius naturæ est, quod in lege et euangelio continetur, quo quisque iubetur alii facere, quod sibi uult fieri, et prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri.

Unde Christus in euangelio: “Omnia quecunque uultis ut faciant uobis homines, et uos eadem facite illis. Hæc est enim lex et prophetæ”.

Hinc Ysidorus in V. libro Ethimologiarum [c. 2]. ait:

**C. I.** Diuinæ leges natura, humanæ moribus constant.

Omnes leges aut diuinæ sunt, aut humanæ.

Diuinæ natura, humanæ moribus constant, ideo que he discrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent.

§. 1. Fas lex diuina est: ius lex humana.

Transire per agrum alienum, fas est, ius non est.

Gratianus. Ex uerbis huius auctoritatis euidenter datur intelligi, in quo differant inter se lex diuina et humana, cum omne quod fas est, nomine diuinæ uel naturalis legis accipiatur, nomine uero legis humanæ mores iure conscripti et traditi intelligantur.

§. 1. Est autem ius generale nomen, multas sub se continens species.

Unde in eodem libro [Etymolog. c. 3]. Ysidorus ait:

**C. II.** Ius genus, lex species eius est.

Ius generale nomen est; lex autem iuris est species.

Ius autem est dictum, quia iustum est.

Omne autem ius legibus et moribus constat.

**C. III.** Quid sit lex. [Isidor. eod. cap. 3].

Lex est constitutio scripta.

**C. IV.** Quid sit mos. [Isidor. eod. cap. 3. et lib. II. c. 10].

Mos autem est longa consuetudo, de moribus tracta tantumdem.

**C. V.** Quid sit consuetudo. [Isidor. eod. cap. 3. et lib. II. c. 10].

Consuetudo autem est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.

§. 1. Nec differt, an scriptura, an ratione consistat, quoniam et legem ratio commendat.  
 §. 2. Porro si ratione lex constat, lex erit omne, iam quod ratione constiterit, dumtaxat quod religioni congruat, quod disciplinæ conueniat, quod saluti proficiat.

§. 3. Vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu.

Gratianus. Cum itaque dicitur: “non differt, utrum consuetudo scriptura, uel ratione consistat,” apparet, quod consuetudo partim est redacta in scriptis, partim moribus tantum utentium est reseruata.

Quæ in scriptis redacta est, constitutio siue ius uocatur; quæ uero in scriptis redacta non est, generali nomine, consuetudo uidelicet, appellatur.

§. 1. Est et alia diuisio iuris, ut in eodem libro [V. c. 4]. testatur Ysidorus ita dicens:

C. VI. Que sint species iuris. [Isidor. eod. c. 4].

Ius aut naturale est, aut ciuile, aut gentium.

C. VII. Quid sit ius naturale. [Isidor. eod. c. 4].

Ius naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur, ut uiri et feminæ coniunctio, liberorum successio et educatio, communis omnium possessio et omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ celo, terra mari que capiuntur; item depositæ rei uel commendatæ pecuniæ restitutio, uiolentiæ per uim repulsio.

§. 1. Nam hoc, aut si quid huic simile est, numquam iniustum, sed naturale equum que habetur.

C. VIII. Quid sit ius ciuile. [Isidor. eod. c. 5].

Ius ciuile est, quod quisque populus uel ciuitas sibi proprium diuina humana que causa constituit.

C. IX. Quid sit ius gentium. [Isidor. eod. c. 6].

Ius gentium est sedium occupatio, edificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, federa pacis, induciæ, legatorum non uiolendorum religio, conubia inter alienigenas prohibita.

§. 1. Hoc inde ius gentium appellatur, quia eo iure omnes fere gentes utuntur.

C. X. Quid sit ius militare. [Isidor. eod. c. 7].

Ius militare est belli inferendi solempnitates, federis faciendi nexus, signo dato egressio in hostem uel commissio; item signo dato receptio; item flagitii militaris disciplina, si locus deseratur; item stipendiorum modus, dignitatum gradus, premiorum honor, ueluti cum corona uel torques donantur; item predæ decisio, et pro personarum qualitatibus et laboribus iusta diuisio, ac principis porcio.

C. XI. Quid sit ius publicum. [Isidor. eod. c. 8].

Ius publicum est in sacris et sacerdotibus et magistratibus.

C. XII. Quid sit ius Quiritum. [Isidor. eod. c. 9].

Ius Quiritum est proprie Romanorum, quod nulli tenent, nisi Quirites, id est Romani.

§. 1. In quo agitur de legitimis hereditatibus, de curationibus, de tutelis, de usucapionibus, quæ iura apud nullum alium populum repperiuntur, sed propria sunt Romanorum, et in eos solos constituta.

**DISTINCTIO II.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Constat autem ius Quiritum ex legibus et plebiscitis et senatusconsultis et constitutionibus principum et edictis siue prudentum responsis.

**C. I.** Quid sit lex. [Isidor. Etym. lib. V. c. 10. et l. II. c. 10].

Lex est constitutio populi, qua maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.

**C. II.** Quid plebiscitum. [Isidor. eod. c. 11].

Plebiscita sunt, quæ plebes tantum constituunt: et uocantur plebiscita, quod ea plebs sciat, uel quod sciscitatur et rogat, ut fiat.

**C. III.** Quid senatusconsultum. [Isidor. eod. c. 12].

Senatusconsultum est, quod tantum senatores populis consulendo decernunt.

**C. IV.** Quid constitutio uel edictum. [Isidor. eod. c. 13].

Constitutio uel edictum est, quod rex uel imperator constituit uel edidit.

**C. V.** Que sint responsa prudentum. [Isidor. eod. c. 14].

Responsa prudentum sunt que iurisconsulti respondere dicuntur consulentibus: unde responsa Pauli dicta sunt.

Fuerunt enim quidam prudentes et arbitri equitatis, qui institutiones ciuilibus iuris compositas ediderunt, quibus dissidentium lites contentiones que sopirent.

**C. VI.** Que sint tribuniciaë leges uel consulares. [Isidor. eod. c. 15].

**II. Pars.**

Quedam etiam leges dicuntur ab his, qui condiderunt, ut consulares, tribuniciaë, Iuliaë, Corneliaë.

Nam et sub Octauiano Cesare suffecti consules Papius et Pompeius legem tulerunt, que a nominibus eorum appellatur Papia Pompeia, continens patrum premia pro suscipiendis liberis.

Sub eodem quoque imperatore Falcidius tribunus plebis legem fecit, ne quis plus extraneis testamento legaret, quam ut quarta pars superesset heredibus, ex cuius nomine lex Falcidia nominata est.

**C. VII.** Quid sit lex satyra. [Isidor. eod. c. 16].

Satyra uero lex est, que de pluribus simul rebus eloquitur, dicta a copia rerum et quasi a saturitate: unde et satyram scribere est poemata uaria condere, ut Oratii, Iuuenalis et Persii.

**C. VIII.** Que sint Rodiaë leges. [Isidor. eod. c. 17].

Rodiæ leges naualium commerciorum sunt, ab insula Rodo cognominatæ, in qua antiquitus mercatorum usus fuit.

### **DISTINCTIO III.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Omnes he species secularium legum partes sunt.

Sed quia constitutio alia est ciuilis, alia ecclesiastica: ciuilis uero forense uel ciuile ius appellatur, quo nomine ecclesiastica constitutio appellatur, uideamus.

§. 1. Ecclesiastica constitutio nomine canonis censetur.

Quid autem canon sit Ysidorus in libro VI. Ethimologiarum [c. 16]. declarat dicens:

C. I. Quid sit canon.

Canon grece, latine regula nuncupatur.

C. II. Unde regula dicatur. [Isidor. eod. c. 16].

Regula dicta est eo quod recte ducit, nec aliquando aliorum trahit.

Alii dixerunt regulam dictam, uel quod regat, uel normam recte uiuendi prebeat, uel quod distortum prauum que est corrigat.

##### **II. Pars.**

Gratian. Porro canonum alii sunt decreta Pontificum, alii statuta conciliorum.

Conciliorum uero alia sunt uniuersalia, alia prouincialia.

Prouincialium alia celebrantur auctoritate Romani Pontificis, presente uidelicet legato sanctæ Romanæ ecclesiæ; alia uero auctoritate patriarcharum, uel primatum, uel metropolitanorum eiusdem prouinciæ.

Hec quidem de generalibus regulis intelligenda sunt.

§. 1. Sunt autem quedam priuatæ leges, tam ecclesiasticæ quam seculares, que priuilegia appellantur.

De quibus in V. libro Ethimologiarum [cap. 18]. Ysidorus ait:

C. III. Quid sit priuilegium.

Priuilegia sunt leges priuatorum, quasi priuatæ leges.

Nam priuilegium inde dictum est, quod in priuato feratur.

##### **III. Pars.**

Gratianus. Officium uero secularium siue ecclesiasticarum legum est, precipere quod necesse est fieri, prohibere quod malum est fieri; permittere uel licita, ut premium petere, uel quedam illicita, ut dare libellum repudii, ne fiant grauiora.

Unde in eodem libro [C. 19]. Ysidorus scribit dicens:

C. IV. Quid sit officium legum.

Omnis autem lex aut permittit aliquid, ut: uir fortis petat premium; aut uetat, ut: sacrarum uirginum nuptias nulli petere liceat: aut punit, ut: qui cedem fecerit, capite plectatur; eius enim premio aut pena uita moderatur humana; aut precipit, ut: “Dilige Dominum Deum tuum”.

#### **DISTINCTIO IV.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Causa uero constitutionis legum est humanam cohercere audaciam et nocendi facultatem refrenare, sicut in eodem libro [V. c. 20]. Ysidorus testatur dicens:

##### **C. I. Quare leges sint factæ.**

Factæ sunt autem leges, ut earum metu humana coherceatur audacia, tuta que sit inter improbos inocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas.

##### **II. Pars.**

Gratianus. Preterea in ipsa constitutione legum maxime qualitas constituendarum est obseruanda, ut contineant in se honestatem, iustitiam, possibilitatem, conuenientiam et cetera, quæ in eodem libro Ysidorus [c. 21]. enumerat dicens:

##### **C. II. Qualis debeat esse lex.**

Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco tempori que conueniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem inconueniens contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi utilitate ciuium conscripta.

##### **III. Pars.**

Gratianus. Ideo autem in ipsa constitutione ista consideranda sunt, quia cum leges institutæ fuerint, non erit liberum iudicare de ipsis, sed oportebit iudicare secundum ipsas.

Unde Augustinus ait in libro de uera religione: [C. 31].

##### **C. III. De legibus tunc est iudicandum, cum instituuntur, non cum institutæ fuerint.**

In istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ et firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.

Gratianus. Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.

Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.

Unde illud Thelesphori Papæ (quo decreuit, ut clerici generaliter a quinquagesima a carnibus et deliciis ieiuent) quia moribus utentium approbatum non est, aliter agentes transgressionis reos non arguit.



**C. IV.** Septem ebdomadibus a carne et deliciis ante pascha clerici abstineant.

Thelesphorus Romæ urbis Archiepiscopus omnibus Episcopis. [epist. un.].

Statuimus, ut septem ebdomadas ante sanctum pascha omnes clerici in sortem Domini uocati a carne ieiunent: quia sicut discreta debet esse uita clericorum a laicorum conuersatione, ita et in ieiunio debet fieri discretio.

Has ergo septem ebdomadas omnes clerici a carne et deliciis ieiunent, et ymnis et uigiliis atque orationibus inherere die noctu que studeant.

**C. V.** Septimam ebdomadam Thelesphorus quadragesimæ addit.

Item Ambrosius in libro sermonum.

Quadragesima sex septimanas habet, cui addidit Thelesphorus Pontifex septimam ebdomadam, et uocatum est hoc tempus quinquagesima.

Gratian. Quod similiter de eo capitulo est intelligendum, quod B. Gregorius [I]. Augustino Anglorum Episcopo scribit dicens:

**C. VI.** A quinquagesima ieiunandi propositum sumant, quos ecclesiastici gradus dignitas exornat.

Denique sacerdotes et diaconi et reliqui, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat, a quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant, quo et aliquid ad pensum sanctæ institutionis adiiciant, et eorum, qui in laicali ordine consistunt, obseruantiam sicut loco, ita religione precellant.

§. 1. De ipsa uero die dominica hesitamus, quidnam dicendum sit, cum omnes laici et seculares illa die plus solito ceteris diebus accuratius cibos carniū appetant, et nisi noua quadam auiditate usque ad medias noctes se ingurgitent, non aliter se huius sacri temporis obseruationem suscipere putant; quod utique non rationi, sed uoluptati, imo cuidam mentis cecitati asscribendum est, unde nec a tali consuetudine auerti possunt; et ideo cum uenia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte peiores existant, si a tali consuetudine prohibeantur.

Ut enim ait Salomon: “Qui multum emungit, elicit sanguinem”.

Et post pauca.

§. 2. Par autem est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementiuam trahunt originem carnis, ieiunemus, a lacte uidelicet, caseo et ouis.

Et post pauca.

§. 3. Ceterum piscium esus ita Christiano relinquitur, ut ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium.

Denique qui a carne abstinet, nequaquam sumptuosiora marinarum beluarum conuiuia preparet.

§. 4. Vinum quoque ita bibere permittimur, ut ebrietates omnino fugiamus; alioquin restat, ut omnia, quæ corpori libent, similiter faciamus.

#### **IV. Pars.**

Gratianus. Hec etsi legibus constituta sunt, tamen quia communi usu approbata non sunt, se non obseruantes transgressionis reos non arguunt; alioquin his non obediētes proprio priuarentur honore, cum illi, qui sacris nesciunt obedire canonibus, penitus officio iubeantur carere suscepto; nisi forte quis dicat, hec non decernendo esse statuta, sed exhortando conscripta.

Decretum uero necessitatem facit, exhortatio autem liberam uoluntatem excitat.

## DISTINCTIO V.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Hec, que de priuilegiis et ceteris infra positis scripta sunt, tam secularibus quam ecclesiasticis legibus conueniunt.

Nunc ad differentiam naturalis iuris et ceterorum reuertamur.

§. 1. Naturale ius inter omnia primatum obtinet et tempore et dignitate.

Cepit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec uariatur tempore, sed immutabile permanet.

§. 2. Sed cum naturale ius lege et euangelio supra dicatur esse comprehensum, quedam autem contraria his, que in lege statuta sunt, nunc inueniantur concessa, non uidetur ius naturale immutabile permanere.

In lege namque precipiebatur: “ut mulier si masculum pareret, quadraginta, si uero feminam, octuaginta diebus a templi cessaret ingressu;” nunc autem statim post partum ecclesiam ingredi non prohibetur.

Item mulier, que menstrua patitur, ex lege immunda reputabatur; nunc autem nec, ecclesiam intrare nec sacræ communionis misteria percipere, sicut illa, que parit, uel illud, quod gignitur, nec statim post partum baptizari prohibetur.

Unde eidem Augustino Gregorius [I]. scribit, dicens:

#### [C. I. PALEA.

Cum enixa fuerit mulier, post quot dies intrare ecclesiam debeat, testamenti ueteris preceptione didicisti: quia pro masculo XXXIII., pro femina uero LXVI. diebus debet abstinere; quod tamen sciendum, quia in misterio accipitur].

C. II. Mulier in ipsa qua genuerit hora gratias actura ecclesiam intrare non prohibetur. [Gregorius ibidem continenter].

Si mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat ecclesiam, nullo pondere peccati grauatur; uoluptas etenim carnis, non dolor in culpa est.

In carnis autem commixtione uoluptas est, in partu uero proles gemitus.

Unde ipsi primæ mulieri dicitur: “In doloribus paries”.

Si itaque enixam mulierem prohibemus intrare ecclesiam, ipsam ei penam in culpam uertimus.

C. III. Mulierem enixam, uel quod ab ea genitum fuerit, eadem hora nihil prohibet baptizari.

Item. [Idem ad eundem].

Baptizari autem uel enixam mulierem, uel hoc, quod genuerit, si periculo mortis urgetur, uel ipsa hora eadem, qua gignit uel, eadem, qua natum est id quod gignitur, nullo modo prohibetur: ne, dum adhuc tempus ad prebendum redemptionis misterium queritur, interueniente paululum mora, inueniri non ualeat, qui redimatur.

C. IV. Antequam puer ablactetur, uel mater purificetur, ad eius concubitum uir non accedat.

Item. [Gregor. ibid. continenter].

Ad eius uero concubitum uir suus accedere non debet, quousque qui gignitur ablactetur

[PALEA. Praua autem in coniugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contempnant, eos que aliis mulieribus ad nutriendum tradant; quod uidelicet ex sola causa incontinentiæ uidetur inuentum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt].

Si autem filios suos ex praua consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, uiris suis non debent admisceri: quippe et sine partus causa cum in menstruis consuetis detinentur, uiris suis misceri prohibentur, ita ut morte lex sacra feriat, si quis uir ad menstruam mulierem accedat.

§. 1. Que tamen mulier, dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi ecclesiam intrare non uolet, quia ei naturæ superfluitas in culpam non debet reputari, et per hoc, quod inuita patitur, iniustum est, ut ecclesiæ priuetur ingressu.

Nouimus namque, quod mulier, que fluxum patiebatur, sanguinis post tergum Domini humiliter ueniens uestimenti eius fimbriam tetigit, atque ab ea statim infirmitas sua recessit.

Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit Domini uestimentum tangere, cur, que menstruam patitur sanguinis, ei non liceat ecclesiam intrare?

Si enim ea bene presumpsit, que uestimentum Domini in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, que naturæ suæ uitio infirmantur?

§. 2. Sanctæ autem communionis misterium in eisdem diebus percipere non debet prohiberi.

Si autem ex ueneratione magna percipere non presumit, laudanda est; sed si perceperit, non est iudicanda.

Bonarum quippe mentium est, etiam ibi culpas suas agnoscere, ubi culpa non est; quia sepe sine culpa agitur, quod uenit ex culpa.

Unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est, ut esuriamus.

## DISTINCTIO VI.

### GRATIANUS.

Quia uero de naturæ superfluitate sermo cepit haberi, queritur, an post illusionem, que per somnium accidere solet, corpus Domini quilibet accipere ualeat, uel si sacerdos sit, sacra misteria celebrare.

De his ita scribit B. Gregorius [I]. Augustino Anglorum Episcopo: [resp. 11].

C. I. De multiplici genere illusionis.

Testamentum ueteris legis hunc pollutum dicit, nisi aqua lotus fuerit, ei que usque ad uesperam intrare ecclesiam non conceditur.

Quod tamen aliter populus spiritualis intelligens quasi per somnium eum illudi reputat, qui temptatus immundicia ueris imaginibus in cogitatione inquinatur.

Sed lauandus est aqua, ut culpam cogitationis lacrimis abluat, et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi usque ad uesperum cognoscat.

§. 1. Sed est in eadem illusionem necessaria ualde discretio, qua subtiliter pensare debeat, ex qua re accidat menti dormientis.

Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ suæ superfluitate aut infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit pollutio.

§. 2. Et quidem cum ex naturæ superfluitate uel infirmitate euenerit, omnimodo hec illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse.

§. 3. Cum uero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem sacri misterii percipiendi, uel missarum sollempnia celebrandi, cum fortasse aut dies festus exigit, aut exhibere ministerium pro eo, quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.

Nam si adsunt alii, qui implere ministerium ualeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri misterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri misterii, ut arbitror, abstinere debet humiliter, si tamen dormientem turpi imaginatione non concusserit.

Nam sunt, quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus turpibus imaginationibus non fedetur.

Qua in re unum ibi ostenditur, ipsa mens rea non tunc, uel in suo iudicio libera cum se etsi in dormientis corpore nihil meminit uidisse, tamen in uigiliis corporis meminit se in ingluuiem cecidisse.

§. 4. Sin uero ex turpi cogitatione uigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animo reatus suus.

Videt enim, a qua radice inquinatio illa processerit, quia quod cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens.

[PALEA. C. II. Peccatum non dicitur perpetratum cogitatione solum, sed delectatione et consensu.

Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum in suggestionem, in delectationem, uel (quod maius est) peccati consensu acciderit.

Tribus enim modis impletur omne peccatum, uidelicet suggestionem, delectationem, consensu: suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum; quia et primo culpam serpens suggestit, Eua uelut caro delectata est, Adam uelut spiritus consensit.

§. 1. Et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem delectationem et consensum iudex sui animus presideat.

Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est; cum uero caro delectari ceperit, tunc peccatum incipit nasci; si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici.

In suggestionem igitur peccati semen est, in delectationem fit nutrimentum, in consensu perfectio.

§. 2. Et sepe contingit, ut hoc, quod malignus spiritus seminat in cogitationem, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat.

Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis uoluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat, et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se uehementer ingemiscat.

Unde et ille celestis exercitus precipuus miles gemebat dicens: “Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captiuum me ducentem in lege peccati que est in membris meis”.

Si autem captiuus erat, minime repugnabat: quapropter et captiuus erat, et repugnabat.

Igitur legi mentis eius lex, que in membris est, repugnabat; si autem repugnabat, captiuus non erat.

Ecce itaque homo est (ut ita dixerim) captiuus, et liber: liber ex iustitia, quam diligit; captiuus ex delectatione, quam portat inuitus].

**C. III.** Quando sit peccatum nocturnis imaginibus illudi.

Item Ysidorus Sententiarum libro. [Lib. III. Sent. de summo bono, cap. 6. (no. 13. 14)].

Non est peccatum, quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur; sed tunc est peccatum, si, antequam illudamur, cogitationis affectibus preuenimur.

Luxuriæ quippe imagines, quas in ueritate gessimus, sepe dormientibus in animo apparent, sed innoxia, si non concupiscendo occurrunt.

§. 1.

Item:

Qui nocturna illusionem polluitur, quamuis extra memoriam turpium cogitationum sese persentiat inquinatum, tamen hoc, ut tentaretur, culpæ suæ tribuat, suam que immunditiam statim fletibus tergat.

Gratian. His ita respondetur.

In lege et euangelio naturale ius continetur; non tamen quecunque in lege et euangelio inueniuntur, naturali iuri coherere probantur.

Sunt enim in lege quedam moralia, ut: non occides et cetera, quedam mistica, utpote sacrificiorum precepta, et alia his similia.

Moralia mandata ad naturale ius spectant atque ideo nullam mutabilitatem recepisse monstrantur.

Mistica uero, quantum ad superficiem, a naturali iure probantur aliena, quantam ad moralem intelligentiam, inueniuntur sibi annexa; ac per hoc, etsi secundum superficiem uideantur esse mutata, tamen secundum moralem intelligentiam mutabilitatem nescire probantur.

§. 1. Naturale ergo ius ab exordio rationalis creaturæ incipiens, ut supra dictum est, manet immobile.

Ius uero consuetudinis post naturalem legem exordium habuit, ex quo homines conuenientes in unum ceperunt simul habitare; quod ex eo tempore factum creditur, ex quo Cain ciuitatem edificasse legitur, quod cum diluuium propter hominum raritatem fere uideatur extinctum, postea postmodum a tempore Nemroth reparatum siue potius immutatum existimatur, cum ipse simul cum aliis alios cepit opprimere; alii sua imbecillitate eorum ditioni ceperunt esse subiecti, unde legitur de eo: “Cepit Nemroth esse robustus uenator coram Domino,” id est hominum oppressor et exstinctor; quos ad turrim edificandam allexit.

## **DISTINCTIO VII.**

### **GRATIANUS.**

**I. Pars.**

Ius autem constitutionis cepit a iustificationibus, quas Dominus tradidit Moisi dicens: “Si emeris seruum ebreum etc.”.

Unde Ysidorus in libro V. Ethimologiarum [c. 1]. ait:

**C. I. De conditoribus legum.**

Moises gentis Hebreæ primus omnium diuinas leges sacris literis explicauit.

Foroneus rex Grecis primus leges iudicia que constituit.

Mercurius Trismegistus primus leges Egiptiis tradidit.

Solon primus leges Atheniensibus edidit.

Licurgus primus Lacedemoniis iura ex Apollinis auctoritate confinxit.

Numa Pompilius, qui Romulo successit in regno, primus leges Romanis edidit.

Deinde cum populus seditiosos magistratus ferre non posset, decemuiros legibus scribendis creauit, qui leges ex libris Solonis in latinum sermonem translatas XII. tabulis exposuerunt.

**C. II. Nomina eorum, qui leges XII. tabularum exposuerunt. [Isidor. ibidem continenter].**

Fuerunt autem hi App. Claudius, Genutius, Sextius, Veturius, Iulius, Manlius, Sulpitius, Curiatius, Romilius, Posthumius.

Hi decemuiros legum conscribendarum electi sunt.

Leges autem redigere in libris primus consul Pompeius instituere uoluit, sed non perseuerauit obtreptatorum metu.

Deinde Cesar cepit id facere, sed ante interfectus est.

Paulatim autem antiquæ leges uetustate atque incuria obsoleuerunt, quarum etsi iam nullus est usus, notitia tamen necessaria uidetur.

Nouæ a Constantino Cesare ceperunt et reliquis succedentibus, erant que permixtæ et inordinatæ.

Postea Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani et Ermogeniani codicem factum constitutionum a Constantini temporibus sub proprio cuiusque imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine Theodosianum uocauit.

**DISTINCTIO VIII.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Differt etiam ius naturæ a consuetudine et constitutione.

Nam iure naturæ sunt omnia communia omnibus, quod non solum inter eos seruatum creditur, de quibus legitur: “Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, etc.” uerum etiam ex precedenti tempore a philosophis traditum inuenitur.

Unde apud Platonem illa ciuitas iustissime ordinata traditur, in quia quisque proprios nescit affectus.

Iure uero consuetudinis uel constitutionis hoc meum est, illud uero alterius.

Unde Augustinus ait supra Iohannem: [tract. VI. ad c. 1. §. 25.. Ioannis]

**C. I.** Iure diuino omnia sunt communia omnibus: iure uero constitutionis hoc meum, illud alterius est.

Quo iure defendis uillas ecclesiæ, diuino, an humano?

Diuinum ius in scripturis diuinis habemus, humanum in legibus regum.

Unde quisque possidet, quod possidet? Nonne iure humano?

Nam iure diuino “Domini est terra et plenitudo eius”.

Pauperes et diuites Deus de uno limo fecit, et pauperes et diuites una terra supportat.

Iure ergo humano dicitur: hec uilla mea est, hec domus mea est, hic seruus meus est.

Iura autem humana iura imperatorum sunt: quare? Quia ipsa iura humana per imperatores et reges seculi Deus distribuit generi humano.

Item.

§. 1. Tolle iura imperatoris, et quis audet dicere: hec uilla mea est, meus est iste seruus, hec domus mea est?

Si autem, teneantur ista ab hominibus, regum iura fecerunt, uultis reticeamus leges, ut gaudeatis? etc.

Item.

§. 2. Relegantur leges, ubi manifeste preceperunt imperatores, eos, qui preter ecclesiæ catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec uolunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine ecclesiæ audeant possidere.

§. 3. Sed dicitis quid nobis et imperatori?

Sed ut iam dixi, de iure humano agitur.

Apostolus uoluit serui regibus, uoluit honorari reges, et dixit: “Regem reueremini”.

Noli dicere, quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni?

Per iura regum possidentur possessiones.

Dixisti, quid mihi et regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa iura renuntiasti humana, quibus possidentur possessiones.

## II. Pars.

Gratianus. Dignitate uero ius naturale simpliciter preualet consuetudini et constitutioni.

Quecunque enim uel moribus recepta sunt, uel scriptis comprehensa, si naturali iuri fuerint aduersa, uana et irrita sunt habenda.

Unde Augustinus ait, libro II.: [lib. III. Confessionum c. 8]

**C. II.** Aduersus naturale ius nulli quicquam agere licet.

Que contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate sunt uitanda, ut pactum gentis inter se aut consuetudine ciuitatis, uel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine uioletur.

Turpis est enim omnis pars suo uniuerso non congruens.

§. 1. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet iubet, etsi numquam ibi factum est, faciendum est; et si omissum, instaurandum; et si statutum non erat, instituendum est.

§. 2. Si enim regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante ipsum quisquam, nec ipse umquam iusserat, et non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, immo contra societatem si non obtemperatur: (generale quippe pactum est societatis humanæ, obtemperare regibus suis,) quanto magis Deo regnatori uniuersæ creaturæ suæ, ad ea, que iusserit, sine dubitatione seruiendum est?

Sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum preponitur, ita Deus omnibus.

**C. III.** Mala consuetudo radicitus est euellenda.

Item Nicolaus Papa Hincmaro Remensi Archiepiscopo.

Mala consuetudo, non minus quam pernitiōsa corruptela uitanda est, que nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impiis assumitur, et incipiunt preuaricationes et uariæ presumptiones, celerrime non compressæ, pro legibus uenerari et priuilegiorum more perpetuo celebrari.

**C. IV.** Veritati et rationi consuetudo est postponenda.

Item Augustinus de unico baptismo libro II. [lib. III. de Baptismo, contra Donatistas, c. 6].

“Veritate manifestata cedat consuetudo ueritati”: plane quis dubitet ueritati manifestatæ consuetudinem cedere?

Item:

**C. V.** Quelibet consuetudo ueritati est postponenda.

Item Gregorius VII. Wimundo Auersano Episcopo.

Si consuetudinem fortassis opponas, aduertendum est, quod Dominus dicit: “Ego sum ueritas”.

Non dixit: ego sum consuetudo, sed “ueritas”.

§. 1. Et certe (ut B. Cipriani utamur sententia) quelibet consuetudo, quantumuis uetusta, quantumuis uulgata, ueritati est omnino postponenda, et usus, qui ueritati est contrarius, abolendus est.

**C. VI.** Veritate reuelata, consuetudinem sibi cedere oportet.

Item Augustinus in libro de baptismo paruulorum. [lib. III. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 5].

Qui contempta ueritate presumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est et malignus, quibus ueritas reuelatur, aut circa Deum ingratus est, inspiratione cuius ecclesia eius instruitur.

Nam Dominus in euangelio: “Ego sum,” inquit, “ueritas”: non dixit: ego sum consuetudo.

Itaque ueritate manifestata ueritati cedat, consuetudo.

Reuelatione ergo facta ueritatis cedat consuetudo ueritati, quia et Petrus, qui circumcidebat cessit Paulo ueritatem predicanti.

Igitur cum Christus ueritas sit, magis ueritatem quam consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio et ueritas semper excludit.

**C. VII.** Consuetudo rationi frustra opponitur.

Idem in libro IV. de Baptismo. [contra Donatistas, cap. 5].

“Frustra”, inquit, “quidam, qui ratione uincuntur, consuetudinem nobis obiciunt, quasi consuetudo maior sit ueritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod melius est a Spiritu sancto reuelatum”.

Hoc plane uerum est, quia ratio et ueritas consuetudini preponenda est.

Sed si consuetudini ueritas suffragatur, nihil oportet firmiter retineri.



**C. VIII. Rationem consuetudo impedire non debet.**

Item Ciprianus. [in epistola ad Pompeium, contra epistolam Stephani].

Consuetudo, que apud quosdam irrepserat, impedire non debet, quo minus ueritas preualeat et uincat.

Nam consuetudo sine ueritate uetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur ueritatem, scientes, quia et apud Esdram ueritas uicit, ut scriptum est: “Veritas ualet et inualescit in eternum, et uiuit et obtinet in secula seculorum”.

Idem. [in epistola ad Iubaianum, circa med.].

Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit beatus apostolus Paulus: “Qui primo fui blasphemus, et persecutor et iniuriosus; sed misericordiam merui, quia ignorans feci”.

Post inspirationem uero et reuelationem factam, qui in eo, quod errauerat, perseuerat, prudens et sciens iam non in uenia ignorantiae peccat: presumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.

**C. IX. Dei ueritatem, non hominum consuetudinem sequi oportet.**

Idem. [lib. II. ep. 3. ad Cæcilium]

Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.

Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei ueritatem, cum per Ysaïam prophetam loquatur Deus et dicat: “Sine causa colunt me, mandata et doctrinas hominum docentes”.

Gratianus. Liquido igitur apparet, quod consuetudo naturali iuri postponitur.

**DISTINCTIO IX****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem constitutio naturali iuri cedat multiplici auctoritate probatur.

Ait enim Augustinus ad Bonifatium: [Comitem, epist L].

**C. I. Leges principum naturali iuri preualere non debent.**

[**PALEA.** Imperatores, quando pro falsitate contra ueritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes et coronantur perseuerantes; quando autem pro ueritate contra falsitatem constituunt bonas leges terrentur seuiantes et corriguntur intelligentes].

§. 1. Quicumque legibus imperatorum, que pro Dei ueritate feruntur, obtemperare non uult, acquirit grande supplicium.

Quicumque ergo legibus imperatorum, que contra uoluntatem Dei feruntur, obtemperare non uult, acquirit grande premium.

[§. 2. Nam et temporibus prophetarum omnes reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, que contra Dei precepta fuerant instituta, culpantur, et qui prohibuerunt et euerterunt, super aliorum merita laudantur.

Et rex Nabuchodonosor, cum seruus esset idolorum, constituit sacrilegam legem, ut simulacrum adoraretur; sed eius impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, pie fideliter que fecerunt.

Idem tamen rex, diuino correctus miraculo, piam et laudabilem legem pro ueritate constituit, ut quicumque diceret blasphemiam in Deum Sidrac, Misac et Abdenago, cum domo sua penitus interiret].

[PALEA. C. II. Principes tenentur et ipsi uiuere legibus suis.

Item ex uerbis Isidori libro III. Sententiarum, de summo bono, c. 53.

Iustum est, principem legibus obtemperare suis.

Tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reuerentiam prebet.

Principes legibus teneri suis, nec in se conuenit, posse damnare iura, que in subiectis constituunt.

Iusta est enim uocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur].

C. III. Scripturis canonicis tractatorum litteræ deseruiunt.

Idem in Prologo libri III. de Trinitate.

## II. Pars.

Noli meis litteris quasi canonicis scripturis inseruire.

Sed in illis et quod non credebas cum inueneris, incunctanter crede: in istis autem, quod certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firme tenere.

C. IV. In tractatorum opusculis multa corrigenda inueniuntur.

Idem ad Vincentium, libro II. [lib. IV de anima et eius origine, cap. I].

Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, que possunt iusto iudicio et nulla temeritate culpari.

C. V. In scripturis canonicis mendacia non admittuntur.

Idem ad Ieronimum, epistola VIII. [XIX].

Ego solis eis scriptorum, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honorem que referre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere, ac si aliquid in eis offendero, quod uideatur contrarium ueritati, nichil aliud quam uel mendosum esse codicem, uel non esse assecutum interpretem, quod dictum est, uel me minime intellexisse, non ambigam.

Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrina que polleant, non ideo uerum putem, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi per alios auctores, uel canonicas uel probabiles rationes, quod a uero non abhorreat, persuadere potuerunt.

C. VI. Libris ueterum ebrea uolumina, nouis greca auctoritatem impendunt.

Idem.

Ut ueterum librorum fides de ebreis uoluminibus examinanda est, ita nouorum greci sermonis normam desiderat.

C. VII. Nichil auctoritatis canonicis remanebit scripturis, si ad eas mendacia fuerint admissa.

Idem in Epistola I. ad Ieronimum. [epist. IX].

Si ad scripturas sanctas admissa fuerint uel offitiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis?

Que tandem de scripturis illis sententia proferetur, cuius pondere contentiosæ falsitatis obteretur improbitas?

**C. VIII.** Litteris omnium episcoporum sacra scriptura preponatur.

Idem de unico baptismo libro II. [Item de Baptismo contra Donatistas, lib. II. c. 3].

Quis nesciat sanctam scripturam canonicam, tam ueteris quam noui testamenti, certis terminis suis contineri, eam que posterioribus omnibus episcoporum litteris ita preponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum uerum uel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum constiterit esse?

Episcoporum autem litteras, que post confirmatum canonem uel scriptæ sunt uel scribuntur, et per sermonem forte sapientiosem cuiuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum grauiorem auctoritatem doctiorem que prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a ueritate deuiatum est?

**C. IX.** Contra diuina mandata calumpniæ non colligantur ex quorumlibet dictis episcoporum.

Idem ad Vincentium. [epist. XLVIII. contra Donatistas]

Noli frater contra diuina tam multa, tam preclara, tam indubitata testimonia colligere uelle calumpnias ex episcoporum scriptis, siue nostrorum, sicut Ylarii, siue (antequam pars Donati separetur,) Cipriani et Agrippini; primo, quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonis distinguendum est: non enim sic leguntur, tamquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerint, quam ueritas postulat.

In eo quippe numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere: "Et si quid aliter sapitis, quoque uobis Deus reuelauit".

**C. X.** Non debetur par reuerentia canonicis scripturis et expositionibus earum.

Idem in Epistola ad Fortunatum. [Item ad Fortunatianum, epist. III].

Neque quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum et laudatorum hominum, uelut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salua honorificentia, que illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis inprobare atque respuere, si forte inuenerimus, quod aliter senserint quam ueritas habet, diuino adiutorio uel ab aliis intellecta uel a nobis.

Talis ego sum in scriptis aliorum, quales uolo esse intellectores meorum.

**C. XI.** Exemplis ratio sana prefertur.

Idem ad Casulanum. [ad Marcellinum de ciuitate Dei lib. I. c. 22. §. 2].

Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est: cui quidem et exempla concordant, sed illa, que tantum digniora sunt imitatione, quantum excellentiora pietate.

Gratianus. Cum ergo naturalis iure nichil aliud precipiatur, quam quod Deus uult fieri, nichil que uetetur, quam quod Deus prohibet fieri; denique cum in canonica scriptura nichil aliud, quam in diuinis legibus inueniatur, diuine uero leges natura consistant: patet, quod quecumque diuinæ uoluntati, seu canonicæ scripturæ contraria probantur, eadem et naturali iuri inueniuntur aduersa.

Unde quecumque diuinæ uoluntati, seu canonicæ scripture, seu diuinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale ius preferri oportet.

Constitutiones ergo uel ecclesiasticæ uel seculares, si naturali iuri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ.

## **DISTINCTIO X.**

### **GRATIANUS.**

Constitutiones uero principum ecclesiasticis constitutionibus non preminent, sed obsecuntur.

Unde Nicolaus Papa scribit episcopis in Concilio apud Conuicinum congregatis:

**C. I.** Lex imperatorum ecclesiastica iura dissoluere non potest.

Lege imperatorum non in omnibus ecclesiasticis controuersiis utendum est, presertim cum inueniantur euangelicæ ac canonicæ sanctioni aliquotiens obuiare.

Idem:

Lex imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

Imperiali iudicio non possunt iura ecclesiastica dissolui.

§. 1. Ad quod ostendendum, duorum horum, Innocentii scilicet et Gregorii, satis sufficiunt testimonia.

Sanctus quidem Innocentius in decretali epistola sua ad Alexandrum Antiochenum episcopum ait: “Quod sciscitaris,” inquit, “utrum diuisis imperiali iudicio prouinciis, ut duæ metropoles fiant, si duo metropolitani debeant nominari: non uisum est nobis ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei ecclesiam conmutari, honores que aut diuisiones perpeti, quas pro suis faciendis causis duxerit imperator”.

Beatus Gregorius scribens ad Theotistam patriciam inter cetera: “Si”, inquit, “religionis causa uincula matrimonii debere dissolui dicantur, sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit”.

Ecce quemadmodum imperiali iudicio non possunt ecclesiastica iura dissolui.

Ecce qualiter, quod lex humana concessit, lex diuina prohibuit.

§. 2. Non quod imperatorum leges (quibus sepe ecclesia utitur contra hereticos, sepe contra tyrannos atque contra prauos quosque defenditur) dicamus penitus rennuendas, sed quod eas euangelicis, apostolicis atque canonicis decretis (quibus postponendæ sunt) non posse inferre preiudicium asseramus.

**C. II.** Nichil quod euangelicis regulis obuiet, imperatori agere licet.

Item Simachus [Papa] in sexta Synodo. [Romana tempore Theodorici Regis].

Non licet imperatori, uel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata presumere, nec quicquam, quod euangelicis, propheticis aut apostolicis regulis obuiet, agere.

**C. III.** In ecclesiasticis causis regia uoluntas sacerdotibus non est preferenda.

Item Felix [III]. Papa.

Certum est, hoc rebus uestris esse salutare, ut cum de causis agitur Dei, iuxta ipsius constitutum regiam uoluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non preferre, et sacrosancta per eorum presules potius discere quam docere; ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda iura prefigere, neque eius sanctionibus uelle dominari, cuius Deus uoluit clementiæ tuæ piæ deuotionis colla submittere, ne, dum mensura celestis dispensationis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.

**C. IV.** Moribus et decretis Romanorum Pontificum constitutiones contraire non possunt. Item.

Constitutiones contra canones et decreta Presulum Romanorum, uel bonos mores, nullius sunt momenti.

Item Nicolaus Papa. [I. in epistola ad Michælem Imperatorem, cuius initium est: "Proposueramus"].

Imperium uestrum suis publicæ rei cotidianis amministrationibus debet esse contentum, non usurpare que sacerdotibus Domini solum conueniant.

**C. VI.** Tribunalia regum sacerdotali sunt potestati subiecta.

Item Gregorius Naciancenus imperatoribus Constantinopolitanis. [in oratione ad ciues Nazianzenos angoris plenos et magistratum iratum]

Suscipitis ne libertatem uerbi? libenter accipitis, quod lex Christi sacerdotali uos subiicit potestati atque istis tribunalibus subdit?

Dedit enim et nobis potestatem, dedit principatum multo perfectiorem principatibus uestris.

Aut numquid iustum uobis uidetur, si cedat spiritus carni, si a terrenis celestia superentur, si diuinis preferantur humana?

## **II. Pars.**

Gratianus. Ecce quod constitutiones principum ecclesiasticis legibus postponendæ sunt.

Ubi autem euangelicis atque canonicis decretis non obuiauerint, omni reuerentia dignæ habeantur.

Unde Augustinus ait in Dialogo contra Petilianum: [id est lib. II. contra literas Petiliani, c. 58].

**C. VII.** Leges imperatorum in adiutorium ecclesiæ licet assumi.

Si in adiutorium uestrum terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus.

Fecit hoc Paulus cum aduersus iniuriosos Romanum ciuem se esse testatur.

**C. VIII.** Reges pontificibus pro eterna uita, et pontifices regibus pro temporalibus indigent.

Item Ciprianus Iuliano. [Nicolaus Papa I. in epist. VII. ad Michælem Imperatorem]

Quoniam idem mediator Dei et hominum est, homo Iesus Christus, sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discreuit propria uolens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi: ut etiam Christiani imperatores pro eterna uita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus, et "Deo militans minime se negotiis secularibus implicaret;" ac uicissim non ille rebus diuinis presidere uideretur, qui esset negotiis secularibus implicatus.

**C. IX.** Leges imperatorum custodiri oportet.

Item Leo IV. Lothario Augusto.

De capitulis uel preceptis imperialibus uestris uestrorum que pontificum predecessorum irrefragabiliter custodiendis et conseruandis, quanto ualuimus et ualemus Christo propitio et nunc et in eum conseruatuos modis omnibus profitemur.

Et si fortasse quilibet uobis aliter dixerit uel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.

**C. X.** Legis auctoritate dissoluitur quod contra eam fit.

Item Iohannes VIII. Lodouico Imperatori.

Vides, fili carissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolui meretur.

**C. XI.** Leges principum, et regulas patrum contempni non decet.

Item Gelasius Rufino et Aprili Episcopis.

Quis autem leges principum, aut patrum regulas, aut ammonitiones paternas debere dicat contempni, nisi qui impunitum sibi tantum estimet transire commissum?

**C. XII.** Seruentur ab omnibus Romanorum principum leges.

Item Theodorico Regi.

Certum est magnificentiam uestram leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse precepit, multo magis circa reuerentiam beati Petri apostoli pro suæ felicitatis augmento uelle seruari.

**C. XIII.** Romana lex nullius temeritate debet corrumpi.

Item Leo IV. Lotario Augusto.

Vestram flagitamus clementiam, ut sicut hactenus Romana lex uiguit absque uniuersis procellis, et quod pro nullius persona hominis reminiscitur esse corrupta, ita nunc suum robur proprium et uigorem obtineat.

## **DISTINCTIO XI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quod uero legibus consuetudo cedat, Ysidorus testatur in Sinonimis, libro II.: [c. 16].

**C. I.** Prauus usus ratione superetur et lege.

Usus auctoritati cedat; prauum usum lex et ratio uincat.

**C. II.** Statutis Pontificum consuetudo cuiusquam refragari non potest.

Item Nicolaus Papa I. Michæli Imperatori.

Consequens est, ut quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis prepediente occasione, proprias sequendo tantum uoluntates remoueatur sed firmiter atque inconcusse teneatur.

**C. III.** A consuetudine Romanæ ecclesiæ membris dissentire non licet.

Item Iulius Papa. [I. ad Episcopos orientales, epist. I].

Nolite errare, fratres mei, doctrinis uariis et extraneis nolite abduci.

Et instituta apostolorum et apostolicorum uirorum canones que habetis: his fruimini, ut freti, contra cuncta inimicorum iacula persistere ualeatis.

Satis enim indignum est, quemquam uel pontificum uel ordinum subsequentium hanc regulam refutare, quam beati Petri sedem et sequi uiderit, et docere.

Multum conuenit, ut totum corpus ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, que inde auctoritatem habet, ubi Dominus ecclesiæ totius posuit principatum.

**C. IV.** Usus et consuetudo legem et rationem uincere non potest.

Item Codicis libro VII. titulo II. [Imp. Constantinus A. ad Proculum, lib. VIII. Cod. tit. Quæ sit longa consuetudo (t. 53. const. 2)].

Consuetudinis usus que longeuus non uilis auctoritas est: uerum non usque adeo sui ualitura momento, ut aut rationem uincat aut legem scriptam.

## **II Pars.**

Gratianus. Cum uero nec sacris canonibus, nec humanis legibus consuetudo obuiare monstratur, inconcussa seruanda est.

Unde Augustinus ait uel ex dictis Basili:

**C. V.** Inuiolabilis est consuetudo, que nec humanis legibus nec sacris canonibus obuiare monstratur.

Ecclesiasticarum institutionum quasdam scripturis, quasdam uero apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accipimus; quasdam uero consuetudine roborata approbavit usus, quibus par ritus et idem utriusque pietatis debetur affectus; unde quis uel aliquantulum sacrarum expertus scripturarum hesitauerit?

Si enim attenderimus consuetudines ecclesiæ non per scripturas a Patribus traditas nichil estimare, quantum religio detrimenti sit latura, intentuum despicientibus liquido constabit.

§. 1. Que enim (ut inde ordiamur) scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? uel que trifariam digesta super panem et calicem prolixæ orationis uel consecrationis uerba commendauit?

Nam non modo, quod in euangelio continetur uel ab Apostolo insertum secretis dicimus, sed et alia plura adicimus magnam quasi uim commendantia misteriis.

Que orientem uersus nos orare litterarum forma docuit?

Benedicimus fontem baptismatis oleo unctionis.

Huc accedit, quod ter oleo inungimus quos baptizamus, uerbis abrenuntiare satanæ angelis eius informamus.

Unde hec et alia in hunc modum non pauca, nisi tacita ac mistica traditione a Patribus ecclesiastico more ac reuerentiori diligentia sunt in ministeriis obseruata magis silentio quam publicata scripto?

**C. VI.** Laudabilis est consuetudo, que nichil fidei contrarium usurpat.

Idem ad Casulanum presbiterum.

Consuetudinem laudamus, que tamen contra fidem catholicam nichil usurpare dignoscitur.

**C. VII.** Ubi auctoritas deficit, mos populi et maiorum instituta pro lege seruentur.

Item ad eundem. [B. Augustinus ad Casulanum, epist. LXXXVI].

In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei et instituta maiorum pro lege tenenda sunt.

Et sicut preuaricatores legum diuinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.

**C. VIII.** Auctoritate et traditione generali uel speciali ecclesia regitur.

Idem in libro de christiana fide.

Catholica ecclesia, per orbem diffusa, tribus modis probatur existere.

Quicquid in ea tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut traditio uniuersalis, aut certe propria et particularis instructio.

Sed auctoritate tota constringitur, uniuersali traditione maiorum nichilominus tota; priuatis uero constitutionibus et propriis informationibus unaqueque pro locorum uarietate, prout cuique uisum est, subsistit et regitur.

**C. IX.** Valet ad fidem catholicæ auctoritas ecclesiæ.

Idem in libro contra Manicheos.

Palam est, quod in re dubia ad fidem ualeat auctoritas ecclesiæ catholicæ, que ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie et tot populorum consensione firmatur.

**C. X.** Ab apostolicis institutis non licet recedere.

Item Leo. [Papa ad Episcopos per Siciliam constitutos, epist IV. c. 6].

Hoc uestræ indicimus caritati, ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu, quia inultum post hec esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

**C. XI.** Ab omnibus seruari debet, quod Romana seruat Ecclesia.

Item Innocentius Decentio Episcopo. [it. Inn. I. ad Decentium Episcopum Eugubinum, epist. I].

Quis nesciat aut non aduertat, id quod a principe apostolorum Petro Romanæ ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere seruari? nec superduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem debeat uel aliunde accipere exemplum? presertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Ispanias, Africam atque Siciliam insulas que interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos uenerabilis apostolus Petrus aut successores eius constituerunt sacerdotes; legant autem, si in istis prouinciis alius apostolus inuenitur, aut legitur docuisse.

Quod si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet eos hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit, a qua principium eos accepisse non dubium est: ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum uideantur amittere.

§. 1. Sepe dilectionem tuam ad Urbem uenisse ac nobis cum in ecclesia conuenisse non dubium est, et quem morem uel in consecrandis misteriis, uel ceteris agendis arcanis teneat, agnouisse.

Quod sufficere arbitrarer ad informationem ecclesiæ tuæ uel reformationem, si predecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerint, satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisset; quibus idcirco respondemus, non quod te ignorare credamus, sed ut maiori auctoritate uel tuos instituas, uel si qui a Romanæ ecclesiæ institutionibus errat, aut commoneas, aut indicare non differas, ut scire



ualeamus, qui sint, qui aut nouitates inducunt, aut alterius ecclesie quam Romanæ existimant consuetudinem esse seruandam.

## **DISTINCTIO XII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quod absque discretione iustitiæ nulli agere licet.

Unde Calixtus Papa [I]. omnibus Episcopis: [ait in Epistola I. ad Benedictum Episcopum].

**C. I.** Sine discretione iustitiæ contra disciplinam Romanæ ecclesie nulli agere licet.

Non decet a capite membra dissidere, sed iuxta scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur.

Nulli uero dubium est, quod apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum, a cuius uos regulis nullatenus conuenit deuiare.

Et sicut filius uenit facere uoluntatem patris, sic et uos uoluntatem implete uestræ matris, que est ecclesia, cuius caput, ut predictum est, Romana existit ecclesia.

Quicquid ergo sine discretione iustitiæ contra huius disciplinam actum fuerit, ratum habere nulla ratio permittit.

**C. II.** Apostolicis preceptis nullus superbe resistat.

Item Gregorius. [Papa IV].

Preceptis apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, que a sancta Romana et apostolica auctoritate iussa sunt, salutifere impleantur, si eiusdem sanctæ ecclesie Dei, que est caput uestrum, communionem habere desideratis.

§. 1. Non nouum aliquid presenti iussione precipimus, sed illa, que olim uidentur indulta, firmamus: cum nulli dubium sit, quod non solum pontificalis causatio, sed omnis sanctæ religionis relatio ad sedem apostolicam quasi ad caput ecclesiarum debeat referri, et inde normam sumere, unde sumpsit exordium, ne caput institutionis uideatur omitti.

Cuius auctoritatis sanctionem omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicæ petræ, super quam Christus uniuersalem ecclesiam fundauit, soliditate diuelli.

Si quis hec apostolicæ sedis precepta non obseruauerit, percepti honoris esse hostis non dubitetur.

**C. III.** Non est resistendum consuetudini, cui canonica non obsistit auctoritas.

Item Nicolaus Michæli Imperatori. [Leo IX. Michæli Episcopo Constantinopolitano, epist. I. c. 29. et Nicolaus I. epist. II. ad Photium].

Scit sancta Romana ecclesia, quod nichil obsunt saluti credentium diuersæ pro loco et tempore consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua eis obuiare debeamus, unde nil iudicamus eis debere uel posse resisti.

**C. IV.** Consuetudines, que fidei non offitiunt, ut a maioribus traditæ sunt, obseruentur.

Item Ieronimus ad Lucinum. [epist. XXVIII].

Illud breuiter te admonendum puto, traditiones ecclesiasticas, presertim que fidei non offitiant, ita obseruandas, ut a maioribus traditæ sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti.

**C. V.** Traditiones a patribus institutæ, non sunt infringendæ.

Item Nicolaus Incmaro Episcopo.

Ridiculum est, et satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur.

**C. VI.** Mores diuturni pro lege sunt habendi.

Item Iustinianus Constitutionum libro I. titulo I. [Institutionum lib. I. tit. 2. de iure nat. §. 9].

Diuturni mores nisi legi sunt aduersi consensu utentium approbati legem imitantur.

**C. VII.** Quicquid fit contra longam consuetudinem, reuocari oportet.

Item Codicis libro VIII. c. 52. titulo 2. [tit. 53. quæ sit longa consuetudo l. 1].

Consuetudo precedens et ratio, que consuetudinem suasit, tenenda est.

Et quicquid contra longam consuetudinem fiet, ad sollicitudinem suam reuocabit preses prouinciæ.

**C. VIII.** Immota maneat consuetudo, que contra fidem catholicam nichil usurpare dignoscitur.

Item Gregorius uniuersis Episcopis Numidiis. [lib. I. epist. LXXV].

Nos consuetudinem, que contra fidem catholicam nichil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, siue de primatibus constituendis, siue de ceteris capitulis, exceptis iis, qui ex Donatistis ad episcopatum perueniunt, quos prouehi ad primatus dignitatem (etiam cum ordo eos deferat ad locum eundem) modis omnibus prohibemus.

Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis curam gerere, non autem illos antistites, quos catholica fides in ecclesiæ sinu et edocuit et genuit, ad obtinendum culmen primatus antea.

**C. IX.** Non negentur que consuetudinis sunt.

Item Gregorius. [ad Maximum Salonitanum Episcopum lib. VII. Regest epist. 81].

Quemadmodum illicita perpetrare non patimur, sic que consuetudinis sunt non negamus.

**C. X.** Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat.

Item ad Augustino Anglorum Episcopo. [resp. ad interrog. 3].

Nouit fraternitas tua Romanæ ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritam.

Sed mihi placet, ut siue in Romana, siue in Gallicorum, siue in qualibet ecclesia inuenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum ecclesia, que adhuc in fide noua est, institutione precipua, que de multis ecclesiis colligere potueris, infundas.

Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt.

Ex singulis ergo quibusque ecclesiis que pia, que religiosa, que recta sunt, elige, et hec quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

**C. XI.** Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter habendum.

Item Augustinus ad Ianuarium. [epist. CXVIII. cap. 1. et 2]

Illa autem, que non scripta, sed tradita custodimus, que quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi uel ab ipsis apostolis, uel plenariis conciliis, (quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas), commendata atque statuta retineri: sicuti id quod Domini passio et resurrectio et ascensio in celum, aduentus Spiritus sancti anniuersaria sollemnitate celebratur: et si quid aliud tale occurrerit, quod seruetur ab uniuersis, quacunque se diffundit ecclesia.

§. 1. Alia uero, que per loca terrarum regiones que uariantur, sicuti est quod alii ieiunant sabbatum, alii non: alii uero quotidie communicant corpori et sanguini domini, alii certis diebus accipiunt: et si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes; quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter habendum, et pro eorum, inter quos uiuitur, societate seruandum est.

Mater Mediolanum me secuta inuenit ecclesiam sabbato non ieiuantem; ceperat fluctuare quid ageret.

Tunc ego consului de hac re beatissimæ memoriæ Ambrosium episcopum; at ille ait: cum Romam uenio, sabbato ieiuno, cum Mediolani sum, non ieiuno.

Sic et tu, ad quam forte ecclesiam ueneris, eius morem serua, si cuiquam non uis esse scandalum, nec quemquam tibi.

Hoc cum matri renuntiassem, libenter amplexa est.

## II. Pars.

Gratianus. Hoc autem de consuetudine illa intelligendum est, que uel uniuersalis ecclesiæ usu, uel temporis prolixitate roboratur.

Ceterum, si pro uarietate temporum uel animorum uariæ consuetudines introducuntur, inuenta opportunitate, resecandæ sunt potius quam obseruandæ.

Unde Augustinus scribit ad inquisitiones Ianuarii: [epist. CXIX. c. 19].

**C. XII.** Resecanda sunt, que neque auctoritate, neque moribus uniuersitatis comprobantur.

Omnia talia, que neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine uniuersæ ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter uariantur, ita ut uix aut numquam omnino inueniri possint causæ, quas in eis constituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo.

Quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse uoluit liberam, ideo seruilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudeorum, qui etiamsi tempus libertatis non cognouerint, legalibus tamen sacramentis, non humanis presumptionibus subiciuntur.

**C. XIII.** Omnes prouinciales eundem in psallendo modum teneant, quem metropolitana sedem habere cognouerint.

Item ex Concilio Tolletano. [XI. c. 3].

### III. Pars.

De his, qui contra Apostoli uoluntatem circumferuntur omni uento doctrinæ, placuit sancto concilio, ut metropolitanæ sedis auctoritate coacti uniuscuiusque prouinciæ ciues, rectores que ecclesiarum unum eundem que in psallendo teneant modum, quem metropolitana in sede cognouerint institutum, nec aliqua diuersitate cuiusque ordinis uel offitii a metropolitana se patiantur sede disiungi.

Sic enim iustum est, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accipit, ut iuxta maiorum decreta sedes, que uniuscuiusque sacerdotalis dignitatis est mater, sit ecclesiasticæ magistra rationis.

Abbatibus sane indultis offitiis, que iuxta uoluntatem sui episcopi regulariter illis implenda sunt, cetera offitia publica, id est uesperam, matutinum, siue missam, aliter quam in principali ecclesia celebrare non liceat.

§. 1. Quisquis autem horum decretorum uiolator exstiterit, sex mensibus communionem priuatus apud metropolitanum sub penitentiae censura maneat corrigendus: quatenus apud illum et preteritæ transgressionis culpam lacrimis diluat, et necessariam offitiorum doctrinam studiose addiscat.

§. 2. Sub ista ergo regula disciplinæ non solum metropolitanus totius suæ prouinciæ pontifices uel sacerdotes adstringat, sed etiam ceteri episcopi subiectos sibi ecclesiarum rectores obtemperare institutionibus cogant.

C. XIV. Ordo seruetur in matutinis et uespertinis offitiis unus et idem.

Item ex Concilio Bracaren. [I. cap. 1].

Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis uel uespertinis offitiis teneatur, et non diuerse ac priuate, neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permixtæ.

## DISTINCTIO XIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Item aduersus naturale ius nulla dispensatio admittitur; nisi forte duo mala ita urgeant ut alterum eorum necesse sit eligi.

Unde in Concilio Tolletano VIII. [c. 2]. legitur:

C. I. Minus malum de duobus est eligendum.

Duo mala, licet cautissime sint precauenda tamen si periculi necessitas unum ex his temperare compulerit, id debemus soluere, quod minori nexu noscitur obligari.

Quid autem leuius ex his, quid ue grauius sit, puræ rationis acumine inuestigemus.

Etenim dum peierare compellimur, creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus.

Cum uero noxia promissa complemus et Dei iussa contempnimus et proximis impia crudelitate nocemus, et nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus.

Illic enim duplici culparum telo perimimur, hic tripliciter iugulamur.

C. II. De eodem.

Item Gregorius in Moralibus parte VI. libro XXXV. c. XIV. [in c. 40. Iob. I. XXXII. c. 17. 18. 19. et 20].

Nerui testicularum Leuiathan perplexi sunt, quia suggestionum illius argumenta implicatis inuentis alligantur, ut plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse fugere peccatum appetant, hoc sine alio peccati laqueo non euadant, et culpam faciant dum uitant, atque nequaquam se ab una ualeant soluere, nisi in alia se consentiant ligare. Quod melius ostendimus, si qua ex conuersatione hominum alligationis huius exempla proferamus.

§. 1. Ecce quidam, dum mundi huius amicitias appetit, cuilibet alteri similem sibi uitam ducenti, quod secreta illius omni silentio contegat, se iureiurando constringit.

Sed is, cui iuratum est, adulterium perpetrare cognoscitur, ita ut etiam maritum adulteræ occidere conetur.

Is autem, qui iusiurandum prebuit, ad mentem reuertitur et diuersis hinc inde cogitationibus impugnatur, atque hoc silere formidat, ne silentio adulterii simul et homicidii particeps fiat, prodere trepidat, ne reatu se periurii obstringat.

Perplexis ergo neruis testicularum ligatus est, qui in quamlibet partem declinet, metuit, ne a transgressionis contagione liber non sit.

§. 2. Alius cuncta, que mundi sunt, deserens, ac per omnia frangere proprias uoluntates querens, alieno se subdere regimini appetit, sed eum, qui sibi ad Deum preesse debeat, minus cauta inquisitione discernit: quia fortasse is, qui sine iudicio eligitur, cum preesse iam ceperit, agere que Dei sunt prohibet, que mundi sunt iubet.

Pensans itaque subditus, uel que sit culpa inobedientiæ, uel quod contagium secularis uitæ, et obedire trepidat, et non obedire formidat, ne aut obediens Deum in suis preceptis deserat, aut rursus non obediens Deum in electo priore contempnat.

§. 3. Alius pensare pondus honoris ecclesiastici negligens id locum regiminis premiis ascendit.

Sed quia omne, quod hic eminet, plus meroribus afficitur, quam honoribus gaudet, dum cor tribulatione premitur, ad memoriam culpa reuocatur, dolet que se ad laborem cum culpa peruenisse, et quam sit iniquum, quod admiserit, ex ipsa fractus difficultate cognoscit.

Reum se igitur cum impensis premiis agnoscens, uult adeptæ sublimitatis locum deserere, sed timet, ne grauius delictum sit suscepti gregis custodiam reliquisse; uult suscepti gregis curam gerere, sed formidat, ne deterior culpa sit, regimina pastoralis gregis empta possidere.

Per honoris ergo ambitum ligatum culpa hinc inde se conspicit.

Esse quippe sine reatu criminis neutrum uidet, si aut susceptus semel grex relinquitur, aut rursus sacra actio seculariter empta teneatur.

Undique metuit et suspectus latus omne pertimescit, ne aut stans in empto regimine non digne, lugeat quod non etiam deserens emendat, aut certe regimen deserens, dum aliud flere nititur, rursus aliud de ipsa gregis destitutione committat.

## II. Pars.

§. 4. Est tamen, quod ad destruendas Behemot uersutias subtiliter fiat, ut cum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato aditus patet, minora semper eligantur; quia et qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam precipitat, ubi breuior murus ingeritur.

Hinc Paulus, cum quosdam in ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minima, ut maiora declinarent, dicens: “Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat”.

Et quia tunc solum coniuges in admixtione sunt sine culpa, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur, ut hoc etiam, quod concesserat sine culpa (quamuis minima) non esse monstraret, ilico adiunxit: “Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium”.

Non enim est sine uitio, quod ignoscitur, non precipitur.

Peccatum profecto uidit, quod posse indulgeri preuidit.

Sed cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine uenia peccemus.

§. 5. Itaque plerumque neruorum Behemot istius perplexitas soluitur, dum ad uirtutes maximas per commissa minora transitur.

## DISTINCTIO XIV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Verum hoc in una eadem que persona intelligitur.

Ceterum an in diuersis eadem dispensatio locum habeat, uidelicet, ut committamus minora, ne alii grauioribus implicentur, merito queritur.

De his ita scribit Augustinus libro Questionum super Genesim: [cap. 42].

C. I. Non sunt a nobis aliqua committenda delicta, ne alii grauiora committant.

Quod ait Sodomitis Loth: “Sunt mihi duæ filiæ, que nondum nouerunt uiros; producam illas ad uos, utimini illis, sicut placuerit uobis: tantum in uiros istos ne faciatis iniquum.” quoniam prostituere uolebat filias suas hac compensatione, ut uiri hospites eius nichil a Sodomitis tale paterentur, utrum admittenda sit compensatio flagitiorum uel quorumcumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat; an potius perturbationi Loth non consilio tribuendum sit, qui hoc dixerit, merito queritur.

Et nimirum periculosissime admittitur hec compensatio.

Si autem perturbationi humanæ tribuitur et menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.

#### II. Pars.

Gratianus. Consuetudinis autem uel constitutionis rigor nonnumquam relaxatur.

Unde Leo Papa ait: [ad Rusticum Narbonensem Episc. epist. XC. ante cap. 1].

C. II. Que constitutiones ualeant temperari, uel que non.

Sicut quedam sunt, que nulla ratione conuelli possunt, ita multa sunt, que aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione etatum oporteat temperari; illa semper conditione seruata, ut in his, que uel dubia fuerint aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec preceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inueniatur aduersum.

**DISTINCTIO XV.****GRATIANUS.****I. Pars.**

De naturali iure et constitutione uel consuetudine hactenus disseruimus, differentiam, qua ab inuicem discernuntur, assignantes: nunc ad ecclesiasticas constitutiones stilum uertamus, earum que originem et auctoritatem, prout ex libris sanctorum Patrum colligere possumus, breuiter assignantes.

**C. I. Quo tempore ceperint canones generalium conciliorum.**

Canones generalium conciliorum

(ut Ysidorus ait libro 6. Etimologiarum c. 16).

a temporibus Constantini ceperunt.

In precedentibus namque annis persecutione feruente docendarum plebium minime dabatur facultas.

Inde Christianitas in diuersas hereses scissa est, quia non erat episcopis licentia conueniendi in unum, nisi tempore supradicti imperatoris.

Ipse enim dedit facultatem Christianis libere congregari.

Sub hoc etiam sancti Patres in concilio Niceno de omni orbe terrarum conuenientes iuxta fidem euangelicam et apostolicam secundum post apostolos symbolum tradiderunt.

§. 1. Inter cetera autem concilia quatuor sunt uenerabiles sinodi, que totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor euangelia, uel totidem paradisi flumina.

§. 2. Harum prior Nicena sinodus CCCXVIII. episcoporum Constantino Augusto imperante peracta est: in qua Arrianæ perfidiæ condempnata est blasphemia, quam de inequalitate sanctæ Trinitatis idem Arrius asserebat, et consubstantialem Deo Patri Dei Filium eadem sancta sinodus per symbolum diffiniuit.

§. 3. Secunda sinodus CL. Patrum sub Theodosio seniore Constantinopolim congregata est, que Macedonium, Spiritum sanctum Deum esse negantem, condempnans, consubstantialem Patri et Filio Spiritum sanctum demonstrauit, dans simboli formam, quam tota Grecorum et Latinorum confessio in ecclesiis predicat.

§. 4. Tertia sinodus Ephesina prima CC. episcoporum sub iuniore Theodosio Augusto edita est, que Nestorium, duas personas asserentem in Christo, iusto anathemate condempnauit, ostendens manere in duas naturas unam Domini Iesu Christi personam.

§. 5. Quarta sinodus Calcedonensis DCXXX. sacerdotum sub Martino principe habita est, in qua Euticem Constantinopolitanum abbatem uerbi Dei et carnis unam naturam pronuntiantem, et eius Dioscorum defensorem, quondam Alexandrinum episcopum, et ipsum rursum Nestorium episcopum cum reliquis hereticis, una Patrum sententia dampnauit; predicans eadem sinodus Christum Dominum sic natum de Virgine, ut in eum substantiam et diuinæ et humanæ confiteamur naturæ.

§. 6. He sunt quatuor sinodi principales, fidei naturam plenissime predicantes.

Sed et si qua sunt concilia, que sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritates omni manent stabilita uigore: quorum gesta in hoc opere condita continentur.

§. 7. Sinodus autem ex greco interpretatur comitatus uel cetus. Concilii uero nomen tractum est ex more Romano.

Tempore enim, quo causa agebatur, conueniebant omnes in unum, communi que intentione tractabant.

Unde et concilium a communi intentione dictum quasi consilium; consilium quasi considium, d in l literam transeunte; uel concilium dictum est ex communi intentione, eo quod in unum dirigant omnem mentis obtutum: supercilia enim oculorum sunt; unde qui sibimet dissentiant, non agunt concilium, quia non sentiunt in unum.

Cetus uero conuentus est uel congregatio, a coeundo, id est a conueniendo in unum.

Hinc et conuentus est nuncupatus, quod ibi homines conueniunt; sicut conuentus cetus sic et concilium a societate multorum in unum appellatur.

De quatuor quoque conciliis scribit B. Gregorius, ita dicens: [lib. I. Regesti Epist. 24].

### C. II. De auctoritate quatuor conciliorum.

Sicut sancti euangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et uenerari me fateor.

Nicenum scilicet, in quo peruersum Arrii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error conuincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas iudicatur: Calcedonense uero, in quo Euticetis Dioscori que prauitas est reprobata; hec tota deuotione amplector, integerrima approbatione custodio, quia in his uelut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, et cuiuslibet uitæ atque actionis norma existit.

§. 1. Quintum concilium quoque ueneror, in quo epistola, que Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur; Theodorus personam mediatoris Dei et hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur, scripta quoque Theodori, per que beati Cirilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata, refutatur.

Cunctas uero quas prefata ueneranda concilia personas respuunt, respuo, quas uenerantur, amplector: quia dum uniuersali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis presumit aut absoluere quos religant, aut ligare quos absoluunt.

De eisdem scribit etiam Gelasius Papa [in concilio habito Romæ cum LXX. Episcopis] dicens:

### C. III. Que concilia sancta Romana ecclesia suscipiat.

Sancta Romana ecclesia post illas ueteris et noui testamenti scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet: Sanctam sinodum Nicenam CCCXVIII. Patrum, mediante Maximo Constantino Augusto, in qua Arrius hereticus dampnatus est; sanctam sinodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hereticus debitam dampnationem excepit; sanctam sinodum Ephesinam primam, in qua Nestorius dampnatus est consensu beatissimi Papæ Celestini, mediante Cirillo Alexandrinæ sedis antistite, et Arcadio episcopo ab Italia destinato; sanctam sinodum Calcedonensem, mediante Martiano Augusto et Anatolio Constantinopolitano episcopo, in qua Nestoriana et Euticiana heresis simul cum Dioscoro eius que complicibus dampnatæ sunt; sed et si qua sunt concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem et custodienda, et recipienda decernimus.

§. 1. Iam nunc subiciendum est de opusculis sanctorum Patrum, que in ecclesia catholica recipiuntur.

§. 2. Opuscula B. Cipriani martiris et Cartaginensis episcopi.

§. 3. Item opuscula B. Gregorii Nacienceni episcopi.

§. 4. Item opuscula B. Athanasii Alexandrini episcopi.



- §. 6. Item opuscula B. Iohannis Constantinopolitani episcopi.
- §. 9. Item opuscula B. Ylarii Pictauiensis episcopi.
- §. 10. Item opuscula B. Ambrosii Mediolanensis episcopi.
- §. 11. Item opuscula B. Augustini episcopi Ipponensis.
- §. 12. Item opuscula B. Ieronimi presbiteri.
- §. 13. Item opuscula beati Prosperi uiri religiosissimi.
- §. 14. Item epistolam B. Leonis Papæ ad Flauianum episcopum destinatam, cuius textum si quisquam usque ad unum iota disputauerit, et non eam in omnibus uenerabiliter receperit, anathema sit.
- §. 15. Item opuscula atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo a sanctæ Romanæ ecclesiæ consortio deuiauerunt, nec ab eius fidei predicatione seiuncti sunt, sed communionis ipsius gratia Dei usque ad ultimum diem uitæ suæ participes fuerunt, legenda decernimus.
- §. 16. Item decretales epistolæ, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab urbe Romana pro diuersorum Patrum consolatione dederunt, uenerabiliter suscipiendæ sunt.

[PALEA. §. 17. Item gesta sanctorum martirum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant.

Quis ita esse catholicorum dubitet, et maiora eos in agonibus fuisse perpressos, nec suis uiribus, sed gratia Dei et adiutorio uniuersa tolerasse?

Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia et eorum, qui conscribere, nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur: sicut cuiusdam Quirici et Iulitæ, sicut Gregorii aliorum que huiusmodi passiones, que ab hereticis perhibentur conscriptæ.

Propter quod, ut dictum est, ne uel leuis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana ecclesia non leguntur.

Nos tamen cum predicta ecclesia omnes martires et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni deuotione ueneramur.

§. 18. Item uitas Patrum, Pauli, Antonii, Ilarionis et omnium eremitarum, quas tamen uir beatissimus scripsit Ieronimus, cum omni honore suscipimus.

§. 19. Item actus B. Siluestri, apostolicæ sedis presulis, licet eius, qui conscripsit, nomen ignoremus, a multis tamen in urbe Roma catholicis legi cognouimus, et pro antiquo usu multæ hoc imitantur ecclesiæ.

§. 20. Item scripta de inuentione S. crucis dominicæ, et alia scripta de inuentione capitis B. Iohannis Baptistæ, nouellæ quidem reuelationes sunt, et nonnulli eas catholici legunt, sed cum hec ad catholicorum manus peruenerint, B. Pauli apostoli sententia precedat: "Omnia probate, quod bonum est tenete".

§. 21. Item Rufinus uir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est; sed quoniam B. Ieronimus in aliquibus eum de arbitrii libertate notauit, illa sentimus, que predictum B. Ieronimum sentire cognoscimus: et non solum de Rufino, sed etiam de uniuersis quos uir sepius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.

§. 22. Item Origenis nonnulla opuscula, que uir beatissimus Ieronimus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda.

§. 23. Item chronicon Eusebii Cesariensis, atque eiusdem historiæ ecclesiasticæ libros, quamuis in primo narrationis suæ libro tepuerit, et postea in laudibus atque excusatione

Origenis scismatici unum conscripserit librum: propter rerum tamen notitiam singularem, que ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.

§. 24. Item Orosium uirum eruditissimum collaudamus, quia ualde nobis necessariam aduersus paganorum calumpnias ordinauit historiam, mira que breuitate contextuit.

§. 25. Item uenerabilis uiri Sedulii pascale opus, quod heroicis descripsit uersibus, insigni laude proferimus.

§. 26. Item Iuuenci nichilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.

§. 27. Ceterum, que ab hereticis, siue scismaticis conscripta uel predicata sunt, nullatenus recipit catholica et apostolica ecclesia Romana.

E quibus pauca, que ad memoriam uenerunt, et a catholicis uitanda sunt, credimus esse subdenda.

§. 28. Imprimis Arriminensem sinodum, a Constantio Cesare Constantini filio congregatam mediante Tauro prefecto, ex tunc et nunc et usque in eternum confitemur esse dampnatam.

§. 29. Item itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis liber VIII., apocrifum.

§. 30. Actus nomine Andreæ apostoli, apocriphi.

§. 31. Actus nomine Philippi apostoli, apocriphi.

§. 32. Actus nomine Petri apostoli, apocriphi.

§. 33. Actus nomine Thomæ apostoli, apocriphi.

§. 34. Euangelium nomine Thaddei, apocrifum.

§. 35. Euangelium nomine Thomæ apostoli, quo utuntur Manichei, apocrifum.

§. 36. Euangelium nomine Barnabæ, apocrifum.

§. 37. Euangelium nomine Bartholomei apostoli, apocrifum.

§. 38. Euangelium nomine Andreæ apostoli, apocrifum.

§. 39. Euangelia, que falsauit Lucianus, apocrifum.

§. 40. Euangelia, que falsauit Ircius, apocrifum.

§. 41. Liber de infantia Saluatoris, apocrifus.

§. 42. Liber de natiuitate Saluatoris, et de S. Maria, et de obstetrice Saluatoris, apocrifus.

§. 43. Liber, qui appellatur Pastoris, apocrifus.

§. 44. Libri omnes, quos fecit Lenticius, discipulus diaboli, apocriphi.

§. 45. Liber, qui appellatur Fundamentum, apocrifus.

§. 46. Liber, qui appellatur Thesaurus, apocrifus.

§. 47. Liber, qui appellatur de filiabus Adæ, uel Geneseos, apocrifus §. 48. Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum uersibus, apocrifum.

§. 49. Liber, qui appellatur Actus Teclæ et Pauli apostoli, apocrifus.

§. 50. Liber, qui appellatur Nepotis, apocrifus.

§. 51. Liber prouerbiorum, qui ab hereticis conscriptus et S. Xisti nomine signatus est, apocrifus.

§. 52. Reuelatio, que appellatur Pauli apostoli apocrifum.

§. 53. Reuelatio, que appellatur Thomæ Apostoli, apocrifum.

§. 54. Reuelatio, que appellatur Stephani, apocrifum.

§. 55. Liber, qui appellatur Transitus S. Mariæ, apocrifus.

§. 56. Liber, qui appellatur Penitentia Adæ, apocrifus.

§. 57. Liber Ogiæ nomine Gigantis, qui ab hereticis cum dracone post diluuium pugnasse perhibetur, apocrifus.

§. 58. Liber, qui appellatur Testamentum Iacob, apocrifus.

- §. 59. Liber, qui appellatur Penitentia Origenis, apocrifus.
- §. 60. Liber, qui appellatur Penitentia S. Cipriani, apocrifus.
- §. 61. Liber, qui appellatur Penitentia Iamnis et Mambrae, apocrifus.
- §. 62. Liber, qui appellatur Sortes apostolorum, apocrifus.
- §. 63. Liber Lusanæ, apocrifus.
- §. 64. Liber canonum Apostolorum, apocrifus.
- §. 65. Liber Physiologus, qui ab hereticis conscriptus est et B. Ambrosii nomine presignatus, apocrifus.
- §. 66. Historia Eusebii Pamphili, apocrifa.
- §. 67. Opuscula Tertulliani siue Africani, apocrifa §. 68. Opuscula Postumiani et Galli, apocrifa.
- §. 69. Opuscula Montani, Priscillæ et Maximillæ, apocrifa.
- §. 70. Opuscula omnia Fausti Manichei, apocrifa.
- §. 71. Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrifa.
- §. 72. Opuscula Cassiani presbiteri Galliarum, apocrifa.
- §. 73. Opuscula Victorini Pictauiensis, apocrifa.
- §. 74. Opuscula Fausti Regiensis Galliarum, apocrifa.
- §. 75. Opuscula Frumentii, apocrifa.
- §. 76. Epistola Iesu ad Agbarum, regem, apocrifa.
- §. 77. Passio Georgii, apocrifa.
- §. 78. Passio Cirici et Iulitæ, apocrifa.
- §. 79. Scriptura, que appellatur Contradictio Salomonis, apocrifa.
- §. 80. Philacteria omnia, que non angelorum, ut illi confingunt, sed demonum magis arte conscripta sunt, apocrifa.
- §. 81. Hec et omnia his similia, que Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Fotinus et Bonosus et qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus siue Manicheus, Faustus, Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Nouatus, Sabbatius, Celestius, Donatus, Eustathius, Iouinianus, Pelagius, Iulianus et Latiensis, Celestinus, Maximinus, Priscianus ab Hispania, Lampedius, Dioscorus, Eutices, Petrus, et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculauit, Acatius Constantinopolitanus, cum consortibus suis, nec non et omnes hereses, quas ipsi eorum que discipuli, siue schismatici docuerunt uel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur, non solum repudiata, uerum etiam ab omni Romana et apostolica ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorum que sequacibus sub anathematis indissolubili uinculo, in eternum confitemur esse dampnata.
- §. 82. Ceterum, qui libri in ecclesiasticis offitiis per anni circulum a nonnullis legantur (quod ritum illum apostolica non reprobatur, sed sequitur ecclesia) pro fidelium edificatione adnotandum censuimus.
- Quidam, quod in septuagesima ponunt pentateuchum usque in XV. diem ante Pascha, XV. die ponunt Ieremiam usque in cenam Domini.
- In cena Domini legunt tres lectiones de lamentatione Ieremiæ: “Quomodo sedet sola ciuitas, etc.” et tres de tractatu S. Augustini in psalmum LIV.: “Exaudi Deus orationem meam et ne despexeris,” et tres de Apostolo, ubi ait in epistola ad Corinthios: “Conuenientibus uobis in unum”.
- Secunda lectio sic incipit: “Similiter et calicem postquam cenauit, etc.”.
- Tertia: “De spiritualibus autem nolumus uos ignorare, fratres”.

In parasceue tres lectiones de lamentatione Ieremiæ, et tres de tractatu S. Augustini in psalmum LXIII: “Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor,” et tres de Apostolo, ubi ait in epistola ad Ebreos: “Festinemus ingredi in illam requiem, etc.”.

Secunda lectio: “Omnis namque pontifex”.

Tertia: “De quo grandis nobis sermo”.

In sabbato sancto tres lectiones de lamentatione Ieremiæ prophetæ, et tres de tractatu S. Augustini in eundem psalmum LXIII.: “Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor,” et tres de Apostolo, ubi ait in epistola ad Ebreos: “Christus assistens pontifex futurorum bonorum”.

Secunda lectio: “Ubi enim testamentum est”.

Tertia: “Umbram enim habens lex futurorum bonorum”.

In pascha Domini homilias ad ipsum diem pertinentes, infra hebdomadam homilias.

In octauis paschæ ponunt actus apostolorum et epistolas canonicas et apocalipsin, usque in octauas pentecostes.

In octauis pentecostes ponunt libros regum et paralipomenon usque in calendas augusti.

In dominica prima mensis augusti ponunt Salomonem usque in calendas septembris.

In dominica prima septembris ponunt Iob Tobiam, Hester, Esdram usque in calendas octobris.

In dominica prima mensis octobris ponunt librum Machabeorum usque in calendas nouembris.

In dominica prima mensis nouembris ponunt Ezechielem et Danielem et minores prophetas usque in calendas decembris.

In dominica prima mensis decembris ponunt Esaiam prophetam usque ad natiuitatem Domini.

In natali Domini legunt primum de Esaia tres lectiones.

Prima lectio: “Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, etc.”.

Secunda: “Consolamini, consolamini”.

Tertia: “Consurge, consurge”.

Deinde leguntur sermones uel homiliæ ad ipsum diem pertinentes.

In natali S. Stephani homilia de ipso die.

In natali S. Ioannis similiter.

In natali innocentium similiter.

In natali S. Siluestri similiter.

In octaua natalis Domini homilia de ipso die.

In dominica prima post natiuitatem Domini ponunt epistolas Pauli usque in septuagesimam.

In epiphania lectiones tres de Esaia.

Prima lectio incipit: “Omnes sitiientes”.

Secunda: “Surge, illuminare Ierusalem”.

Tertia: “Gaudens gaudebo in Domino”.

Deinde leguntur sermones uel homiliæ ad ipsum diem pertinentes].

## **DISTINCTIO XVI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Apostolorum canones, qui per Clementem Romanum Pontificem, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt quinquaginta.

Hos non recipiendos, sed inter apocrypha deputatos, Ysidorus scribit dicens:

**C. I.** Apostolorum canones apostolica reiciuntur auctoritate.

Canones, qui dicuntur apostolorum, seu quia eosdem nec sedes apostolica recipit, nec sancti Patres illis consensum prebuerunt, pro eo quod ab hereticis sub nomine apostolorum compositi dignoscuntur, quamuis in eis inueniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apostolica eorum gesta constat esse remota atque inter apocrypha deputata.

Zepherinus autem e contra scribit Episcopis per Siciliam constitutis: [epist. I].

**C. II.** Apostolorum canones sunt recipiendi.

Sexaginta sententias apostoli prescripserunt cum aliis quam plurimis episcopis, et seruandas esse censuerunt.

**C. III.** Exceptis quinquaginta capitulis canones apostolorum inter apocrypha deputantur.

Item Leo Papa IX. contra epistolam Nicetæ Abbatis.

Clementis librum, id est Petri apostoli itinerarium, et canones apostolorum numerant Patres inter apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis, que decreuerunt orthodoxæ fidei adiungenda.

[**C. IV.** Item]

VI. Sinodus, c. 2.

Placuit huic sanctæ sinodo, ut amodo confirmata et rata sint canonum apostolorum LXXXV. capitula.

Epistola Ysidori in capite canonum.

Ysidorus seruus Christi lectori suo conseruo.

§. 1. Propter eorum auctoritatem ceteris conciliis preponimus canones, qui dicuntur apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam per plures eos recipiunt, et sancti Patres eorum sententias sinodali auctoritate roborauerunt et inter canonicas posuerunt constitutiones.

Item.

§. 2. Primus ordo, ut predictum est, de celebrando concilio insertus habetur, et postmodum canonum apostolorum, ac primorum apostolicorum (id est, a S. Clemente usque ad S. Siluestrum) decretorum atque diuersorum conciliorum breuiarium est interpolatum, sequens ordinem suum.

Gratianus. Item cum Adrianus Papa sextam sinodum recipiat cum omnibus canonibus suis, cum etiam sancta octo uniuersalia concilia professione Romani Pontificis sint roborata, in septima autem sinodo, siue in sexto concilio, apostolorum canones sint recepti et approbati: patet, quod non sunt inter apocrypha deputandi.

Scribit Adrianus Papa Tharasio Patriarchæ:

**C. V.** Sexta sinodus auctoritate Adriani corroboratur.

Sextam sanctam sinodum recipio cum omnibus canonibus suis.

Gratianus. Sed dubitatur de ea, an canones conscripserit, quod ex quarta actione sextæ sinodi facile absoluitur.

Ait enim Petrus Episcopus Nicomediæ:

**C. VI. Sexta synodus canones conscripsit.**

Habeo librum continentem canones sanctæ synodi sextæ.

Patriarcha dixit: §. 1. Quidam per ignorantiam scandalizantur pro canonibus istis, dicentes: Numquid sexta synodus canones fecit?

Sciunt ergo, quoniam sancta synodus sexta sub Constantino congregata est contra eos, qui dicebant unam operationem esse et uoluntatem in Christo, in qua sancti Patres illos utpote hereticos anathematizauerunt, et orthodoxam fidem explanauerunt.

**II. Pars.**

§. 2. Soluta est hec synodus Constantini XIV. anno.

Post quatuor uero aut quinque annos iidem sancti Patres congregati sunt sub Iustiniano, filio Constantini, et predictos canones promulgauerunt, de quibus nullus dubitet.

Qui enim sub Constantino in synodo fuerunt, iidem ipsi sub Iustiniano istis canonibus subscripserunt.

Oportebat enim, ut synodus uniuersalis canones ecclesiasticos promulgaret.

Item:

§. 3. Sancta synodus sexta post promulgatam ab ea diffinitionem contra Monothelitas, Constantino imperatore, qui eam congregauerat, non post multo defuncto, Iustiniano filio eius regnante pro eo.

§. 4. Eadem sancta synodus diuinitus inspirata iterum Constantinopolim quarto aut quinto anno congregata est, et canones CII. numero ad correctionem ecclesiæ promulgauit.

Gratian. Ex his ergo colligitur, quod sexta synodus bis congregata est: primo sub Constantino et nullos canones constituit: secundo sub Iustiniano filio eius, et prefatos canones promulgauit.

Unde sancti Patres in eadem Synodo secundo congregati dixerunt:

**C. VII. Constitutiones synodi sextæ.**

Quoniam sanctæ et uniuersales synodi, quinta sub Iustiniano Augusto, sexta sub Constantino patre suo Augusto, de misterio fidei plenissime disputantes, canones non fecerunt, sicut ceteræ quatuor uniuersales synodi: propterea nos conuenientes in hanc imperialem urbem sacros canones conscripsimus.

Item:

§. 1. Placuit huic sanctæ synodo, ut amodo confirmata et rata sint canonum apostolorum LXXXV. capitula.

Item:

§. 2. Confirmamus et ceteros sanctorum canones et synodos, id est, Nicenam, Anchiritanam, Neocesariensem, Gangrensem, Antioenam, Laudicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, Calcedonensem, Sardicensem et Cartaginensem, et opuscula Theophili Alexandrini episcopi et martiris, Trismegisti Gregorii, Neocesariensis episcopi, Athanasii episcopi Alexandrini, Basilius Cesareæ Capadociæ episcopi, Gregorii Niseni episcopi, Gregorii Theologi, Amphilochei Iconiensis episcopi, Timothei Alexandrini episcopi, Germani Constantinopolitani episcopi, Cirilli Alexandrini episcopi, Cipriani Cartaginensis episcopi, et synodum suam.

**C. VIII. Auctoritate Romani Pontificis sancta octo concilia roborantur.**

Item ex Libro Diurno professio Romani Pontificis.

Sancta octo uniuersalia concilia, primum Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Calcedonense quintum et sextum, Constantinopolitanum; item Nicenum; octauum quoque Constantinopolitanum usque ad unum apicem immutilata seruare, et pari honore et ueneratione digna habere, et que predicauerunt et statuerunt omnibus modis sequi et predicare, quecumque condempnauerunt ore et corde condempnare profiteor.

Quo autem tempore sexta sinodus et secunda et prima, et quarta et quinta congregatæ sunt, Beda in libro de temporibus [c. 65]. scribit, dicens:

**C. IX. De temporibus conciliorum.**

Sexta sinodus uniuersalis Constantinopolim celebrata est, et greco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simul que legatis Apostolicæ sedis, et episcopis CL. residentibus.

§. 1. Prima uniuersalis sinodus in Nicea congregata est contra Arrium CCCXVIII. Patrum, temporibus Iulii Papæ, sub Constantino principe.

§. 2. Secunda in Constantinopolim CL. Patrum, contra Macedonium et Eudoxium, temporibus Damasi Papæ et Gratiani principis, quando Nectarius eiusdem urbis episcopus est ordinatus. [§. 3. Deest]. §. 4. Quarta in Calcedone DCXXX. Patrum, sub Leone Papa, temporibus Martiani principis, contra Euticen nefandissimorum monachorum presulem.

§. 5. Quinta in Constantinopolim temporibus Iulii Papæ, sub Iustiniano principe. contra Theodorum et omnes hereticos.

**[C. X].**

Prima autem sinodus in Nicea, CCCXVIII. Patrum, contra Arrium Alexandrinum presbiterum, qui tres gradus in trinitate asserebat, Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum sanctum creaturam, temporibus Constantini principis Siluestri Papæ Romani, Macharii Ierosolimitani, Alexandri Alexandrini, qui condempnata eadem heresi statuerunt canones XX., quorum auctor maxime prefatus Alexander episcopus fuit.

§. 1. Secunda in Constantinopolim CL. patrum, contra Macedonium Constantinopolitanum episcopum, qui negabat Spiritum sanctum Deum esse, temporibus Gratiani Theodosii principum, Damasi Papæ Romani, Cirilli Ierosolimitani, Nectarii Alexandrini, qui condempnata prefata heresi statuerunt canones III., quorum auctor maxime B. Nectarius Constantinopolitanus episcopus fuit.

§. 2. Tertia in Epheso CCC. Patrum, contra Nestorium Constantinopolitanum episcopum, qui dicebat, beatam Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodo genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis, temporibus Theodosii principis imperatoris iunioris, Celestini Papæ Romani, Iuuenalis Constantinopolitani episcopi, Cirilli Alexandrini; qui XV. capitula contra Nestorii blasphemias totidem capitula, auctore eodem sancto Cyrillo, anathematizando conscripserunt.

§. 3. Quarta in Calcedone DCXXX. Patrum, contra Euticen Constantinopolitanum abbatem, qui asserebat, Christum post humanam assumptionem non ex duabus naturis existere, sed solam in eo diuinam naturam permanere, temporibus Martiani principis, Leonis Papæ Romani, Iuuenalis Ierosolimitani, Anatholii Constantinopolitani, qui condempnata prescripta heresi statuerunt canones XXVII., quorum auctor maxime idem sanctus Anatholius Constantinopolitanus episcopus fuit.

§. 4. Quinta in Constantinopolim, contra Theodorum Mosophenum et omnes hereticos, qui Theodorus dicebat alium esse Dei uerbum, et alium Christum, et sacram Mariam Virginem negabat genitricem Dei fuisse, temporibus Iustiniani principis, Vigilii Papæ

Romani, Domnini Antioцени, Eutihii Constantinopolitani; qui XIV. capitula anathematizando scripserunt contra Theodori et sociorum eius blasphemias.

§. 5. Sexta in Constantinopoli CL. Patrum, contra Macharium Antiocenum episcopum et socios eius, qui unam uoluntatem et operationem in Christo falsa suspitione astruebant, temporibus Constantini principis, Agatonis Papæ Romani Gregorii Constantinopolitani; qui condempnata prefata heresi anathematizando scripserunt nouem capitula interius annexa.

[C. XI].

Prima annotatio Anquiritanæ sinodi, que ante Nicenam fertur fuisse, sed propter auctoritatem maiorem postponitur; in qua Patres XVIII. statuerunt canones XXIV. quorum auctor maxime Vitalis Antioceus episcopus extitit.

§. 1. Secunda Neocesariensis, que post Anquiritanam, et Antioceam legitur fuisse; in qua Patres XVIII. statuerunt canones XIV. quorum auctor maxime Vitalis Salaminus extitit.

§. 2. Tertia Gangrensis, que post Nicenam legitur fuisse, in qua Patres XVII. statuerunt canones XX. propter quasdam necessitates ecclesiasticas, maxime contra Eustasium, qui dicebat, quod nullus in coniugali gradu positus, nec ullus fidelis, qui non omnibus renuntiaret que possideret, spem ad Dominum haberet, et multa alia uenenosa, que enumerare longum est.

§. 3. Quarta Sardicensis, in qua Patres LX. statuerunt canones XXI. quorum auctor maxime Osius Cordubensis episcopus, et Vincentius Capuanus episcopus, et Ianuarius Beneuentanus, et Calepodius Neapolitanus sanctæ Romanæ ecclesiæ legati extiterunt.

§. 4. Quinta Antioceana, in qua Patres XXX. statuerunt canones XXV. quorum auctor maxime Eusebius Palestinensis episcopus extitit.

§. 5. Sexta Laudicensis, in qua Patres XXII. statuerunt canones LVIII., quorum auctor maxime Theodosius episcopus extitit.

§. 6. Septima Cartaginensis, in qua Patres CCVIII. statuerunt canones XXXIII., quorum auctor maxime Aurelius Cartaginensis episcopus extitit.

Etiam S. Augustinus Yponensis episcopus in eadem sinodo legitur fuisse, temporibus Honorii Augusti.

§. 7. Octaua Africana sub Theodosio minore Augusto, in qua Patres CCXXIV. recitauerunt et firmauerunt canones CV., qui per diuersa concilia Africanæ prouinciæ temporibus Aurelii Cartaginensis episcopi leguntur esse conscripti.

§. 8. Nona Arelatensis, in qua Patres DC. statuerunt canones, quorum auctores maxime Silvester urbis Romæ episcopus, et S. Maurinus Arelatensis episcopus extiterunt, temporibus Constantini Augusti, sicut quidam asserunt.

§. 9. Decima item Arelatensis, in qua Patres XIX. statuerunt canones, quorum auctor maxime Cesarius Arelatensis episcopus extitit.

§. 10. Undecima item Arelatensis, in qua Patres XVIII. statuerunt canones.

§. 11. Duodecima item Arelatensis in Vico Ortensico, in qua Patres XI. constituerunt canones, quorum auctor maxime S. Cesarius episcopus extitit.

§. 12. Tertiadecima item Arelatensis, in qua Patres XIX. statuerunt canones, quorum auctor maxime Sarpidius Arelatensis episcopus extitit.

§. 13. Quartadecima Aurasicensis, in qua Patres XVI. statuerunt canones, quorum auctor maxime Ilarius episcopus extitit.

§. 14. Quintadecima Epaunensis, in qua Patres XXVI. statuerunt canones XL., quorum auctor maxime Cesarius Episcopus extitit.



- §. 15. Sextadecima Agathensis, in qua Patres XXXIII. statuerunt canones, quorum auctor maxime Cesarius extitit.
- §. 16. Septima decima Aurelianensis, in qua Patres LXXII. statuerunt canones, quorum maxime auctor Aurelianus Arelatensis episcopus extitit.
- §. 17. Octauadecima item Aurelianensis, in qua Patres XXXI. statuerunt canones, quorum auctor maxime Melanius Rodonensis episcopus extitit.
- §. 18. Nonadecima item Aurelianensis, in qua Patres XXV. statuerunt canones, quorum auctor maxime S. Albinus Andegauensis episcopus extitit.
- §. 19. Vicesima Aruernensis, in qua Patres XV. statuerunt canones, quorum auctor maxime Honoratus Breutensis episcopus extitit.
- §. 20. Vicesima prima Maticensis, in qua Patres XXI. statuerunt canones, quorum auctor maxime Priscus Lugdunensis episcopus extitit.
- §. 21. Vicesima secunda item Maticensis, in qua Patres LXVII. statuerunt canones, quorum auctor maxime idem Priscus Lugdunensis episcopus extitit.
- §. 22. Vicesima tertia Lugdunensis, in qua Patres XVII. statuerunt canones, quorum auctor maxime Philippus Viennensis episcopus extitit.
- §. 23. Vicesima quarta item Lugdunensis, in qua Patres XX. constituerunt canones, quorum auctor maxime Priscus Lugdunensis episcopus extitit. Sed quod Nicena sinodus XX. canones supra statuisse dicitur, contrarium uidetur ei, quod in epistola Athanasii inuenitur. Scribit enim Athanasius Alexandrinus Marco Papæ, ita dicens:

**C. XII.** Epistola Athanasii postulantis capitula Niceni concilii.

Septuaginta Niceni capitula, que de prefata sinodo, iubente domino meo Alexandro, decreta omnium episcoporum attuli que sunt igne combusta, optamus, ut a sede sanctæ ecclesiæ uestra auctoritate percipere per presentes legatos mereamur.

Item:

- §. 1. Presentibus nobis septuaginta in memorata sinodo capitula tractata sunt: triginta a Grecis, greca edita lingua; et triginta a Latinis, similiter latina edita lingua. Sed uisum est CCCXVIII. episcopis Spiritu sancto repletis, et maxime iam dicto Alexandro, et apostolicæ sedis apocrisiariis, ut decem capitula adunarentur, aliis atque congruis locis insererentur, et ad formam LXX. discipulorum, uel totius orbis terræ linguarum, septuaginta tanti et tam excellentis concilii fierent capitula, que omnem Christianorum informarent orbem.
- Gratian. Quomodo ergo uiginti tantum capitula in Nicena sinodo statuta dicuntur, cum septuaginta capitula (ut Athanasius scribit) in ea statuta monstrentur?
- His ita respondetur: Capitula Nicenæ sinodi quedam in desuetudinem abierunt: uiginti tantum in Romana ecclesia habentur.
- Unde Stephanus Papa scribit, dicens Luitberto Episcopo Maguntino:

**C. XIII.** Niceni concilii tantum capitula habentur.

Viginti tantum capitula Nicenæ sinodi in sancta Romana ecclesia habentur; sed quo neglectu alia defecerint, ambiguum est.

Plurimi arbitrantur Antiocono ea esse concilio inserta.

Sardicense quoque concilium auctoritate Nicolai Papæ recipitur.

Unde idem scribit clero Constantinopolitano:

**C. XIV.** Auctoritate apostolica Sardicense concilium recipitur.

Quod dicitis, neque Sardicense concilium, neque decretalia uos habere sanctorum Patrum uel recipere, non facile uobis facultas credendi tribuitur, maxime cum Sardicense concilium, quod penes uos in uestris regionibus actum est, et omnis ecclesia recipit, qua ratione conueniat, ut hec sancta Constantinopolitana ecclesia abiceret et ut dictum est non reciperet?

## **DISTINCTIO XVII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Generalia concilia quorum tempore celebrata sint, uel quorum auctoritas ceteris premineat sanctorum auctoritatibus, supra monstratum est.

Auctoritas uero congregandorum conciliorum penes apostolicam sedem est.

Unde Marcellus Papa scribit Maxentio:

**C. I.** Absque Romani Pontificis auctoritate congregari sinodus non debet.

Sinodum episcoporum absque huius sanctæ sedis auctoritate (quamquam quosdam episcopos possitis congregare) non potestis regulariter facere.

[**PALEA.** Neque ullum episcopum, qui hanc appellauerit apostolicam sedem, dampnare, antequam hinc sententia definitiua procedat.

Nam si seculares in publicis iudiciis libellis utuntur appellatoriis, quanto magis sacerdotibus hec eadem agere licet, qui super illos sunt? de quibus dictum est: “Ego dixi, Dii estis?”]

**C. II.** Non est ratum concilium, quod auctoritate Romanæ ecclesiæ fultum non fuerit.

Item Iulius Papa [I]. orientalibus episcopis.

Regula uestra nullas habet uires nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est, nec Romanæ ecclesiæ legatio interfuit; canonibus precipientibus, sine eius auctoritate concilia fieri non debere.

Nec ullum ratum est, aut erit unquam concilium, quod fultum fuerit auctoritate eius.

**C. III.** Nullus usurpet concessa Romanæ ecclesiæ.

Item Damasus Papa. [I. ad Stephanum epist. IV].

Huic sedi concessa nullus usurpare sine eius consultu presumat, qui non uult honore ecclesiastico indignus aut contemptor iudicari.

**C. IV.** Absque apostolicæ sedis auctoritate sinodum aliquibus congregare non licet.

Item Gregorius.

Nec licuit aliquando nec licebit particularem sinodum congregari; sed quotiens aliqua de uniuersali sinodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut sponte hi, qui salutem animæ suæ desiderant, ad apostolicam sedem pro percipienda ratione conueniant, aut si forte (sicut de talibus scriptum est: “Peccator, cum uenerit in profundum malorum, contempnit”), ita obstinati et contumaces extiterint, ut doceri non uelint, eos ab eisdem sedibus apostolicis aut attrahi

ad salutem quoquomodo necesse est, aut (ne aliorum perditio esse possint) secundum canones per seculares opprimi potestates.

**C. V.** Non est concilium, sed conuenticulum, quod sine sedis apostolicæ auctoritate celebratur.

Item Pelagius [Papa II]. Episcopis, qui conuenerunt ad illicitam uocationem Iohannis Constantinopolitani. [epist. I. cap. 1].

Multis denuo apostolicis et canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari.

§. 1. Quapropter, ut iam dictum est, recte non concilium, sed uestrum conuenticulum uel conciliabulum cassatur, et quicquid in eo actum est, irritum habetur et uacuum.

Vos quoque deinceps uidete, ut nullius hortatu talia presumatis, si apostolicæ sedis communionem carere non uultis.

§. 2. Si uero in qualibet prouincia ortæ fuerint questiones, et inter ipsius prouinciæ episcopos discrepare ceperit ratio, atque inter ipsos dissidentes non conueniat, ad maiorem tunc sedem referantur.

Et si illic facile et iuste non discernuntur, ubi fuerit synodus regulariter congregata, canonicè et iuste iudicentur.

Maiores uero et difficiliore questiones (ut sancta synodus statuit, et beata consuetudo exigit), ad sedem apostolicam semper deferantur.

**C. VI.** Prouincialia concilia sine Romani Pontificis presentia pondere carebunt.

Item Simachus Papa.

Concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quotannis decreta per prouincias, quia presentiam Papæ non habent, ualetudinem perdiderunt.

Legite insanissimi, aliquando in illis preter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de maioribus negotiis ad consultationem, si quid occurrerit, prefatæ sedis arbitrio fuisse seruatum?

## II. Pars.

Gratianus. Hinc etiam cum auctoritas Teodorici regis ex diuersis prouinciis ad urbem Romam sacerdotes conuenire precepisset, ut sanctum concilium iudicaret de his, que uenerabili Papæ Simacho, presuli apostolicæ sedis, ab aduersariis ipsius dicebantur impingi, Liguriæ Emiliae episcopi, seu Venetiarum suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debere synodum conuocare: scientes, quia eius sedi primum Petri apostoli meritum, deinde secuta iussione Domini conciliorum uenerandorum auctoritas singularem in ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictæ sedis antistitem minorum subiacuisse iudicio.

§. 1. Ad hec serenissimus rex Deo inspirante respondit: Sinodalis esse arbitrii in tanto negotio sequenda prescribere, nec aliquid ad se preter reuerentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere, committens etiam potestati pontificum, ut siue propositum uellent audire negotium, siue nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo uenerandi prouisione concilii pax in ciuitate Romana daretur.

Episcopi uero in synodo residentes congregata auctoritate eiusdem Simachi dixerunt: "Simachus Papa sedis apostolicæ presul ab huiusmodi oppositionibus impetitus quantum ad homines respicit, sit immunis et liber, cuius causam totam Dei iudicio reseruamus".

§. 2. “De clericis uero memorati papæ, qui ab episcopo suo ante tempus contra regulas discesserunt, et scisma fecerunt, hoc fieri decreuimus, ut satisfacientes episcopo suo misericordiam consequantur et offitiis ecclesiasticis se gaudeant restitui”.

§. 3. “Laurentius episcopus ecclesiæ Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsit”.

Petrus Ecclesiæ Rauennatis Episcopus sub eisdem uerbis subscripsit, et post eum LXV. episcopi.

Illud de clericis pro pace in Urbe reformanda misericorditer et dispensatiue factum dignoscitur.

§. 4. Hoc quoque notandum est, quod in hoc concilio et in alia synodo Simachi Papæ ante Rauennatem episcopum Mediolanensis subscripsisse et respondisse legitur: ex quo et sedis prerogatiuam ante eum habere colligitur.

[C. VII]. Ait enim Gregorius I., [lib. VII. reg. epist. 112]. Siagro Episcopo Augustodunensi:

Episcopos secundum ordinationis suæ tempus siue ad considendum in concilio, siue ad suscribendum, uel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, et suorum sibi prerogatiuam ordinum uindicare.

Gratianus. Verum tempus ordinationis non ad ecclesias, sed ad personas refertur, sicut ex consuetudine Cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ, et episcoporum uniuscuiusque prouinciæ euidenter apparet.

## DISTINCTIO XVIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Episcoporum igitur concilia, ut ex premissis apparet, sunt inualida ad diffiniendum et constituendum, non autem ad corrigendum.

Sunt enim necessaria episcoporum concilia ad exortationem et correctionem, que etsi non habent uim constituendi, habent tamen auctoritatem imponendi et indicendi, quod alias statutum est et generaliter seu specialiter obseruari preceptum.

[PALEA. C. I. Ex Cabilonensi Concilio, c. 6.

Placuit, ut conseruato metropolitani primatu ceteri episcopi, secundum suæ ordinationis tempus, alius alii deferat locum].

Unde Leo I. [epist. LXXXII. c. 7. Anastasio] Thessalonicensi Episcopo:

C. II. Bini conuentus per singulos annos ab episcopis celebrentur.

De conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus, quam sancti Patres salubriter ordinauerunt: scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, que inter diuersos ecclesiæ ordines nasci solent, iudicetur.

Ac si forte inter ipsos, qui presunt, de maioribus peccatis nascitur (quod absit) causa, que prouinciali examine nequeat diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis partibus nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quicquid illud est, transferatur.

**C. III.** Quo tempore concilia episcoporum sunt celebranda.

Item ex Niceno Concilio. [cap. 5].

Habeatur semel concilium ante dies quadragesimæ, ut omnibus, si que sunt, simultatibus amputatis, mundum solempne Deo possit offerri; secundum uero agatur circa tempus autumnii.

**C. IV.** Ad morum correctionem et controuersiarum dissolutionem bis in anno episcopale concilium fiat.

Item ex Antiocono Concilio. [cap. 20].

Propter ecclesiasticas causas et que existunt controuersias dissoluendas, sufficere uisum est, bis in anno per singulas prouincias episcoporum concilium fieri: semel quidem post tertiam ebdomadam pascalis solempnitatis, ita ut in quarta ebdomada, que consequitur, id est media pentecoste, concilium compleatur.

Admoneant autem comprouinciales episcopos hi, qui in amplioribus, id est in metropolitanis ciuitatibus degunt.

§. 1. Secundum uero concilium Idib. octobris habeatur, qui dies apud Grecos yperberiti mensis decimus inuenitur.

In ipsis autem conciliis et presbiteros et diaconos presentes esse oportet, et omnes, quoquot se lesos existimant, et sinodicam exspectare sententiam.

Nec liceat aliquibus apud semetipsos concilia sine metropolitanorum episcoporum conscientia facere, quibus de omnibus causis constat esse permissum iudicium.

**C. V.** Se ipsos accusant, qui uocati ad sinodum uenire contempnunt.

Item ex Concilio Laudicensi. [cap. 40].

Non oportet uocatos episcopos ad sinodum contempnere, sed adire debere, et aut docere, aut doceri, que sunt ad ecclesiæ ceterorum que correctionem utilia; quod si contempserint, se ipsos uidentur accusare, nisi ire forte non possint.

**C. VI.** Corripiantur episcopi, qui ad concilium uocati uenire recusant.

Item ex Concilio Calcedonensi. [cap. 19].

Peruenit ad nostras aures, quod in prouinciis constituta episcoporum concilia minime celebrentur.

Hoc ex eo probatur, quod multæ, que correctione opus habent, ecclesiasticæ res negligantur.

Statuit ergo hec sancta sinodus, secundum Patrum regulas bis in anno in unum conuenire per singulas prouincias episcopos, ubi singula, que emergerint, corrigantur.

§. 1. Qui uero noluerint conuenire episcopi constituti in suis ciuitatibus, et hoc maxime, cum sui corporis sanitate consistentes, cum etiam ab omnibus aliis urgentibus necessitatibus et inexcusabilibus negotiis liberi sint, licere eos fraternæ caritatis admonitionibus corripi.

**C. VII.** Canonicis subiaceat penis metropolitanus, qui saltem semel in anno celebrare concilium negligit.

Item ex Septima Sinodo. [cap. 6].

## **II. Pars.**

Quoniam quidem regula est, que dicit, bis in anno per singulas prouincias oportere fieri per conuentum episcoporum regulares inquisitiones, propter fatigationes et ut oportune habeantur ad iter agendum hi, qui congregandi sunt, diffinierunt sextæ sinodi sancti Patres, omni excusatione remota, omnibus modis semel in anno fieri, et deprauata corrigi.

Hunc ergo canonem et nos renouamus, et si quisquam princeps inuentus fuerit hoc prohibere, communionem priuetur.

Si quis uero metropolitanorum hoc neglexerit agere absque necessitate uel ui seu aliqua rationabili occasione, canonicis penis subiaceat.

Dum autem sinodus agitur super canonicis et euangelicis negotiis, oportet congregatos episcopos in meditatione et sollicitudine fieri custodiendorum diuinorum et uiuificorum Domini mandatorum.

§. 1. Porro non habeat metropolitanus licentiam ex his, que defert episcopus se cum, siue iumentum siue aliquam speciem expetendi.

Quod si hoc egisse conuictus fuerit, soluat quadruplum.

C. VIII. Non cogantur presbiteri sacerdotalia eulogia ad concilium deferre.

Item Leo IV. [ad Episcopos Britannia, c. 3].

De eulogiis ad sacra concilia deferendis nihil inuenimus a maioribus terminatum: sed sicut unicuique presbitero placuerit.

Nam si constitutum fuerit, illo in tempore benedictiones afferre, forsitan minus libenter ad sinodos occurrent, et magis uenire obtrectabunt.

Que, ut arbitror, non sunt rationabiliter requirendæ, nec ultro delatæ respuendæ.

C. IX. Sine graui necessitate episcopus ad sinodum ire non tardet.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 21].

Episcopus ad sinodum ire non tardet, si non satis graui necessitate inhibeat: sic tamen, ut in persona sua legatum mittat, suscepturus salua fidei ueritate quicquid sinodus statuerit.

C. X. Excusatorias litteras dirigant, qui grauati ad sinodum ire non possunt.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 10].

Placuit, ut quotienscumque congregandum est concilium, episcopi, qui neque etate, neque egritudine, neque alia grauiori necessitate impediuntur, competenter occurrant.

§. 1. Quod si non potuerint occurrere, excusationes suas litteratorie subscribant; nisi autem rationem impedimenti sui apud primatem suum reddiderint, ecclesie suæ communionem debent esse contenti.

[PALEA. C. XI

Item ex Concilio Turonensi. [cap. 2].

Episcopus non debet abbatem cogere ad sinodum ire, nisi aliqua rationabilis causa existat]

C. XII. A communionem sit alienus, qui contempsit sinodo adesse.

Item ex Concilio Arelatensi II. [c. 19]

Si quis autem adesse neglexerit; uel cetum fratrum, antequam concilium dissoluatur, crediderit deserendum alienatum se a fratrum communionem agnoscat; nec eum recipi liceat, nisi in sequenti sinodo fuerit absolutus.

**C. XIII.** Usque ad proximam sinodum a communione absteineat, qui a metropolitano uocatus absque graui necessitate sinodo adesse contempsit.

Item ex Concilio Agatensi. [cap. 35].

Si episcopus metropolitanus ad comprouinciales episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem summi pontificis, ut ad sinodum inuitet, postpositis omnibus (excepta graui infirmitate corporis, ac preceptione regia) ad constitutum diem adesse non differant.

Quod si defuerint (sicut prisca canonum precipit auctoritas) usque ad proximam sinodum a caritate fratrum et ecclesiæ communione priuentur.

**C. XIV.** Communione priuetur episcopus, qui a metropolitano uocatus ad sinodum uenire contempnit.

Item ex Concilio Tarragonensi. [cap. 6].

Si quis episcoporum commonitus a metropolitano ad sinodum, nulla graui intercedente necessitate corporali, uenire contempserit, sicut statuta Patrum sanxerunt, usque ad futurum concilium cunctorum episcoporum caritatis communione priuetur.

**C. XV.** Presbiteri et diaconi, et cuncti, qui se lesos existimant, ad metropolitanam sinodum conueniant.

Item ex Concilio Martini Papæ.

Propter ecclesiasticas causas et altercationum solutiones bene placuit per singulas prouincias bis in anno concilium fieri, conuocante metropolitano episcopo omnes prouinciales episcopos, ita ut ad concilium ueniant omnes presbiteri et diaconi, uel hi, qui se lesos existimant, ut in concilio causæ examinatae ad iustum iudicium perducantur. Et si qui manifeste episcopi, uel presbiteri, aut diaconi inuenti fuerint in offensa, secundum rationem excommunicentur, quamdiu communi consensu de his placuerit dare sententiam.

Nulli autem episcopo liceat propria apud semetipsum concilia facere, preter eos, quibus metropoles sunt creditæ.

[PALEA. **C. XVI.**

Item ex Concilio Bylonensi.

Annis singulis episcopus in sua diocesi sinodum faciat de suis clericis, nec non abbatibus, et discutiat alteros clericos et monachos].

Gratian. Singuli uero episcoporum suis ecclesiis notificare studeant, que in conciliis statuuntur.

Unde in concilio Tolletano: [XVI., cap. 6].

**C. XVII.** Que in conciliis statuuntur, singuli episcoporum suis ecclesiis notificent.

Decernimus, ut, dum in qualibet prouincia concilium agitatur, unusquisque episcoporum admonitionibus suis intra sex mensium spatia omnes abbates, presbiteros, diaconos atque clericos, seu etiam omnem conuentum ciuitatis ipsius, ubi preesse dignoscitur, nec non etiam cunctam diocesis suæ plebem aggregare nequaquam moretur: quatenus coram eis plenissime omnia reseret, que eodem anno in concilio acta uel diffinita esse noscuntur.

§. 1. Quod si quispiam hec paruipendenda crediderit, sententia excommunicationis duorum mensium curriculo persistat usquequaque mulctatus.

**DISTINCTIO XIX.****GRATIANUS.****I. Pars.**

De Epistolis uero decretalibus queritur, an uim auctoritatis obtineant, cum in corpore canonum non inueniantur.

De his ita scribit Nicolaus Papa archiepiscopis et episcopis per Gallias constitutis.

**C. I.** Decretales epistolæ uim auctoritatis habent.

Si Romanorum Pontificum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur uel reprobantur, ita ut, quod uere sedes apostolica probauit, hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potius, que ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro uariis et multifariis ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus diuerso tempore scripsit, omni debent honore preferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet oportunitatibus discretione uel dispensatione magistra reuerenter assumi?

Quamquam quidam uestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto canonum codicis corpore esse descripta et ideo inter canones esse assumenda, cum ipsi, ubi suæ intentioni hec suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem sedis apostolicæ potestatis, et ad suorum argumentum priuilegiorum minus accepta esse perhibeant.

Item:

§. 1. Si ideo non esse decretales epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptæ, ergo nec Gregorii S., nec ullius alterius, qui ante fuit uel post ipsum est, aliquod institutum uel scriptum est recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur adscriptum.

Ergo doctrinam eorum et sanctiones, que ab omni lingua uenerantur, quia in codice canonum non habentur adscriptæ, de codicibus suis eradant.

Ut quid uel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ?

Sed quare multum immoremur, cum nec ipsas diuinas scripturas ueteris et noui testamenti iam recipiemus, si istos dixerimus audiendos?

Etenim neutrum horum in codice canonum ecclesiasticorum habetur insertum.

Sed responsuri sunt isti, qui ad resistendum potius quam ad obediendum parati sunt, aientes quod inter canones inueniatur capitulum S. Papæ Innocenti, cuius auctoritate doceatur, a nobis utrumque testamentum esse recipiendum, quamquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum ex toto contineatur insertum.

Quibus ad hec asserendum est, quoniam si uetus nouum que testamentum sunt recipienda, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis S. Papæ Innocentii prolata uideatur esse sententia, restat nimirum quod decretales epistolæ Romanorum Pontificum sunt recipiendæ, etiamsi non sint codici canonum compaginatæ, quoniam inter ipsos canones unum B. Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, nouerit sibi ueniam denegari.

[PALEA. Ait enim c. 10. suarum decretalium: “Ne quid uero sit, quod pretermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii,



quam omnium decessorum nostrorum, que de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a uestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, ueniam sibi deinceps nouerit denegari”].

Dicendo uero: “omnia decretalia constituta,” nullum de decretalibus constitutis pretermisit, quod non mandauerit esse custodiendum.

Et rursus asserendo: “omnium predecessorum nostrorum,” nullum Pontificum Romanorum, qui ante se fuerunt, exceptit, cuius ita non preceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit ueniam sibi deinceps nouerit denegari.

Itaque nihil interest, utrum sint omnia necne decretalia sedis apostolicæ constituta inter canones conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non possint, et illa eis intersint, que firmitatem his, que desunt, et uigorem suum assignant, presertim cum sinodalia gesta inter que ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habeantur, sed a nobis omni cultu debito uenerentur.

Consonat autem huic beatissimo Leoni Papæ sanctus et facundissimus in decretis suis Papa Gelasius, ita inquit: “Decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab urbe Roma pro diuersorum Patrum consultatione dederunt, uenerabiliter suscipiendas decernimus”.

In quo notandum est, quod “Decretales,” non dixit, “epistolas, que inter canones habentur,” uel tantum: “quas moderni Pontifices ediderunt;” sed: “quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab urbe Roma dederunt”.

Dicens autem: “diuersis temporibus” etiam illa tempora uir sanctus comprehendit, que crebrescentibus paganorum persecutionibus ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant.

His ita diuina fauente gratia prelibatis ostendimus, nullam differentiam esse inter illa decreta, que in corpore canonum habentur, sedis apostolicæ presulum, et ea, que pre multitudine uix per singula uoluminum corpora reperiuntur; cum omnia et omnium decessorum suorum decretalia constituta atque decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab urbe Roma dederunt, fore uenerabiliter suscipiendas et custodiendas, eximios presules, Leonem scilicet et Gelasium, mandasse probauimus.

**C. II.** Omnes sanctiones apostolicæ sedis irrefragabiliter sunt obseruandæ.

Item Agato Papa omnibus Episcopis.

Sic omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius uoce diuina Petri firmatæ.

**C. III.** Tolerandum est iugum, quod a sancta sede imponitur, licet importabile uideatur.

Item ex Capitulo Caroli Imperatoris.

In memoriam B. Petri apostoli honoremus sanctam Romanam et apostolicam sedem, ut, que nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat ecclesiasticæ magistra rationis.

Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, et licet uix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus et pia deuotione toleremus.

§. 1. Si uero (quod non decet) quilibet, siue sit presbiter siue diaconus aliquam perturbationem machinando et nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab apostolica sede detulisse epistolam, uel aliud quod inde non uenerit salua fide et integra erga Apostolicum humilitate penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur

decernere, et quod de talibus lex Romana statuat diffinire, ut et is corrigatur, et ceteris modus imponatur.

**C. IV.** Quicquid Romana ecclesia statuit uel ordinat, ab omnibus est obseruandum.

Item Stephanus ait.

V.

Enimuero, quia in speculum et exemplum sancta Romana ecclesia, cui nos Christus preesse uoluit, posita est, omnibus, quicquid statuit, quicquid ordinat, perpetuo irrefragabiliter obseruandum est.

**C. V.** A pontificalibus sit alienus offitiis, qui apostolicis non uult obedire præceptis.

Item Gregorius. [IV].

Nulli fas est uel uelle uel posse transgredi apostolicæ sedis precepta nec nostræ dispositionis ministerium, quod uestram sequi oportet caritatem.

## II. Pars.

§. 1. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis uoluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris fiat a sancto ministerio, non de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam dampnatus a sancta et apostolica ecclesia sua inobedientia atque presumptione a quoquam esse non dubitatur: quia maioris excommunicationis deiectione est abiciendus, cui sanctæ ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solum prelatæ sanctæ ecclesiæ iussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne preterirent insinuare.

Sit que alienus a diuinis et pontificalibus offitiis, qui noluit preceptis obtemperare apostolicis.

**C. VI.** Inter canonicas scripturas decretales epistolæ connumerantur.

Item Augustinus de doctrina Christiana, libro II. [cap. 8].

In canonicis scripturis ecclesiarum catholicarum quamplurimum diuinarum scripturarum sollertissimus indagator auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sint, quas apostolicas sedes habere et ab ea meruerunt accipere epistolas.

§. 1. Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, ut eas, que ab omnibus recipiuntur ecclesiis, preponat eis, quas quidam non accipiunt.

In eis uero, que non accipiuntur ab omnibus, preponat eas, quas plures grauiores que accipiunt, eis, quas pauciores minoris que auctoritatis ecclesiæ tenent.

§. 2. Si autem alias inuenerit a pluribus, alias a grauioribus haberi (quamquam hoc inueniri non possit) equalis tamen auctoritatis eas habendas puto.

**C. VII.** Ministerii diuini se extorrem intelligat, qui a soliditate Petri recedit.

Item Leo. [Papa I. ad Episcopos Viennenses, epist. LXXXVII].

Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis saluator instituit, ut ueritas, que antea legis et prophetarum preconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem uniuersitatis exiret, sicut scriptum est: "In omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terræ uerba eorum".

Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum offitium pertinere uoluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo principaliter

collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua uelut in corpus omne diffunderet, ut extorrem se diuini misterii intelligeret esse, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, uoluit nominari, dicendo: “Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam” ut eterni templi edificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ inferi contra illam preualerent.

Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, Domino, ut diximus, edificante constructam, nimis impia uult presumptione uiolare, quisquis eius potestatem temptat infringere, fauendo cupiditatibus suis, et id, quod accepit a ueteribus, non sequendo.

Gratian. Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus uel decretalibus epistolis in quibus nec precedentium Patrum decretis, nec euangelicis preceptis aliquid contrarium inuenitur.

Anastasius enim secundu[m] fauore Anastasii imperatoris, quos Acatius post sententiam in se prolatam sacerdotes uel Leuitas ordinauerat, acceptis offitiis rite fungi debere decreuit, ita inquit:

**C. VIII.** Nulla lesionis portio attingat qui ab hereticis iam dampnatis ordinatur. [Anastasius II. ad Anastasium Augustum, epist. I. c. 7. et 8].

Secundu[m] ecclesiæ catholicæ consuetudinem sacratissimu[m] serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, quos baptizauit Acatius, uel quos sacerdotes siue Leuitas secundu[m] canones ordinauit aliqua ex nomine Acatii portio lesionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma uideatur.

§. 1. Nam et baptisma (quod procul sit ab ecclesia) siue ab adultero siue a fure datum fuerit, ad percipientem munus peruenit illibatum, quia uox illa, que sonuit per columbam omnem maculam humanæ pollutionis excludit quod declaratur cum dicitur: “Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto et igne”.

Nam si uisibilis solis istius radii, cum per loca fedissima transeunt, nulla contactus iniquatione maculantur, multo magis illius, qui istum uisibilem fecit, uirtus nulla ministri indignitate constringitur.

Nam et Iudas, cum fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta senserunt, declarante hoc ipsum Domino manifestissima uoce: “Scribæ, inquit, et Pharisei super cathedra Moysi sedent; que dicunt, facite: que autem faciunt, nolite facere; dicunt enim et non faciunt”.

§. 2. Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in ecclesia ministri pro offitio suo uidentur operari, hoc totum contineri implente diuinitatis effectum.

Ita ille, per quem loquitur Christus, Paulus affirmat: “Ego plantauit, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit.

Itaque neque qui plantat, est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus”.

§. 3. A Deo autem non queritur, quis, uel qualis predicet, sed que predicet, ut inuidos etiam bene Christum confirmet predicare, quo malo diabolus ipse deiectus est, et hoc ipse predicare non desinit.

Ideo ergo et hic, cuius nomen dicimus reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit.

Nam inuiolabile sacramentum, quod per illum datum est aliis, perfectionem suæ uirtutis obtinuit.

§. 4. Quod quidem uerum est generaliter, aliquorum nisi tantum se extenderit curiosa suspicio, ut imagnetur, prolato a Papa Felice iudicio, postea inefficaciter in sacramentis, que Acatius usurpauit, egisse; ac proinde eos oportet metuere, qui uel in consecrationibus, uel in baptisate ministeria tradita susceperunt, ne irrita beneficia uideantur.

Gratian. Quia ergo illicite et non canonicè, sed contra decreta Dei, predecessorum et successorum suorum hec rescripta dedit, (ut probat Felix et Gelasius, qui Acatium ante Anastasium excommunicauerunt, et Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acatium postea dampnauit), ideo ab ecclesia Romana repudiatur, et a Deo percussus fuisse legitur hoc modo:

**C. IX.** Anastasius a Deo reprobatus, nutu diuino percussus est.

Anastasius II., natione Romanus, fuit temporibus Teoderici regis.

Eodem tempore multi clerici se a communione ipsius abegerunt, eo quod communicasset sine concilio episcoporum uel presbiterorum et clericorum cunctæ ecclesiæ catholicæ diacono Tessalonicensi, nomine Fotino, qui communicauerat Acatio; et quia occulte uoluit reuocare Acatium et non potuit, nutu diuino percussus est.

Hinc etiam de Maximo Episcopo in Constantinopolitana Sinodo statutum est: [c. 6].

**C. X.** Que circa indisciplinatos, uel ab eis geruntur, in irritum reuocentur.

Propter totius indisciplinationis eius doctrinam, que Constantinopoli orta est, statutum est, ne Maximus fuisse aut esse iam putetur episcopus, neque hi, qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum clericatus obtineat; omnibus scilicet, que circa eum, uel ab eo gesta sunt, in irritum reuocatis.

## **DISTINCTIO XX.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Decretales itaque epistolæ canonibus conciliorum pari iure exequantur.

Nunc autem queritur de expositoribus sacræ scripturæ, an exequentur, an subiciantur eis?

Quo enim quisque magis ratione nititur, eo maioris auctoritatis eius uerba esse uidentur.

Plurimi autem tractatorum, sicut pleniori gratia Spiritus sancti, ita ampliori scientia aliis precellentes, rationi magis adhesisse probantur.

Unde nonnullorum Pontificum constitutis Augustini, Ieronimi atque aliorum tractatorum dicta eis uidentur esse preferenda.

#### **II. Pars.**

§. 1. Sed aliud est causis terminum imponere aliud scripturas sacras diligenter exponere. Negotiis diffiniendis non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas.

Unde Christus dicturus Petro: “Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in celis, etc.” prius dedit sibi clauis regni celorum: in altera dans ei scientiam discernendi inter lepram et lepram, in altera dans sibi potestatem eiciendi aliquos ab ecclesia, uel recipiendi.

Cum ergo quelibet negotia finem accipiant uel in absolute innocentium, uel in condemnatione delinquentium, absolutio uero uel condemnatio non scientiam tantum, sed etiam potestatem presidentium desiderant: aparet, quod diuinarum scripturarum tractatores, etsi scientia Pontificibus premineant, tamen, quia dignitatis eorum apicem non sunt adepti, in sacrarum scripturarum expositionibus eis preponuntur, in causis uero diffiniendis secundum post eos locum merentur.

Unde Leo IV. scribit Britanniaë Episcopis:

**C. I.** Aliorum scripturæ Romanorum Pontificum decretis non sunt preponendæ.

De libellis et commentariis aliorum non conuenit aliquos iudicare, et sanctorum conciliorum canones relinquere uel decretalium regulas, que habentur apud nos simul cum canonibus.

Quibus in omnibus ecclesiasticis utimur iudiciis, id est apostolorum, Nicenorum, Anciranorum, Neocesariensium, Gangrensiarum, Sardicensium, Cartaginensium, Africanensium, et cum illis regulæ presulum Romanorum, Siluestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Celestini, Leonis, Ylarii, Gelasii, Ormisdæ, et Gregorii iunioris.

Isti omnino sunt, et per quos iudicat episcopi, et per quos episcopi simul et clerici iudicantur.

Nam si tale emerit uel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri tunc illorum quorum meministi dicta Ieronimi, Augustini, Ysidori uel ceterorum similiter sanctorum doctorum similia si reperta fuerint, magnanimitè sunt retinenda ac promulganda, uel ad apostolicam sedem referatur de talibus.

§. 1. Quam ob causam luculentius et magna uoce pronunciare non timeo: quia, qui illa, que diximus sanctorum patrum statuta, que apud nos canones pretilantur (siue sit episcopus, siue clericus, siue laicus), non indifferenter recipere conuincitur, nec catholicam et apostolicam fidem, nec sancta quatuor euangelia utiliter et efficaciter ad effectum suum retinere uel credere probatur.

**C. II.** Corripiendi sunt, qui decreta Romanorum Pontificum uel non habent, uel non obseruant.

Item Nicolaus Papa clero Constantinopolitano.

Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi.

Si uero habetis et non obseruatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi.

**C. III.** Ad quos recurrendum sit, cum sacræ scripturæ auctoritas non occurrit.

Item Innocentius Papa.

De quibus causis nulla soluendi ligandi que auctoritas in libris ueteris testamenti, quatuor euangeliorum cum totis scriptis apostolorum apareat, non ad diuina recurratur scripta greca.

Si nec in illis, ad catholicæ ecclesiæ historias catholicas, a doctoribus catholicis scriptas, manum mitte.

Si nec in illis, sanctorum exempla perspicaciter recordare.

Quod si in his omnibus inspectis huius questionis qualitas non lucide inuestigatur, seniores prouinciæ congrega et eos interroga.

Facilius namque inuenitur, quod a pluribus senioribus queritur.

Verus etiam repromissor Dominus ait: "Si duo ex uobis uel tres conueniunt super terram in nomine meo, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a patre meo".

**DISTINCTIO XXI.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Decretis ergo Romanorum Pontificum et sacris canonibus conciliorum ecclesiastica negotia, et supra monstratum est, terminantur.

Ministri uero sacrorum canonum et decretorum Pontificum sunt summi Pontifices et infra presules atque reliqui sacerdotes, quorum institutio in ueteri testamento est inchoata, et in nouo plenius consummata.

§. 1. Summi enim Pontifices et minores sacerdotes a Deo sunt instituti per Moysen, qui ex precepto Domini Aaron in summum pontificem, filios uero eius unxit in minores sacerdotes.

Postea Dauid, cum ministeria domus Domini ampliaret, ianitores et cantores instituit.

Porro Salomon quendam modum exorzizandi inuenit, quo demones adiurati ex obsessis corporibus pellebantur; huic offitio mancipati exorcistæ uocati sunt, de quibus Dominus in euangelio: “Si ego in Beelzebub eicio demonia, filii uestri (exorcistæ uidelicet) in quo eiciunt?”

Hec omnia in nouo testamento ecclesia imitata habet suos ianitores, quos hostiarios appellamus.

Pro cantoribus lectores simul et cantores instituit.

Exorcistas autem nomine antiquo et offitio permanente recepit.

Pro filiis uero Aaron omnes infra summum pontificem sacerdotium administrantes sunt consecrati.

§. 2. Inter eos quedam discretio seruata est, ut alii appellentur simpliciter “sacerdotes,” alii “archipresbiteri,” alii “corepiscopi,” alii “episcopi,” alii “archiepiscopi” seu “metropolitæ,” alii “primates,” alii “patriarchæ,” alii “summi Pontifices”.

§. 3. Horum discretio a gentilibus maxime introducta est, qui suos flamines alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.

Simpliciter uero maiorum et minorum sacerdotum discretio in nouo testamento ab ipso Christo sumpsit exordium, qui XII. apostolos tanquam maiores sacerdotes, et LXXII. discipulos quasi minores sacerdotes instituit.

Petrum uero quasi in summum sacerdotem elegit, dum ei pre omnibus et pro omnibus clauis regni celorum tribuit, et a se petra petri sibi nomen imposuit, atque pro eius fide se specialiter rogasse, testatus est, et ut ceteros confirmaret subiunxit dicens: “Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos”.

Hanc eandem formam apostoli secuti in singulis ciuitatibus episcopos et presbiteros ordinauerunt.

Leuitas autem ab apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit B. Stephanus: subdiaconos et acolithos procedente tempore ecclesia sibi constituit.

De his etiam scribit B. Ysidorus libro VII. Ethimologiarum c. 12. nomina illorum et nominum causas exponens, ita inquires:

**C. I. Unde nomen ecclesiasticorum graduum sumatur.**

Cleros et clericos hinc appellatos credimus, quia Mathias sorte electus est, quem primum per apostolos legimus ordinatum.

(*Graece*) Klêros enim grece, latine sors uel hereditas dicitur.

Propterea ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, uel quia Domini partem habent.

Generaliter autem clerici nuncupantur omnes, qui in ecclesia Christi deseruiunt, quorum gradus et nomina sunt hec: Hostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolitus, subdiaconus, diaconus, presbiter, episcopus.

§. 1. Ordo episcoporum quadripartitus est, id est in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis atque episcopis.

§. 2. Patriarcha summus Patrum greca lingua interpretatur: quia primum, id est apostolicum retinet locum, et ideo, quia summo honore fungitur tali nomine censetur, sicut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus.

§. 3. Archiepiscopus greco uocabulo quod sit summus episcoporum: tenet enim uicem apostolicam, et presidet tam metropolitanis quam ceteris episcopis.

§. 4. Metropolitanus autem a mensura ciuitatum uocatur; singulis enim prouinciis preminent, quorum auctoritati et doctrinae ceteri sacerdotes subiecti sunt, sine quibus nihil reliquis episcopis agere licet; sollicitudo enim totius prouinciæ ipsis commissa est.

§. 5. Omnes autem superius designati ordines uno eodemque uocabulo episcopi nominantur; sed ideo priuato nomine quidam utuntur, propter distinctionem potestatum quam singulariter acceperunt.

§. 6. Patriarcha Patrum princeps: (*Graece*) Archôn enim princeps: archiepiscopus princeps episcoporum, metropolitanus a mensura ciuitatum.

§. 7. Episcopatus autem uocabulum inde dictum est, quod ille, qui episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens: (*Graece*) Skopein enim grece, latine intendere dicitur.

Episcopi autem grece, latine speculatores interpretantur; nam speculator est prepositus in ecclesia dictus, eo quod speculetur atque perspiciat populorum infra se positorum mores et uitam.

§. 8. Pontifex princeps sacerdotum est, quasi uia sequentium.

Ipse et summus sacerdos, ipse et pontifex maximus nuncupatur.

Ipse enim sacerdotes et Leuitis efficit: ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit: ipse quid unusquisque facere debeat ostendit.

Ante autem pontifices et reges erant.

Nam maiorum hec erat consuetudo, ut rex esset et sacerdos et pontifex.

Unde et Romani imperatores pontifices dicebantur.

§. 9. Vates a ui mentis appellatus cuius significatio multiplex est: nam modo sacerdotem, modo prophetam significat, modo, poetam.

§. 10. Antistes sacerdos dictus est ab eo, quod antestat: primus enim est in ordine ecclesiæ; ut supra se nullum habeat.

Siue latine sacerdos dux.

§. 11. Sacerdos autem nomen habet compositum ex greco et latino, quod est sacrum dans; sicut enim rex a regendo, ita sacerdos a sacrificando dictus est: consecrat enim et sacrificat.

Sacerdotes autem gentilium flamines dicebantur.

Hi in capite habebant pileum, in quo erat breuis uirga, desuper habens lanæ aliquid quod cum propter estum ferre non possent filum tantum in capite religare ceperunt; nam nudis eos penitus capitibus incedere nefas erat.

Unde et a filo quo utebantur flamines dicti sunt, quasi filamines.

Verum festis diebus filo deposito pileum imponebant pro sacerdotii eminentia.

§. 12. Presbiter grece, latine senior interpretatur: non modo pro etate uel decrepita senectute, sed propter honorem et dignitatem, quam acceperunt presbiteri nominantur: ideo autem et presbiteri sacerdotes uocantur, quia sacrum dant, sicut episcopi; qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent quia nec crismate frontem signant, nec paraclitum spiritum dant, quod solis debere episcopis, lectio actuum apostolorum demonstrat.

Unde et apud ueteres idem episcopi et presbiteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, et non etatis.

§. 13. Leuitate ex nomine auctoris uocati.

De Leui enim Leuitæ exorti sunt, a quibus in templo Dei mistici sacramenti ministeria explebantur. Hi grece diaconi, latine ministri dicuntur, quia sicut in sacerdote consecratio, ita in diacono ministerii dispensatio habetur.

§. 14. Ypodiacones grece, quos nos subdiaconos dicimus, qui ideo sic appellantur, quia subiacent preceptis et offitiis Leuitarum.

Oblationes enim in templo Dei a fidelibus ipsi suscipiunt, et Leuitis altaribus superponendas deferunt; hi apud Ebreos Nathinei uocantur.

§. 15. Lectores a legendo, psalmistæ a psalmis canendis uocati; illi enim predicant populis, quid sequantur; isti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium; licet quidam lectores ita miserabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum lamentationem que compellant.

Idem etiam pronuntiatores uocantur, quod porro annuntient.

Tanta enim et tam clara erit eorum uox, ut quamuis longe positorum aures adimpleant.

§. 16. Cantor autem uocatus qui uocem modulatur in cantu.

Huius duo genera dicuntur in arte musica, sicut ea doctissimi homines latine dicere potuerunt, precentor et succentor: precentor scilicet, qui uocem premitit in cantu, succentor autem, qui subsequenter canendo respondet.

Concentor autem dicitur, quia consonat; qui autem non consonat nec concinit, nec concentor erit.

§. 17. Acolithi grece, latine ceroferarii dicuntur a deportandis cereis, quando legendum est euangelium, aut sacrificium offerendum; tunc enim accenduntur luminaria ab eis, et deportantur, non ad effugandas tenebras, dum sol eodem tempore rutilat, sed ad signum leticiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua legitur in euangelio: “Erat lux uera, que illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum”.

§. 18. Exorcistæ ex greco in latinum adiurantes siue increpantes uocantur, inuocant enim super cathecuminos, uel super eos, qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adiurantes per eum, ut egrediatur ab eis.

§. 19. Hostiarii, idem et ianitores, qui in ueteri testamento electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus in omni re.

Dicti autem hostiarii, quod presint hostiis templi.

Ipsi enim tenentes clauem omnia intus, extra que custodiunt, atque inter bonos et malos habentes iudicium, fideles recipiunt et respuunt infideles.

C. II. Romana ecclesia a Christo primatum accepit.

Item Anacletus. [ad Episcopos Italiae epist. II].

In nouo testamento post Christum Dominum a Petro sacerdotalis cepit ordo, quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum: “Tu es,” inquit,



“Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non preualebunt aduersus eam: et tibi dabo claues regni celorum”.

Hic ergo ligandi atque soluendi potestatem primus accepit a Domino, primus que ad fidem populum uirtute suæ predicationis adduxit.

Ceteri uero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsum que principem eorum esse uoluerunt, qui etiam, iubente Domino, in toto orbe dispersi euangelium predicauerunt.

§. 1. Ipsis quoque decedentibus in locum eorum surrexerunt episcopi, quorum ordinatio pretaxato fieri debet ordine et modo, quos qui recipit et uerba eorum, Deum recipit; qui autem spernit eos, eum, a quo missi sunt et cuius funguntur legatione, spernit, et ipse indubitanter spernetur a Domino.

§. 2. Videntes autem ipsi apostoli messem esse multam et operarios paucos, rogauerunt dominum messis, ut mitteret operarios in messem suam: unde ab eis electi sunt LXXII. discipuli, quorum tipum gerunt presbiteri atque in eorum loco sunt constituti in ecclesia.

**C. III.** Primatum Romanæ ecclesiæ non aliqua synodus, sed Christus instituit.

Item Gelasius urbis Romæ Episcopus omnibus orthodoxis.

Quamuis uniuersæ per orbem catholicæ ecclesiæ unus thalamus sit Christi, tamen sancta Romana ecclesia catholica et apostolica nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis prelata est, sed euangelica uoce Domini et saluatoris nostri primatum obtinuit: “Tu es (inquiens dominus) Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam”.

Cui dati est societas etiam beatissimi Pauli uasis electionis, qui non diuerso (sicut heretici garriunt) sed uno tempore, uno eodem que die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cesare Nerone agonizans coronatus est, et supradictam Romanam ecclesiam pariter Christo Domino consecrarunt, eam que omnibus urbibus in uniuerso mundo sua presentia atque uenerando triumpho pretulerunt.

Est ergo prima apostoli Petri sedes Romana ecclesia, non habens maculam neque rugam, nec aliquid huiusmodi.

### **III. Pars.**

Gratianus. In his omnibus, quanto celsior gradus, tanto maior auctoritas inuenitur.

In maioribus siquidem est regendi et iubendi potestas, in minoribus obsequendi necessitas.

Unde Nicolaus Papa [I]. scribit Constantinopolitano episcopo dicens:

**C. IV.** Inferiores a superioribus iudicandi sunt.

Inferior sedes potioem absoluere non potest.

Sola enim potior inferiorem conuenienter absoluit.

Hinc liquido prouidetur, quia quem non potest absoluere, nec potest iudicio inferior potioem ligare.

Unde Propheta ait: “Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam?”

His ita ex diuina scriptura commemoratis, sole clarius exhibuimus, non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui maioris est potestatis, iudiciis suis addicere, aut propriis diffinitionibus subiugare.

**C. V.** De eodem.

Idem. [eadem epistola].

Nolite nos existimare cuiuscumque proximorum nostrorum, ea que sunt digna reprehensione, uelle defendere, sed quod ita uelim filios circa patrem spiritualem, et discipulos erga magistrum deuotos esse ac sobrios, ut nulla penitus temeritate ad eorum uitam, ut non dicamus diiudicandam, sed nec saltem tenuiter reprehendendam prosiliant.

**C. VI. Inferiores maioribus nec benedicere nec maledicere possunt.**

Item Nicolaus Papa. [eadem epistola].

Denique si in epistola ad Ebreos legimus, quod minor a maiore benedicatur, restat profecto, ut exigente ratione etiam maledicatur.

Siquidem prenoscentes hec periculosa tempora illi, qui ante nos fuerunt, prouidam in ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieque in Romana ecclesia, que magistra est omnium ecclesiarum, impremissa seruatur, ita ut nullus sacerdos, maiore suo non innuente consacerdote, cuiuslibet rei benedictionem dare nitatur; sed anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet benedicere.

Cur hoc? numquid benedicere peccatum est? absit.

De maledicis enim, non benedicis dicit Apostolus: “quia regnum Dei non possidebunt;” sed per hoc innuitur, quantæ censuræ freno inferiores quique a suis prepositis iudicandis coercendi sunt, si hi nec etiam benedicendi ius ullum penitus obtineat.

**C. VII. Idem Michæli Imperatori.**

Nunc autem diuina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit, ostendere uobis (si tamen audire uelitis), non posse quemquam rite ab his, qui inferioris dignitatis uel ordinis sunt, iudicialibus submitti diffinitionibus.

Siquidem tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum Marcellinus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martir effectus est, adeo compulsus est a paganis, ut templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret: cuius rei gratia collecto, numerosorum episcoporum concilio, et inquisitione facta hoc idem Pontifex se egisse confessus est.

Nullus tamen eorum proferre sententiam in eum ausus est dum ei sepiissime omnes dicerent: “Tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio”.

Et iterum: “Noli, audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam”.

Et rursum: “Quoniam ex te,” inquiunt, “iustificaberis, aut ex ore tuo condempnaberis”.

Et iterum dicunt: “Prima sedes non iudicabitur a quoquam”.

Item in eadem:

§. 1. Sed et cum quidam tempore quodam contra Sixtum Papam temptassent quedam mali rumoris obicere, et in concilio, cui Valentinianus Augustus intererat, dictum fuisset, non licere aduersus Pontificem sententiam dare, surrexit idem protinus imperator, et in arbitrio prefati Pontificis tribuit iudicare iudicium suum.

Etenim nullus Pontificum minorum uel inferiorum urbium subactus iudiciis inuenitur.

**C. VIII. Maiores a minoribus iudicari non possunt.**

Item Nicolaus. [eadem epistola].

Submittitur Ignatius minorum, inferiorum et subiectorum deliberationibus, sacris canonibus precipientibus et exemplis sanctorum Patrum, semper, ubi est maior auctoritas, eundum esse, et in omnibus controuersiis ad potioris sedis iudicia dirigatur.

Quod non solum a catholicis, uerum etiam ab ipsis constat obseruatum hereticis.

Alioquin acephalum liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, et maiorum non expectatur sententia, cum nec in causa clericorum inferioris gradus solius episcopi sui iudicium tantummodo postulandum sit.

**C. IX.** Minorum sententia maiores dampnare non ualent.

Idem Michæli Imperatori.

In tantum hac presumptionem sancti Patres apud Calcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cetera idcirco potissimum sine ulla restitutione dampnauerint, quia ponens in celum os suum, lingua eius transeunte super terram, excommunicationem in S. Leonem Papam dictauit; ita ut in sententia contra ipsum prolata hoc uideantur memorare precipue, dicentes: “Quoniam secundis excessionibus, priorem iniquitatem ualde transcendit: presumpsit enim et excommunicationem dictare aduersus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnæ Romæ Leonem etc.”.

Numquid ibi legitur inquisitionem factam fuisse, utrum iuste, Dioscorus ipsam excommunicationem dictasset?

Non plane; sed absque omni controuersia hoc in eo ulti sunt, quia cum esset inferior, potiore quibuslibet conatus est lacessere iniuriis, teste Anatolio Constantinopolitano presule, qui dicit: “Propter fidem non est dampnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni”.

## **DISTINCTIO XXII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quia ergo maior a minori iudicari non debet uidendum est, que inter ceteras ecclesias primum locum, que secundum, uel tertium obtineat.

Romana ecclesia (sicut supra dictum est) primum locum inter ceteras obtinet, Alexandrina ecclesia secundum, Antiocena ecclesia tertium ab ea locum accepit.

Unde Nicolaus Papa [II]. scribit Mediolanensibus:

**C. I.** Romana ecclesia ceterarum primatum obtinuit.

Omnes siue patriarchæ in cuiuslibet apicem siue metropoleon primatus, aut episcopatum cathedras, uel ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitatem instituit Romana ecclesia.

Illam uero solus ipse fundauit, et super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato eternæ uitæ clauigero terreni simul et celestis imperii iura commisit.

Non ergo quelibet terrena sententia, sed illud uerbum, quo constructum est celum et terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit ecclesiam.

Illius certe priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur.

Unde non dubium est, quia, quisquis cuilibet ecclesiæ ius suum detrahit, iniusticiam facit.

**§. 1.** Qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in heresim labitur; et cum ille notetur iniustus, hic est dicendus hereticus.

Fidem quippe uiolat, qui aduersus illam agit, que est mater fidei: et illi contumax inuenitur, qui eam cunctis ecclesiis pretulisse cognoscitur.

Et infra:

§. 2. Unde et ipse S. Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur ecclesiam.

C. II. Non ab apostolis, sed ab ipso Domino Romana ecclesia primatum obtinuit.

Item Anacletus Seruus Christi Iesu. [ad omnes episcopos, epistola III. c. 3].

Sacrosancta Romana et apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, sicut B. Petro apostolo dixit: “Tu es Petrus,” et reliqua usque: “soluta in celo”.

§. 1. Adhibita est societas in eadem Romana urbe beatissimi Pauli apostoli, uasis electionis, qui uno die eodem que tempore cum Petro gloriosa morte coronatus est, et ambo sanctam ecclesiam Romanam consecrauerunt, atque aliis urbibus omnibus in uniuerso mundo tam sua presentia quam uenerando triumpho pretulerunt.

Et licet pro omnibus assidua apud Deum omnium sanctorum effundatur oratio, his tamen uerbis Paulus beatissimus Romanis proprio cirographo pollicetur, dicens: “Testis enim mihi est Deus, cui seruo in spiritu meo in euangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam uestri facio semper in orationibus meis”.

§. 2. Prima ergo sedes est celesti beneficio Romana ecclesia, quam (ut memoratum est) beatissimi Petrus et Paulus suo martirio consecrarunt.

§. 3. Secunda autem sedes apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco, eius discipulo atque euangelista, consecrata est.

§. 4. Tercia uero sedes apud Antiochiam eiusdem, B. Petri habetur honorabilis: quia illic, priusquam Romam ueniret, habuit, et Ignatium episcopum constituit; et illic primum nomen Christianorum exortum est.

Et post pauca.

§. 5. Inter beatos apostolos quedam fuit discretio, et post licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessum est (et ipsi inter se uoluerunt id ipsum), ut reliquis omnibus preesset apostolis, et Cephas, id est caput et principium teneret apostolatus; qui et eandem formam suis successoribus et reliquis episcopis tenendam tradiderunt.

Et non solum hoc in nouo testamento est constitutum, sed etiam in ueteri fuit; unde scriptum est: “Moyses et Aron in sacerdotibus eius,” id est primi inter eos fuerunt.

Et post pauca:

§. 6. Hec uero apostolica sedes caput et cardo (ut prefatum est) a Domino, et non ab alio constituta est; et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ apostolicæ sedis auctoritate omnes ecclesie (Domino disponente) reguntur.

Gratian. Hac auctoritate Alexandrina ecclesia secundum a prima locum habere censetur.

Sed postea in Constantinopolitana sinodo ecclesia Constantinopolitana secundum a sede apostolica locum accepit.

Unde in eadem Sinodo [id est Constantinop. I. c. 5]. constitutum est ita:

C. III. Secundum a Romano Pontifice Constantinopolitanus obtinet locum.

Constantinopolitanæ ciuitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum, propter quod sit noua Roma.

C. IV. Apostolicæ sedi Constantinopolitanam constat esse subiectam.

Item Gregorius Iohanni episcopo Siracusano. [lib. VII. epist. 63].

De Constantinopolitana ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet sedi apostolicæ esse subiectam! Si tamen quid boni uel ipsa, uel altera ecclesia habet, ego et minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum.

Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona, que uiderit, discere contempnat.

Idem eidem: [epist. 64].

Nam quod primas Bizanzenus sedi se apostolicæ dicit subici si qua culpa in episcopis inuenitur nescio quis ei subiectus non sit; cum uero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis equales sumus.

**C. V. Constantinopolitanus episcopus auctoritate deponitur.**

Item Gelasius. [Papa I. ad Faustum magistrum legationis].

Qua traditione maiorum apostolicam sedem in iudicium uocant?

An secundæ sedis antistites et terciæ, ceteri que bene conscii sibi sacerdotes depelli debuerunt, et qui extitit religionis inimicus, depelli non debuit?

Viderint ergo, si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur.

Ceterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem apostolicam ad iudicium uocare non possunt, Constantinopolitanæ uero ciuitatis episcopus, que utique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum non debuit submoueri?

**C. VI. Constantinopolitana ecclesia secundum a Romana obtinet locum.**

Item ex VI. Sinodo. [cap. 36].

Renouantes sancti Constantinopolitani concilii decreta, petimus, ut Constantinopolitana sedes similia priuilegia, que superior Roma habet, accipiat, non tamen ecclesiasticis rebus magnificetur, ut illa; ut hec secunda post illam existens, prius quam Alexandrina sedes numeretur; deinde Antiocena, et post eam Ierosolimitana.

Gratian. Hinc datur intelligi, quod Alexandrina ecclesia de secunda facta sit tercia, et Antiocena de tercia sit facta quarta: nisi forte quis duas contendat esse secundas, ut Constantinopolitanam et Alexandrinam parem suæ dignitatis uelit locum obtinere.

Unde in VIII. Sinodo legitur: [can. 21].

**C. VII. Que patriarchalium sedium primum uel deinceps teneat locum.**

Diffinimus, neminem prorsus mundi potentum quemquam eorum, qui patriarchalibus sedibus presunt, inhonorare, aut mouere a proprio throno temptare; precipue quidem sanctissimum Papam senioris Romæ, deinceps autem Constantinopoleos patriarcham, deinde uero Alexandria, ac Antiocia, ac Ierosolimorum.

## **DISTINCTIO XXIII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Breuiter que inter ecclesiastica officia sit differentia monstrauius.

Nunc a summo incipientes, et iis que ad ultimum gradum descendentes, qualiter quisque eorum debeat ordinari, sanctorum auctoritatibus ostendamus.

**C. I. Decretum Nicolai Papæ de electione Romani Pontificis.**

In nomine Domini nostri et saluatoris Iesu Christi.

Ab incarnatione eius anno MLIX. mense Aprili, indictione XII., propositis sacrosanctis euangeliis, presidente quoque reuerendissimo ac beatissimo Nicolao Papa, in basilica Lateranensis patriarchii, que cognominatur Constantiniana, considentibus etiam reuerendissimis episcopis, abbatibus, presbiteris, diaconibus, idem uenerabilis Pontifex apostolica auctoritate decernens de electione summi Pontificis, inquit: §. 1. Nouit beatitudo uestra, dilectissimi fratres et coepiscopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto piæ memoriæ domino Stephano predecessore nostro hec apostolica sedes, cui auctore Deo deseruio, quot aduersa pertulerit, quot denique per simoniacæ heresis trapezitas repetitis malleis crebris que tusionibus subiacuerit, adeo ut columna Dei uiuentis iam pene uideretur nutare, et sagena summi piscatoris procellis intumescens cogere in naufragii profunda submergi.

Unde, si placet fraternitati uestræ, debemus auxiliante Deo futuris casibus prudenter occurrere, et ecclesiastico statui, ne rediuiua mala (quod absit) preualeant, in posterum prouidere.

§. 2. Quapropter instructi predecessorum nostrorum aliorum que sanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque statuimus, ut, obeunte huius Romanæ ecclesiæ uniuersalis Pontifice, inprimis cardinales episcopi diligentissima simul consideratione tractantes, mox sibi clericos cardinales adhibeant: sic que reliquus clerus et populus ad consensum nouæ electionis accedant, nimirum precauentes, ne uenalitatis morbus aliqua occasione subrepat.

Religiosissimi uiri preduces sint in promouenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces.

§. 3. Certus uero atque legitimus hic electionis ordo perpenditur, si, perspectis diuersorum Patrum regulis siue gestis, etiam illa B. predecessoris nostri Leonis sententia recolatur.

“Nulla,” inquit, “ratio sinit, ut inter episcopos habentur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati”.

Quia sedes apostolica cunctis in orbe terrarum prefertur ecclesiis atque ideo super se metropolitanum habere non potest, cardinales episcopi proculdubio metropolitani uice funguntur, qui uidelicet electum antistitem ad apostolici culminis apicem prouehant.

§. 4. Eligatur autem de ipsius ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus; uel si de ipsa non inuenitur, ex alia assumatur; saluo debito honore et reuerentia dilecti filii Henrici, qui in presentiarum rex habetur, et futurus imperator Deo concedente speratur, sicut iam sibi concessimus et successoribus illius, qui ab hac apostolica sede hoc ius personaliter impetrauerint.

§. 5. Quod si prauorum atque iniquorum hominum ita peruersitas inualuerit, ut pura, sincera atque gratuita fieri in Urbe non possit electio, cardinales episcopi cum religiosi clericis catholicis que laicis, licet paucis, ius potestatis obtineat, eligere apostolicæ sedis Pontificem, ubi congruerit.

§. 6. Plane, postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas uel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est, in apostolica sede iuxta consuetudinem inthronizari non ualeat, electus tamen, sicut uere Papa, auctoritatem obtineat regendi Romanam ecclesiam, et disponendi omnes facultas illius; quod beatum Gregorium ante consecrationem suam fecisse cognouimus.

§. 7. Quod si quis contra hoc nostrum decretum sinodali sententia promulgatum per seditionem, uel presumptionem, aut quolibet ingenio electus aut etiam ordinatus, seu inthronizatus fuerit, auctoritate diuina et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, perpetuo anathemate cum suis auctoribus, fautoribus et sequacibus a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ separatus abiciatur sicut antichristus, et inuasor et destructor totius Christianitatis; nec aliqua super hoc audientia aliquando reseruetur ei: sed ab omni ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat prius, sine retractatione deponatur: cui quisquis adhererit, uel qualemcumque tamquam Pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere presumpserit, pari sententia sit mancipatus.

§. 8. Quisquis huius nostræ decretalis sententiæ temerator extiterit, et Romanam ecclesiam sua presumptione confundere et perturbare contra hoc statutum temptauerit, perpetuo anathemate atque excommunicatione dampnetur, “et cum impiis, qui non resurgent in iudicio,” deputetur, omnipotentis contra se sentiat iram, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli (quorum presumit ecclesiam confundere), in hac uita et in futura furorem sentiat “fiat habitatio eius deserta, et non sit, qui inhabitet in tabernaculis eorum, fiant filii eius orphani et uxor eius uidua, commotus amoueat ipse et eius filii, et mendicent, et eiciantur de habitationibus suis, scrutetur fenerator omnem substantiam eius, et diripiant alieni labores eius, orbis terrarum pugnet contra eum, et cuncta elementa sint ei contraria,” et omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant, et in hac uita super eum apertam uindictam ostendant.

§. 9. Observatores autem huius nostri decreti omnipotentis gratia protegat, et auctoritas beatorum, apostolorum Petri et Pauli ab omnium uinculis peccatorum absoluat.

## II. Pars.

Gratian. Episcopi uero et ceteri ordinem infra constituti qualiter ordinari debeant, ex auctoritate Cartaginensis concilii IV., [cap. I]. cui interfuit Augustinus tempore Honorii Augusti, ostendamus, ab eorum examinatione incipientes:

### C. II. Quomodo sit examinandus, qui in episcopum eligitur.

Qui episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus si uita castus, si sobrius, si semper suis negociis cauens si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus; et ante omnia, si fidei documenta uerbis simplicibus asserat, id est Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse confirmans, totam que trinitatis deitatem coessentialem et consubstantialem et coeternalem et coomnipotentem predicans; si singulas quasque in trinitate personas plenum Deum, et totas tres personas unum Deum, si incarnationem diuinam non in Patre, neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum credat, ut, in diuinitate qui erat Dei Patris Filius, Deus uerus ex Patre esset et homo uerus ex matre, carnem ex matris uisceribus habens, et animam humanam rationabilem, simul in eo utriusque naturæ, id est Deus et homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus, creator omnium que sunt et auctor, Dominus et rector cum Patre et Spiritu sancto omnium creaturarum; qui passus sit pro salute nostra uera carnis suæ receptione et uera animæ resumptione, in qua ueniat iudicare uiuos et mortuos.

§. 1. Querendum est etiam ab eo, si noui et ueteris testamenti, id est legis et prophetarum et apostolorum unum eundem que credat auctorem Deum, si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus.

§. 2. Querendum etiam ab eo, si credat huius, quam gestamus, et non alterius carnis resurrectionem, si credat iudicium futurum, et recepturos singulos pro his, que in hac carne gesserunt, uel penas, uel premia, si nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non dampnet, si carniū perceptionem non culpet, si penitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est tam illud originale peccatum contractum, quam illa, que uoluntarie admissa sunt, dimittantur, si extra ecclesiam catholicam nullus saluetur.

§. 3. Cum in his omnibus examinatus inuentus fuerit plene instructus, tunc cum consensu clericorum et laicorum et conuentu totius prouinciæ episcoporum, maxime que metropolitani uel auctoritate, uel presentia ordinetur episcopus.

Suscepto in nomine Christi episcopatu, non suæ delectationi, nec suis moribus, sed his Patrum diffinitionibus acquiescat.

C. III. Qualis esse debeat clericorum conuersatio.

Item Ysidorus de uita clericorum.

### III. Pars.

His igitur lege Patrum cauetur, ut a uulgari uita seclusi a mundi uoluptatibus sese abstineant; non spectaculis, non pompis intersint; conuiuia publica fugiant, priuata non tantum pudica, sed et sobria colant; usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationibus lucrorum, non fraudibus cuiusquam studium appetant; amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum criminum fugiant, secularia offitia negotia que abnuant; honoris gradus per ambitionem non suscipiant; pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant; dolos et coniurationes caueant; odium, emulationes, obtreccationem atque inuidiam fugiant; non uagis oculis, non effreni lingua, aut petulantia fluido que gestu incedant, sed pudorem et uerecundiam mentis simplici habitu incessu que ostendant; obscenitatem etiam membrorum et uerborum, sicut et operum, penitus exsecrentur; uiduarum et uirginum frequentaciones fugiant; contubernia extranearum feminarum nullatenus appetant; castimoniam quoque inuiolati corporis perpetuo conseruare studeant, aut certe unius matrimonii uinculo federentur; senioribus quoque debitam prebeant obedientiam, neque ullo iactantiæ studio semetipsos attollant; postremo doctrinæ lectionibus, psalmis, imnis, canticis, exercitio iugi incumbant.

Tales enim esse debent, qui diuinis cultibus sese mancipandos studeant, scilicet ut, dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

C. IV. Qui digne sacramenta tractare non possunt, ad ministerium non eligantur diuinum.

Item Clemens. [ad Iacobum fratrem Domini, epist. II].

Tales ad ministerium eligantur clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare.

Melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.

C. V. Si electo in episcopum aliqua obiciuntur, quinque uel sex episcopi ad eius purgationem perueniant.

Item ex Concilio Cartaginensi IV.

Illud statuendum est, ut, quando ad eligendum episcopum conuenerimus, si qua contradictio oborta fuerit (quia talia sunt facta apud nos), non presumant ad purgandum



eum, qui ordinandus est, tres tantum, sed postulentur ad numerum supradictorum duo uel tres, et in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium, postremo etiam illa, que obiciuntur, pertractentur, et, cum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur.

Si hoc cum uestre sanctitatis animo concordat, roboretur uestre dignitatis responsione.

Ab uniuersis episcopis dictum est: “Satis placet”.

**C. VI.** Vota suæ promissionis spondeant, quos ecclesiastica promouet disciplina.

Item ex Concilio Tolletano XI. [c. 10].

Quamquam omnes, qui sacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneantur astricti, expedibile tamen est, ut promissionis suæ uota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus ecclesiastica probat disciplina.

Solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur.

§. 1. Et ideo placuit huic sancto concilio, ut unusquisque, qui ad ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quam placiti sui innotacione promittat, ut fidem catholicam sincera cordis deuotione custodiens iuste et pie uiuere debeat, et in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem atque obsequii reuerentiam preminentem sibi unusquisque dependat, iuxta illud Papæ Leonis edictum: “Qui se scit aliquibus esse prepositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prelatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat”.

Pena tamen iuxta ecclesiasticæ consuetudinis morem et placitis talium inferenda, et ab his, qui transgressores fuerint, persoluenda est.

Dehinc disponitur, qualiter ecclesiastica officia ordinentur.

**C. VII.** Qualiter ordinetur episcopus.

Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant euangeliorum codicem super caput et ceruicem eius, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.

**C. VIII.** Qualiter ordinetur presbiter. [Ex eodem c. 3].

Presbiter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente, etiam omnes presbiteri, qui presentes sunt, manus suas iuxta manus episcopi super caput illius teneant.

Sicut autem in die ordinationis suæ sacerdos orario utroque humero ambitur, ita tempore consecrationis eodem orario instanter uti debet.

Unde in Concilio Bracharensi [III. c. 3]. legitur:

**C. IX.** Quod quisque accepit tempore consecrationis, ferat tempore oblationis.

Ecclesiastica institucione prefixum nouimus, ut omnis sacerdos, cum ordinatur, orario utroque humero ambiatur: scilicet, ut qui imperturbatus precipitur consistere inter prospera et aduersa uirtutum semper ornamento, utroque circumseptus apareat humero.

Qua ergo ratione tempore sacrificii non assumit, quod se in sacramento accepisse non dubitat?

Proinde modis omnibus conuenit, ut, quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat et in oblatione uel perceptione suæ salutis; scilicet, ut, cum sacerdos ad solempnia missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter, quam orario

utroque humero circumseptus, sicut et tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita ut de uno eodem que orario ceruicem pariter et utrumque humerum premens signum in suo pectore preparet crucis.

§. 1. Si quis autem aliter egerit, debitæ excommunicationi subiacebit

#### IV. Pars.

Gratianus. Dalmaticis autem nec episcopis, nec diaconibus absque apostolica licentia uti permittitur.

Unde Gregorius Aregio Episcopo Francorum: [lib. VII. epist. 111].

C. X. Absque apostolica licentia dalmaticis neque episcopis neque diaconibus uti licet. Communis filius diaconus Petrus nobis innotuit, quod fraternitas uestra tempore, quo hic fuit, poposcerit, ut sibi et archidiacono suo utendi dalmaticis licentiam preberemus. Sed quia hominum suorum infirmitate compulsus festinanter abcessit, ut nec ipse meror incumbens diu (ut dignum erat et res desiderata poscebat) sineret manere, et nos in multis implicatos, ut ecclesiasticæ rationis est consideratio, nouum hoc inconsulte et subito non permetteret indulgere, idcirco postulata rei prolongatus effectus est. Nunc uero, caritatis tuæ bona reuocantes ad animum, huius auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te et archidiaconum tuum dalmaticarum usu decorandos esse concessimus, easdem que dalmaticas dilectissimo filio nostro Ciriaco abbate deferente transmisimus.

C. XI. Qualiter ordinetur diaconus. [Ex Conc. Carth. IV. c. 4].

Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manus super caput illius ponat quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

#### V. Pars.

Gratianus. Queritur autem, an post benedictionem manus presbiterorum et diaconorum crismatis liquore debeant perungi.

De his ita scribit Nicolaus Papa [I]. Radulpho Bituricensi Archiepiscopo:

C. XII. Nec presbiteris, nec diaconibus in consecratione crismate manus perungantur. Preterea sciscitaris, utrum solis presbiteris, an et diaconibus debeant, cum ordinantur, manus crismatis liquore perungi. Quod in sancta Romana ecclesia, cui auctore Deo deseruimus, neutris agitur. Sed quia sit a nouæ legis ministris actum, nusquam (nisi nos fallat obliuio) legimus. Ergo ad B. Innocentii Papæ canonica decreta sanctitatem tuam transmittimus, et que sint tibi in consecrationibus et ordinibus obseruanda, principia paginæ ad Decentium Eugubinum episcopum missæ te affatim edocebunt.

[PALEA. C. XIII.

Ex Concilio Hispalensis II. c. 5.

Ex epistola Simplicii Papæ Seuero et Florentino Episcopis directa.

Ad cognitionem nostri examinis Gabrenensis diaconi relatu peruenit de quibusdam ipsius ecclesiæ clericis, quorum cum unus ad presbiterium, duo ad Leuitarum ministerium consecrarentur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum

suam super eos tantum posuisse, et presbiter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse; qui propter tantam presumptionis audaciam poterat accusatus iudicio presenti dampnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis uocatione preuentus.

Sed quia iam ille examini diuino relictus humano iudicio accusari non potest, hi, qui supersunt, et ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiae potius elogium acceperunt, ne sibi licentiam talis ultra usurpatio faciat, decreuimus, ut a gradu sacerdotalis uel leuitici ordinis, quem peruerse adepti sunt, depositi equo iudicio abiciantur.

Tales enim merito iudicati sunt remouendi, quia praue inuenti sunt constituti].

Gratian. Item queritur, an eorum ordinatio sit rata habenda, quibus episcopus, oculorum languore impeditus manus, imponit, et presbiter super eos orationem dicit.

De his ita statutum est in Concilio Tolletano:

**C. XIV.** Et ordinator, et ordinatus dampnationis subeat penam, cum episcopus manum imponit, et alius orationem dicit.

Quorumdam clericorum, dum unus ad presbiterium, duo ad Leuitarum ministerium sacrentur, episcopus, oculorum dolore detentus, fertur super eos manum suam tantum posuisse, et presbiter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse. Sed quia ille iam examini diuino relictus humano iudicio accusari non potest, hi, qui supersunt, gradum sacerdotii uel leuitici ordinis, quem peruerse adepti sunt, amittant.

**C. XV.** Qualiter ordinetur subdiaconus

## **VI. Pars.**

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat uacuam et calicem uacuum; de manu uero archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanile et manutergium.

**C. XVI.** Qualiter ordinetur acolitus.

Acolitus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo debeat agere: sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari; accipiat et urceolum uacuum ad suggerendum uinum in eucharistiam sanguinis Christi.

**C. XVII.** Qualiter ordinetur exorcista.

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: “Accipe, et commenda memoriae, et habeto potestatem inponendi manus super energuminum, siue baptizatum, siue catecuminum”.

**C. XVIII.** Qualiter ordinetur lector.

Lector cum ordinatur, faciat de illo uerbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac uitam atque ingenium; post hoc spectante plebe tradat ei codicem, in quo lecturus est, dicens: “Accipe et esto relator uerbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleueris officium, partem cum eis, qui uerbum Dei ministrauerint”.

**C. XIX.** Qualiter hostiarius.

Hostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conuersari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus clauis ecclesie de altario, dicens ei: "Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, que his clauibus recluduntur".

**C. XX. Qualiter psalmista.**

Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi, sola iussione presbiteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbitero: "Vide, ut, quod ore cantas, corde credas, et quod corde credis, operibus comprobes".

Gratian. Clerici comam nutrire prohibentur, quorum caput desuper in modum spheræ rasum esse debet.

Unde Anicius Papa. [Episcopis Galliæ].

**C. XXI. Clerici comam nutrire prohibeantur.**

Prohibete, fratres, per uniuersas regionum uestrarum ecclesias, ut clerici, iuxta apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum spheræ radant.

**C. XXII. De eodem.**

Item ex Concilio Agatensi. [c. 20].

Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiamsi noluerint, inuiti detondeantur.

Vestimenta etiam uel calceamenta eis, nisi que religionem deceat, uti aut habere non liceat.

**C. XXIII. De eodem.**

Item Gregorius II. [in Concilio Romæ habito in Basilica S. Petri, c. 17].

Si quis ex clericis comam relaxauerit, anathema sit.

**C. XXIV. Quibus uestibus induta sanctimonialis est consecranda.**

Sanctimonialis uirgo, cum ad consecrationem suo episcopo offertur, in talibus uestibus applicetur, qualibus semper usura est, sanctimonie et professioni aptis.

Gratian. Vasa sacrata et uestimenta altaris mulieres Deo dedicatæ contingere, et incensum circa altaria deferre prohibentur.

Unde Sother Papa Episcopis Italiæ: [epist. II].

**C. XXV. Vestimenta altaris et uasa sacrata mulieres tangere prohibeantur.**

Sacratas Deo feminas uel monachas sacra uasa uel sacratas pallas penes uos contingere, et incensum circa altaria deferre, perlatum est ad apostolicam sedem: que omnia uituperatione et reprehensione plena esse, nulli recte sapientum dubium est.

Quapropter huius sanctæ sedis auctoritate hec omnia uobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus.

Et ne pestis hec latius diuulgetur, per omnes prouincias abstergi citissime mandamus.

**C. XXVI. Sacrarium subdiaconibus ingredi non licet.**

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 21].

Non oportet subdiaconos licentiam habere in secretarium siue sacrarium (quod Greci diaconium appellant) ingredi, et contingere uasa dominica.

[C. XXVII].

Item.

Ministrum non oportet orariis uti, nec ostia derelinquere.

[C. XXVIII].

Item.

Non oportet lectores atque psalmistas orariis uti, et sic legere aut psallere.

C. XXIX. Mulieri in conuentu uiros docere non permittitur.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 99. et 98].

Mulier, quamuis docta et sancta, uiros in conuentu docere non presumat.

Laicus autem presentibus clericis (nisi ipsis rogantibus) docere non audeat.

C. XXX. Ministris non sacratis uasa dominica contingere non licet.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 66].

Non oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium (quod Greci diaconium appellant) ingredi, et contingere uasa dominica.

C. XXXI. Cuilibet ex lectoribus uasa sacra portare non licet.

Item ex Concilio Bracarense I. [c. 10].

Non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris uasa portare, nec aliis, nisi his, qui ab episcopo subdiaconi fuerint ordinati.

C. XXXII. De eodem, et ut clerici comam non nutriant.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 41].

Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi subdiacono aut acolito, in secretario uasa dominica.

§. 1. Nec oportet clericos comam nutrire, et sic ministrare: sed atonso capite, patentibus auribus, et secundum Aaron talarem uestem induere, ut sint in habitu ornato.

C. XXXIII. Qualiter sponsus et sponsa sint benedicendi.

Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis uel a paranimphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in uirginitate permaneant.

## DISTINCTIO XXIV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Qualiter episcopus sit examinandus, qualiter ipse simul cum reliquis infra ipsum constitutis sit ordinandus, breuiter monstratum est.

Nunc autem uidendum est de sacerdotibus et reliquis, an sine examinatione sint promouendi.

De his ita scribit Paulus Apostolus ad Timotheum: “Manus cito nemini imposueris, et nichil sine preiudicio facias in alteram partem declinando”.

[PALEA. C. I. De eodem.

Ex decretis Siluestri Papæ in Sinodo Romana c. 9.

Nullus acolitorum uel subdiaconorum rem consecratam a presbitero aliis porrigat, (quia aliud est minister, aliud assistens), nisi tantum supportet, quod ei sacerdos imposuerit suo ore benedictum].

C. II. Ante probationem nullus ordinetur clericus.

Item ex Concilio Cartaginensi III., c. 22.

Nullus ordinetur clericus, nisi probatus uel episcoporum examine, uel populi testimonio.

C. III. Ad ministerium alicuius ecclesiæ clerici eiusdem promoueantur.

Item Gelasius Papa Celestino episcopo.

Presbiteri, diacones et uniuersi clerici Stoniensium ciuitatis petitorio nobis suggessere porrecto, in ecclesia beati martiris Eleuterii episcopi (que in supradictæ ciuitatis parrochia probatur esse constructa) presbiterum, qui constitutus fuerat, defecisse, atque in eius locum Iulianum, diaconem ipsius ecclesiæ pro celebritate ipsius loci quamtocius debere ordinari.

Et ideo, frater karrissime, si de eius uita uel moribus nichil est, quod contra canonum ueniat constituta, suprascriptum presbiterii honore decorabis, sciturus, uisitoris, nomine te, non cardinalis creasse pontificis.

Pariter etiam Felicissimum diaconem in eius ecclesiæ ministerio, si conuersatio eius patitur, subrogabis, ut locus processionis celeberrimus ad misteriorum consecrationem nec sacerdote indigeat, nec ministro.

C. IV. Metropolitanorum et episcoporum examine promoueantur ceteri episcopi.

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 12].

Episcopi iudicio metropolitanorum et eorum episcoporum, qui circumcirca sunt, prouehantur ad ecclesiasticam dignitatem, hi uidelicet, qui plurimo tempore probantur tam uerbo fidei quam rectæ conuersationis exemplo.

## II. Pars.

Gratianus. Cum itaque sine examinatione nullus sit ordinandus, quemadmodum, et quo tempore sacerdotum et ceterorum infra positorum examinatio fieri debeat, considerandum est.

De his in Concilio Nannetensi [c. 11]. sic statutum legitur:

C. V. Qui ordinandi sunt, feria quarta ad examinationem conueniant.

Quando episcopus ordinationes facere disponit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere uolunt, feria quarta ante ipsam ordinationem euocandi sunt ad ciuitatem, una cum presbiteris, qui eos representare debent; et tunc episcopus a latere suo eligere debet sacerdotes et alios prudentes uiros, gnaros diuinæ legis et exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum genus, uitam, patriam, etatem, institutionem, locum, ubi educati sunt, si sint bene litterati, si in lege Domini instructi, ante omnia diligenter inuestigent; si fidem catholicam firmiter teneant et uerbis simplicibus asserere queant.

§. 1. Ipsi autem, quibus cura committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuscumque muneris cupiditate illecti a uero deuiant, ut indignum et minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus applicent.

Quod si fecerint, et ille, qui indigne accesserit, ab altari remouebitur, et illi, qui donum sancti Spiritus uendere conati sunt, coram Deo iam condempnati, ecclesiastica dignitate carebunt.

§. 2. Igitur per tres dies continuos diligenter examinentur, et sic sabbato qui probati sunt episcopo represententur.

Gratian. Alias autem, sine clericorum concilio uidelicet et populi testimonio, nullum episcopus ordinare presumat.

Unde in Concilio Cartaginensi IV. [c. 22]. legitur:

**C. VI.** Sine clericorum suorum consilio episcopus clericos non ordinet.

Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut cuius conuentionem et testimonium querat.

### **III. Pars.**

Gratian. Queritur, quid fieri debeat de his, qui sine examinatione prouecti sunt.

De his ita legitur in Concilio Martini Papæ:

**C. VII.** De his, qui sine examinatione ordinantur, et postea peccata sua confitentur.

Si quis presbiter aut diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt, aut certe, cum discuterentur, criminosa peccata sua confessi sunt, aut post ordinationem ab aliis detecti, abiciantur ex clero.

§. 1. Similiter uero et de uniuerso clericorum ordine seruetur; nam hoc sibi, quod irreprehensibile est, sancta ecclesia catholica defendit.

## **DISTINCTIO XXV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quod nullus sine examinatione ordinandus sit, breuiter probatum est.

Quid autem ad episcopum, quid ad unumquemque inferiorem pertineat, Ysidorus Ispalensis episcopus in epistola ad Ludifredum scribit, ita dicens:

**C. I.** Quod episcopi et ceterorum sit in ecclesia officium.

Perlectis sanctitatis tuæ litteris gauisus sum, quod optatam salutem tuam earum relatu cognoui.

De his autem, que in consequentibus insinuare eloquii tui sermo studuit, gratias ago Deo, quod sollicitudinem officii pastoralis impendis, qualiter que ecclesiastica officia ordinentur, perquiris; et licet omnia prudentiæ tuæ sint cognita, tamen quia affectu fraterno me consulis, ex parte, qua ualeo, expediam, et de omnibus ecclesiæ gradibus quid ad quemque pertineat eloquar.

§. 1. Ad hostiarium namque pertinent clauis ecclesiæ, ut aperiat et claudat templum Dei et omnia, que sunt intus extra que, custodiat; fideles recipiat, excommunicatos et infideles excipiat.

§. 2. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manus que super energuminos et catecuminos in exorzizando imponere.

§. 3. Ad acolitum pertinet preparatio luminariorum in sacrario; ipse cereum portat, ipse suggesta pro eucharistia calicis preparat.

§. 4. Ad psalmistam pertinet offitium canendi, dicere benedictiones, laudes, sacrificium, responsoria, et quicquid pertinet ad canendi peritiam.

§. 5. Ad lectorem pertinet lectiones pronunciare, et ea, que prophetæ uaticinauerunt, populis predicare.

§. 6. Ad subdiaconum pertinet calicem et patenam ad altare Christi deferre et Leuitis tradere, eis que ministrare; urceolum quoque et aquamanile et manutergium tenere; episcopo et presbiteris et Leuitis pro lauandis ante altare manibus aquam prebere.

§. 7. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, et ministrare in omnibus, que aguntur in sacramentis Christi: in baptismo scilicet, in crismate in patena et calice; oblationes quoque inferre et disponere in altari; componere etiam mensam Domini atque uestire, crucem ferre, et predicare euangelium et Apostolum.

Nam sicut lectoribus uetus testamentum, ita diaconibus nouum predicare preceptum est. Ad ipsum quoque pertinet offitium precum et recitatio nominum; ipse premonet aures habere ad Deum, ipse hortatur clamare ipse donat pacem et ipse annuntiat.

§. 8. Ad presbiterum pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altario conficere, orationes dicere, et benedicere dona Dei.

§. 9. Ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris et confectio crismatis.

Ipse predicta offitia distribuit et ordines ecclesiasticos, ipse sacras uirgines benedicit, et, dum precessit in singulis unusquisque, iste tamen est preordinator in cunctis.

§. 10. Hi sunt ordines et ministeria clericorum, que tamen auctoritate pontificali in archidiaconi cura, et primicerii ac thesaurarii sollicitudine diuiduntur.

§. 11. Archidiaconus enim imperat subdiaconibus et Leuitis; ad quem pertinent ista ministeria: ordinatio uestiendi altaris a Leuitis, cura incensi et sacrificii necessaria sollicitudo, quis Leuitarum Apostolum et euangelium legat, quis preces dicat, seu responsoria in dominicis diebus aut sollempnitatibus decantet.

Sollicitudo quoque parrochiarum et ordinatio et iurgia ad eius pertinent curam, pro reparandis diocesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti; ipse inquirat parrochias cum iussione episcopi et ornamenta uel res basilicarum uel parrochiarum, gesta libertatum ecclesiasticarum episcopo idem refert, collectam pecuniam de communionem ipse accipit et episcopo defert, et clericis partes proprias idem distribuit.

Ab archidiacono nuntiantur episcopo excessus diaconorum, ipse denuntiat sacerdoti in sacrario ieiuniorum dies atque sollempnitatum, et ab ipso publice in ecclesia predicatur; quando uero archidiaconus absens est, uicem eius diaconus sequens adimplet.

§. 12. Archipresbiter uero se esse sub archidiacono, eius que preceptis, sicut episcopi sui, obedire sciat, et (quod ad eius specialiter ministerium pertinet), supra omnes presbiteros in ordine positos curam agere, et assidue in ecclesia stare, et, quando episcopi sui absentia contigerit, ipse eius uice missarum sollempnia celebret et collectas dicat, uel cui ipse iniunxerit.

§. 13. Ad primicerium pertinent acoliti, exorcistæ, psalmistæ atque lectores; signum quoque dandum pro offitio clericorum, pro uitæ honestate, et offitium cantandi et peragendi sollicite, lectiones, psalmum, laudes, offertorium responsoria quis clericorum dicere debeat.

Ordo quoque et modus psallendi in choro pro sollempnitate temporum, ordinatio quoque pro luminaribus deportandis.



Si quid etiam necessarium fuerit pro reparatione basilicarum, que sunt in urbe, ipse denuntiet sacerdoti; epistolas episcopi pro diebus ieiuniorum parrochianis per hostiarios ipse dirigat; clericos, quos delinquere cognoscit, ipse distringat quos uero emendare non ualet, eorum excessus ad agnitionem episcopi deferat; basilicarios ipse constituat, et matriculas ipse disponat.

Quando autem primicerius absens est, ea, que dicta sunt, ipse exquirat, qui ei aut lege est proximus aut eruditione.

§. 14. Ad thesaurarium pertinent hostiarii basilicarum ordinatio, incensi preparatio, cura crismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, preparatio luminariorum in sacrario et sacrificiis.

## II. Pars.

Gratian. Ex hac epistola liquet, quid cuiusque officii sit.

Est etiam alia distinctio episcoporum, presbiterorum, diaconorum, quam fecit Clemens in epistola sua ita dicens:

C. II. Quid ab episcopis, quid a presbiteris, quid a diaconibus audire oportet.

Audire episcopum attentius oportet, et ab ipso suscipere doctrinam fidei; monita autem uitæ a presbiteris inquirere, a diaconibus uero ordinem disciplinæ.

Gratian. Sacerdos quoque utrumque humerum orario ambit; diaconus uero sinistrum tantum, ut ad ministerium expeditus discurrat.

Unde in Tolletano Concilio IV. c. 40:

C. III. Quare Leuita unum tantum humerum orario ambit.

Unum orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est predicat; dexteram autem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat.

## III. Pars.

Gratian. Nunc autem per singulos gradus ordine recurrentes, qui ex quibus ordinibus, in quem gradum conscendere possint; qui post lapsum ualeant reparari, uel non; quibus culpis a proprio gradu mereantur deici; quo accusante, quibus testificantibus possint conuinci; cuius sententia sint soluendi uel dampnandi, breuiter consideremus.

§. 1. Ac primum a pontificali gradu incipientes, qualem oporteat eum esse, qui in episcopum ordinandus est, diligenter inuestigemus, Apostoli regulam secuti, quam in huiusmodi re Timotheo et Tito scribit dicens: “Oportet episcopum esse inreprehensibilem”: id est, non obnoxium reprehensioni.

Hoc ad Timotheum.

Ad Titum autem: “Oportet episcopum esse sine crimine”: quod (ut Ieronimus scribit ad Oceanum) idem est.

§. 2. Nomine autem criminis quodlibet peccatum intelligitur; unde in eadem epistola Ieronimus dicit: “Res pene contra naturam est, ut sine peccato aliquis sit: sed talis eligatur, cuius comparatione ceteri grex dicantur”.

In epistola uero ad Titum crimen uocatur criminale peccatum uel criminalis infamia: unde ibi legitur: “Crimen est querela, id est peccatum accusatione et dampnatione dignum”.

§. 3. Quod autem sine crimine iubetur esse qui in episcopum eligitur, non ante baptismum, sed post baptismum intelligendum est: ut a tempore uidelicet baptismatis nullius criminis conscientia mentem eius remordeat.

§. 4. Criminis appellatio alias late patet, complectens omne peccatum, quod ex deliberatione procedit.

Unde Beda super epistolam Iacobi: “Peccata, que ex ignorantia uel infirmitate humana committuntur, dicit et precipit alterutrum confiteri, quia facile dimittuntur: quecumque uero fiunt ex deliberatione, non nisi per penitentiam”.

Hinc etiam Augustinus ait: “Nullum peccatum est adeo ueniale, quod non fiat criminale, dum placet”.

Alias ea demum significat. que semel commissa ad dampnationem sufficiunt.

§. 5. Multa enim ex deliberatione procedunt, que nisi sepius iterata et in consuetudinem fuerint deducta, quamuis grauent post mortem, non tamen eternaliter perdunt: quia etsi quadam ratione crimina appellentur, tamen mortifera, et capitalia non sunt.

Unde Augustinus in omilia de igne purgatorio, exponens uerba Apostoli: “Si quis super hoc fundamentum edificauerit, ligna, fenum stipulam.

Multi sunt, qui lectionem istam male intelligentes falsa securitate decipiuntur, dum credunt, quod si supra fundamentum Christi crimina capitalia edificant, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, et ipsi postea ad uitam peruenire perpetuam.

Intellectus iste, fratres karissimi, corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sic sibi blandiuntur.

Illo enim transitorio igne, de quo dicit Apostolus: ‘Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem’, non capitalia, sed minuta peccata purgantur: de quibus, etsi non omnia, uel aliqua commemoranda sunt, ne aliquis inaniter excusare conetur, et dicat nescire se, que sunt minuta peccata, que crimina capitalia.

§. 6. Et quamuis Apostolus plura capitalia commemorauerit, nos tamen (ne desperationem facere uideamur) breuiter dicemus, que illa sunt: sacrilegium, homicidium, adulterium, fornicatio, falsum testimonium, rapina, furtum, superbia, inuidia, auaritia; et si longo tempore teneatur, iracundia, et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur.

Quicumque enim aliquod de istis peccatis in se dominari cognouerit, nisi digne emendauerit, et si habuerit spatium, longo tempore penitentiam non egerit, et largas elemosinas non, erogauerit, et a peccatis ipsis non abstinuerit, illo transitorio igne, de quo Apostolus ait, purgari non poterit, sed eterna illum flamma sine remedio ullo trucidabit.

§. 7. Que autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis uel aliqua nominemus.

Quotiens aliquis in cibo aut potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata nouerit pertinere; quotiens plus loquitur, quam oportet, plus tacet, quam expedit; quotiens pauperem importune petentem exasperat; quotiens cum sit corpore sanus, aliis ieiunantibus prandere uoluerit, aut somno deditus tardius ad ecclesiam surgit; quotiens, excepto filiorum desiderio, uxorem suam cognouerit; quotiens in carcere positos tardius requisierit, infirmos tardius uisitauerit; si discordes ad concordiam reuocare neglexerit; si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut seruum exasperauerit, quam oportet; si amplius fuerit blanditus, quam oportet; si cuicumque maiori personæ aut ex uoluntate, aut ex necessitate adulari uoluerit; si, pauperibus esurientibus, nimium deliciosa uel sumptuosa conuiuia preparauerit; si se aut in ecclesia aut extra ecclesiam fabulis otiosis (de quibus in die iudicii ratio reddenda est) occupauerit; si dum incaute iuramus, et cum

hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique periuremus, et cum omni facilitate uel temeritate maledicimus, cum scriptum est: ‘Neque maledici regnum Dei possidebunt’”.

**C. IV.** Que sunt uenialia peccata, que post hanc uitam purgantur.

Item Gregorius. [Dialog. lib. IV. c. 9].

Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio presentatur: sed tamen de quibusdam culpis esse ante iudicium purgationis ignis credendus est, pro eo, quod ueritas dicit: “Quia si quis in spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei neque in futuro”.

In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam in futuro posse relaxari.

Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut predixi, hoc de paruis minimis que peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, uel peccatum curæ familiaris, (que uix sine culpa uel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant sciunt,) que etiam post mortem grauant, si adhuc in uita positis minime fuerint relaxata.

[PALEA. C. V. De eodem.

Item Augustinus in libro de uera et falsa penitentia c. 18.

Qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis, prius purgabitur igne purgationis.

Hic autem ignis, etsi, eternus non sit, miro tamen modo grauis est.

Excellit enim omnem penam, quam umquam aliquis passus est in hac uita, uel pati potest].

Gratian. Alias autem ea tantum delicta significat, quorum est perpetua infamia.

Unde illud Ieronimi: primum itaque sine crimine etc.

Unde Ieronimus scribit in eadem epistola ad Titum: [cap. 1].

**C. VI.** A die baptismi sine crimine debet inueniri, qui in episcopum est ordinandus.

Primum itaque sine crimine iubetur esse episcopus, quod alio uerbo ad Timotheum inreprehensibilem nominatum puto: non quod eo tantum tempore, quo ordinandus est, sit sine crimine ullo, et preteritas maculas noua conuersione diluerit, sed quod ex eo tempore, quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur.

Quomodo enim potest preses ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruerit? aut qua libertate peccantem corripere, cum tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse, que corripit?

Gratian. Ecce, quod ordinandus in episcopum, non solum tempore suæ ordinationis, sed etiam omni tempore post baptismum a crimine debet esse immunis.

## **DISTINCTIO XXVI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Sequitur in utraque epistola: “unius uxoris uirum” post baptismum uidelicet, non ante baptismum.

Unde Ieronimus scribit ad Oceanum: [epist. 83].

**C. I.** Post baptismum debet esse monogamus, qui episcopus est ordinandus.

Unius uxoris uirum, id est monogamum, post baptismum.

Si enim et ante coniugem habuerit, que obierit, non ei imputatur, cui prorsus nouo nec stupra, nec alia, que ante fuerunt, iam obsunt.

**C. II.** Qui ante baptismum habuerit unam, et post baptismum alteram, ordinandus non est.

Augustinus uero econtra testatur, scribens in epistolam ad Titum.

Acutius intelligunt, qui nec eum, qui catecuminus uel paganus habuerit alteram, ordinandum censuerunt, quia de sacramento agitur, non de peccato.

Propter sacramenti sanctitatem sicut femina, si catecumina uitiata est, non potest post baptismum inter Dei uirgines consecrari, ita non absurde uisum est bigamum non peccasse, sed normam sacramenti amisisse non ad uitæ meritum, sed ad ordinationis signaculum.

Unius uxoris uir, episcopus significat ex omnibus gentibus unitatem uni uiro Christo subditam.

## **II. Pars.**

§. 1. Sicut duobus dominis seruire, sic ab uno Deo apostatare, atque in alterius superstitionem ire non licet.

**C. III.** Bigamus probatur, qui ante baptismum habuerit unam et post baptismum alteram. Item Innocentius [I]. Rufo et Eusebio, et ceteris Episcopis Macedonibus. [epistol. XXII. c. 2].

Deinde ponitur, non dici oportere bigamum eum, qui catecuminus habuerit uxorem atque amiserit, si post baptismum fuerit aliam sortitus, eam que primam uideri, que nouo homini copulata sit, quia illud coniugium per baptismi sacramentum cum ceteris criminibus sit ablatum.

Quod cum de una utique dicitur certe, si tres habuerit in uetere positus homine uxores, erit ei, que post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima uirginis eque nomen accipiet, que quarto ducta est loco.

Quis (oro) istud non uideat contra Apostoli esse preceptum, qui ait: “unius uxoris uirum oportere fieri sacerdotem?”

Sed obicitur, quod in baptismo totum, quicquid in ueteri homine gestum est, sit solutum. Dicite mihi (ut cum pace uestra loquar), crimina tantum dimittuntur in baptismo, an et illa, que secundum Domini precepta ac Dei instituta complentur?

Uxorem ducere crimen est, an non est crimen?

Si crimen est, ergo (ut prefata uenia dixerim) erit auctor in culpa, qui, ut crimina committerentur, in paradiso precepit, cum ipse eos benedixit.

Si uero non est crimen, quia quod Deus instituit nefas est crimen appellari, et Salomon addidit: “Etenim a Deo preparatur uiro uxor,” quomodo creditur inter crimina esse dimissum quod Deo auctore legitur consummatum?

Quid de talium filiis percensetur? Numquid non erunt admittendi in hereditatis consortium, qui ex ea suscepti sunt, que ante baptismum fuit uxor, erunt que appellandi uel naturales, uel spurii, quia non est legitimum matrimonium, nisi illud (ut uobis uidetur), quod post baptismum assumitur?

Ipse Dominus, cum interrogaretur a Iudæis, si liceret dimittere uxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit: “Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet”.

Ac ne de his locutus esse credatur, que post baptismum sortiuntur, meminerint hoc et a Iudæis interrogatum et Iudeis esse responsum.

§. 2. Quero, et sollicitus quero, si una eadem que sit uxor eius, qui ante catecuminus, postea fit fidelis, filios que ex ea, cum esset catecuminus suscepit, ac postea, cum fidelis, alios: utrum sint appellandi fratres, an non habeant postea defuncto patre herciscundæ hereditatis consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis creditur abstulisse?

Quod cum ita sentire absurdum est, que ratio est hoc defendi, et uacua magis opinione iactari, quam aliqua auctoritate roborari, cum non possit inter peccata deputari, quod lex precepit et Deus adiunxit?

§. 3. Numquid qui catecuminus uirtutibus studuit humilitatem secutus est, patientiam tenuit, elemosinas fecit, morti destinatos qualibet ratione eripuit, adulteria exhorruit, castitatem tenuit, quero, si hec, cum fuerit factus fidelis, amittit, quia per baptismum totum, quod uetus homo gesserat, putatur auferri?

Aspicias gentilem hominem Cornelium orationibus atque elemosinis uacantem, angelum audientem per reuelationem ipsum que Petrum uidentem; numquid per baptismum hec illi ablata sunt, propter que ei baptisma uidetur esse concessum?

Si ita creditur, mihi credite, non modicum erratur, quia quicquid bene gestum fuerit et secundum precepta legalia custoditum, non potest facientibus deperire.

§. 4. Nuptiarum ergo copula, quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum, et quod peccatum non est, solui inter peccata credi non debet, erit que, integrum estimare aboleri non posse nomen prioris uxoris, cum non sit dimissum pro peccato, quod ex Dei uoluntate sit completum.

C. IV. In baptisate culpa dimittitur, non lex coniugii aboletur.

Item Ambrosius in libro de offitiis. [lib. I. c. ult. 80].

Una tantum, nec repetita nobis copula permittitur, et in ipso coniugio lex est, non iterare coniugium, nec secundæ coniugis coniunctionem.

Quod plerisque mirum uidetur, cum etiam ante baptisma iterata coniugia electioni muneris et prerogatiuæ ordinationis impedimenta generent, cum etiam delicta obesse non soleant si lauacri remissa fuerint sacramento.

Sed intelligere debemus, quia baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest.

In coniugio non culpa, sed lex est.

Quod culpæ est igitur, in baptismo relaxatur: quod legis, in coniugio non soluitur.

Quomodo autem potest hortator esse uiduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit?

Gratian. Iohannes etiam Baptista, dum Herodem ab incestu prohiberet dicens: “Non licet tibi habere uxorem fratris tui,” euidenter ostendit, inter infideles coniugia esse.

Unde datur intelligi, quod bigami dicuntur non solum qui post baptismum coniugia frequentant, sed etiam qui ante baptismum unam, et post baptismum alteram habuisse probantur.

§. 1. Bigamus uero in sacerdotem ordinari non debet, non quia deliquerit secundam accipiendo uxorem, sed quia prerogatiua exutus est sacerdotis.

Unde Ambrosius in epistola ad Vercellenses: [lib. X. epist. 82. ait:]

C. V. Non peccat bigamus, sed prerogatiua sacerdotis exuitur.

Qui sine crimine unius uxoris est uir, tenetur ad legem sacerdotii suscipiendi.

Qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prerogatiua exiuitur sacerdotis.

## **DISTINCTIO XXVII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quod autem unius uxoris uir episcopus iubetur eligi, queritur, an de tempore ordinationis hoc sit accipiendum, ut tempore suæ administrationis eius copula possit fungi, quam unicam et uirginem sibi desponsauit.

Hoc Martinus Papa prohibet dicens:

**C. I.** Non ordinetur diaconus, nisi castitatem professus fuerit.

Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, et se dixerit in castitate permanere non posse, hic non ordinetur.

Quod si in ordinatione tacuerit et ordinatus fuerit, et postea matrimonium desiderauerit, alienus sit a ministerio et uacet a clero.

Gratian. Hac auctoritate datur intelligi, quod illi, qui habent uxores uel accipere uolunt, nec diacones, nec sacerdotes fieri possunt, nisi continentiam profiteantur.

§. 1. Si uero diaconus a ministerio cessare uoluerit, contracto matrimonio licite potest uti.

Nam etsi in ordinatione sua castitatis uotum obtulerit, tamen tanta est uis in sacramento coniugii, quod nec ex uiolatione uoti potest dissolui coniugium ipsum.

Unde Augustinus in libro de bono coniugali ad Iulianum: [cap. 10].

**C. II.** Nubentes post uotum non sunt abinuicem separandi.

#### **II. Pars.**

Quidam nubentes post uotum adulteros asserunt.

Ego autem dico, quod grauiter peccant qui tales diuidunt.

**C. III.** De eodem.

Item Theodorus.

Si uir uotum uirginitatis habens adiungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed tribus annis peniteat.

Ieronimus uero scribit econtra:

**C. IV.** Dampnabile est uouentibus uelle nubere.

Uouentibus uirginitatem non solum nubere, sed etiam uelle dampnabile est.

**C. V.** Dampnationem habebit, si nupserit, que uirginitatem uouit.

Idem contra Iouinianum. [lib. I].

Si nupserit uirgo, non peccat: non illa uirgo, que semet cultui diuino dedicauit.

Harum enim si qua nupserit, habebit dampnationem, quia primam fidem irritam fecit.

**C. VI.** Que sanctimoniam se esse fingit non ualet nubere.

Item Nicolaus. [Papa I. ad Albinum Viennens. ecclesiae Archiepiscopum].

Quod interrogasti de femina, que post obitum mariti sui sacrum uelamen super caput suum inposuit, et finxit se sub eodem uelamine sanctimoniam esse, postea uero ad nuptias rediit: bonum mihi uidetur, quia per ypocrisim ecclesiasticam regulam conturbare uoluit, et non legitime in uoto suo permansit, ut penitentiam agat de illusionem nefanda, et reuertatur ad id, quod spondit, et in sacro ministerio permaneat, quod inchoauit.

[PALEA. C. VII.

Idem ibidem.

Nam si consenserimus, quod omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout uult fingat et non uere faciat omnis ordo ecclesiasticus turbabitur, nec catholicæ fidei iura consistunt, nec canones sacri rite obseruantur.

Quid enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum fecte suscipere, et in Christianitate permansurum se finxisse, cum per Apostolum, fraude eius detecta, quod sibi futurum esset prenuiciatum fuit?

Ait enim: "Pecunia tua te cum sit in perditionem: cor enim tuum non est rectum coram Deo.

Penitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hec cogitatio cordis tui: in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis uideo te esse".

Ideo tales, nisi resipiscant, spirituali gladio percutere censemus.

Non enim fas est Spiritui sancto mentiri, sicut Ananias et Saphira mentiti sunt, et statim perierunt].

**C. VIII.** In sacris ordinibus constituti, non ducant uxores: et si duxerint, separentur.

Item Calixtus Papa. [II].

Presbiteris diaconibus, subdiaconibus et monachis concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitus interdiciamus; contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, et personas ad penitentiam debere redigi, iuxta sacrorum canonum diffinitionem iudicamus.

Gratian. Hic distinguendum est, quod uouentium alii sunt simpliciter uouentes, de quibus Augustinus et Theodorus locuti sunt, alii sunt, quibus post uotum accedit benedictio consecrationis, uel propositum religionis, de quibus Ieronimus et Nicolaus et Calixtus scripserunt.

Unde contra eundem Iouinianum Ieronimus [lib. I]. scribens, ait:

**C. IX.** Incestæ sunt uirgines, que post consecrationem nubunt.

Virgines, que post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quam incestæ.

## **DISTINCTIO XXVIII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Ecce ostensum est, quod nolentes continentiam, nec ad subdiaconatum, nec ad superiores gradus conscendere possunt.

Unde ad subdiaconatum accedentes, non sine uoto castitatis iubentur admitti, auctoritate B. Gregorii, qui scribens Petro Subdiacono [lib. I. epistola 42. in fine] ait:

**C. I.** Non fiat subdiaconus, qui se caste uicturum non promittit.  
Nullum facere subdiaconum presumant episcopi, nisi qui se uicturum caste promiserit: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

**C. II.** Subdiaconus et supra constituti incontinentes, uxorem aut concubinam ducentes, ecclesiastico beneficio et offitio careant.

Item Innocentius II.

Decernimus, ut hi, qui in ordine subdiaconatus et supra uxores duxerint aut concubinas habuerint, offitio atque ecclesiastico beneficio careant.

Cum enim ipsi templum, uasa Domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse et dici, indignum est, eos cubilibus et immunditiis deseruire.

**C. III.** Caste se uicturos promittant qui in diaconos uel presbiteros ordinantur.

Item ex Concilio Tolletano V.

## **II. Pars.**

Quando Presbiteri et diacones per Parrochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste et pure uiuant sub timore Dei, ut, dum eos talis professio obligat, uitæ sanctæ disciplinam retineant.

**C. IV.** Qui longam sui corporis continentiam non habet, in episcopum eligi non debet.

Item Gregorius nobilibus ciuibus Neapolim. [lib. VIII. epist. 40].

## **III. Pars.**

Priusquam ad nos scripta uestra discurrerent, Iohannem diaconum, qui ab altera parte electus est, paruulam habere filiam, quorundam relatione cognouimus; unde, si rationem uoluissent attendere, nec alii eum eligere, nec ipse debuerat consentire.

Nam qua presumptione ad episcopatum audet accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam, filia teste, conuincitur non habere?

**C. V.** Ad subdiaconatum accessuri continentiam profiteantur.

Item ex Concilio Tolletano II. [c. 1].

## **IV. Pars.**

De his, quos uoluntas parentum a primis infantiae annis clericatus offitio manciparit, id statuimus obseruandum, ut mox detonsi, uel ministerio lectorum contraditi, in domo ecclesiae sub episcopali presentia a proposito sibi debeant erudiri.

At ubi octauum decimum etatis suae compleuerint annum, coram totius cleri plebis que conspectu uoluntas eorum de expetendo coniugio ab episcopo perscrutetur; quibus si gratia castitatis (Deo inspirante) placuerit, et promissionem castimoniae suae absque coniugali necessitate se sponderint seruatuuros, qui tanquam appetitores arctissimae



uiæ lenissimo iugo Domini subdantur, ac primum subdiaconi ministerium, habita probatione professionis suæ, a uicesimo anno suscipiant.

Quod si inculpabiliter ac inoffense uiginti quinque annos peregerint, ad diaconii officium (si adimplere posse ab episcopo probantur), promoueri debent.

Cauendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis inmemores aut ad terrenas nuptias aut ad furtiuos concubitus ultro recurrant.

Quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei ab ecclesia habeantur extranei.

Quibus autem uoluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus, ita ut, cum prouectæ etatis in coniugio positi, renunciaturos se pari consensu operibus carnis sponderint, ad sacros ordines aspirent.

**C. VI.** In coniugio constitutus ad sacerdotium assumi non debet.

Item ex Concilio Arelatensi II. [c. 2].

### **V. Pars.**

Assumi aliquem ad sacerdotium in coniugii uinculo constitutum non oportet, nisi fuerit promissa conuersio.

**C. VII.** Non ordinentur Diaconi, qui castitatem non profitentur.

Item ex eodem III.

Preterea placuit, ut deinceps non ordinentur diacones coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito confessi fuerint castitatem.

Gratian. Verum illa priori auctoritate diaconibus uidetur permitti coniugium, cum ad sacerdotium tantum coniugati prohibentur assumi.

Porro sequenti uidetur permitti subdiaconibus, cum de diaconibus specialiter precipitur, ut sine probatione castitatis non ordinentur.

Hoc idem in Anchiritana Sinodo uidetur esse permissum, in qua [c. 10]. sic statutum est:

**C. VIII.** Diaconi non prohibeantur a ministerio pro nuptiis, si in ordinatione dicunt, se continere non posse.

Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, se uelle habere uxores, nec posse se continere, hi, si postea ad nuptias uenerint, maneant in ministerio, propterea quod his licentiam dederit episcopus.

Quicumque sane tacuerint, et susceperint manus inpositionem professi continentiam, si postea ad nuptias conuenerint, a ministerio cessare debent.

**C. IX.** Presbiter ducens uxorem, ab ordine deponatur.

Item ex Concilio Neocesariensi. [c. I].

### **VI. Pars.**

Presbiter si uxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere.

Quod si fornicatus fuerit, uel adulterium commiserit, extra ecclesiam abici et ad penitentiam inter laicos redigi oportet.

**C. X.** De eo, qui relictam cuiusdam diaconi duxit uxorem.

Item Gregorius. [lib. XI. epist. 59].

## VII. Pars.

Quia sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare uindictam, querenda est semper ueritas, ut inquiri debeat, utrum accusatum noxa condempnet, an a pena innocentia patefacta subducat.

Itaque peruenit ad nos, Fantinum defensorem ultionem exercere in Petrum latorem presentium uoluisse, pro eo, quod (quantum dicitur) relictam cuiusdam diaconi, tempore quo conductor fuerit, marito tradiderit.

Sed quoniam iste coniugem diaconi asserit non fuisse, dicens, nec eam uirginem ad eum uenisse, denique nec religiosam uestem mutasse, postquam ille in sacro ordine promotus est, adiciens etiam, priusquam ad diaconem ueniret et postea, illam praua opinione uixisse: Ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cum Dei, sicut decet, timore causam hanc subtili omnino inuestigatione perquiras et, si in coniugio diaconi mulierem, de qua agitur, fuisse constiterit, et suprascriptus lator memorato defensori et rectori patrimonii ad uindictam modis omnibus tradatur, et cum competenti emendatione hi, qui male sociati sunt, disiungantur.

Si uero in eius coniugio non fuerit, memoratum Fantinum ex nostro mandato commonere te uolumus, ut ei facere nil presumat, nec falsa illum accusatione in aliquo pregrauet.

**C. XI.** De uxore presbiteri uel diaconi, si alii se coniunxerit.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I. c. 13].

Si se cuiquam mulier duplici coniugio presbiteri uel diaconi relicta coniunxerit, aut castigati separentur, aut certe, si in criminis intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.

**C. XII.** De eodem.

Item ex Concilio Martini papæ.

Si qua uidua episcopi uel presbiteri aut diaconi maritum accepit, nullus clericus, nulla religiosa persona cum ea conuiuuium sumat, numquam communicet; morienti tamen ei sacramentum subueniat.

**C. XIII.** Cuiusdam episcopi ordinatio differtur, quia uxorem habet et filios.

Item Pelagius Cetego Patricio.

## VIII. Pars.

De Siracusanæ urbis antistite optaueramus in ipso initio gloriæ uestræ desideriis obedire, nisi nos multiplex ratio ipsius non paucis temporibus ordinationem differre sacerdotii coegisset, ob hoc, quod uel personæ qualitas (sicut et uos nostis melius), uel superstes uxor aut filii (per quos ecclesiastica solet periclitari substantia), nostros animos diutius ab eius ordinatione suspenderet.

Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro anno pene distulimus, opinantes, quod in melius Siracusanorum prouenire posset electio.

Sed quia in uoluntatis suæ proposito inreuocabiliter perstiterunt, et nullus est alius repertus in ecclesia eadem, nisi longioribus adhuc temporum differretur spatiis; ne paulo

amplius insanirent (sicut filii uestri uiri magnifici pretoris testificatione didicimus), inter huiusmodi ambiguitates illud consultius iudicauimus faciendum, ut congrua prouidentia causam, propter quam principalis constitutio habentem filios et uxorem ad episcopatus ordinem promoueri prohibet, salua dispositione concilii muniremus.

Qua de re summo studio ab eodem Siracusanae urbis episcopo priusquam a nobis contingeret ordinari, huiusmodi exegimus cautionem, per quam et suam fateretur, quantula esset, presentis temporis habita rerum descriptione substantiam, et nichil umquam per se, aut per filios et uxorem, siue quamlibet propinquam aut domesticam uel extraneam forte personam de rebus audeat usurpare ecclesiae, et uniuersa sui episcopatus quesita tempore ecclesiae suae dominio sociaret, nichil ultra id, quod modo descriptum est, suis filiis uel heredibus relicturus.

Gratian. Ecce hac auctoritate electus in episcopatum prohibetur habere uxorum et filios. Eligi autem ad episcopatum non debet, nisi aut sacerdos aut diaconus; subdiaconus uero non, nisi necessitate cogente.

Siue ergo presbiter siue diaconus siue subdiaconus fuerit, apparet, quod in prefatis ordinibus constituti licite matrimonio possunt uti.

§. 1. Quia ergo auctoritate Gregorii, qui relictam diaconi marito tradidit, puniendus est; item in Neocesariensi concilio presbiter ducens uxorem, non diaconus, iubetur deponi; item in Anchiritana sinodo diaconi, qui in ordinatione sua dicunt, se uelle habere uxores, si postea ad nuptias uenerint, non prohibentur a ministerio: patet, quod nec diaconi, nec subdiaconi sunt prohibendi a coniugio.

Sed quod de electione obicitur, uerum quidem est in episcopatum non eligendum, nisi in sacris ordinibus constitutum; sed ipsum uxorem habere et filios, non repugnat premissis auctoritatibus de continentia clericorum.

§. 2. In laicali enim habitu, uel in minoribus ordinibus constitutus potuit habere uxorem et filios: postea ex consensu uxoris continentiam professus subdiaconatum uel diaconatum uel presbiterii gradum adeptus fuerat, et tamen uxori et filiis ipsum necessaria subministrare oportebat.

§. 3. Illud autem Gregorii duobus modis soluitur: uel quia ecclesia illa, cui diaconus ille militauerat, nondum continentiae uotum susceperat in diaconibus et reliquis ministris; uel quia (sicut de electo in episcopum supra scriptum est) ante subdiaconatum memoratus diaconus eam in uxorem duxerat.

§. 4. Illud autem Neocesariensis et Anchiritanae sinodi uel ex tempore, uel ex loco intelligitur: ex tempore, quia nondum introducta erat continentia ministrorum altaris; ex loco quia utraque synodus orientalis est, et orientalis ecclesia non suscipit generale uotum castitatis.

Hoc tamen diligenti obseruatione custodit, ut post adeptum sacerdotium, defuncta priore uxore, cum qua sacerdos factus fuerat, si alteram duxerit, deponatur.

Item opponitur illud, quod legitur in canone Apostolorum: [c. 6. al. 5].

**C. XIV.** Presbiter causa religionis non contempnat propriam uxorem.

## **IX. Pars.**

Si quis docuerit, sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contempnere, anathema sit.

**C. XV.** Anathema sit, qui presbiterum coniugatum occasione nuptiarum discernit.

Item ex Concilio Gangrensi. [c. 4].

Si quis discernit presbiterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum quod offerre non debeat, et ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit.

**C. XVI.** Ab offitio absteineat presbiter non legalibus nuptiis detentus.

Item ex VI. Sinodo. [c. 26].

## **X. Pars.**

Presbiterum, non legalibus nuptiis detentum, cathedram quidem habere, sed ab offitio abstinere precipimus.

Sufficit enim huiusmodi ei indulgentia, quia benedicere aliis eum, qui uulnera sua debet curare, consequens non est.

Benedictio enim sanctificationis traditio est.

Qui uero hanc non habet propter delictum ignorantiae, quomodo aliis tradet?

Non enim publice neque priuate benedicat, nec corpus Domini dispenset aliis, nec alio modo ministret; sed sufficiat ei, quod presidet, et inploret a Deo, ut dimittatur ei iniquitas ignorantiae suae.

Manifestum est autem, quod et huiusmodi non legitimae nuptiae soluentur, et nullatenus uir accessum habeat ad eam, propter quam sacro ministerio priuatus est.

**C. XVII.** De presbiteris non est laicis iudicandum.

Item Nicolaus ad consulta Bulgarorum. [c. 70].

## **XI. Pars.**

Consulendum decernitis utrum presbiterum habentem uxorem debeatis sustentare et honorare, an a uobis proicere.

In quo respondemus: Quoniam licet ipsi sint ualde reprehensibiles, uos tamen Deum conuenit imitari, qui solem suum facit oriri super bonos et malos.

Deicere enim a uobis ideo non debetis, quoniam nec Iudam Dominus, cum esset mendax discipulus, a numero apostolorum deiecit.

Verum de presbiteris uobis, qui laici estis, nec iudicandum est, nec de uita eorum quicquam inuestigandum; sed episcoporum iudicio, quicquid illud sit, est reseruandum.

## **DISTINCTIO XXIX.**

### **GRATIANUS.**

Sed notandum est, quod secundum Ysidorum pleraque capitula ex causa, et loco, et tempore, considerata sunt.

Ait enim:

**C. I.** Ex tempore, et loco et persona et causa regulae canonum intelligantur.

Sciendum est, quod pleraque capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tempore considerata sunt, quorum modi, quia medullitus non indagantur, in erroris laborinthum nonnulli intrincando impinguntur, cum ante iudicant, quam intelligant; ante inculpant, quam iterando lecta perquirant.

Hinc etiam Gregorius ait:

**C. II.** Pro uarietate rerum temperantur regulæ sanctorum.

Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco et persona negotio instante necessitate traditæ sunt.

[

**C. III].** Pro diuersitate locorum temporum et hominum scripturæ intelligendæ sunt.

Item Ieronimus in epistola ad Ephesios.

Necesse est, ut iuxta diuersitates temporum et locorum et hominum, quibus scriptæ sunt, diuersas et causas et argumenta et origines habeant.

Et quomodo B. Iohannes in apocalipsi sua septem scribens ecclesiis in unaquaque earum specialia uel uitia reprehendit, uel uirtutes probat, ita et S. apostolus Paulus per singulas ecclesias uulneribus medetur illatis, nec ad instar imperiti medici uno colirio omnium oculos uult curare.

## **DISTINCTIO XXX.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Illud autem, quod in canone apostolorum, et in Gangrensi concilio, et in VI. sinodo legitur, ex causa consideratur et ex tempore.

Causa fuit heresis Manicheorum, que coniugium detestabatur, sicut etiam quorundam superstitio multa in Catholicorum detestacione introduxisse inuenitur, contra quos in Gangrensi Concilio statutum legitur:

**C. I.** De multimoda supersticione hereticorum, quos Gangrense concilium anathematizauit. [Conc. Gangr. c. 16].

Si qui filii parentes, maxime fideles, deseruerint occasione Dei cultus, hoc iustum esse iudicantes, et non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis uenerentur, quod fideles sunt, anathema sint.

**C. II.** Item de eodem. [ib. c. 17].

Quecumque mulier, religioni iudicans conuenire, comam sibi amputauerit, quam Deus ad uelamen eius et ad memoriam subiectionis illi dedit, tanquam resoluens ius subiunctionis, anathema sit.

**C. III.** De eodem.

Item ex eodem. [c. 14].

Si qua mulier derelicto uiro discedere uoluerit, soluto uinculo coniugali, nuptias condempnando, anathema sit.

**C. IV.** De eodem.

Item ex eodem. [c. 10].

Si quis propter Deum uirginitatem professus in coniugio positos per arrogantiam uituperauerit, anathema sit.

C. V. Item de eodem. [ib. c. 9].

Si quis uel uirginitatem, uel continentiam professus, tanquam abominabiles nuptias iudicat, et non propter hoc solum, quod continentiae et uirginitatis bonum sanctum propositum sit, anathema sit.

C. VI. Item de eodem. [ib. c. 13].

Si qua mulier suo proposito utile iudicans, ut uirili ueste utatur, propter hoc uiri habitum imitetur anathema sit.

C. VII. Item de eodem. [ib. c. 18].

Si quis, tanquam hoc continentiae conuenire iudicans, die dominico ieiunauerit in eiusdem diei contemptum, anathema sit.

C. VIII. Item de eodem. [ib. c. 19].

Si quis eorum, qui in proposito sunt continentiae, propter necessitatem corporalem superbiat, et ieiunia communia putauerit contempnenda, tocius ecclesiae perfectam in sua conscientia iudicans rationem, anathema sit.

C. IX. Item de eodem. [ib. c. 20].

Si quis per superbiam, tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca et basilicas sanctorum martirum fiunt, uel accusauerit, uel etiam oblationes, que ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memorias que Sanctorum contempnendas, anathema sit.

C. X. Item de eodem. [ib. c. 3].

Si quis docet, domum Dei contemptibilem esse debere et congregationes, que in ea fiunt, anathema sit.

C. XI. Item de eodem. [ib. c. 6].

Si quis extra ecclesiam priuatim populos congregans contempnat ecclesiasticas sanctiones, ipsam ecclesiam apud se sine episcopi consilio cum presbitero agat anathema sit.

C. XII. Item de eodem. [ib. c. I].

Si quis nuptias in accusatione duxerit, et mulierem fidelem ac religiosam cum uiro suo dormientem abhominandam crediderit aut etiam accusandam, tanquam non posse coniugatos in regnum Dei ingredi, anathema sit.

C. XIII. Item de eodem. [ib. c. 2].

Si quis carnem manducantem ex fide cum religione, preter sanguinem et ydolo immolatam et suffocatam, crediderit contempnandum, tanquam spem non habentem, qui eam manducat, anathema sit.

C. XIV. Item de eadem. [ib. c. 15].

Si quis dereliquerit proprios filios, et non eos aluerit et (quod pietatis est) necessaria non prebuerit, sed sub occasione continentiae negligendos putauerit, anathema sit.

C. XV. Item de eodem. [ib. c. 12].

Si quis uirorum putauerit sancto proposito (id est continentiae) conuenire, ut pallio utatur, tamquam ex eo iustitiam habiturus, et reprehendat uel iudicet alios, qui cum reuerentia birris utuntur et alia ueste communi, que in usu est, anathema sit.

C. XVI. Item de eodem. [ib. c. ultimo]

## II. Pars.

Hec scripsimus, non abscondentes eos, qui in ecclesia Dei secundum scripturas propositum sanctum continentiae eligunt, sed eos, qui suscipiunt habitum eius et in superbiam efferuntur aduersus eos, qui simplicius uiuunt.

Sed et hos condempnamus, qui se extollunt aduersus scripturas et ecclesiasticos canones, et noua introducunt precepta.

Nos autem et uirginitatem cum humilitate admiramus, et continentiam cum castitate et religionem Deo acceptissimam dicimus, et renunciationes secularium negotiationum atque actuum cum humilitate approbando laudamus, et nuptiarum uinculum quod secundum castitatem perdurat, honoramus, et diuites cum iustitia et operibus bonis non abicimus.

C. XVII. Anathematizatur, qui Manicheorum supersticiones sequitur.

Item ex Concilio Martini Papæ.

Si quis presbiter propter publicam penitentiam a sacerdote acceptam absque aliqua necessitate die dominica pro quadam religione ieiunauerit, sicut Manichei, anathema sit.

§. 1. Similiter et quod ab apostolis traditum canon tenet antiquus, placuit, ut per omnes dominicas et per omnes dies pasce usque ad quinquagesimam non prosternant se in oratione humilitatis, sed recto uultu ad Dominum orationis fungantur offitio, quia in his diebus gaudium resurrectionis Domini celebramus.

Si quis etiam non pro abstinentia, sed pro execratione escarum abstinet placuit sancto concilio, ut pregustet, et sic, si uult abstinere, abstineat.

Si autem spernit, ita ut olera cocta cum carnibus non degustet, iste non obediens, nec suspicionem heresis a se remouens, deponatur de ordine clericatus.

## DISTINCTIO XXXI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Tempus quia nondum erat institutum, ut sacerdotes continentiam seruarent.

Unde Gregorius scribit Petro Subdiacono Siciliae: [lib. I. epist. 42].

C. I. Qui castitatem non promisit, ab uxore sua separari non cogatur.

Ante triennium omnium ecclesiarum subdiaconi Siciliae prohibiti fuerant, ut more Romanæ ecclesie suis uxoribus nullatenus misceantur.

Quod mihi durum atque incompetens uidetur, ut, qui usum continentiae non inuenit, neque castitatem promisit, compellatur a sua uxore separari, atque per hoc (quod absit) in deterius cadat.

Inde uidetur mihi, ut a presenti die episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere diaconum presumant, nisi qui se uicturum caste promiserit, quatenus et preterita mala que proposito mentis appetita non sunt, uiolenter non exigantur et futura caute caueantur.

§. 1. Qui uero post eandem prohibitionem, que ante triennium facta est, continenter cum suis coniugibus uixerint, laudandi atque remunerandi sunt, atque ut in bono suo permaneant exhortandi.

§. 2. Eos autem, qui post prohibitionem factam a suis se uxoribus continere noluerint, ad sacrum ordinem nolumus promoueri, quia nullus debet ad altaris ministerium accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

## II. Pars.

Gratian. Causa uero huius institutionis mundicia fuit sacerdotalis ut libere cunctis diebus orationi possent uacare.

Si enim (ut Apostolus ait) ab uxoribus est cessandum, ut expeditius orationi uacemus, ministris itaque altaris, quibus cotidiana necessitas orandi incumbit, numquam coniugali offitio uacare permittitur.

Unde Beda super Lucam [ad cap. I]. ait:

**C. II. Sacerdotibus semper castitas obseruanda precipitur.**

Sacerdotibus, ut semper ualeant altari assistere semper ab uxoribus continendum, semper castitas obseruanda precipitur.

**C. III. Qui diuinis sacramentis deseruiunt, continentes esse oportet.**

Item in Concilio Cartaginensi II. [cap. 2].

Episcopos, presbiteros diacones ita ut placuit, et decet sacrosanctos antistites aut sacerdotes, aut Leuitas, uel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse decet in omnibus.

**C. IV. Sacerdotes et Leuitæ suis non misceantur uxoribus.**

Item Innocentius I. Victricio Rotomagensi Episcopo. [epist. II. cap. 9].

Tenere debet ecclesia omni modo, ut sacerdotes et Leuitæ cum uxoribus suis non misceantur, quia ministerii cotidiani necessitatibus occupantur.

Scriptum est enim: “Sancti estote, quoniam sanctus sum, Dominus Deus uester”.

Nam priscis temporibus anno uicis suæ de templo non discedebant (sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et preterquam ex semine Aaron ad sacerdotium nullus accedere precipiebatur: quanto magis hi sacerdotes et Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ obseruare debent, quibus uel sacerdotium, uel ministerium sine successione est, nec preterit dies, qua uel a sacrificiis diuinis, uel a baptismatis offitio uacent?

[PALEA. C. V.

Item ibidem.

Nam sicut Paulus ad Corinthios scribit, dicens: “Abstinetes uos ad tempus, ut uacetis orationi,” et hoc utique laicis precepit: multo magis sacerdotes, quibus orandi et sacrificandi iuge sacrificium est, semper debent ab huiusmodi consortio abstinere].



**C. VI.** Qui ab uxoris offitiis abstinent, ad sacrificia admittantur.

Idem Exsuperio Tolletano Episcopo. [epist. III. c. I].

Eos ad sacrificia admitti fas sit, qui uel cum uxore non exerceant offitium carnale.

**C. VII** Sacerdoti, cui semper est orandum, semper est matrimonio carendum.

Item Ieronimus contra Iouinianum. [lib. I].

Si laicus et quisque fidelis non potest orare, nisi careat offitio coniugali, sacerdoti, cui semper offerenda sunt sacrificia, semper orandum est; si semper orandum est, semper ergo matrimonio carendum.

Gratian. Quod autem Manicheorum causa de coniugio sacerdotum illud supra dictum sit, ex Gangrensi Concilio apparet, in quo [cap. I]. sic statutum legitur:

**C. VIII.** Anathema sit, qui nuptias uituperat.

Si quis uituperat nuptias, et dormientem cum uiro suo fidelem ac religiosam detestatur aut culpabilem estimat, uelut que regnum Dei introire non possit, anathema sit.

Item ex eodem. [cap. 9].

Quicumque uirginitatem custodiens aut continentiae studens, uelut horrescens nuptias, nec propter hoc, quod bonum et sanctum est, nomen uirginitatis assumit, anathema sit.

### **III. Pars.**

Gratian. Potest et aliter intelligi illud, quod in canone apostolorum legitur, ut iste sit sensus capituli: “Si quis docet sacerdotem uxorem suam contempnere,” non uxorem quam in sacerdotio accepit, sed quam, dum esset adhuc laicus uel in minoribus ordinibus constitutus, sibi copulauit, cum qua continentiam professus est, cum ad sacros ordines conscenderet quam nullus debet contempnere, hoc est, ab animo et cura sua abicere, quin ei necessaria prouideat.

Probatur autem hec interpretatio auctoritate Leonis Papae, qui [epist. XC. cap. 3]. scribens Rustico Narbonensi Episcopo ait:

**C. X.** Ministris altari episcopis et presbiteris eadem lex est continentiae.

Lex continentiae eadem est altaris ministris, que episcopis aut presbiteris, qui cum essent laici siue lectores, licite et uxores ducere, et filios procreare potuerunt; sed cum ad predictos peruenerunt gradus, cepit eis non licere quod licuit.

Unde, ut de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere uxores, sed qui habent sic habere uideantur quasi non habeant, quo et salua sit caritas conubiorum, et cessent opera nuptiarum.

**C. XI.** Episcopus uel presbiter uxorem propriam a sua cura non abiciat.

Item Leo IX. contra epistolam Nicetae Abbatis.

Omnino confitemur, non licere episcopo, presbitero, diacono, propriam uxorem causa religionis abicere a cura sua, sed ut ei uictum et uestitum largiatur, sed non ut cum illa ex more carnaliter iaceat.

Sic et sanctos apostolos legimus egisse, B. Paulo apostolo dicente: “Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut frater Domini et Cephas?”

Vide insipiens, quia non dixit: numquid non habemus potestatem sororem mulierem “amplectendi?” sed “circumducendi,” scilicet ut mercede predicationis sustentaretur ab eis, nec tamen deinceps foret inter eos ulterius carnale coniugium.

Gratian. Hinc et illud Gregorii in dialogo: “Presbiter quidam” require infra.

§. 1. Ut igitur ex his auctoritatibus apparet, sacerdotes, uxoribus, quas in laicali habitu uel in minoribus ordinibus constituti sibi legitime copularunt, necessaria subministrare, debita uero reddere non ualent.

#### IV. Pars.

§. 2. Sed obicitur illud Tripartitæ ystoriæ: [libro II. capite 14].

C. XII. Dissuasus Pahfnucii Nicena sinodus non constituit, ne presbiteri cum suis uxoribus dormirent.

Nicena sinodus uolens corrigere uitam hominum in ecclesiis commorantium, posuit leges, quas canones uocamus, in quorum tractatu uidebatur aliquibus introducere legem, ut episcopi, presbiteri, diaconi, subdiaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerunt non dormirent.

Surgens autem Pahfnucius confessor contradixit, honorabiles confessus nuptias, et castitatem dicens esse cum propria coniuge concubitum, suasit que concilio, ne talem ponerent legem, grauem esse asserens causam, que aut ipsis aut eorum iugalibus occasio fornicationis existeret.

Et hoc quidem Pahfnucius (licet nuptiarum esset inexpertus) exposuit, sinodus que laudauit sententiam eius, et nichil ex hac parte sancit, sed hoc in uniuscuiusque uoluntate, non necessitate permisit.

C. XIII. Non in perpetuum, sed tempore oblationis a complexu suarum uxorum sacerdotes abstineant.

Item VI. Sinodus. [cap. 13].

Quoniam in Romani ordine canonis esse traditum cognouimus, eos, qui ordinati sunt diaconi uel presbiteri, confiteri, quod iam non suis copulentur uxoribus: antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiae et constitutionis, sacrorum uirorum legales nuptias amodo ualere uolumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum conubia dissoluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore oportuno.

Quicumque ergo dignus inuentus fuerit subdiaconali ordinatione, aut diaconali, aut sacerdotali, hi nullo modo prohibeantur ad talem ascendere gradum pro uxoris suæ cohabitatione; nec in tempore ordinationis suæ profiteri cogantur, quod abstinere debeant a legalis uxoris familiaritate.

Item:

§. 1. Oportet eos, qui altari ministrant, in tempore oblationis sanctorum continentes esse in omnibus, ut a Deo possint consequi que simpliciter postulant.

§. 2. Si quis igitur presumpserit contra apostolicos canones aliquos presbiterorum, diaconorum priuare a contactu et communione legalis uxoris suæ, deponatur.

§. 3. Similiter et presbiter aut diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur; si uero in hoc permanserit, deponatur.

Gratian. Hoc autem ex loco intelligendum est.

Orientalis enim ecclesia, cui VI. sinodus regulam uiuendi prescripsit, uotum castitatis in ministris altaris non suscepit.

Unde Stephanus papa ait: [in I. actione Sinodi, ab ipso in basilica Lateranensi congregatæ]

**C. XIV.** Occidentalis, non orientalis ecclesia castitatis obtulit uotum.

### **V. Pars.**

Aliter se habet orientalium ecclesiarum traditio, aliter huius sanctæ Romanæ ecclesiæ. Nam eorum sacerdotes, diaconi atque subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem ecclesiæ uel occidentalium nullus sacerdotum a subdiacono usque ad episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.

### **VI. Pars.**

Gratian. Similiter et capitulum Nicolai ex loco consideratur, quia gens Bulgarorum nouiter conuersa ad fidem propositum sacræ religionis ex integro assumere nondum didicerat.

§. 1. Quod autem in c. VI. sinodi presbiter non legitimis nuptiis detentus punitur, non legales nuptiæ secundæ intelligendæ sunt, a quibus auctoritate canonica quilibet sacerdos debet esse immunis.

Illud autem Gangrensis concilii: “Si quis discernit presbiterum coniugatum, etc.” similiter intelligendum est uel localiter traditum, uel coniugatum ab ea appellatum, quam ante tempus suæ ordinationis duxerat.

§. 2. Illud quoque Martini papæ: “Si subdiaconus secundam duxerit uxorem,” non dissimiliter intelligendum est. primam enim uxorem ante subdiaconatum habere permittitur, qua defuncta uel castitatem professa promouetur iste ad subdiaconatum. Promotus autem, si secundas desiderauerit nuptias, sententiæ Martini Papæ subiacebit.

## **DISTINCTIO XXXII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Seruanda est ergo continentia ab omnibus in sacris ordinibus constitutis.

Unde Leo Papa [ad Anastasium epist. LXXXII. cap. 3. et 4]. ait:

**C. I.** Neque etiam subdiaconis conubium conceditur.

Cum sacerdotum tam excellens est electio, ut hec, que in aliis membris ecclesiæ non uocantur ad culpam in illis tamen habeantur illicita.

Cum enim extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati et filiorum procreationi studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem nec subdiaconibus carnale quidem conubium conceditur, ut et qui habent sint tamquam non habentes, et qui non habent permaneant singulares.

Quod si in hoc ordine, qui quartus extat a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo, uel secundo tertio ue seruandum est, ne aut leuitico aut presbiterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur qui se a uoluptate luxuriæ nec dum refrenasse detegitur.

**[PALEA. C. II.**

Item Gregorius Leoni Episcopo Catinensi, libro III. epistola 34.

Multorum relatione comperimus, hanc apud uos olim consuetudinem tenuisse, ut subdiaconi suis licite miscerentur uxoribus.

Quod ne denuo quisquam presumeret a Seruo dei sedis nostræ diacono ex auctoritate nostri decessoris est isto modo prohibitum, ut eodem tempore ii, qui iam uxoribus fuerant copulati, unum e duobus eligerent, id est, aut a suis uxoribus abstinerent, aut certe ministrare nulla ratione presumerent.

Et quantum dicitur, Speciosus tunc subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit offitio, et usque in obitus sui tempus notarii quidem gessit offitium, et a ministerio, quod subdiaconum oportuerat exhibere, cessauit.

Et post aliqua:

§. 1. De cetero uero fraternitas tua sit omnino sollicita, ut quos ad hoc iam offitium contigerit promoueri, hoc quam maxime diligenter inspiciat, ne si uxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis apostolicæ eos cuncta obseruare sua nichilominus districtione constituat].

**C. III** Extra sacros ordines constituti ducant uxores et ab ecclesia stipendia accipiant.

Item Gregorius Augustino Anglorum Episcopo. [cap. 2. ad secundam interrogationem]

Si qui uero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se non possunt continere, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere, quia et de eisdem Patribus nouimus scriptum, quod diuidebatur singulis, prout cuique opus erat.

De eorum ergo stipendio cogitandum atque prouidendum est, et sub ecclesiastica regula tenendi sunt, ut bonis moribus uiuant, et canendis psalmis inuigilent, et ab omnibus illicitis et cor et linguam et corpus Deo auctore conseruent.

**C. IV.** Subdiacono uxorem ducere non licet.

Item Nicolaus Papa [I]. Adoni Viennensi Archiepiscopo.

De illo clerico Alwico nomine, quem per ordines ecclesiasticos usque ad subdiaconatum uixisse dicitis, cur uestra auctoritate uxorem duxerit, miramur, eo quod nulli umquam (exceptis illis, quibus ecclesiastica regula habere permittit) uxorem ducendi licentiam damus.

**C. V.** Non audiatur missa presbiteri concubinam habenti.

Item Nicolaus Papa [II]. omnibus Episcopis.

**II. Pars.**

Nullus missam audiat presbiteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut subintroductam mulierem.

Unde etiam ipsa sancta synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicumque sacerdotum diaconorum etc., sicut in subsequenti c. Alexandri [II]. continetur.

**C. VI.** Non est audienda missa presbiteri, qui concubinam habet.

Item Alexander II.

Preter hoc autem precipiendo mandamus, ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam habere indubitanter uel subintroductam mulierem.

Unde etiam sancta synodus hec a capite sub excommunicatione statuit, dicens: §. 1. Quicumque sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum post constitutum beatæ memoriæ predecessoris nostri sancti Papæ Leonis aut Nicolai de castitate clericorum, concubinam palam duxerit, uel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei et auctoritate apostolorum principum Petri et Pauli precipimus et omnino contradicimus, ut missam non cantet, nec euangelium legat nec epistolam ad missam neque in presbyterio cum his ad diuina officia, qui prefatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab ecclesia suscipiat.

§. 2. Precipientes etiam statuimus, ut hi predictorum ordinum, qui eisdem predecessoribus nostris obedientes castitatem seruauerint, iuxta ecclesias (sicut oportet religiosos clericos) simul manducant et dormiant, et quicquid eis ab ecclesia competit, hoc communiter habeant.

Deinde, ut decimæ et primitiæ seu oblationes uiuorum et mortuorum ecclesiis Dei fideliter reddantur a laicis, et ut in dispositione episcoporum sint, quas qui retinuerint, a sanctæ ecclesiæ communionem separentur.

### III. Pars.

Gratian. Verum principia harum auctoritatum contraire uidentur Ieronimo, Augustino et ceteris, qui Christi sacramenta neque in bono, neque in malo homine fugienda demonstrant, sicut subsequens causa simoniacorum plenius ostendit.

Sed Urbanus II. in epistola destinata preposito S. Vincentii hanc contrarietatem determinat dicens:

§. 1. Ad hoc uero, quod subiungitur in eadem epistola, id est, utrum sit utendum ordinationibus et reliquis sacramentis a criminosis exhibitis, ut ab adulteris uel sanctimonialium uiolatoribus uel huiusmodi? ad hoc, inquam, respondemus: Si scismate uel heresi ab ecclesia non separantur, eorundem ordinationes et reliqua sacramenta sancta et ueneranda non negamus, sequentes B. Augustinum, qui super Iohannem de huiusmodi tam copiose quam ueraciter disserit.

Ait enim: "Baptizat seruus bonus, siue seruus malus: nesciat se ille, qui baptizatur, baptizari, nisi ab eo, qui dedit sibi baptizandi potestatem".

Et paulo post: "Non horreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem".

§. 2. Attamen decessores nostri Nicolaus et Gregorius a missis sacerdotum, quos tales reuera esse constiterit, fideles abstinere decreuerunt, et ut peccandi licentiam ceteris auferrent, et huiusmodi ad dignæ penitentiæ lamenta reuocarent.

Scribit enim predecessor noster Gregorius Radulfo et Bertolfo ducibus inter cetera: "Offitium simoniacorum et in fornicatione iacentium scienter nullo modo recipiatis, et quantum potestis tales a sanctis ministeriis, ut oportuerit, prohibeatis," etc.

§. 4. Porro ad hec, que tibi silogistice in eadem epistola obiciuntur, et si corpus et sanguis Christi non sunt, et alia, que prediximus, suæ uirtutis effectum non habent, quid agentibus obsunt? quod si habent, cur spernuntur, si ab indignis presumuntur?

Ad hec, inquam, respondemus ita: proprias quidem habent uirtutis dignitates, ut prefatus Augustinus ait super Iohannem contra Donatistas; sed agentibus uel suscipientibus eadem sacramenta contra prefatorum Pontificum instituta, (nisi forte sola morte interueniente, utpote ne sine baptismo uel communionem quilibet humanis rebus

excedat), eis, inquam, in tantum obsunt, ut ueri ydololatræ sint, cum talibus et ordinationum, et sacramentorum confectio, et aliter quam premissum est scienter susceptio uehementer a sanctis canonibus prohibeantur.

Ait enim Samuel propheta: “Quoniam peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus ydololatriæ nolle adquiescere”.

Hec de malis catholicis, qui intra ecclesiam sunt.

§. 4. Ceterum scismaticorum et hereticorum sacramenta, quoniam extra ecclesiam sunt, iuxta sanctorum Patrum traditiones, scilicet Pelagii, Gregorii, Cipriani, Augustini, Ieronimi, formam quidem sacramentorum, non autem uirtutis effectum habere profiteamur, nisi cum ipsi uel eorum sacramentis initiati per manus inpositionem ad catholicam redierint unitatem.

Sciendum uero est, quod canones apostolorum (quorum auctoritate orientalis et ex parte utitur Romana ecclesia), et insignis martyr Ciprianus, et LXXX. episcopi cum eodem baptisma hereticorum lauacrum diaboli appellant.

Stephanus uero et Cornelius martires et Pontifices Romani, et uenerabilis Augustinus in libro de baptismo, eundem Ciprianum et prefatos episcopos ob hanc causam uehementer redarguunt, affirmantes baptisma siue ab heretico siue scismatico ecclesiastico more celebratum ratum esse; et merito, quia alia in baptismo, et alia in reliquis sacramentis consideratio est, quippe cum et ordine prior, et necessarius sit.

Subito enim morituro prius baptismo, quam dominici corporis communionem uel alii sacramentis consulitur, et dum forte catholicus non inuenitur, satius est ab heretico baptismi sacramentum sumere, quam in eternum perire.

Et hanc sententiam prescriptorum Pontificum Cornelii et Stephani et Augustini, secuti sunt Siricius, Innocentius, Leo, Anastasius et M. Gregorius et omnis catholica ecclesia.

#### IV. Pars.

§. 5. Prohibentur ergo de manibus talium sacerdotum sacramenta suscipi, non quin sint uera quantum ad formam et effectum, sed quia, dum huiusmodi sacerdotes se a populo contemptos uiderint, rubore uerecundiæ facilius ad penitentiam prouocantur.

C. VII. Qui uxorem ducere uoluerit, ante ordinem subdiaconatus hoc faciat.

Item ex VI Sinodo. [cap. 6].

Si quis eorum, qui ad clerum accedunt, uoluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat.

C. VIII. Lectores aut uxores ducant, aut continentiam profiteantur.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [cap. 19].

Lectores cum ad annos pubertatis ueniunt, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

C. IX. Subdiaconos continentiam obseruare oportet.

Item Gregorius Bonifatio Episcopo Regitano. [lib. III. epist. 5].

Subdiaconibus tuis hoc, quod de singulis statuimus, decreuimus obseruari, nec illam diffinitionem nostram cuiusquam contumacia sinas aut temeritate corrumpi.

C. X. Beneficio et offitio careant, qui post diaconatum uxoribus uacant.

Item Urbanus II. in Sinodo apud Melfiam. [cap. 12].

Eos, qui post diaconatum uxoribus uacare uoluerint, ab omni sacro ordine remouemus, offitio atque beneficio ecclesiæ carere decreuimus.

Quod si ab episcopo commoniti non se correxerint, principibus indulgemus licentiam, ut eorum feminas mancipent seruituti.

Si uero episcopi consenserint eorum prauitatibus, ipsi offitii interdictione mulctentur.

**C. XI.** Excludendi sunt a suorum graduum dignitate subdiaconi, et deinceps, si continentibus esse noluerint.

Item Dominico Grandensi patriarchæ.

Erubescant impii, et aperte intelligant iudicio Spiritus sancti eos, qui in tribus sacris gradibus, presbiteratu, diaconatu, subdiaconatu positi, mulierculas non abiecerint et caste non uixerint, excludendos ab eorundem graduum dignitate.

De manifestis quidem loquimur: secretorum autem cognitor et iudex est Deus.

Idem Meldensi Sinodo presidens ait: [cap. 3].

**C. XII.** Ad sacros ordines non accedat, nisi uirgo, aut probatæ castitatis.

Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut uirgo, aut probatæ castitatis, et qui usque ad subdiaconatum unicam et uirginem uxorem habuerit.

**C. XIII.** In tribus gradibus constituti etiam ab uxoribus abstineant.

Item in Cartaginensi Concilio. [V. c. 3].

Placuit episcopos, presbiteros, diaconos subdiaconos secundum priora instituta etiam abstinere ab uxoribus: quod nisi fecerint ab ecclesiastico remoueantur offitio, ceteros uero clericos ad hoc non cogi sed uniuscuiusque ecclesiæ consuetudinem obseruari debere.

**C. XIV.** In minoribus ordinibus constituti uxores ducant, nisi uoto et religioso habitu prohibeantur.

Item Leo [IX]. contra epistolam Nicetæ Abbatis.

Seriatim et aperte prosequamur, quod sancta Romana ecclesia in gradibus clericorum ait.

Clericos hostiarios, lectores, exorcistas, acolitos, si extra uotum et habitum monachi inueniantur et continentiam profiteri noluerint, uxorem ducere uirginem cum benedictione sacerdotali permittit, non autem uiduam aut repudiatam, quia propter hoc deinceps nec ad subdiaconatum prouehi poterunt, nec laicus nisi uirginem sortitus uxorem aut bigamus ad clericatum, uel si quis ex prefatis ordinibus desiderat, ad subdiaconatum ascendere non potest sine consensu uxoris suæ, ut fiat de carnali deinceps spirituale coniugium, nemine eos cogente.

Neque permittitur postea uxor iungi eidem marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in uita aut post mortem illius.

**C. XV.** Non liceat clericis alterius sectæ uxorem accipere.

Item ex Concilio Calcedonensi. [cap. 14].

Quoniam in quibusdam prouinciis concessum est lectoribus et psalmistis uxores ducere, constituit sancta synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius uxorem.

**C. XVI.** Non habitent cum clericis mulieres, nisi que naturali federe omnem suspicionem excludunt.

Item Niceni Concilii. [c. 3].

## V. Pars.

Interdixit per omnia sancta sinodus, non episcopo, non presbitero, non diacono, non subdiacono non alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam mulierem habere, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas personas, que fugiant suspiciones.

[PALEA. C. XVII.

Item Ieronimus ad Nepotianum de uita clericorum, et alibi.

Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant.

§. 1. Quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui feminarum accessibus copulatur.

§. 2. Femina conscientiam se cum pariter habitantis exurit.

§. 3. Numquam de formis mulierum disputes.

§. 4. Feminæ nomen tuum nouerint uultum nesciant.

§. 5. Feminam, quam bene uideris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia.

§. 6. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere].

C. XVIII. Presbiter uxorem suam quasi sororem diligit et quasi hostem fugiat.

Item Gregorius in Dialogorum libro IV. [cap. 2].

Presbiter quidam commissam sibi regebat ecclesiam cum magno timore Domini, qui ex tempore accepti ordinis presbiteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cauens, ad se propius non sinebat accedere, eam que sibi appropinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis abscidit.

Gratianus. Presbiteram uero quam debeamus accipere, Laudicense Concilium [c. II]. ostendit, dicens:

C. XIX. Viduæ uel seniores presbiteræ appellantur.

Mulieres que apud Grecos presbiteræ appellantur, apud nos autem uiduæ, seniores, uniuiræ et matricuriæ appellantur, in ecclesia tamquam ordinatas constitui non debere.

## DISTINCTIO XXXIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Ecce, quod in sacris ordinibus constituti uxores habere non possunt, uel si bigami aliqui inuenti fuerint, ad sacros ordines ascendere non ualent.

Sed queritur, si quis preter uxorem concubinam habuerit, utrum in sacerdotem promoueri ualeat?

Talis a sacris ordinibus auctoritate canonum Apostolorum prohibetur, in quibus [cap. 17]. sic statutum legitur:

C. I. Secundis nuptiis post baptisma copulatus, aut concubinam habens, ad sacrum ordinem conscendere non ualet.



Si quis post acceptum sacrum baptismum secundis fuerit nuptiis copulatus aut concubinam habuerit, non potest fieri episcopus, nec sacerdos, nec diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.

Gratian. Deseruientes sacro ministerio intelliguntur subdiaconi, qui calicem diacono offerunt, et acoliti, qui cum cereis diacones precedunt, unde ceriferarii dicuntur, qui etiam uinum et aquam preparando calici subministrant.

Concubina intelligenda est preter uxorem, ut iste sit sensus capituli: “Si quis post acceptum sacrum baptismum secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit”: distinguendum est, antequam uxorem duxerit, siue post mortem uxoris.

Unde B. Gregorius ait:

**C. II. Duarum matronarum maritus post baptismum clericus non ordinetur.**

Maritum duarum matronarum post baptismum clericum non ordinandum censuimus; neque eum, qui unam quidem concubinam, uel meretricem in matrimonio assumpsit; nec illum, qui semetipsum abscidens quodlibet membrum indignatione aliqua uel iusto, uel iniusto tenore superatus truncauerit; nec illos qui usuras accepisse conuincuntur, aut in scena luisse noscuntur; nec eum, qui publica penitentia mortalia crimina defleuit; neque illum, qui in furiam aliquando uersus insaniuit, uel afflictione diabolica uexatus est; neque eum, qui per emptionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam obtulerit.

**C. III. Arrepticii uel epileptici sacris altaribus non ministrent.**

Item Pius Papa.

## **II. Pars.**

Communiter diffinimus, ut nullus de his, qui aut in terra arrepti a demonibus eliduntur aut quolibet modo uexationis incursibus efferuntur, uel sacris audeant ministrare altaribus, uel indiscusse se ingerant sacramentis diuinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti sine huiusmodi passionibus in terra probantur elisi: qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab offitii sui et ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inueniantur ab incursu demonum liberati.

**C. IV. De eodem.**

Item Nicolaus Papa.

Clerici, qui in adolescentia a demonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum accedere non possunt.

**C. V. De eodem.**

Item Gelasius Papa. [I. epist. ad uniuersos Episcopos per Lucaniam constitutos, 19].

Usque adeo sane comperimus illicita queque prorumpere, ut demonibus similibus que passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur.

Quibus si in hoc opere positis aliquid propriæ necessitatis occurrat, quis fidelium de sua salute confidit, ubi ministros ipsos humanæ curationis tanta prospexerit calamitate uexari?

Atque ideo necessario remouendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus mortuus est, scandalum generetur infirmis.

Postremo, si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex diuina permisit, quanto magis doni celestis dispensatores esse non conuenit (quod est deterius) mente percussos?

**C. VI.** Qui tempore baptismi uxores habent, si postea religiose uixerint, clerici fieri non prohibentur.

Item Innocentius Papa. [I. Felici Episcopo Nucertino, epist. IV. c. 4].

### **III. Pars.**

Laici, qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt ut in nullo opinio eorum uacillet, aut clericis iuncti sunt, aut monasteriis, ex quo baptizati sunt, adheserunt, si non concubinam, si non pellicem norunt, si in bonis operibus uigilauerint, non prohibentur huiusmodi ad clericatus sortem assumi.

### **IV. Pars.**

Gratian. Ceterum ante susceptum sacrum ordinem quosdam legimus concubinam habuisse, quos tamen sacri canones non reiciunt, si post sacrum ordinem ab eius commixtione se immaculatos custodiunt.

Unde Gregorius Andreae Tarentino Episcopo: [lib. II. epist. 44].

**C. VII.** De quodam episcopo, qui ante sui episcopatus apicem concubinam habuit.

Habuisse te concubinam manifesta ueritate comperimus, et te illius criminis participationem habere de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio.

Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiae committendum eligimus.

Qua de re, si in sacro ordine constitutus eius te reolis permixtione maculatum, sacerdotii honore deposito ad ministrandum nullo modo presumas accedere: sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, et Deo nostro te sine dubio reddere rationem, si huius sceleris conscius in eo quo es ordine celans ueritatem permanere uolueris.

## **DISTINCTIO XXXIV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Domesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem episcopum uitare oportet.

Unde Nicolaus papa Adaluino Archiepiscopo:

**C. I.** Etiam consanguinearum immoderatam familiaritatem uitare episcopum oportet.

Quorumdam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quod Lanfredus episcopus, qui et iuuenis esse dicitur, uenationi sit deditus, quod uitium plurimos etiam de clericali catalogo, genere dumtaxat Germanos et Gallos, irreuerentes implicat.

Verum iste (si ita est, ut audiuimus) merito iuuenis dicitur, qui iuuenilibus desideriis occupatus nulla grauitate constringitur.

Nam (ut B. dicit Ieronimus) uenatorem numquam legimus sanctum.

Nichilominus autem de hoc episcopo relatum est apostolatui nostro, quod cum quadam filia sua immoderatam teneat familiaritatem, et ob id mala fama ei orta sit, pro qua re a sanctitate tua ceteris que coepiscopis suis ammonitus atque correptus est, sed nullatenus emendatus; que res in hoc maxime displicet, et magis ac magis de se deteriore reddit opinionem, in quo beatitudini tuæ et coepiscoporum suorum rationibus non obedit, et per inobedientiam in culpam protoplasti relabatur.

§. 1. Oportet ergo fraternitatem tuam sinodale cum episcopis et suffraganeis tuis conuocare concilium, et hunc salutaribus eloquiis episcopum conuenire, atque illi pastoralis auctoritate precipere, quatenus ab omnium bestiarum uel uolucrum uenatione penitus alienus existat, atque ab immoderata filiæ suæ familiaritate semet omnino coherceat.

Quod si parere contempserit, et tam pro uenationis declinatione quam pro immoderata filiæ suæ conuersatione uitanda uobis ammonentibus obedire distulerit, a uestro collegio excommunicatus abscedat.

Quod si in hoc adhuc contumax apparuerit, a ministerio cessare debet.

[PALEA. C. II.

Ex Concilio Epaonensi c. 4.

Episcopum, presbiterum aut diaconum canes ad uenandum, aut accipitres, aut huiusmodi res habere non licet.

Quod si quis talium personarum in hac uoluptate sepius detentus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus a communione suspendatur; diaconus uero ab omni officio et communione suspendatur]

[PALEA. C. III.

Omnibus seruis Dei uenationes et siluaticas uagationes cum canibus, et ut accipitres aut falcones habeant interdiciamus].

## II. Pars.

Gratian. Concubina autem hic ea intelligitur, que cessantibus legalibus instrumentis unita est, et coniugali affectu asciscitur; hanc coniugem facit affectus, concubinam uero lex nominat.

De hac dicitur in Concilio Tolletano: [I. c. 17].

C. IV. Qui non habet uxorem, loco illius concubinam licet habere.

Is, qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur: tamen ut unius mulieris, aut uxoris aut concubinæ, sit coniunctione contentus.

C. V. De eodem.

Item Ysidorus de distantia ueteris et noui testamenti.

Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem, aut certe loco uxoris (si coniux deest) concubinam.

[PALEA. C. VI. Ex dictis Augustini in libro VII. homiliarum, homilia 49.

Audite carissimi membra Christi et matris catholicæ ecclesiæ filii! Quod dico competentibus et fidelibus audiant penitentes.

Quod dico fidelibus, dico et competentibus, et penitentibus.

Audiant catecumini, audiant omnes, omnes timeant, nemo contempnat; sit mihi in consolationem uester auditus, ne uobis sit in testimonium dolor meus.

Competentibus dico, fornicari uobis non licet, sufficiant uobis uxores; audiat Deus, si uos surdi estis, audiant angeli, si uos contempnitis.

Concubinas uobis habere non licet; et si non habetis uxores, tamen non licebit uobis habere concubinas, quas postea dimittatis et ducatis uxores, tanto magis dampnatio uobis erit, si uolueritis habere uxores et concubinas].

### III. Pars.

Gratian. Ceterum, si non talis concubina fuerit, et etas illius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, apostolica concessione ad ordinem diaconatus prouehi potest.

Unde Pelagius Papa scribit Florentino Episcopo:

**C. VII.** Qui post mortem uxoris de ancilla filios habuerit diaconus fieri permittitur.

Fraternitatis tuæ relatione suscepta, eius latorem secundas quidem nuptias expertum non fuisse didicimus, castitatem tamen eum priori non seruasse coniugio designasti.

Et quamuis multa sint, que in huiusmodi casibus obseruari canonicæ iubeat sublimitatis auctoritas: tamen quia defectus nostri temporis, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtio illius non patitur manere censuram, et etas istius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, ut ad diaconatus ordinem possit prouehi, concessisse nos noueris.

§. 1. Micinam uero ancillam eius, de qua se post uxoris transitum filios habere confessus est, iubemus, ut tua dispositione cuicumque monasterio continentiam professura tradatur.

Gratian. Hoc ex dispensatione misericordiæ; ceterum ex rigore disciplinæ intelligitur illud Aurelianensis Concilii:

**C. VIII.** Non admittatur ad clerum, qui preter uxorem aliam cognouerit.

Si quis de laicis post uxorem suam aliam cuiuscumque conditionis cognouerit mulierem, in clerum nullatenus admittatur.

### IV. Pars.

Gratian. Quod ergo de pellice et meretrice apud Gregorium et Innocentium scribitur, propter spem futuræ incontinentiæ constitutum esse creditur, quia difficile continentiam seruat, qui se illicito concubitu maculare non metuit.

Vel prohibetur ordinari, qui pellicem uel meretricem cognouerit maritali affectu, uel quia corrupta florem uirginitatis amiserat uel quia meretricari non desinit, licet in uxorem ducatur.

Utrumque enim inpedimentum cuilibet prestat, quo minus ad sacros ordines pertingere ualeat.

Unde Ylarius papa [in Sinodo Romana, cap. 2]. scribit, dicens:

**C. IX.** Qui uirginem non duxit uxorem, ad sacros ordines non accedat.

Curandum ergo imprimis est, ne ad sacros ordines (sicut gestis prioribus ante prescriptum est) quisquam, qui uxorem uirginem non duxerit, aspiret.

**C. X.** Bigamus, uel penitens, corpore uitiat, litteras ignorans, curiæ uel conditioni obnoxius, clericus non fiat.

Item Gregorius urbis Romæ Presul Scillacino Episcopo. [lib. II. epist. 25].

Precipimus, ne umquam illicitas ordinationes facias, nec bigamum aut qui uirginem sortitus non est uxorem, aut ignorantem litteras, uel qualibet parte corporis uitiatum, uel penitentem, uel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere: sed si quos huiusmodi reppereris, non audeas promouere.

**C. XI.** Non fiat sacerdos, cuius euidenter uxorem constat adulterium admisisse.

Item in Neocesariensi Concilio. [cap. 8].

Si cuius uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, euidenter fuerit comprobatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest.

Quod si in clericatu eo iam constituto adulterauit, dato repudio dimittere eam debet.

Si uero retinere eius consortium uelit, non potest suscepto ministerio perfrui.

**C. XII.** De eodem.

Item ex Concilio Martini papa.

Si laici uxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur.

Si autem post ordinationem alicuius clerici uxor adulterata fuerit, dimittat eam.

Si autem cum ipsa uoluerit permanere, a ministerio alienus sit.

Gratian. Premissis auctoritatibus bigami et qui uirgines non sunt sortiti uxores a sacris ordinibus prohibentur.

Sed queritur, si quis ante baptismum uiduam duxerit uxorem, an propterea sit prohibendus a sacris ordinibus?

De his ita scribit Innocentius Papa Victricio Rotomagensi Episcopo: [epist. II. cap. 5. et 6].

**C. XIII.** Qui ante baptismum, seu post baptismum uiduam uxorem duxerit, non admittatur ad clerum.

Si quis uiduam (licet laicus) duxerit uxorem, siue ante baptismum, siue post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem uitio uidetur exclusus.

In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris consortium relaxatur.

§. 1. Quod si non putatur uxor esse computanda, que ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habeantur.

Gratian. Prohibentur etiam bigami a quolibet ordine clericatus, iuxta illud Ambrosii [epist. LXXXII]. ad Vercellenses.

**C. XIV.** Qui secunda coniugia sortitur, clericus non fiat.

Cognoscamus, non solum de episcopo et presbitero Apostolum statuuisse, sed etiam Patres in concilio Niceni tractatu addidisse, clericum quemquam non debere esse, qui secunda coniugia sit sortitus.

## V. Pars.

Gratian. Similiter etiam uiduarum mariti, uel ancillarum, uel meretricum, clerici fieri non possunt.

Unde in canonibus Apostolorum [c. 18]. legitur:

**C. XV.** Spectaculis publicis mancipatam, uel eiectam, uel ancillam ducens uxorem, diaconus non fiat.

Si quis uiduam aut eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, uel aliquam de his, que publicis spectaculis mancipantur, non potest esse episcopus, aut presbiter, aut diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio sacro deseruiunt.

#### **VI. Pars.**

Gratian. Que autem sit uidua, que eiecta, uel meretrix, Ieronimus [epist. CXXVIII]. ad Fabiolam de ueste sacerdotali ostendit dicens:

**C. XVI.** Que sit uidua, uel eiecta, uel meretrix.

Vidua est, cuius maritus mortuus est.

Eiecta, que a marito uiuente proicitur.

Meretrix, que multorum libidini patet.

#### **VII. Pars.**

Gratian. Sed postea temporum defectui condescendens Papa Martinus in minoribus ordinibus eos constitui permisit, dicens:

**C. XVII.** Inter lectores uel hostiarios deputetur subdiaconus, secundam ducens uxorem.

Si subdiaconus secundam uxorem duxerit, inter lectores uel hostiarios habeatur, ita ut Apostolum non legat.

Gratian. Necessitate tamen exigente bigami usque ad subdiaconatum possunt promoueri.

Unde Martinus Papa ait:

**C. XVIII.** Viduam ducens uxorem, subdiaconus fieri potest.

Lector, si uiduam uxorem alterius acceperit, in lectoratu permaneat, aut si necessitas fuerit, subdiaconus fiat, nichil autem supra.

Similiter et si bigamus fuerit.

#### **VIII. Pars.**

Gratian. Quibus autem propria coniugia prohibentur, interdicitur etiam nuptialibus conuiuuiis interesse.

Unde in Agatensi Concilio [cap. 39]. legitur:

**C. XIX.** Nuptiarum conuiuuiis presbiteri interesse non debent.

Presbiteri, diacones, subdiacones uel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, nec his cetibus misceantur, ubi amatoria cantantur et turpia, aut obsceni motus corporum choris et saltacionibus efferuntur, ne

auditus et obtutus sacris misteriis deputatus turpium spectaculorum atque uerborum contagione polluantur.

### **IX. Pars.**

Gratian. Vidua uero intelligenda est, si post solempne fedus nuptiarum morte interueniente a uiro suo diuisa fuerit.

Ceterum si antequam conueniant fatali necessitate ab alterutro diuisi fuerint, licet ex sponsalibus uxor sit appellata, non tamen post mortem sponsi, et si in proprio sit ducta, et cum eo uelata, uidua appellatur, nec ex eius copula a sacris ordinibus aliquis prohibetur.

Unde Pelagius Papa scribit:

**C. XX.** Qui cum alio uelatam, non tamen illi nuptam, uxorem duxit, sacerdos fieri non prohibetur.

Valentino clerico, cui mulier cum alio ante uelata, non tamen illi nupta, sed uirgo permanens, post mortem eius, cum quo uelata erat sponso, coniugali est copula sociata, quia iterum uelamen accepit, nullum in promouendo generetur obstaculum, quia nichil est (quantum ad hunc articulum pertinet) quod ei de canonicis obuiet constitutis.

## **DISTINCTIO XXXV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

A quibus ordinibus bigami prohibeantur, et utrum reputentur bigami, qui ante baptismum habuerunt unam, et post baptismum alteram, et an liceat sortiri uxores in sacris ordinibus constitutis, multorum auctoritatibus breuiter monstratum est.

§. 1. Sequitur autem in descriptione illa apostolica: “ut sit sobrius,” qui ordinandus est, “non uinolentus,” quod ex auctoritate ueteris testamenti introductum est.

Ministri enim templi prohibentur uinum et siceram libere, ne ebrietate grauentur corda eorum, ut sensus eorum uigeat semper et tenuis sit, uel quia uenter mero estuans facile despumat in libidines.

Unde Noe in ebrietate nudauit femora; Loth, quem Sodoma non uicit, una uicerunt.

§. 2. Quod autem uinolentus esse prohibetur, non semel, sed frequenter uino repletus debet intelligi.

Hinc etiam in canonibus Apostolorum [can. 43. et 42]. legitur:

**C. I.** Diaconus, presbiter et episcopus ebrietati et aleæ deseruientes, nisi desierint, deponantur.

Episcopus, aut presbiter, aut diaconus, aleæ atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certe dampnetur, Subdiaconus autem, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communionem priuetur.

Similiter et laicus.

**C. II.** Esus carniū et uini potus post diluuiū concessus legitur, post Christi aduentum inhibitus.

Item Ieronimus. [lib. I. contra Iouianum].

Ab exordio conditionis humanæ nec carnibus uescebamur, nec dabamus repudium, nec prepucia nobis eripiebantur in signum, et hoc cursu usque ad diluuium peruenimus.

Post diluuium autem cum datione, quam nullus implere potuit, carnes ingestæ sunt ad uescendum, et repudii concessa duricia, et cultellus circumcisionis est appositus, quasi Dei munus plus in nobis creauerit quam necesse est.

Postquam autem Christus uenit in fine temporum, et (*Graece*) Omega reuelat ad (*Graece*) Alpha, id est extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo: “Bonum est uinum non bibere, et carnes non comedere”.

Et uinum enim cum carnibus post diluuium dedicatum est.

**C. III.** Alienum est a sapiente potationibus et ebrietatibus uacare.

Item ex epistolis eiusdem.

Luxuriosa res uinum, et contumeliosa ebrietas; omnis autem, qui cum his miscetur, non erit sapiens.

**C. IV.** Ignominiosum est sacerdoti affluere deliciis.

Idem in Michea propheta. [ad. c. 2].

Ecclesiæ principes, qui deliciis affluunt, et inter epulas atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, “quod eiciendi sint de spatiosis domibus lautis que conuiuuiis et multo labore conquisitis epulis propter malas cogitationes et opera sua”.

Et si uis scire, quo eiciendi sunt, euangelium lege: “in tenebras scilicet exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium”.

An non confusio et ignominia est Iesum crucifixum, pauperem et esurientem, farsis predicare corporibus? et ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentia que ora proferre?

Si in loco apostolorum sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersionem et abstinentiam.

[PALEA. C. V. De eodem.

Idem ad Oceanum, epistola 83.

Venter mero estuans cito despumat in libidines.

Ubi ebrietas, ibi libido dominatur et furor].

[PALEA. C. VI. De eodem.

Idem ad Nepotianum, de uita clericorum.

Vinolentum sacerdotem et Apostolus dampnat, et uetus lex prohibet.

Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, prohibentur uinum et siceram bibere, ne in crapula et ebrietate aggraentur corda eorum.

Sicera hebreo sermone omnis potio nuncupatur, que inebriare potest.

Et infra:

Quicquid inebriat et statum mentis euertit, fuge similiter ut uinum.

“Nolite, ait Apostolus, inebriari uino, in quo est luxuria”.

Et supra:

Qui altario deseruiunt, uinum et siceram non bibant.

Sponsa Christi uinum fugiat ut uenenum.



Vinum et ebrietas incendium est].

[PALEA. C. VII. De eodem.

Item Prosper de uita contemplatiua, libro II. capitulo 22.

Luxuriam facit et nutrit uini perceptio nimia, non natura].

C. VIII. In paradyso abstinentia, post paradysum edendi lasciuiā cepit.

Item Ambrosius in sermone de ieiunio Diuinum ad patrem resultat oraculum.

Sexto die bestiae sunt creatae, et cum bestiis orta edendi potestas est et usus escarum.

Ubi cibus cepit, ibi finis factus est mundi: ubi cepit sua incrementa nescire, ibi ceperunt diuina circa eum opera ferari.

Quo indicio declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri.

Et infra:

§. 1. Ut sciamus, non esse nouellum ieiunium, primam illic legem constituit de ieiunio.

Et infra:

Eousque nemo preuaricari nouerat ut adhuc orta non esset, que prima est preuaricatio.

Indictum est ieiunium, abstinentiae lex a Domino Deo: preuaricatio legis a diabolo; culpa per cibum, latebra post cibum; cognitio infirmitatis in cibo, firmitatis uirtus in ieiunio.

Serpens gulae suadet, Dominus ieiunare decernit.

Itaque gula paradyso regnantem expulit, abstinentia ad paradysum reuocauit errantem.

Et infra:

§. 2. In principio generis humani ignorabatur ebrietas; primus Noe uineam plantauit, dedit naturam, sed ignorauit potentiam.

Itaque uinum nec suo pepercit auctori.

Sed illius ebrietas nobis suadet sobrietatem.

Semel enim inebriatus est Noe.

Ubi malum ebrietatis agnouit, iumentum suum ad remedium temperauit, non ad uicium effudit.

§. 3. Manebat autem, antequam uinum inueniretur, omnibus inconcussa libertas; nemo sciebat a consorte naturae suae obsequia seruitutis exigere.

Non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset.

Obreperat quidem iam fraternae prelationis inuidia, manebat tamen paternae pietatis adhuc reuerentia.

Lesae pietas est, dum irridetur ebrietas.

Non illis itaque solis nocent uina, quos temptant; sed etiam illis amplius, quorum oculis temulenta ebriorum membra nudantur.

Et infra:

§. 4. Legimus etiam, quod patrem Loth inebriauerunt filiae in monte, ad quem timentes incendium Sodomitarum confugerant, et habitabant in spelunca.

§. 5. Fuit itaque ebrietas origo incesti, pessimae regeneratricis partus deterior.

§. 6. At non Abraham uina in suo conuiuio ministrabat, sed immolabat uitulum, butirum et lac etiam angelis hospitibus exhibebat.

Recte enim illic deerat materia peccati, ubi erat remissio peccatorum.

Denique annuntiauit Dominum Iohannes, “non manducans panem, neque bibens uinum”.

Qui enim Christum annuntiat, ab omni uitiorum incentiuo prestare se debet alienum.

**C. IX.** Triginta diebus a communione clericus abstineat, quem ebrium fuisse constiterit. Item ex Concilio Agatensi. [cap. 41].  
Ante omnia clericis uetetur ebrietas, que omnium uitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit, (ut ordo patitur) aut triginta dierum spatio a communione submoueat, aut corporali subdatur supplicio.

## **DISTINCTIO XXXVI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Oportet etiam esse ordinandum prudentem.  
Quod contra eos notandum est, qui sub nomine simplicitatis excusant stulticiam sacerdotum.  
Prudentem autem oportet episcopum intelligi non solum litterarum peritia, uerum etiam secularium negotiorum dispensatione.  
Unde in epistola Gelasii Papæ: [ad Episcopos per Lucaniam, cap. 18].

**C. I.** Illitterati et corpore uitati non promoueantur ad clerum.  
Illitteratos aut aliqua parte corporis imminutos, nullus presumat ad clerum promouere, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officii, et uitiosum nichil Deo prorsus offerri legalia precepta sanxerunt.  
§. 1. Similiter, qui se ipsos abscidunt.

**C. II.** Ad summum sacerdotium non aspiret, qui diuinis stipendiis non est eruditus.  
Item Zosimus Papa. [epist. ad Hesychium Episcopum Salonitanum]  
Qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est inbutus, et temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum ecclesiæ sacerdotium aspirare presumat; et non solum in eo ambitio inefficax habeatur, uerum etiam ordinatores eius careant eo ordine, quem contra precepta Patrum crediderant presumendum.  
Gratian. Ecce, quod sacrarum litterarum oportet episcopum habere peritiam: unde in ueteri testamento inter cetera ornamenta pontifex rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur manifestatio et ueritas, quia in pectore pontificis manifesta debet esse cognitio ueritatis.  
§. 1. Hinc etiam uectes, quibus archa portabatur, iugiter annulis erant inserti, ut, cum archa esset portanda, nulla fieret mora de intromittendis uectibus, quia predicatorum, per quos ecclesia circumfertur, sacris litteris semper debent insistere, ne tunc querant discere, cum ex officio alios docere debeant.  
§. 2. Hinc etiam Dauid prius ex gratia Spiritus sancti donum scientiæ percepit, et postea regni administrationem assecutus est.  
§. 3. Salomon quoque non diuitias, non longa tempora huius uitæ, sed sapientiam a Deo petiit et inpetrauit.  
§. 4. Hinc etiam Dominus prius ponit uerba sua in ore prophetæ, et postea constituit eum super gentes et regna, dicens ad Ieremiam: “Ecce, dedi uerba mea in ore tuo. Ecce, constitui te hodie super gentes et super regna etc.”.

§. 5. Hinc etiam Malachias ait: “Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt de ore eius, quia angelus Domini exercituum est”.

§. 6. Hinc idem saluator noster prius in medio doctorum sedit, audiens illos et interrogans, et postea predicare cepit, quia prius quisque debet discere, et postea predicandi officium usurpare.

§. 7. Hinc et Salomon prius ait: “tempus tacendi,” et postea: “loquendi,” quia ueritas prius tacendo discitur, et postea loquendo predicatur.

§. 8. Hinc idem Dominus ait: “Qui audit, dicat, ueni”.

§. 9. Hinc etiam prius apostolos docuit, deinde eos ad predicandum misit, dicens: “Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ”.

Sic etiam post resurrectionem prius illis sensum aperuit et scripturas explanauit, et postea dixit eis: “Euntes in mundum uniuersum, etc.”.

Unde cum de quinque panibus quinque milia hominum uellet reficere, prius panes accipiens fregit, et postea discipulis dedit, et per eos demum turbis apposuit, quia sacramenta legis et prophetarum prius disserendo exposuit, et postea eorum scientiam discipulis dedit, et tandem per eos illam fidelibus dispensauit.

§. 10. Et hinc Petrus cum rectoribus ecclesiæ scriberet ait: “Parati reddere rationem omni poscenti uos satisfactionem de ea fide et spe, que in uobis est”.

§. 11. Hinc etiam Paulus scribens ad Timotheum ait: “Attende lectioni et exhortationi et doctrinæ”.

§. 12. Ex quibus omnibus liquido colligitur, quod non sufficit prelati bona conuersatio et morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ.

§. 13. Unde sacerdotes ingressuri tabernaculum prius lauabantur in labro eneo, quod fecerat Moyses ex speculis mulierum.

§. 14. Hinc etiam in Canticis Canticorum oculi, per quos prelati ecclesiæ intelliguntur, assimilantur columbis, que resident iuxta fluentia plenissima.

Hinc etiam Ieronimus in Leuitico: [c. 8].

**C. III.** Sacerdotis est legis scientiam habere, non bellis, sed orationibus operam dare.

Si quis uult pontifex non tam uocabulo esse quam merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron.

Quid enim dicitur de eis? quia non discedunt de tabernaculo Domini.

Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini.

Quod autem ei opus erat? ut aut a Deo aliquid disceret aut ipse populum doceret.

Hec duo sunt pontificis opera, ut a Deo discat legendo diuinas scripturas et sepius meditando, aut populum doceat.

Sed illa doceat, que ipse a Deo didicerit, non ex proprio corde uel ex humano sensu, sed que Spiritus sanctus docet.

§. 1. Est et aliud opus, quod facit Moyses: ad bella non uadit, non pugnat contra inimicos.

Sed quid facit? orat, et donec orat, uincit populus eius; si relaxauerit et dimiserit manus, populus eius uincitur et fugatur.

Oret ergo sacerdos ecclesiæ indesinenter, ut uincat populus, qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt demones inpugnantes eos, qui uolunt pie uiuere in Christo.

## **DISTINCTIO XXXVII.**

**GRATIANUS.****I. Pars.**

Sed queritur, an secularibus litteris oporteat eos esse eruditos?

De his ita scribitur in Concilio Cartaginensi IV.: [cap. 16].

**C. I.** Libros gentilium non legat episcopus.

Episcopus libros gentilium non legat, hereticorum autem pro necessitate aut tempore.

**C. II.** Reprehenduntur sacerdotes, qui omissis euangeliis legunt comedias.

Item Ieronimus ad Damasum de prodigo filio. [epist. CXLVI].

Sacerdotes Dei omissis euangeliis et propheciis uidemus comedias legere, amatoria bucolicorum uersuum uerba cantare, tenere Virgilium, et id, quod in pueris est causa necessitatis, crimen in se facere uoluptatis.

**C. III.** In uanitate et obscuritate sensus ambulant, qui secularibus disciplinis occupantur.

Idem. [ad cap. 4. epist. ad Ephesios, lib. II. comment.].

Nonne uobis uidetur in uanitate sensus et obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur? qui phisicus perscrutator oculos trans celum leuat, et ultra profundum terrarum et abissi in quoddam inane demergitur? qui iambum feruet? qui tantam metrorum siluam in suo studiosus corde distinguit et congerit?

et (ut ad alteram partem transeam) qui diuitias per fas et nefas querit?

qui adulatur regibus, hereditates captat alienas, et congregat opes, quas in momento cui sit relicturus ignorat?

**C. IV.** Qui scripturas sacras male intelligunt, uel seculari sapientia abutuntur, uino inebriantur et sicera.

Idem in Ysaia.

Vino inebriantur, qui scripturas sanctas male intelligunt atque peruertunt: sicera, qui abutuntur seculari sapientia et dialecticorum tendiculis, que non tam uincula sunt appellanda quam fantasmata, id est umbræ quedam et imagines, que cito pereunt et soluuntur.

Idem:

§. 1. Secundum tropologiam pseudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter scripturarum uerba accipiunt, quam Spiritus sanctus sonat, et diuinos eos, qui coniectura mentis suæ incerta futurorum quasi uera pronuntiant absque diuinorum auctoritate uerborum.

Idem: §. 2.

Quicumque scripturas non ita intelligit, ut rei ueritas habet, uuam acerbam comedit.

**C. V.** Reprehenduntur episcopi, qui filios suos secularibus erudiunt litteris.

Idem [lib. III. ad cap. 6]. in epistola ad Ephesios.

Legant episcopi atque presbiteri, qui filios suos secularibus litteris erudiunt, et faciunt comedias legere et mimorum turpia scripta cantare, de ecclesiasticis sumptibus forsitan eruditos.

Et quod in corbonam pro peccato uirgo uel uidua, uel substantiam suam totam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc calendarum strenam, et saturnalium sportulam,

et mineruale munus grammaticus et orator, aut in sumptus domesticos aut in templi stipes, aut sordidum conuertit in lucrum.

Heli sacerdos ipse fuit sanctus; sed quia filios suos non erudiuit in omni disciplina et correctione, supinus cecidit et mortuus est.

[PALEA. C. VI. Item ex responsione Adriani Papæ ad Carolum, c. 49.

Omnem uim uenenorum suorum in dialectica disputatione constituunt heretici, que philosophorum sententia definitur non astruendi uim habere, sed studium destruendi.

Sed non in dialectica complacuit Deo saluum facere populum suum.

Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis].

C. VII. B. Ieronimus ab angelo uerberatur, quia Ciceronis libros legebat.

Item Rabanus de pressuris ecclesiasticis.

Legimus de B. Ieronimo, quod, cum librum legeret Ciceronis, ab angelo correptus est, eo quod uir Christianus paganorum figmentis intenderet.

Gratian. Hinc etiam filius prodigus ille in euangelio reprehenditur, qui de siliquis, quas porci manducabant, uentrem suum replere cupiebat.

§. 1. Hinc etiam Origenes cinifes et ranas, quibus Egiptii percussi sunt, uanam dialecticorum garrulitatem et sophistica argumenta intelligit.

Ex quibus omnibus colligitur, quod non est ab ecclesiasticis secularium litterarum querenda peritia.

§. 2. Sed econtra legitur, quod Moyses et Daniel omni scientia Egiptiorum et Caldeorum eruditi fuerint.

Legitur etiam, quod precepit Dominus filiis Israël, ut spoliarent Egiptios auro et argento, moraliter instruens, ut siue aurum sapientiæ, siue argentum eloquentiæ apud poetas inueniremus, in usum salutiferæ eruditionis uertamus.

§. 3. In Leuitico etiam primitias mellis, id est dulcedinem eloquentiæ humanæ Domino iubemur offerre.

§. 4. Magi quoque tria munera Domino obtulerunt, in quibus nonnulli tres partes philosophiæ uolunt intelligi.

§. 5. Denique, ut in expositione Psalterii Cassiodorus testatur, omnis splendor rethoricæ eloquentiæ, omnes modi poeticæ locutionis, quelibet uarietas decoræ pronuntiationis a diuinis scripturis sumpsit exordium.

§. 6. Hinc etiam Ambrosius ait super epistolam Colosensium: “Omnis ratio supernæ scientiæ uel terrenæ creaturæ in eo est, qui est caput earum et auctor, ut, qui hunc nouit, nichil ultra querat, quia hic est perfecta uirtus et sapientia; quicquid alibi queritur, hic perfecte inuenitur.

In Daniele et Salomone ostendit infidelibus esse se auctorem totius sapientiæ.

Quod infideles non putant, quia non legunt in euangeliis et prophetis astrologiam, et alia huiusmodi, que despecta sunt, quia nichil ualent ad salutem, sed mittunt in errorem, et, dum his student, curam animæ non habent.

Qui uero Christum nouit, thesaurum sapientiæ et scientiæ inuenit, quia id nouit, quod utile est”.

Hinc etiam Beda ait in [lib. II]. Regum: [c. 9. in Samuelis allegoricis expositionibus]

C. VIII. Non prohibeantur clerici seculares litteras legere.

Turbat acumen legentium et deficere cogit, qui eos a legendis secularibus libris omnibus modis existimat prohibendos, in quibus si qua inuenta sunt utilia, quasi sua sumere licet.

Alioquin Moyses et Daniel sapientia et litteris Egiptiorum Caldeorum que non paterentur erudiri, quorum tamen supersticiones simul et delicias horrebant. Nec ipse magister gentium aliquot uersus poetarum suis uel scripturis indidisset, uel dictis.

## II. Pars.

Gratian. Cur ergo legi prohibentur, que tam rationabiliter legenda probantur? Sed seculares litteras quidam legunt ad uoluptatem, poetarum figmentis et uerborum ornatu delectati; quidam uero ad eruditionem eas addiscunt, ut errores gentilium legendo detestentur, et utilia, que in eis inuenerint, ad usum sacræ eruditionis deuote inuertant. Tales laudabiliter seculares litteras addiscunt. Unde B. Gregorius quendam episcopum non reprehendit, quia eas didicerat, sed quia contra episcopale officium pro lectione euangelica grammaticam populo exponebat. Hinc etiam Ambrosius scribit super Lucam: [in explanatione proemii]

**C. IX.** Seculares litteræ legendæ sunt, ut non ignorentur.

Legimus aliqua, ne legantur; legimus, ne ignoremus, legimus, non ut teneamus, sed ut repudiemus.

**C. X.** Gramatica legenda est, ut per eam sacræ scripturæ intelligantur.

Item Ieronimus super epistolam ad Titum.

Si quis gramaticam artem nouit uel dialecticam, ut recte loquendi rationem habeat, et inter falsa et uera diiudicet, non inprobamus.

§. 1. Geometria autem et aritmetica et musica habent in sua scientia ueritatem, sed non est scientia illa pietatis.

Scientia autem pietatis est legere scripturas et intelligere prophetas, euangelio credere, apostolos non ignorare.

§. 2. Gramaticorum autem doctrina potest proficere ad uitam, dum fuerit in meliores usus assumpta.

**C. XI.** Exemplo Danielis probatur, non esse peccatum secularibus litteris erudiri.

Item.

Qui de mensa et uino regis nolunt comedere, ne polluantur, utique si sapientiam atque doctrinam Babiloniorum scirent esse peccatum, numquam adquiescerent discere quod non licebat.

Discunt autem, non ut sequantur, sed ut iudicent atque conuincant, quomodo si quispiam aduersus mathematicos uelit scribere inperitus matheseos, risui pateat, et aduersus philosophos disputans, si ignorat dogmata philosophorum.

Discunt ergo ea mente doctrinam Caldaicam, qua et Moyses omnem sapientiam Egiptiorum didicerat.

Idem:

§. 1. Si quando cogimur litterarum secularium recordari et aliqua ex his discere, que olim omisimus non est nostræ uoluntatis, sed, ut ita dicam, grauissimæ necessitatis ut probemus ea, que a sanctis prophetis ante secula multa predicta sunt, tam Grecorum, quam Latinorum et aliarum gentium litteris contineri.

**C. XII** Magistros et doctores episcopi congruis locis constituent.

Item ex Sinodo Eugenii Papæ. [II. c. 34].

De quibusdam locis ad nos refertur, neque magistros, neque curam inueniri pro studio litterarum.

Idcirco ab uniuersis episcopis subiectis plebibus, et aliis locis in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia habeatur, ut magistri et doctores constituentur, qui studia litterarum liberalium que artium dogmata assidue doceant, quia in his maxime diuina manifestantur atque declarantur mandata.

**C. XIII.** Auctoritatibus gentilium eorum uanitas retunditur atque conuincitur.

Item Augustinus contra Manicheos. [lib. XIII. cap. 15].

Si quid ueri de Deo Sibilla, uel Orpheus, alii ue gentium uates aut philosophi predixisse perhibentur, ualet quidem aliquid ad paganorum uanitatem reuincendam, non tamen ad istorum auctoritatem complectendam.

Quantum enim de Christi distat aduentu inter predicationem angelorum, et confessionem demonum, tantum inter auctoritatem prophetarum, et curiositatem sacrilegorum.

**C. XIV.** Ad intelligentiam sacrarum scripturarum secularium peritia est necessaria.

Item Clemens. [Papa I. epist. V. ad suos discipulos]

### **III. Pars.**

Relatum nobis est, quod quidam in uestris partibus commorantes sanis doctrinis aduersantur, et prout eis uidetur non secundum traditionem patrum, sed iuxta suum sensum docere uidentur.

Multas enim quidam, ut audiuius, uestrarum partium ingeniosi homines ex his, que legunt, uerisimilitudines capiunt.

Et ideo diligenter obseruandum est, ut lex Dei cum legitur, non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur uel doceatur.

Sunt enim multa uerba in diuinis scripturis, que possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte presumit; sed non oportet.

Non enim sensum, extrinsecus alienum et extraneum debetis querere ut quoquo modo ipsum ex scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex ipsis scripturis sensum capere ueritatis.

Et ideo oportet ab eo scientiam discere scripturarum, qui eam a maioribus secundum ueritatem sibi traditam seruat, ut et ipse possit eam, quam recte suscepit, competenter asserere.

Cum enim ex diuinis scripturis integram quis et firmam regulam ueritatis suscepit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus studiis, que forte in pueritia attigit, ad assertionem ueri dogmatis conferat, ita tamen, ut, ubi uera didicerit, falsa et simulata declinet.

**C. XV.** Quare prohibetur Christianus poetica figmenta legere.

Item Ysidorus in libro [III]. Sententiarum. [de summo bono cap. 13].

### **IV. Pars.**

Ideo prohibetur Christianus legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incentiua libidinum.

Non enim solum thura offerendo demonibus immolant, sed etiam eorum dicta libentius capiendo.

## V. Pars.

Gratian. Ut itaque ex premissis auctoritatibus apparet, inperitia sacerdotibus semper debet esse aduersa, quoniam, cum per ignorantiam cecati aliis ducatum prestare ceperint, ambo in foueam cadunt; unde dicitur in Psalmo: “Obscurentur oculi eorum, ne uideant, et dorsum eorum semper incurua”.

Cum enim obscurantur illi, qui preeunt, ad ferenda onera peccatorum facile sequentes inclinantur.

Elaborandum est itaque sacerdotibus, ut ignorantiam a se quasi quandam pestem abiciant.

Licet enim seruus nesciens uoluntatem domini sui, et non faciens, dicatur uapulare paucis, non tamen hoc de omnibus generaliter intelligitur.

Ut enim ait Apostolus “Qui ignorat, ignorabitur”.

Quod de eo intelligendum est, “qui noluit intelligere, ut bene ageret”.

Unde Augustinus ait in libro Questionum: [ueteris ac noui testamenti, quæst. 67].

[C. XVI].

Non omnis ignorans est immunis a pena.

Ille enim ignorans potest excusari a pena, qui quod disceret non inuenit.

Illis autem hoc ignosci non poterit, qui, habentes a quo discerent, operam non dederunt.

## DISTINCTIO XXXVIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Cum itaque uoluntaria ignorantia omnibus sit noxia sacerdotibus est periculosa.

Unde in Tolletano Concilio [IV., cap. 24]. legitur:

**C. I.** Sacerdotibus maxime ignorantia est uitanda.

Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei uitanda est, qui docendi offitium in populo Dei susceperunt.

Sacerdotes enim legere sanctas scripturas admonentur, Paulo apostolo dicente ad Timotheum: “Adtende lectioni, exhortationi, doctrinæ,” et: “semper permane in his”.

Sciant ergo sacerdotes scripturas sacras et canones, et omne opus eorum in predicatione et doctrina consistat, atque edificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina.

**C. II.** Offitiales libellum ab episcopo accipiant presbiteri, cum ordinantur.

Item ex eodem. [Toletano IV. c. 25].

Quando presbiteri in parrochiis ordinantur, libellum offitiales a sacerdote suo accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis diuinis sacramentis offendant.



Cum uero ad letanias uel ad concilium uenerint, rationem episcopo suo reddant, qualiter susceptum offitium celebrent, uel baptizent.

**C. III.** Inscientia sacerdotum nec excusatione digna est nec uenia.

Item Leo Episcopis Constantinopolitanis.

Si in laicis uidetur intolerabilis inscientia, quanto magis in his qui presunt, nec excusatione est digna, nec uenia?

**C. IV.** Canones non licet sacerdotibus ignorare.

Item Celestinus omnibus orthodoxis Episcopis.

Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicumque facere, quod possit Patrum regulis obuiare.

Que enim a nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliorum libitu licentia populis permissa frangatur?

**C. V.** Que sacerdotibus necessaria sunt ad discendum.

Item ex dictis S. Augustini.

Que ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est sacramentorum liber, lectionarius, antiphonarius baptisterium, computus, canones penitentiales, psalterium, omeliæ per circulum anni dominicis diebus et singulis festiuitatibus aptæ.

Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen uix in eo constabit, quia ualde periculosæ sunt euangelicæ minæ, quibus dicitur: “Si cecus ceco ducatum prestet, ambo in foueam cadunt”.

**C. VI.** Que oportet scire eum, qui episcopus est ordinandus.

Item ex VII. Sinodo. [cap. 2].

Omnes psallentes repromittimus Deo: “In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos”.

Quod omnes quidem Christianos obseruare saluberrimum est, sed precipue hos, qui ecclesiasticam consecuti sunt dignitatem.

Unde diffinimus omnem, qui ad episcopatus prouehendus est gradum, modis omnibus psalterium nosse, ut ex hoc etiam omnis clerus, qui sub eo fuerit, ita moneatur et inbuatur.

Inquiratur autem diligenter a metropolitano, si in promptu habeat legere scrutabiliter et non transitorie tam sacros canones et sanctum euangelium, quam diuini Apostoli librum et omnem diuinam scripturam atque secundum mandata conuersari, et docere populum sibi commissum.

Substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est uera diuinarum scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionisius.

Quod si disceptauerit, et ita libenter facere et docere minime sponderit, nullatenus consecratur.

Ait enim propheticè Deus: “Tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris michi”.

**C. VII.** De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 3].

Placuit, ut ordinatis episcopis uel clericis prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse peniteat.

**C. VIII.** Sacrae scripturae inherentes non obscurantur iniquitate mundana.

Item Zepherinus Papa. [epist. I. ad Episcopos Siciliae]

Sicut stellas celi non extinguit nox, sic mentes fidelium inherentes firmamento sacrae scripturae non obscurat mundana iniquitas.

**C. IX.** Ignorantia scripturarum est ignorantia Christi.

Item Ieronimus in Isaia.

Si iuxta apostolum Paulum Christus Dei uirtus est et Dei sapientia est, ignorantia scripturarum est ignorantia Christi.

**C. X.** A Domino sciuntur, uel ignorantur, qui ea, que Dei sunt, sapiunt, uel ignorant.

Item Gregorius in Moralibus.

Qui ea, que Dei sunt sapiunt, a Domino sapiuntur, et qui ea, que Dei sunt, nesciunt, a Domino nesciuntur, Paulo testante, qui ait: "Si quis ignorat, ignorabitur".

Idem:

Quicumque stultus est in culpa, sapiens erit in pena.

**C. XI.** Non qui aliquid nescit, sed qui putat se scire quod nescit, errare probatur.

Item Augustinus. [in Enchiridio ad Laurentium, cap. 17].

## **II. Pars.**

Quamuis errare quanta possumus cura cauendum sit, non solum in maioribus, uerum etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari, non est tamen consequens, ut continuo erret quisquis aliquid nescit, sed si quis se existimet scire quod nescit.

Pro uero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium.

Verumtamen in qua re quisque erret, interest plurimum.

Nam in una eadem que re et nescienti sciens, et erranti non errans recta ratione preponitur.

In diuersis autem rebus, id est cum iste scit alia, ille alia, et iste utiliora, ille minus utilia uel etiam noxia: quis non in eis, que ille scit, ei preferat nescientem?

Sunt enim quedam, que nescire melius est quam scire.

## **III. Pars.**

Gratian. Sed licet per ignorantiam gramaticae artis aliquid uitiosum proferant episcopi uel presbiteri, non tamen ideo a scolasticis sunt despiciendi, quia morum uitia magis quam uerborum sunt precauenda.

Unde Augustinus in libro de catezizandis rudibus: [c. 9].

**C. XII.** Non contempnant scolastici ecclesiasticam simplicitatem.

Sedulo monendi sunt scolastici ut humilitate induti Christiana, discant non contempnere quos cognouerint morum uitia quam uerborum amplius deuitare, sed cordi casto linguam exercitatum nec conferre audeant, quam etiam preferre consueuerant.

His enim maxime utile est nosse, ita esse preponendas uerbis sententias, ut preponitur animus corpori.

Ex quo fit, ut ita malle debeant ueriores quam dissertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos.

Nouerint etiam, non esse uocem ad aures Dei, nisi animi affectum.

Ita enim non irridebunt, si aliquos antistites et ministros ecclesiæ forte animaduuerint uel cum barbarismis et soloecismis Deum inuocare, uel eadem uerba, que pronunciant, non intelligere, perturbate que distinguere, non quia ista minime corrigenda sunt, ut populus ad id, quod plane intelligit, dicat “Amen”; sed quia pie toleranda sunt ab eis, qui didicerint ut sono in foro, sic uoto in ecclesia benedici.

Itaque forensis illa nonnumquam forte bona dictio numquam tamen benedictio dici potest.

[PALEA. C. XIII. De eodem.

Item Gregorius ad Leandrum Episcopum Hispalensem, in prefatione Moralium ad finem.

Indignum uehementer existimo, ut uerba celestis oraculi restringam sub regulis Donati].

[PALEA. C. XIV.

Item Augustinus de uera religione, c. 49. et 50.

Locutio diuinarum scripturarum secundum cuiusque linguæ proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua sua quedam propria genera locutionum, que cum in aliam linguam transferuntur, uidentur absurda].

[PALEA. C. XV. Item Ieronimus ad Pammachium, epistola LII., cuius initium est: Christiani interdum pudoris est.

Ecclesiastica interpretatio etiamsi habet eloquii uenustatem, dissimulare eam debet et fugere, ut non otiosis philosophorum scolis paucis que discipulis, sed uniuerso loquatur hominum generi].

C. XVI. Episcopus propter obprobrium senectutis a paruulis et a minimis discere non erubescat.

Item Clemens Papa. [epist. III].

Nullus episcopus propter obprobrium senectutis uel nobilitatem generis a paruulis uel minimis eruditis, si quid forte est utilitatis aut salutis, inquirere negligat.

Qui enim rebelliter uiuit, et discere atque bona agere recusat, magis diaboli quam Christi membrum esse ostenditur, et potius infidelis quam fidelis monstratur.

## DISTINCTIO XXXIX.

### GRATIANUS.

Ecce plenarie monstratum est, quod sacerdotes oportet litterarum tam sacrarum quam secularium esse peritos.

Nunc queritur, an secularium negotiorum oporteat eos habere peritiam?

Hanc prelati esse necessariam, multis rationibus probatur.

Debent namque prelati subditis non solum spiritualia, sed etiam carnalia subsidia ministrare, exemplo Christi, qui turbas sequentes non solum uerbo docebat, sed etiam uirtute sanabat et corporalibus alimentis reficiebat.

Ut autem prelati hec omnia plene perficere possint, secularium negotiorum oportet eos habere sollertiam, ut eorum cautela et ecclesiæ seruentur indempnes, et cuique necessaria pro suo modo subministrentur.

Unde quidam in episcopum electus a B. Gregorio pro sua simplicitate repellitur, ne eius occasione res ecclesiæ dilapidarentur.

Unde idem scribit nobilibus ciuibus Neapolim: [lib. VIII. epist. 40].

**C. I.** Secularium negotiorum inperiti non sunt in episcopos ordinandi.

Petrus diaconus, quem a uobis electum asseritis, omnino (ut dicitur) simplex est, et nostis, quia hoc tempore talis in regiminis debet arce constitui, qui non solum de salute animarum, uerum etiam de extrinseca utilitate et cautela sciat esse sollicitus.

## **DISTINCTIO XL.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Oportet quoque episcopum esse ornatum et hospitem.

Ornamenta episcopalia uirtutes debent intelligi, que a Domino eis repromittuntur, dum dicitur: "Sacerdotes eius induam salutari".

Unde in ueteri testamento uariis uestibus ex precepto Domini sacerdotes ornati leguntur, quia multimodis uirtutibus splendere debet uita pontificis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit.

Non enim loca, sed uita et mores sanctum faciunt sacerdotem.

Unde ex offitio suscepto non licentiam peccandi, sed necessitatem bene uiuendi se nouerint assecutos.

Unde Simacus Papa ait:

**C. I.** Offitium sacerdotii non confert, sed adimit licentiam delinquendi.

Non nos beatum Petrum (sicut dicitis) a Domino cum sedis priuilegio, uel successores eius, peccandi iudicamus licentiam suscepisse.

Ille perhennem meritorum dotem cum hereditate innocentiae transmisit ad posteros.

Quod illi concessum est per actuum lucem, ad illos pertinet, quos par conuersationis splendor illuminat.

Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit?

In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, que a loci predecessore testantur.

Aut enim claros ad hec fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat.

**C. II.** Filii sanctorum sunt, qui exercent opera eorum.

Item Ieronimus. [ad Heliodorum, epist. I].

Non est facile stare in loco Petri et Pauli et tenere cathedram regnantium cum Christo, quia hinc dicitur: non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

**C. III.** Morum nobilitas, non loci uel generis, sacerdotes notificet.

Item Gregorius.

Nos, qui presumus, non ex locorum uel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate.

**C. IV.** Non loca uel ordines, sed merita nos Deo coniungunt.

Idem Anastasio Presbitero. [lib. VI. epist. 29].

Non loca uel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona coniungunt, aut mala disiungunt.

**C. V.** Magnitudo peccati uel dignitatis quemque fortiter deicit.

Item Iohannes Crisostomus. [id est, auctor operis imperfecti in Matthæum, homilia 40. ad c. 21].

## **II. Pars.**

Homo Christianus fortiter cadit in peccatum propter duas causas: aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis.

**C. VI.** Dampnatur Apostolicus, qui suæ et fraternæ salutis est negligens.

Item ex gestis Bonifacii Martiris.

## **III. Pars.**

Si papa suæ et fraternæ salutis negligens reprehenditur inutilis et remissus in operibus suis, et insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi et omnibus, nichilominus innumerabiles populos cateruatim se cum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in eternum uapulaturus.

Huius culpas istic redarguere presumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide deuius; pro cuius perpetuo statu uniuersitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertunt propensius pendere.

**C. VII.** Non ordines, sed uitæ merita nos Deo commendant.

Item Augustinus ad Valerium. [epist. CXLVIII].

## **IV. Pars.**

Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nichil esse in hac uita et maxime in hoc tempore facilius et leuius et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbiteri, aut diaconi offitio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, sed nichil apud Deum miserius et tristius et dampnabilius.

§. 1.

Item:

Nichil est in hac uita et maxime in hoc tempore difficilium et laboriosius et periculosius episcopi, aut presbiteri, aut diaconi offitio, sed apud Deum nichil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet.

Quis autem sit modus, nec a pueritia, nec ab adolescentia mea didici, et eo tempore, quo discere ceperam, uis mihi facta est merito peccatorum meorum.

Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.

**C. VIII.** Corruptitur et ad terram sacerdotium trahitur, nisi legaliter et iuste seruetur.  
Item Ysidorus.

Sicut uiri et mulieris digna coniunctio unum facit matrimonium, et sicut duorum copulatio unum perficit corpus, ita clericatus et sacerdotium unum faciunt presbiterum, et electio et consecratio unum faciunt episcopum: que omnia unum efficiunt corpus, quod citius corrumpitur et ad terram trahitur, nisi legaliter conseruetur, nisi iuste uiuendo laudetur.

**C. IX.** Gratia, non locus saluat animam.  
Item Ambrosius. [lib. de paradiso, c. 4].

## **V. Pars.**

Illud autem aduerte, quia extra paradisum uir factus est, mulier intra paradisum, ut aduertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed uirtute unusquisque gratiam sibi comparat.

Denique extra paradisum, hoc est in inferiori loco, uir factus melior inuenitur, et illa, que in meliori loco, hoc est in paradiso, facta est, inferior inuenitur.

**C. X.** De eodem.

Item Gregorius. [lib. VI. Reg. epist. 5].

Quelibet occulta loca sine gratia animam saluare non possunt, quod aliquando in ipsis quoque conspiciamus erratibus electorum.

Nam Loth in ipsa peruersa ciuitate iustus fuit: in monte peccauit.

Sed ista cur dicimus, cum maiora nouerimus? Quid enim paradiso iucundius?

quid celo securius? et tamen homo ex paradiso, et angelus de celo peccando cecidit.

**C. XI.** De eodem.

Idem.

Adam primus homo de paradiso pro peccato eiectus est: hoc est, qui Dei nobilitatem a se deiecit, nobilitate loci priuatur.

**C. XII.** Non est uere sacerdos omnis, qui nominatur sacerdos.

Item Iohannes Crisostomus. [id est, auctor operis imperfecti in Matth. hom. 43. ad c. 23].

## **VI. Pars.**

Multi sacerdotes, et pauci sacerdotes; multi nomine, et pauci in opere.

Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos est.

Qui bene sederit super cathedram honorem accipit cathedræ; qui male sederit, iniuriam facit cathedræ; ideo que malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.

In iudicio enim sedens, si quidem bene uixeris et bene docueris, populum instruis; si uero bene docueris et male uixeris, tui solius condempnator eris.

Nam bene uiuendo et bene docendo populum instruis, quomodo uiuere debeat: bene autem docendo et male uiuendo Deum instruis, quomodo te debeat condempnare.

Idem:

§. 1. Quicumque desiderauerit primatum in terra, inueniet confusionem in celo, nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit, nec unusquisque eorum festinet, quomodo appareat aliis maior, sed quomodo omnibus inferior uideatur, quoniam non qui maior fuerit in honore, ille est iustior, sed qui fuerit iustior, ille maior est.

## DISTINCTIO XLI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Ecce, quibus oporteat sacerdotem esse ornatum moribus.

Scilicet preterea oportet illum esse ornatum in exterioribus, habitu uidelicet et incessu: habitu, ut nec fulgidis, nec sordidis se uestibus ornet.

Ut enim ait Ieronimus nec affectatæ sordes, nec exquisitæ delicie laudem pariunt, quod tam de uestibus, quam de cibis intelligendum est.

Unde Augustinus ait in libro [III]. de doctrina Christiana: [cap. 12].

C. I. Pro moribus eorum, cum quibus uiuimus, alimentis uti debemus.

Quisquis rebus pretereuntibus restrictius utitur quam sese habent mores eorum, cum quibus uiuit, aut intemperans, aut supersticiosus est.

Quisquis uero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos uersatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est.

In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est.

§. 1. Quid igitur locis, et temporibus, et personis conueniat, diligenter attendendum est, nec temere flagitia reprehendamus.

Fieri enim potest, ut sine aliquo uitio cupidinis uel uoracitatis preciosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fedissima gulæ flamma in uilissimum ardescat, et sanius quisque maluerit more Domini pisce uesci, quam lenticula more Esau, nepotis Abraham, aut hordeo more iumentorum.

Non enim propterea continentiores sunt nobis pleræque bestie, quia uilioribus escis aluntur.

Nam in omnibus huiuscemodi rebus non ex earum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi et modo appetendi uel probandum est, uel improbandum quod facimus.

C. II. Non cibus, sed appetitus in culpa est.

Item Augustinus super epistolam Iohannis.

Delicie quelibet, si absque desiderio percipiuntur, non officiunt, et uiles cibi appetenter accepti inpediunt profectum abstinentie.

Dauid enim aquam concupitam effudit, et Elias carnes comedit.

**C. III.** Contra suæ infirmitatis consuetudinem aliquibus cibus non cogantur diuites uti. Idem in libro de uerbis Domini. [secundum Mattheum c. 7. serm. V].  
Non cogantur diuites pauperum cibus uesti, utantur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter non posse: si consuetudinem mutant, egrotant.  
Utantur superfluis, dent inopibus necessaria; utantur preciosis, dent pauperibus uilia.

**C. IV.** Equanimitas tolerandi, non usus, uel abstinentia cibi iustitiam facit. Idem in libro [II]. questionum euangeliorum. [c. 11].  
Quod dicit Dominus in euangelio: “Iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis,” ostendit filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam, sed in equanimitate tolerandi inopiam, et temperantia per abundantiam non se corrumpendi, atque oportune sumendi uel non sumendi ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est.  
Non enim interest omnino, quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his, cum quibus tibi uiuendum est.  
Neque quantum sumas multum interest, cum uideamus aliorum stomachum citius saturari, et eos tamen illi ipsi paruo, quo saciantur, ardentem et intolerabiliter et omnino turpiter inhiare; alios autem plus paulo poculo saciari quidem, sed tolerabiliter inopiam perpeti, et uel ante horam positas epulas, si id in tempore aut opus sit aut necesse sit, cum tranquillitate aspicere, neque tangere.  
Magis ergo interest, non quid uel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ, et pro suæ ualetudinis necessitate quis accipiat, sed quanta facilitate et serenitate animi careat, cum his uel oportet, uel necesse est carere; ut illud in animo Christiani compleatur, quod Apostolus dicit: “Scio et minus habere, scio et habundare; ubique et in omnibus inbutus sum: et saciari, et esurire, et habundare, et penuriam pati, omnia possum in eo, qui me confortat”.

**C. V.** Temperantia ciborum et uestium, non dissolutio eorum laudatur. Item ex Concilio Gangrensi. [c. ultimo].  
Parsimoniam cum ueste humili non reprobamus, sicut etiam ornatum preter corporis diligentiam infucatum laudamus.  
Dissolutos autem et fractos uestibus et incessu non recipimus; pietatem in priuatis domibus non concludentes, omnem locum in nomine Domini edificatum honoramus; et congregationem in ecclesia factam ad utilitatem communem recipimus, et bona opera, que supra uires in fratres pauperes exercentur, secundum ecclesiasticas traditiones beatificamus, et omnia, que conueniunt tradicionibus apostolicis et sanctorum scripturarum preceptis, in ecclesia fieri exoptamus.

**C. VI.** Sub specie uirtutum sepe se uicia ingerunt. Item Gregorius. [Iohanni Constantinopolitano, lib. I. Reg. epist. 24].  
Sepe uicia esse se uirtutes mentiuntur, ut tenacia parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iusticiæ, remissio pietas uelit uideri.

**C. VII.** Meritis fidei et uitæ, non diuitiis episcopalis auctoritas queritur. Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 15].  
Episcopus uilem supellectilem, et mensam ac uictum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et uitæ meritis querat.



§. 1. Hospiciolum quoque non longe ab ecclesia habeat.

[C. VIII].

Item ex eodem. [c. 45].

Clericus professionem suam etiam habitu et incessu probet, et ideo nec uestibus, nec calciamentis decorem querat.

Gratian. Sicut ergo in cibis mores eorum, cum quibus uiuimus, obseruare monemur, sic et de indumentis intelligendum est.

Ut enim alibi dicitur: “quisquis contemptis his, cum quibus uiuit, lautiora sibi uel austeriora pre ceteris indumenta uel alimenta querit, aut intemperans sui est, aut supersticiosus”.

Incessu autem debet esse sacerdos ornatus, ut grauitate itineris mentis maturitatem ostendat.

Incompositio enim corporis (ut Augustinus ait) qualitatem indicat mentis.

Unde istoriographus ille, cum mutabilitatem eius describeret, cuius conscientia excita curis uastabat mentem, inter cetera etiam hoc notabile indicauit: “Incessus eius modo citus modo tardus”.

## DISTINCTIO XLII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Hospitalem uero sacerdotem esse oportet, ne sit in numero eorum, quibus in iudicio dicitur: “Hospes eram non suscepistis me”.

Qui enim Apostolum secutus alios ad hospitalitatem debet inuitare, quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit?

Si enim sacerdos primum a se ipso et a domestica sua ecclesia debet exigere quod postea populis imperet; si primum, imitando Christum, ipse debet facere que postea populum doceat: necesse est, ut pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat.

§. 1. Ordinandus itaque sacerdos ad memoriam reuocet, quomodo Abraham et Loth per hospitalitatis opera Deo placere, et angelos hospitio recipere meruerunt; quomodo angeli, Sodomis hospitalem domum ingressi, Loth cum familia sua liberauerint; quomodo clausas domos cum hospitibus ignis ingressus perdiderit; quomodo etiam secundum Ieronimum aliena rapere conuincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur; ac sic per opera pietatis instituat ut etiam presentis uita subsidia, et eterna claritatis premia a Domino percipiat: utrumque enim pietati promittitur.

§. 2. Unde Apostolus scribens ad Timotheum ait: “Exerce te ipsum ad pietatem.

Nam corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem utilis est ad omnia, habens promissionem uitæ, que nunc est, et futuræ”.

Ab hac quisquis alienus fuerit, in sacerdotem ordinari non poterit §. 3. Si enim uidua in ecclesia recipi prohibetur, que pauperes non recipit in hospitio, que pedes sanctorum non lauit, que omne opus bonum non est executum: multo magis sunt prohibendi a sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni.

§. 4. Unde quidam hospitalitatis opera despicientes in Gangrensi Concilio excommunicantur.

Sic enim in eo statutum est: [c. 11].

**C. I.** Non sint despiciendi, qui conuiuia pauperibus exhibent.

Si quis despicit eos, qui fideliter agapas, id est conuiuia, pauperum exhibent et propter honorem Domini conuocant fratres, et noluerit communicare huiusmodi uocationibus, paruipendens quod geritur, anathema sit.

Gratian. Hinc etiam Iohannes Euangelista in epistola sua quendam Diotrepem excommunicat, qui nec pauperes recipiebat, et recipientes de ecclesia eiciebat.

In hospitalitate autem non est habendas delectus personarum, sed indifferenter quibuscumque sufficimus hospitales nos exhibere debemus.

Unde Iohannes Crisostomus in epistola ad Ebreos: [hom. XI. ad c. 6. circ. fin.].

**C. II.** In recipiendis hospitibus nulla debet esse distinctio.

## **II. Pars.**

Quiescamus ab hac absurda curiositate, et diabolica, et peremptoria.

Si enim in clero electum se esse dicat, si sacerdotem se nominet, scrutare: non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est; circa maiora periculum uertitur: non enim das, sed accipis.

Si uero pro nutrimento postulat, ne in his examines.

Quomodo Abraham hospitem se circa omnes ostendebat.

Si scrutator esset circa refugientes ad se, numquam angelos hospitio recepisset.

Fortassis enim non putasset eos angelos, sed cum reliquis repelleret; sed quoniam omnes recipiebat, suscepit et angelos.

Non enim ex uita eorum, quos accipis, mercedem tibi retributurus est Deus, sed ex uoluntate et ex honorificentia multa, ex misericordia, et bonitate.

## **III. Pars.**

Gratian. Sed licet ipsa conuiuia despicienda non sint, nec tamen in ecclesiis celebrantur, nec clericos ad ea conuocatos partes sibi ex eis tollere oportet.

Unde in Laudicensi Concilio: [c. 27].

**C. III.** Clerici ad agapen uocati partes sibi non tollant.

Non oportet ministros altaris uel quoslibet clericos ad agapen uocatos partes tollere, propter iniuriam que ex hac occasione ecclesiastico ordini poterit deputari.

**C. IV.** In locis Deo sacratis nec comedere, nec accubitus sternere liceat.

Item. [c. 28].

## **IV. Pars.**

Non oportet in basilicis seu in ecclesiis agapen facere et intus manducare, uel accubitus sternere.

**C. V.** Nisi necessitate coacti in ecclesia clerici non conuiuentur.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 30].

Nulli episcopi uel clerici in ecclesia conuiuentur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur.

Populi etiam ab huiusmodi conuiuiis quantum fieri potest prohibeantur.

[PALEA. C. VI. De eodem.

Item ex dictis B. Benedicti Abbatis.

Oratorium hoc sit, quod dicitur; nec ibi quicquam aliud geratur uel condatur, quam quod diuinis ministeriis conueniat].

[PALEA. C. VII. De eodem.

Item Augustinus. [epist. CIX. de regula monachorum].

In oratorio preter orandi et psallendi cultum penitus nichil agatur, ut nomini huic et opera iugiter inpensa concordent].

## DISTINCTIO XLIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Pudicus quoque debet esse sacerdos, ut et moribus, et uerbis pudorem indesinenter exhibeat.

Unde in Canticis Canticorum genæ sponsæ, id est predicatorum, turturi comparantur.

§. 1. Debet etiam gratiam docendi habere, quia ut Ieronimus ait: “Innocens absque sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet.

Nam latratu canum et baculo lupi sunt arcendi”.

In ipsa autem doctrina discretum oportet esse rectorem, ne aut tacenda proferat, aut dicenda taceat.

Unde Gregorius in XV. capitulo [Part. II]. sui Pastoralis [c. 4]. ait:

C. I. De discretione predicationis, et silentii.

Sit rector discretus in silentio, utilis in uerbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat.

Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos, qui erudiri poterant, in errorem derelinquit.

Sepe namque rectores improuidi, humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, et iuxta ueritatis uocem nequaquam iam gregis custodiae pastorum studio, sed mercenariorum uice deseruiunt, quia ueniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt.

Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpans ait in Ysaia: “Canes muti, non ualentes latrare”.

Hinc rursum queritur dicens in Ezechiele: “Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prelio in die Domini”.

Ex aduerso quippe ascendere est pro defensione gregis uoce libera huius mundi potestatibus contraire.

Et in die Domini in prelio stare est prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere.

Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quam tacendo terga prebuisse? qui nimirum, si pro grege se obicit, murum pro domo Israël hostibus opponit.

Hinc rursus delinquenti populo dicitur in Hieremia: “Prophetæ tui uiderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam prouocarent”.

Prophetæ quippe in sacro eloquio nonnunquam doctores uocantur, qui dum fugitiua esse presentia indicant, que sunt uentura manifestant; quos diuinus sermo falsa uidere redarguit, quia, dum culpas corripere metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur, qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis uoce conticescunt.

Clauis quippe apertionis est sermo correctionis quia increpando culpam detegit, quam sepe nescit ipse etiam qui perpetravit.

Hinc Paulus ait ad Titum: “Ut potens sit ad exhortandum in doctrina sana et eos qui contradicunt, redarguere”.

Hinc per Malachiam dicitur: “Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est”.

Hinc per Ysaïam Dominus ammonet dicens: “Clama, ne cesses, sicut tuba exalta uocem tuam”.

Preconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, ut ante aduentum iudicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur.

Sacerdos ergo, si predicationis est nescius, quam clamoris uocem daturus est prece mutus?

In Actibus Apostolorum: hinc est enim, quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit, quia nimirum, quos repleuerit, de se protinus loquentes facit.

Hinc Moysi precipitur in Exodo, ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut uidelicet predicationis uoces habeat, ne superni inspectoris iudicium ex silentio offendat.

Scriptum quippe est: “Ut audiatur sonitus, quando ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur”.

Sacerdos namque ingrediens uel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine predicationis sonitu incedit.

Apte autem tintinnabula uestimentis illius describuntur inserta.

Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere?

Propheta attestante, qui ait in Psalmo CXXXVI.: “Sacerdotes tui induantur iusticia”.

Vestimentis itaque illius tintinnabula inherent, ut uitæ uiam cum linguæ sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament.

Sed cum rector se ad loquendum preparat, sub quanto cautelæ studio loquatur, attendat, ne, si inordinate ad loquendum rapitur, erroris uulnere audientium corda feriantur, et cum fortasse sapientem se uideri desiderat, unitatis compagem insipienter abscidat.

Hinc namque ueritas dicit in Marco: “Sal in uobis, et pacem habete inter uos”.

Per sal quippe uerbi sapientia designatur.

Qui ergo sapienter loqui nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientium unitas confundatur.

Hinc Paulus ait ad Romanos: “Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem”.

In Exodo in sacerdotis ueste iuxta diuinam uocem tintinnabulis mala Punica coniunguntur.

Quid enim per mala Punica nisi fidei unitas designatur?

Nam sicut in malo Punico uno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctæ ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diuersitas meritorum tenet.

Ne igitur rector incautus ad loquendum prouat, hoc, quod iam premisimus, per semetipsam discipulis clamat ueritas in Marco: “Habete sal in uobis, et pacem habete inter uos”: ac si figurate per habitum sacerdotis dicat: Mala Punica tintinnabulis iungite, ut per omne, quod dicitis, unitatem fidei cauta obseruatione teneatis.

§. 1. Prouidendum quoque est sollicita intentione rectoribus, ut ab eis nullo modo non solum praua, sed nec recta quidem nimie et inordinate proferantur, quia sepe dictorum uirtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incauta inportunitate leuigatur, et auctorem suum hec eadem loquacitas inquinat, que seruire auditoribus ad usum profectus ignorat.

Unde bene per Moysen dicitur in Leuitico: “Vir, qui fluxum seminis patitur, immundus erit”.

In mente quippe audientium semen secuturæ cogitationis est audita equalitas locutionis, quia, dum per aurem sermo concipitur cogitatio in mente generatur.

Unde ab huius mundi sapientibus in Actibus Apostolorum predicator egregius semiuerbius uocatus est.

Qui ergo fluxum seminis sustinet, immundus asseritur, quia multiloquio subditus ex eo se inquinat; quod si ordinate promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corde potuisset, dum que incautus per loquacitatem diffluit, non ad usum generis, sed ad immundiciam semen fundit.

Unde Paulus quoque, cum de instancia predicationis discipulum admoneret, dixit ad Timotheum Ep. II.: “Testificor coram Deo et Christo Iesu, qui iudicaturus est uiuos et mortuos et aduentum ipsius et regnum eius, predica uerbum, insta oportune, inportune”.

Dicturus: “inportune,” premisit: “oportune,” quia scilicet apud auditoris mentem ipse sua uilitate se destruit, si habere inportunitas oportunitatem nescit.

**C. II. Porcis et canibus sacra non sunt committenda.**

Item Origenes.

## **II. Pars.**

In mandatis habemus, ut uenientes ad ciuitatem discamus prius, quis in ea dignus sit, ut apud eum cibum sumamus; quanto magis nosse oportet, quis qualis ue sit is, cui immortalitatis uerba credenda sunt?

Solliciti enim esse debemus, ne margaritas nostras mittamus ante porcos.

Sed ob alias causas utile est uiri huius me habere noticiam.

Si enim sciam, quia in his, de quibus non potest dubitari quod bona sint, emendatus est et inculpabilis, (hoc est, si sobrius, si misericors, si iustus, si mitis, et humanus est, que utique bona nullus ambigit,) tunc consequens uidebitur, ut ei, qui obtinet bona uirtutum, etiam quod deest fidei et scientiæ conferatur, et in quibus maculari eius uita uidebatur, que est in reliquis probabilis, emendetur.

Si uero in his, que palam sunt, peccatis inuolutus permanet et inquinatur, non me oportet aliquid de secretioribus et remotis diuinæ sententiæ proloqui, sed magis protestari, et conuenire eum, ut peccare desinat et actus suos a uiciis emendet.

Quod si ingesserit se, et prouocabit nos dicere, que eum minus recte agentem non oporteat audire, prudenter eum debemus eludere.

Nam nichil omnino respondere auditorum causa utile non uidetur, ne forte estiment, nos responsionis penuria declinare certamen, et fides eorum ledatur non intelligentium propositum nostrum.

C. III. Verba predicationis persecutoribus suis prelati non subtrahant.  
Item Anacletus. [epist. I. omnibus Episcopis].

### III. Pars.

Scimus autem, multos ob id infestare doctores, ut eos perdant, et propriæ uoluntatis placita adimpleant.

Non propterea tamen doctores (in quantum uires suppetunt) a recta emulatione et bona intentione recedere debent, scientes, quia beati, qui persecutionem patiuntur propter iusticiam.

C. IV. Non mundus est a sanguine subiectorum, qui Dei consilium illis non annunciat.  
Item Gregorius Venantio Episcopo. [lib. I. epist. 33].

Ephesiis Paulus dicit: “Mundæ sunt manus meæ a sanguine omnium uestrum: non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei uobis”.

Mundus ergo a sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium pronunciare nolisset, quia, cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit.

C. V. Eternæ dampnationis penam incurrit predicator, qui semen diuini uerbi non spargit.

Item Nicolaus Papa. [ad Michælem Imperatorem in epistola, cuius initium est: “Proposueramus”].

Dispensatio est nobis celestis seminis iniuncta; “uæ si non sparserimus, uæ si tacuerimus”.

Quod cum electionis uas formidet et clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum est?

Proinde, sicut non leue discrimen incumbit pontificibus, siluisse quod congruit, ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui cum debeant parere, despiciunt.

### IV. Pars.

Gratian. Pariter quoque obseruare debet sacerdos, ne indignis et non intelligentibus secreta misteria sua predicatione reserare incipiat.

Qui enim ea docet, que ab auditoribus intelligi non ualent, non eorum utilitatem, sed sui ostentationem facit.

Unde in expositione: “Beati immaculati,” dicitur: “Viciium animi est, indignis secreta uulgare, quod fit uel loquacitate incauta, dum sine iudicio uolat irreuocabile uerbum, uel adulatione, ut ei placeat, cui secreta reuelat, uel iactatione scientiæ, ut plura scire uideatur”.

In quibus omnibus profecto datur intelligi, quanta debeat esse discretio in predicatione sacerdotis, qua si forte caruerit, tanquam torto naso, sacerdotalis officii iudicatur indignus.

## DISTINCTIO XLIV.

### GRATIANUS.

**I. Pars.**

Cum autem uinolentus esse prohibetur, gulæ intemperantiam nequaquam habere permittitur; neque enim ebrietas prohibetur, et uoracitas permittitur.

Utique enim inter opera tenebrarum Apostolus connumerat, scribens Romanis: “Non in comessionibus et ebrietatibus”.

Ventris namque ingluuies ad luxuriam facile prouocat, et omne bonum opus dissoluit.

Unde uenter et genitalia sibimetipsis uicina sunt, ut ex uicinitate membrorum confederatio intelligatur uitiorum.

Hinc etiam Nabusardan princeps cocorum muros Ierusalem destruxisse legitur, quia uenter, cui multitudo cocorum deseruit, edificia uirtutum ad solum redigit.

Sacerdos itaque de altario uiuere, non luxuriari querat.

Unde Ieronimus ait: “Tibi o sacerdos de altario uiuere, non luxuriari permittitur”.

§. 1. Sunt autem comessiones non solum sacerdotibus, sed etiam laicis noxiæ qui festiuos et solempnes dies non aliter se digne celebrare putant, nisi comessionibus deseruiant.

Unde Augustinus scribit ad Aurelium Episcopum: [epist. LXIV].

**C. I. Non est uacandum comessionibus et ebrietatibus.**

Comessiones et ebrietates ita concessæ putantur et licitæ, ut in honorem beatissimorum martirum non solum per dies solempnes, (quod unus quisque non lugendum uideat, qui hec non carneis oculis inspicit?), sed etiam cotidie celebrentur.

Et post pauca:

Non ergo aspere, quantum estimo, non duriter, non modo imperiose ista tolluntur: magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando.

Sic enim agendum est cum multitudine.

Seueritas autem exercenda est in peccata paucorum.

Et si quidem minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando uindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.

Ita prius mouebuntur spirituales uel spiritualibus proximi, quorum auctoritate et lenissimis quidem, sed instantissimis admonicionibus cetera multitudo frangatur.

**C. II. Nulli clericorum aut continentium licet tabernas intrare.**

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 24].

Non oportet clericos seruientes a presbiteris usque ad subdiaconos et deinceps ordinis ecclesiastici omnes usque ad ministros, aut lectores, aut exorcistas, aut hostiarios, aut psalmistas, aut etiam eos, qui in proposito continentia sunt, tabernas intrare.

**C. III. Deponatur clericus, qui tabernas aut ergasterium habere uoluerit.**

Item ex VI. Sinodo. [cap. 9].

Nulli licet clerico tabernam aut ergasterium habere.

Si enim huiusmodi tabernam ingredi inhietur, quanto magis aliis ministrare in ea?

Si quis uero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.

**C. IV. Nisi necessitate compulsi clerici tabernas non ingrediantur.**

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 27].

Clerici edendi uel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

C. V. Corripiendus est episcopus, qui conuiuuiis occupatur.  
Item Gregorius Natali Episcopo. [lib. II. Reg. Indict. X. epist. 14].

## II. Pars.

Multis ab urbe tua uenientibus, frater karissime, didici, pastoralis cura derelicta solis te conuiuuiis occupatum.

Que audita non crederem, nisi hec actionum tuarum experimentis approbarem.

Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exortationi inuigiles, sed ipsum quoque usum ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimonium, quod eis, sub quibus positus es, seruare reuerentiam nescis.

C. VI. De eodem.

Item ad eundem. [ib. II. epist. 37].

Conuiuia, que ex intentione impendendæ karitatis fiunt, recte uestra fraternitas in suis epistolis laudat.

Sed tamen sciendum est, quia tunc ex karitate ueraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium uita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes secularium negotiorum fabulæ, sed uerba sacræ lectionis audiuntur; cum non plus, quam necesse est, seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, ut ad usus exercendæ uirtutis habeatur.

Hec itaque si uos in uestris conuiuuiis agitis, abstinentium, fateor, magistri estis.

[PALEA. C. VII.

Item ex Concilio Nanetensi.

Nullus presbiterorum, quando ad anniuersarium diem, trigesimum, aut septimum, uel tertium alicuius defuncti, aut quacumque uocatione ad collectam presbiteri conuenerit, se inebriare ullatenus presumat, nec precatus amore sanctorum uel ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, uel se aliena precatione ingurgitare; nec plausus et risus inconditos, et fabulas inanes ibi referre, aut cantare presumat, aut turpia ioca uel urso, uel tornatricibus ante se fieri patiatur; nec laruas demonum ante se ferri consentiat, quia hoc diabolicum est et a sacris canonibus prohibitum].

[PALEA. C. VIII. De eodem.

Item ex eodem.

Quando autem conuenerint presbiteri ad aliquod conuiuium, aliquis prior illorum uersum ante mensam incipiat et cibum benedicat.

Et tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem prebentes; et per uices cibum et potum benedicant, et aliquis de illorum clericis aliquid de sancta scriptura legat.

Et post refectionem similiter sanctum ymnum dicant ad exemplum Domini, sicut in cena fecisse legitur, et sic se contineant omnes presbiteri, maxime in talibus locis, ut non uituperetur ministerium illorum].

[PALEA. C. IX. De eodem.

Item ex eodem.

Quando presbiteri per calendas simul conueniunt post peractum diuinum misterium ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium ibi



ad tabulas resideant, ne per talia inhonesta conuiuia se inuicem grauent, quia indecens est et onerosum.

Sepe etiam tarde ad ecclesiam redeuntibus maius damnum de reprehensione consequuntur, quod de grauedine mutua contrahunt, quam lucrum ibi faciunt.

Nam de huiusmodi conuentu Paulus Corinthios reprehendit, qui inconuenienter cenam dominicam manducare conueniebant.

Sic et qui ad cenam dominicam, id est ad collationem uerbi, sub occasione conueniunt, et ex ueritate uentris causa coniunguntur, reprehensibiles coram Deo et hominibus habentur.

Et ideo peractis omnibus, qui uoluerint panem cum caritate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, et singuli singulos bibere faciant, et maxime ultra tertiam uicem poculum non contingant, et sic ad ecclesias redeant].

**C. X.** Christiani ex simbolis conuiuia non celebrent.

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 55]

### **III. Pars.**

Non oportet ministros altaris uel quoslibet clericos, aut etiam laicos Christianos ex simbolis, que uulgo comissalia appellat, conuiuia celebrare.

**C. XI.** Sacrarum scripturarum lectio sacerdotalibus conuiuibus semper admisceatur.

Item ex Concilio Tolletano III. [c. 7].

Pro reuerentia Dei et sacerdotum id uniuersa constituit synodus, ut (quia solent crebro mensis ociosæ fabulæ interponi) in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarum misceatur.

Per hoc enim et animæ edificantur ad bonum, et fabulæ non necessariae prohibentur.

**C. XII.** De confertis nec conuiuia facere, nec ante horam diei tertiam clericis comedere licet.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 61. et 66].

Non liceat sacerdotes uel clericos, sed nec religiosos laicos conuiuia facere de confertis.

§. 1. Nec oportet clericos uel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire conuiuia, neque aliquando clericos, nisi ymno dicto edere panem, et post cibos gratias auctori Deo referre.

Gratian. Si ergo laicis comessationes dampnabiles sunt, multo magis sacerdotibus imputantur ad gehennam.

Venter enim pinguis (ut ait Ieronimus) crassum sensum generat, cum sacerdotalis sensus econtra uigil debeat esse et tenuis; atque ideo edacitatis uitio obnoxii in sacerdotes ungi non debent.

Hi enim (ut ait Gregorius in Moralibus), qui adhuc uiciorum bello subiacent, nequaquam per predicationis usum preesse magisterio ceterorum debent.

## **DISTINCTIO XLV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Sequitur: “non percussorem”.

Non enim oportet episcopum ita esse irascibilem et perturbati sensus, ut percutiat, qui debet esse patiens: sed sequatur eum, qui dorsum posuit ad flagella.

Unde Gregorius scribit Iohanni Episcopo Constantinopolitano: [lib. I. epist. 52].

**C. I.** Verborum correctione, non uerberibus timeri debent episcopi.

Quid autem de episcopis, qui uerberibus uolunt timeri, canones dicant, bene fraternitas uestra nouit.

Pastores enim facti sumus, non percussores.

Egregius predicator dicit: “Argue, obsecra, increpa cum omni patientia et doctrina”.

Noua uero atque inaudita est ista predicatio, que uerberibus exigit fidem.

[C. II].

Item in quodam Concilio. [Romano sub Siluestro, c. 17].

Neminem quisquam peccantem clericum cede attingat, non presbiter diaconum, non episcopus clericum uel seruitorem ecclesiæ ad cedem perducatur.

Quod si ita causa exigit, id est, si incorrigibilis extiterit clericus, triduo priuetur honore, ut penitens redeat ad matrem ecclesiam.

**C. III.** Non asperis, sed blandis uerbis ad fidem sunt aliqui prouocandi.

Item Pascasio Episcopo Neapolim. [lib. XI. epist. 15].

Qui sincera intentione extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt rectam adducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere, ne quorum mentem reddita a plano ratio poterat prouocare, pellat procul aduersitas.

Nam quicumque aliter agunt, et eos sub hoc uelamine a consueta ritus sui uolunt cultura remouere, suas illic magis, quam Dei probantur causas attendere.

§. 1. Iudei siquidem Neapolim habitantes questi nobis sunt asserentes, quod quidam eos a quibusdam feriarum suarum sollempnitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festiuitatum suarum sollempnia colere, sicut eis nunc usque et parentibus eorum longis retro temporibus licuit obseruare.

Quod si ita se ueritas habet, superuacuae rei uidentur operam dare.

Nam quid utilitatis est, quando, etsi contra longum usum fuerint uetiti, ad fidei illis conuersionem nil proficit?

Aut cur Iudeis qualiter ceremonias suas colere debeant regulas ponimus, si per hoc eos lucrari non possumus?

Agendum est ergo, ut potius ratione et mansuetudine prouocati sequi nos uelint, non fugere, ut eos, ex eorum codicibus ostendentes que dicimus, ad sinum matris ecclesiæ Deo possimus adiuuante conuertere.

Itaque fraternitas tua eos monitis prout potuerit, Deo adiuuante ad conuertendum accendat, et de suis illos sollempnitatibus inquietari denuo non permittat, sed omnes festiuitates ferias que suas, sicut hactenus tam ipsi quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant obseruandi celebrandi que licentiam.

**C. IV.** Non seueritate, sed beniuolentia subditos prelati corripiant.

Idem uniuersis Episcopis per Galliam et Europam et Germaniam constitutis.

Licet plerumque accidant sacerdotibus que sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat beniuolentia quam seueritas, plus cohortatio quam commotio, plus karitas quam potestas, cum nemo nostrum sine reprehensione aut sine peccato uiuat.

Nam si Dominus statim post trinam negationem B. Petrum preceptorem nostrum apostolum iudicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset.

Expectandi ergo atque corrigendi magis sunt rectores ecclesiæ, quam statim iudicandi.

Unde necesse est queque negotia ecclesiastica post multarum experientiarum causarum sollicitius perspicere, et diligentius precauere, quatinus per spiritum karitatis et pacis omnis materia scandalorum et presumptio Iudeorum atque oppressio simplicium fratrum de ecclesiis Domini auferantur.

Et sicut non uult quisquam fratrum se aliorum iudicio pregruari, ita non audeat alii inferre quod sibi non uult fieri.

Iudei non sunt cogendi ad fidem, quam tamen si inuiti susceperint, cogendi sunt retinere.

Unde in Tolletano Concilio IV. [c. 56]. statutum est:

**C. V.** Sicut non sunt Iudei ad fidem cogendi, ita nec conuersis ab ea recedere permittitur.

De Iudeis autem precepit sancta synodus, nemini deinceps uim ad credendum inferre.

“Cui enim uult Deus miseretur, et quem uult indurat”.

Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed uolentes, ut integra sit forma iusticiæ.

Sicut enim homo propria arbitrii uoluntate serpenti obediens periit, sic uocante se gratia Dei propriæ mentis conuersione quisque credendo saluatur.

Ergo non ui, sed libera arbitrii facultate ut conuertantur suadendi sunt, non potius inpellendi.

Qui autem iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, (sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti), quia iam constat eos sacramentis diuinis associatos, et baptismi gratiam suscepisse, et crismate unctos esse, et corporis Domini extitisse participes, oportet, ut fidem, quam ui uel necessitate susceperint, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides, quam susceperunt, uilis ac contemptibilis, habeatur.

**C. VI.** Beniuolentia plus quam seueritas erga corrigendos agat.

Item Leo Episcopus. [epist. LXXXII. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, c. I].

Licet nonnumquam accidant, que in sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat beniuolentia quam seueritas, plus cohortatio quam commotio, plus karitas quam potestas.

Sed ab his, qui que sua querunt, non que Iesu Christi, facile ab hac lege disceditur; et dum dominari magis quam consulere subditis placet honor inflat superbiam, et quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam.

**C. VII.** Deiciatur ab officio diaconus presbiter et episcopus uerberibus timeri querens.

Item ex canone Apostolorum. [can. 28. (juxta priscam uersionem)]

Episcopum, aut presbiterum, aut diaconum percutientem fideles delinquentes aut infideles inique agentes, et per huiusmodi uolentem timeri, ab officio suo deici precipimus, quia numquam nos Dominus hoc docuit.

E contrario uero ipse, “cum percuteretur, non repercutiebat, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur”.

**C. VIII.** Non uerberibus, sed uerbis subditos episcopi corripiant.

Item ex Concilio Bracaren. [III. c. 7].

Cum beatus Apostolus arguere, obsecrare uel increpare in omni patientia precipiat, extra hanc doctrinam nouimus quosdam ex fratribus tantis cedibus in honoratos efferescere, quanto poterant latrocinantium promereri personæ.

Et ideo, qui gradus iam ecclesiasticos meruerunt, id est presbiteri, abbates siue leuitæ, qui, exceptis grauioribus et mortalibus culpis, nullis debent uerberibus subiacere, non est dignum, ut passim unusquisque prelatus honorabilia membra sua prout uoluerit et ei placuerit uerberibus subiciat et dolori, ne dum incaute subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat, iuxta illud, quod quidam sapiens dicit: “Leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimie increpatio nec increpationem recipit, nec salutem”.

Et ideo, si quis aliter, quam dictum est, predictos honorabiles subditos, licentia perceptæ potestatis elatus, malicia tantum crediderit uerberandos, iuxta uerberum modum, quem intulerit, excommunicationis pariter et exilii sententiam sustinebit.

## II. Pars.

Gratian. Salomon uero econtra ammonet, dicens: “Percute filium tuum uirga, et liberabis animam eius a morte”.

Hinc etiam B. Gregorius scribit in Dialogo, B. Benedictum quendam monachum uirga percutiendo sanasse, quem crebra ammonitione curare non poterat.

Hinc etiam Dominus flagello facto de resticulis male uersantes in templo flagellauit et de orationis domo eiecit.

Hinc etiam Apostolus fornicatorem illum satanæ corporaliter uexandum tradidit, et magum illum corporali cecitate dampnauit.

Hinc etiam in canonibus pueri, qui ante rationales annos irrationabiliter uersantur, uerberibus castigari iubentur.

Virgines quoque, si religionis ueste deposita aliis se copulauerint, ergastulis retrudi precipiuntur.

Hinc etiam Gregorius in Moralibus scribit libro XX. parte 4. capitulo 11.:

**C. IX.** Disciplina non est seruanda sine misericordia, nec misericordia sine disciplina.

Disciplina uel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur.

Sed circa subditos inesse debet rectoribus et iuste consulens misericordia, et pie seuiens disciplina.

Hinc est, quod semiuiui illius uulneribus, qui a Samaritano in stabulum ductus est, et uinum adhibetur et oleum, ut per uinum mordeantur uulnera, per oleum foueantur: quatinus unusquisque, qui sanandis uulneribus preest, in uino morsum distractionis adhibeat, in oleo molliciem pietatis; per uinum mundantur putrida, per oleum sananda fouentur.

Miscenda ergo est lenitas cum seueritate, faciendum est quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur.

Hoc nimirum illa tabernaculi archa significat, in qua cum tabulis uirga simul et manna est, quia cum scripturæ sacræ scientia est in boni rectoris pectore si est uirga districtio, sit et manna dulcedinis.

Hinc etiam Daudid ait: “Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt”.

Virga enim percutimur, et baculo sustentamur.

Si ergo est districtio iusticiæ, que feriat, sit et consolatio baculi, que sustentet.

Sit itaque amor, sed non emolliens, sit uigor sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderate seuiens; sit pietas, sed non plus quam expediat parcens.

Intueri libet in Moysi pectore misericordiam simul cum seueritate sociatam.

Videamus amantem pie et districte seuientem.

§. 1. Certe cum Isræliticus populus ante Dei oculos pene inueniabilem contraxisset offensam, ita ut eius rector audisset: “Descende, peccauit populus tuus,” ac si ei diuina uox diceret: “qui in tali peccato lapsus est, meus non est,” atque subiungeret: “Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciam que te in gentem magnam,” ille semel et iterum pro populo, cui preerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens ait: “Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti”.

Pensemus ergo, quibus uisceribus eundem populum amauit, pro cuius uita de libro uitæ deleri se petiit.

Sed tamen iste, qui tanto amore eius populi constringitur, contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur.

Mox enim, ut culpæ uenia delerentur obtinuit zelo rectitudinis succensus ait: “Ponat uir gladium super femur suum, ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum; ceciderunt que in die illo quasi uiginti tria milia hominum”.

Ecce, qui uitam hominum etiam cum sua morte petiit, paucorum uitam gladio extinxit.

Intus arsit igne amoris: foris accensus est zelo seueritatis.

Tanta fuit pietas, ut se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret; tanta seueritas, ut eos, quos diuinitus feriri timuerat, ipse iudicii gladio feriret.

Sic amauit eos, quibus prefuit, ut pro eis nec sibi parceret, et tamen delinquentes sic persecutus est, quos amauit, ut eos etiam parcente Domino prosterneret.

Utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegauit.

Intus amans diuinæ iræ supplicando obstitit: foris seuiens culpam feriendo consumpsit.

In regimine ergo utrumque Moyses miscuit, ut nec disciplinæ deesset misericordia, nec misericordiæ disciplina.

Unde hic quoque iuxta utramque uirtutem dicitur: “Cum que sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen merentium consolator”.

Sedere quippe circumstante exercitu uigor est disciplinæ regiminis: merentium uero corda consolari ministerium pietatis.

**C. X.** Iuste iudicans misericordiam cum iusticia seruat.

Idem.

Omnis, qui iuste iudicat, stateram in manu gestat; in utroque penso iusticiam et misericordiam portat; sed per iusticiam reddit peccatis sententiam, per misericordiam peccati temperat penam, ut iusto libramine quedam per equitatem corrigat, quedam uero per miserationem indulgeat.

Qui Dei iudicia oculis suis proponit, semper timens et tremens in omni negotio formidat, ne de iusticiæ tramite deuians cadat, et unde non iustificatur, inde potius condempnetur.

**C. XI.** Qui remittit, et qui corripit, uterque miseretur.

Item Augustinus in Enchiridion. [c. 72].

Et qui emendat uerbere, in quem potestas datur, uel coerces aliqua disciplina, et tamen peccatum eius, quo ab illo lesus aut offensus est, dimittit ex corde, uel orat ut ei dimittatur, non solum in eo, quod dimittit atque orat, uerum etiam in eo, quod corripit et aliqua emendatoria pena plectit, elemosinam dat, quia misericordiam prestat.

Multa enim prestantur inuitis bona, quando eorum consulitur utilitati, non uoluntati, quia ipsi sibi inueniuntur esse inimici.

Gratian. Sunt enim multa genera elemosinarum, de quibus Albinus ait:

**C. XII.** De multiplici genere elemosinarum.

Tria sunt genera elemosinarum: una corporalis, egenti dare quicquid poteris: altera spiritualis, dimittere a quo lesus fueris; tertia, delinquentem corrigere, et errantes in uiam ducere ueritatis.

**C. XIII.** Elemosinæ corporali prefertur elemosina cordis.

Item Augustinus. [lib. L. homiliarum, hom. 6].

Duæ sunt elemosinæ, una cordis, alia pecuniæ.

Elemosina cordis est dimittere, a quo lesus es.

Nam dare aliquid indigenti aliquando queris, et non habes; indulgere peccanti quantum uolueris redundat tibi.

Elemosina cordis multo maior est quam elemosina corporis.

§. 2. Caritatis elemosina sine terrena substantia sufficit: illa uero, que corporaliter datur, si sine benigno corde tribuitur, omnino non sufficit.

### **III. Pars.**

Gratian. Ex his omnibus apparet, quod nec lenitas mansuetudinis sine rectitudine seueritatis, nec zelus rectitudinis sine mansuetudine in prelati debet inueniri.

Percussores ergo, qui premissis auctoritatibus ab episcopali offitio remouentur, non quilibet corporaliter flagellantes, sed pretermittenda mansuetudine ad uerba semper parati intelligendi sunt, qui per flagella non uicia corrigere, sed timeri appetunt; quibus Petrus scribit: "Ne sitis dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo".

Hinc etiam Gregorius scribit in Moralibus, libro XIX. parte 4. capitulo 23.:

**C. XIV.** Mansuetudo et districtio ab inuicem non separentur.

Sunt namque nonnulli ita districti, ut omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant; et sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti iura regiminis.

Unde cunctis rectoribus utraque summopere sunt tenenda, ut nec in disciplinæ uigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ, quatinus nec a compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt nec disciplinæ uigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur.

Regat ergo disciplinæ uigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet sermone uigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec uigor sit rigidus, nec mansuetudo sit dissoluta.

**C. XV.** Vere iustus miseris compatitur, delinquentibus indignatur.

Idem. [homil. XXXIV. in euangel. (circa init)].

Vera iusticia compassionem habet, falsa dedignationem, quamuis et iusti soleant recte peccatoribus indignari.

Sed aliud est, quod agitur tipo superbiæ, aliud, quod zelo disciplinæ.

Dedignantur etenim, sed non dedignantes.

§. 1. At contra hi, qui de falsa iusticia superbire solent, ceteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt, et quo se peccatores esse non credunt, eo deterius peccatores fiunt.

**C. XVI.** Peccantes mansuetudine prouocentur, non austeritate abiciantur.

Item Ieronimus in Ieremia.

Recedite (inquiunt) polluti, recedite, abite, nolite nos tangere, nolite nobis communicare.

Talis loquela non illuminat cecum, non sanat egrotum, non curat infirmum, sed magis occidit, atque in desperationem periclitantem mittit.

Boni etenim rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes magis per humilitatis et mansuetudinis leuamentum student peccantes ab erroris laqueo eruere, quam per austeritatem in foueam perditionis nutantes propellere.

Unde doctor gentium: “Factus sum,” inquit, “infirmus infirmis”.

**C. XVII.** In populum ira Dei deseuit, cum predicator delinquentes palpat, non corripit.

Idem.

Sed illud non ociose transcurrendum est, quod uno peccante ira super omnem populum uenit.

Hoc quomodo accidit? quando sacerdotes, qui populo presunt, erga delinquentes beniuoli uideri uolunt, et uerentes peccantium linguas, ne forte male de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis inmemores nolunt complere quod scriptum est: “Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant,” et iterum: “Auferte malum de uobis ipsis”.

Nec zelo Dei succensi imitantur Apostolum dicentem: “Tradidi huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat”.

Neque illud euangelicum implere student, ut si uiderint peccantem, primo secrete conueniant, post etiam duobus uel tribus testibus; quod si contempserit, et post ecclesie correctionem non fuerit emendatus, de ecclesia expulsum uelud gentilem habeant ac publicanum; et dum uni parcunt, uniuersæ ecclesie moliuntur interitum.

Que ista bonitas, que ista misericordia est, uni parcere, et omnes in discrimen adducere?

Polluitur enim ex uno peccatore populus.

Sicut ex una oue morbida uniuersus grex inficitur, sic etiam uno uel fornicante uel aliud quodcunque scelus committente plebs uniuersa polluitur.

Gratian. Hinc etiam alibi dicitur: “Rectorem subditis pietas matrem, disciplina uero patrem exhibeat”.

#### **IV. Pars.**

Percussor quoque dicitur, qui sermone inutili infirmorum conscientiam uulnerat.  
Unde Anacletus Papa: [epist. II. ad Episcopos Italiæ]

**C. XVIII.** Qui sermone incauto conscientiam percutit infirmorum, percussor uocatur. Sane percussor ille dicitur doctor, qui sermone inutili conscientiam percutit infirmorum. Ideo tenere uos et omnes fideles oportet eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sacra, et contradicentes redarguere, et recte uiuentes atque rectam fidem tenentes consolidare.

## **DISTINCTIO XLVI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Sequitur: “Non litigiosum”.

Nichil est enim impudentius arrogancia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, et parati ad lites in subiectos tumide intonant, quod ex arrogancia superbiæ prouenire manifestum est.

Unde Gregorius scribit in Moralibus, libro XXIII. parte 5. capitulo 12.: [c. 13. §. 23.. et 24. ad c. 33. Iob].

**C. I.** Arrogantes nesciunt humiliter inferre que docent.

Hoc habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre quod docent, et recta, que sapiunt, recte ministrare non possunt.

In uerbis enim eorum proditur, quod, cum docent, quasi in quodam sibi uidentur summitatis culmine residere, eos que, quos docent, ut longe infra se positos uelut in imo respiciunt, quibus non consulendo, sed uix dominando dignantur loqui.

Recte autem his per Prophetam Dominus dicit: “Vos autem cum austeritate inperabatis eis et cum potentia”.

Cum austeritate enim et potentia inperant, qui subditos suos non tranquille corrigere ratiocinando, sed aspere inflectere dominando festinant.

At contra doctrina uera tanto uehementius hoc elationis uicium fugit per cogitationem, quanto ardentius suorum uerborum iaculis ipsum magistrum elationis insequitur.

Cauet enim, ne eum moribus elatis predicet, quem in cordibus audientium sacris sermonibus insectatur.

#### **II. Pars.**

Gratian. Ecce, quare litigiosi prohibentur in episcopos ordinari.

Est et alia causa huius prohibitionis.

Litigiosi namque uel adulationibus animos principum sibi conciliant, uel fratribus suis detrahendo infamiæ notam ingerunt, uel inter fratres discordiam seminando seditiones numquam facere cessant; que omnia in prelati dampnabilia esse probantur.

Unde Gregorius scribit in Moralibus, in libro XVIII. parte 4. capitulo 3.: [ad cap. 27. Iob].



**C. II. De his, qui peccantibus adulantur.**

Sunt nonnulli, qui, dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent que increpare debuerunt.

Hinc enim per Prophetam dicitur: “Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, et faciunt ceruicalia sub capite uniuersæ etatis”.

Ad hoc quippe sub cubito puluillus uel ceruical sub capite iacentis ponitur, ut molliter quiescatur.

Quisquis ergo male agentibus adulatur, puluillum uel ceruical sub capite uel cubito iacentis ponit, ut qui corripit ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.

§. 1. Hinc rursus scriptum est: “Ipse edificabat parietem, illi autem liniebant eum”.

Parietis quippe nomine peccati duricia designatur.

Edificare ergo parietem est contra se quempiam obstacula peccati construere.

Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, ut, quod illi peruerse agentes edificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant.

§. 2. Sed sanctus uir sicut mala de bonis non estimat, ita iudicare bona de malis recusat, dicens: “Absit a me, ut iustos uos iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea”.

Hinc etiam in Concilio Cartaginensi IV. [c. 56]. legitur:

**C. III. Adulator uel proditor clericus ab offitio degradetur.**

Clericus, qui adulationibus et prodicionibus uacare deprehenditur, degradetur ab offitio.

**C. IV. Excommunicentur ab episcopo, qui fratribus non probanda obiciunt.**

Item. [ex eodem Concilio, c. 55].

Accusatores fratrum episcopus excommunicet, et si emendauerint uicium, recipiat eos ad communionem, non ad clerum.

**C. V. Remoueat ab offitio clericus maledicus; scurra fratrum a profectibus inuidens non promoueat.**

Item ex eodem. [Concilio, c. 57].

Clericus maledicus (maxime in sacerdotibus) cogatur ad postulandam ueniam.

Si noluerit, degradetur, nec umquam ad offitium absque satisfactione reuocetur.

**C. VI. De eodem.**

Item. [ex eodem Concilio, c. 60].

Clericum scurrilem et uerbis turpibus ioculatorem ab offitio retrahendum.

**C. VII.**

Item. [ex eodem c. 54].

Clericus inuidens fratrum profectibus, donec in uicio est, non promoueat.

**C. VIII. Non sunt ordinandi, qui sedicionibus uacant.**

Item. [ex eodem, c. 67].

Sedicionarios statuimus numquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios, uel iniuriarum suarum ultores.

**C. IX. Usuras exigere clericis minime licet.**

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 5].

### III. Pars.

Non licet fenerari ministris altaris, uel in sacerdotali ordine constitutis uel usuras, uel lucra, que sescupla dicuntur, accipere.

**C. X.** Nec suo nomine, nec alieno clericus fenerator existat.

Item Leo Papa. [Episcopis per Campaniam, epist. I. c. 4].

Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fenus attemptet.

Indecens enim est crimen suum commodis alienis inpendere et exercere.

Fenus autem hoc solum aspicere et exercere debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus, a Domino, (qui multipliciter et in perpetuum mansura tribuit), recipere ualeamus.

## DISTINCTIO XLVII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem in fine huius capituli usurarii ordinari prohibentur, inde est, quia usuram exercentes cupiditati deseruire probantur; cupidi autem ab Apostolo ordinari prohibentur, quia tales facile a iusto deuiarent.

Unde in canonibus Apostolorum [c. 44]. legitur:

**C. I.** Diaconus, presbiter et episcopus exigens usuras, nisi desierit, deponatur.

Episcopus aut presbiter aut diaconus usuras a debitoribus exigens, aut desinat, aut certe deponatur.

**C. II.** Usuras exigens siue clericus, siue regulæ subiectus, deiciatur.

Item ex Concilio Niceno. [c.] 17.

Quoniam multi sub regula constituti auaritiam et turpia lucra sectantur, obliti que diuinæ scripturæ, dicentis: “Qui pecuniam suam non dedit ad usuram,” mutuam dantes centesimas exigunt: iuste censuit sancta et magna synodus, ut, si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem usuras accipiens, aut aliquam adinventionem uel quolibet modo negotia transigens, aut emiola, id est sescupla exigens uel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deiciatur a clero et alienus existat a regula.

Hinc etiam Gregorius in libro XIX. Moralium, parte IV. capitulo 35. de dilectoribus seculi scribit, dicens:

**C. III.** Temporalibus lucris deseruientes Deo nequaquam militare probantur.

Omnes huius seculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in celestibus debiles.

Nam pro temporali gloria usque ad mortem desudare appetunt, et pro spe perpetua nec parum quidem in labore subsistunt; pro terrenis lucris quaslibet iniurias tollerant, et pro celesti mercede uel tenuissimi uerbi ferre contumelias recusant; terreno iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione uero coram Domino uel unius horæ momento lassantur; sepe nuditatem, deiectionem, famem pro acquirendis diuitiis atque honoribus tollerant, et earum rerum se per abstinentiam cruciant, ad quas adipiscendas festinant;

superna autem laboriose querere tanto magis dissimulant, quanto ea tardius putant retribui.

§. 1. Hi itaque quasi aliarum arborum more deorsum uasti sunt, sursum augusti, quia fortes in inferiora subsistunt, sed ad superiora deficiunt.

At contra ex qualitate palmarum designatur proficiens uita iustorum, qui nequaquam sunt in terrenis desideriis fortes et in celestibus debiles, sed longius atque distantius studiosos se Deo exhibent, quam seculo fuisse meminerint.

§. 2. Nam cum quibusdam per predicatorem nostrum dicitur; “Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ.

Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire inmundiciæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc, exhibete membra uestra seruire iusticiæ in sanctificationem,” eorum proculdubio infirmitati condescenditur, ac si eis apertius diceretur: Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione uiciorum, ne debiliores uos habeat sancta libertas æris, quos in carne ualidos habuit usus terrenæ uoluptatis.

**C. IV.** Ad sacros ordines usurarii promoueri non debent.

Item Gregorius ciuibus Neapolim. [lib. VIII. epist. 40].

De Petro insuper ad nos peruenisse cognoscite, quia solidos dederit ad usuras.

Quod uos oportet cum omni subtilitate perquirere, et si ita constiterit, alium eligite, et ab huiusmodi persona uos suspendite sine mora.

Nam nos amatoribus usurarum nulla ratione manus inponimus.

Si uero subtili habita inquisitione hoc falsum esse putaueritis, (quia persona eius nobis ignota est, et utrum ita sit de simplicitate, quod ad nos perlatum est, ignoramus) cum decreto a uobis facto ad nos eum uenire necesse est ut uitam mores que ipsius sollicitius requirentes sensum quoque pariter agnoscamus, ut, si huic iudicio aptus extiterit, uestra in eum (adiuuante Domino) desideria compleamus.

**C. V.** Degradetur clericus, qui usuras accipere detegitur.

Item ex Concilio Elibertano. [c. 20].

Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari et abstinere.

**C. VI.** Nec implicari errore, nec cupiditate sacerdotem uiolari oportet.

Item Leo Episcopus. [Anatolio Episcopo Constantinopol., epist. LI].

## **II. Pars.**

Virum catholicum et precipue Domini sacerdotem sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate uiolari, dicente sancta scriptura: “Post concupiscentias tuas non eas”.

Mens etiam potentiæ auida nec abstinere nouit uetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.

**C. VII.** Qui cupiditatem a se non abscidit, bonorum auctori inherere non ualet.

Item Gregorius. [I. VII. epist. 100].

Bonorum auctori inherere aliter non ualemus, nisi cupiditatem a nobis (que omnium malorum radix est) abscidamus.

**C. VIII.** Auarus omnium bona inuadit, quorum necessitatibus subuenire ualet.

Item Ambrosius [Serm. LXXXI]. de eo, quod scriptum est in euangelio: “Hominis cuiusdam diuitis fructus uberes agere attulit”.

Sicut hi, qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ fantasias uident, ita etiam mens auari semel uinculis cupiditatis astricta semper aurum, semper argentum uidet, semper redditus computat, gratius aurum intuetur quam solem; ipsa eius oratio et supplicatio ad Dominum aurum querit.

Et post pauca:

§. 1. Interdum etiam usuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur.

Sed nec sacietas unquam, nec finis aderit cupiditati.

Et infra:

§. 2. Sed ait: quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruo?

O inpudens dictu! Propria dicis? que? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?

Quando in hanc ingressus es lucem, quando de uentre matris existi, quibus queso facultatibus quibusque subsidiis stipatus ingressus es?

Et post pauca:

§. 3. Proprium nemo dicat, quod est commune plus quam sufficeret sumptum et uiolenter obtentum est.

Et infra:

§. 4. Numquid iniquus est Deus, ut nobis non equaliter distribuatur uitæ subsidia, ut tu quidem esses affluens et habundans, aliis uero deesset et egerent?

an idcirco magis, quia et tibi uoluit benignitatis suæ experimenta conferre, et alium per uirtutem patientiæ coronare?

Tu uero susceptis muneribus Dei, et in sinum tuum redactis, nichil te putas agere iniquum, si tam multorum uitæ subsidia solus obtineas?

Quis enim tam iniustus tam auarus, quam qui multorum alimenta suum non usum, sed habundantiam et delicias facit?

Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam, cum possis et habundas, indigentibus denegare.

Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio est et absolutio pecunia, quam tu in terra defodis.

Tanquam te ergo scias inuadere bona, quantis possis prestare quod uelis.

### III. Pars.

Gratian. Necessè est etiam, ut ille, qui ordinandus est, “suæ domui sit bene prepositus,” id est, si in laicali habitu uxorem habuerit uel filios, a uiciis ad uirtutum studia et uerbo et exemplo prouocet, ut quod postea precepturus est populis, prius exigat a domesticis.

Unde Apostolus Ephesiis scribit, ut uxores suas sicut sua corpora diligant, et filios suos non ad iracundiam prouocent, sed enutrient illos in omni disciplina et correctione Domini.

Unde cum ad Timotheum scribens, dixisset: “suæ domui bene prepositus,” statim subiunxit: “habentem sibi subditos filios in omni castitate, non in accusatione luxuriæ”.

Non enim talium cohabitator frontem habet alios redarguendi.

Unde de B. Iob legitur, quod pro filiis suis cotidiana Deo offerrebat sacrificia, offerrens olocausta per singulos, quos tanta karitatis perfectione in unum constrinxit, ut quisque eorum in suo die conuiuium fratribus pararet, et ad epulandum se cum tres sorores suas pariter inuitaret.

Quod quia Heli facere dissimulauit, ac falsa pietate superatus filios delinquentes ferire noluit, (sicut in libro Regum legitur) apud districtum iudicem semetipsum cum filiis crudeli dampnatione percussit, unde ei diuina uoce dicitur: “Honorasti filios tuos plus, quam me”.

Hinc etiam Dauid erga filios bonitatem, non disciplinae seueritatem exercens, eorum iuuentutem experimento didicit perniciosam, quorum puericiam uaga licentia permisit esse uoluptuosam.

Unus quippe eorum sororem suam stupro corrumpens, a fratre eius, Absalone uidelicet, inter epulas, quas fratribus suis fraudulenter parauerat, obruncatus est.

Absalon uero, postquam ueniam a patre obtinuit, regno illum expulit; ad concubinas eius ingressus est; demum per inuia deserti patrem persequens, quercui inhesit, atque ita suspensus interiit.

Hinc etiam Paulus ad Timotheum scribit, dicens: “Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit et est infideli deterior”.

Iure ergo, qui domui suae preesse nescit in episcopum ordinari prohibetur, quia qui in re minima, et de qua sibi familiarior debet cura inesse, fidelis non est, quomodo in ecclesia Dei (ubi tot sunt et alieni) sollicitam diligentiam exhibebit?

Unde Ieronimus: “Non enim iustus polluitur ex uiciis filiorum, sed libertas ab Apostolo ecclesiae principi reseruatur, ut talis fiat, qui non timeat propter uicia liberorum extraneos reprehendere”.

#### IV. Pars.

§. 1. Quod tunc fiet, si non erit quod sibi inputetur.

Cum enim gressus hominis a Domino dirigantur nec sint in homine uiae eius, corripere quidem potest, corrigere autem non ualeat; pulsare potest, non aperire, manus comprimere, non animum mutare.

Unde Augustinus ad Vincentium Donatistam: [epist. CXXXVII].

C. IX. Bonorum disciplina omnium mores inmutare non ualeat.

Quantumlibet uigilet disciplina domus meae, homo sum et inter homines uiuo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam archa Noe, ubi tamen inter octo homines unus reprobus inuentus est, aut melior sit quam domus Abraham, ubi dictum est: “Eice ancillam et filium eius,” aut melior sit quam domus Ysaac, cui de duobus geminis dictum est: “Jacob dilexi, Esau autem odio habui”.

§. 1. Simpliciter autem fateor karitati uestrae coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cepi, quoniam difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt ita non sum expertus peiores quam qui in monasteriis defecerunt.

C. X. Conuicia perditorum a uia rectitudinis nos mouere non debent.

Item Cipriano Cornelius Papa.

Quod ad nos adinet, conscientiae nostrae conuenit, frater, dare operam, ne quis culpa nostra de ecclesia pereat; si autem quis ultro et crimine suo perierit, et penitentiam agere atque ad ecclesiam redire noluerit, nos in iudicii die inculpato futuros credimus, qui eorum consulimus sanitati; illos solos in penis remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate sanari.

Nec mouere nos debent conuicia perditorum, quo minus a uia recta, et a certa regula non recedamus, quam et Apostolus instruit, dicens: “Si hominibus placerem, Christi seruus non essem”.

## DISTINCTIO XLVIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Prohibentur etiam “neophiti” in episcopos ordinari, ut qui heri erat catecuminus, hodie non fiat episcopus, qui heri erat in teatro, hodie non sedeat in ecclesia, qui uespere erat in circo, hodie non ministret altario, qui dudum fuerat fautor istrionum, hodie non sit consecrator uirginum.

Causa autem huius prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam tamquam religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli.

Momentaneus namque sacerdos nescit humilitatem, modos personarum uel se contempnere; non ieiunauit, non fleuit non se correxit non pauperibus erogauit.

In arrogantiam (que est ruina diaboli) incidunt, qui puncto horæ necdum discipuli fiunt magistri, et sicut Innocentius ait, “miserum est, eum fieri magistrum, qui necdum didicit esse discipulus”.

Unde de eisdem in Niceno Concilio [c. 2]. legitur:

#### C. I. Neophitus in episcopum non est ordinandus.

Quoniam multa siue per necessitatem, siue ex quacumque causa, contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex uita gentili nuper adhuc cathecumini uel instructi statim ad spirituale baptisma uenissent, et continuo, cum baptizati sunt etiam ad episcopatum uel presbiterium prouecti sunt: recte igitur uisum est, de cetero nil tale fieri.

Nam et tempore opus est, ut sit catecuminus, et post baptismum multa probatione indiget.

Euidens namque est preceptum apostolicum, dicens: “Non neophitum, ne forte elatus in superbiam in iudicium incidat et in laqueum diaboli”.

Si uero precedente tempore mortale aliquod peccatum admiserit, et conuictus duobus uel tribus testibus fuerit, cessabit a clero qui huiusmodi est.

Si quis uero preter hec fecerit, tanquam contraria statuti sancti concilii gerens, etiam ipse periclitabitur de statu sui cleri.

Gratian. Neophiti uero hodie appellantur ad propositum sacræ religionis nouiter accedentes.

Unde B. Gregorius scribit, [lib. VII. epist. 110]. dicens:

#### C. II. Qui dicantur neophiti.

Sicut neophitus dicebatur, qui in initio sanctæ fidei erat erudicione plantatus, sic modo neophitus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos sacros ordines irreperit.

§. 1. Ordinate ergo ad ordines ascendendum est.

Nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta querit ascensum.

Scimus autem, quod edificati parietes non prius tignorum pondus accipiant, nisi a nouitatis suæ humore siccentur, ne, si ante pondera, quam solidentur, accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant.

## **DISTINCTIO XLIX.**

### **GRATIANUS.**

Ecce a quibus uiciis debeant esse immunes qui in episcopum sunt ordinandi.

Qui enim intercessores pro populo ad Deum parantur necesse est ut eius gratiam bene uiuendo mereantur.

Ut enim ait Gregorius in Pastoralibus.

§. 1. “Sollicite formidandum est, ne, qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur.

Cuncti enim liquido nouimus quia is, qui displicet, cum ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

Qui ergo desideriiis terrenis astringitur, caueat, ne districti iram iudicis grauius accendens, dum loco delectatur gloria, fiat subditis auctor ruinæ.

Sollerter ergo se quisque metiatur, nec locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se uicium dampnabiliter regnat; nec is, quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum”.

**C. I.** Qui uiciis maculatus est sacrificium Deo offerre non debet.

Hinc etenim superna uoce ad Moysen dicitur in Leuitico: “Loquere ad Aaron: homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerat panem Deo suo, nec accedat ad ministerium eius”.

Ubi et repente subiungitur; “Si cecus fuerit, si claudus, si uel paruo uel grandi uel torto naso, si fracto pede, si mancus, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, uel ponderosus”.

§. 1. Cecus quippe est, qui supernæ lumen contemplationis ignorat, qui presentis uitæ tenebris pressus, dum lucem uenturam nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat nescit.

Hinc etenim prophetante Anna dicitur in libro Regum: “Pedes sanctorum suorum seruabit, et impii in tenebris conticescent”.

§. 2. Claudus uero est, qui quidem quo pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis uitæ uiam perfecte non ualet tenere quam uidet; quia uidelicet quis ad uirtutis statum dum fluxa consuetudine non erigitur, quo desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequitur.

Hinc etenim Paulus dicit ad Ebreos: “Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus uestris, ut non claudicans erret, magis autem sanetur”.

§. 3. Paruo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est.

Naso quippe odores fetores que discernimus.

Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam uirtutes eligimus, delicta reprobamus.

Unde et in laude sponsæ dicitur in canticis canticorum: “Nasus tuus sicut turris, que est in Libano,” quia nimirum sancta ecclesia que ex causis singulis temptamenta prodeant per discretionem conspicit, et uentura uiciorum bella ex alto deprehendit.

Sed sunt nonnulli, qui, dum estimari hebetes nolunt, sepe se in quibusdam inquisitionibus plus quam necesse est exercentes ex nimia subtilitate falluntur.

Unde hic quoque subditur: “uel grandi uel torto naso”.

Nasus etenim grandis et tortus est discretionis subtilitas inmoderata, que, dum plus quam decet excreuerit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit.

§. 4. Fracto autem pede uel manu est, qui uiam Domini pergere omnino non ualet, atque a bonis actibus funditus exors uacat, quatenus hec non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat.

§. 5. Gibbus uero est, quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, ne umquam ad superna respiciat, sed solis his, que in infimis calcantur, intendat, quid et si quando aliquid ex bono patriæ celestis audierit ad hoc, nimirum peruersæ consuetudinis pondere pregrauatus, cordis faciem non attollit, qui cogitationis statum erigere non ualet, quem terrenæ usus sollicitudinis curuum tenet.

Ex horum quippe specie Psalmista dicit in Psalmo XXXVII.: “Incuruatus sum et humiliatus sum usquequaque”.

Quorum culpam quoque per semetipsam ueritas reprobans ait in Luca: “Semen autem, quod in spinis cecidit, hi sunt, qui audierunt et a sollicitudinibus et diuiciis et uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum”.

§. 6. Lippus uero est, cuius quidem ingenium ad cognitionem ueritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant.

In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluenti infirmantes palpebræ grossescunt, quorum quia infusione crebra atteritur, etiam acies pupillæ uitiatur.

Et sunt nonnulli, quorum sensum carnalis uitæ operatio sauciat, qui uidere recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu prauorum actuum caligant.

Lippus itaque est, cuius sensum natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit, cui bene per Angelum dicitur in Apocalypsi: “Colirio inunge oculos tuos, ut uideas”.

Colirio quippe oculos ut uideamus inungimus, cum ad cognoscendam ueri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adiuuamus.

§. 7. Albuginem uero habet in oculo, qui ueritatis lucem uidere non sinitur, quia arrogantia sapientiæ seu iusticiæ cecatur.

Pupilla namque oculi nigra uidet, albuginem, tollerans nichil uidet, quia uidelicet sensus humanæ cogitationis, si stultum se peccatorem que intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit.

Si autem candorem sibi iusticiæ seu sapientiæ tribuit, a luce se supernæ cognitionis excludit, et eo claritatem ueri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat, sicut de quibusdam dicitur ad Romanos: “Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt”.

§. 8. Iugem uero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur.

In scabie etenim feruor uiscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur, quia si cordis temptatio usque ad operationem prosilit, nimirum feruor intimus usque ad cutis scabiem prorumpit, et foris iam corpus sauciat, quia dum in cogitatione uoluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur.

Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat ad Corinthios: “Temptatio non apprehendat uos, nisi humana,” ac si aperte diceret: Humanum quidem est in corde temptationem perpeti, demoniacum uero est temptationis certamine et operatione superari.

§. 9. Impetiginem quoque habet in corpore quisquis auaricia uastatur in mente, que si in paruis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur.



Inpetigo quippe sine dolore corpus occupat et absque occupati tedio excrescens membrorum decorem fedat, quia et auaritia capti animum, dum quasi delectat, exulcerat, dum adipiscenda queque cogitationi obicit, ad inimicicias accendit, et dolorem in uulnere non facit, quia estuanti animo ex culpa habundantiam promittit.

Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque uirtutum per hanc pulcritudo deprauatur, et quasi totum corpus exasperat, quia per uniuersa animum subplantat, Paulo adtestante, qui ait ad Timotheum: “Radix omnium malorum est cupiditas”.

§. 10. Ponderosus uero est, qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine grauatur in mente; qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed eius animus uoluptate luxuriæ sine ullo repugnationis stimulo delectatur.

Vicium quippe est ponderis, cum humor uiscerum ad uirilia labitur, que profecto cum molestia dedecoris intumescunt.

Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus ad lasciuiam defluens, pondus turpitudinis gestat in corde; et quamuis praua non exerceat opera, ab his tamen non eleuatur mente, nec ad usum boni operis in aperto ualet assurgere, quia grauat hunc in abditis pondus turpe.

§. 11. Quisquis ergo quolibet horum uitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur, ne profecto aliena delicta ualeat diluere is, quem adhuc propria deuastant.

§. 12. Quia igitur paucis ad pastorale magisterium dignus qualiter ueniat, atque indignus hoc qualiter pertimescat, ostendimus, nunc is, qui ad illud digne peruenerit, in eo qualiter uiuere debeat, demonstramus.

**C. II. Indoctus, terrena lucra quærens, uitiosus ordinari non debet.**

Item Ieronimus super Malachiam. [ad c. 1. u. 7. 8].

Sacerdotes nomen Domini despiciunt, et, quantum ad se, panem pollutum offerunt, qui ad altare indigne accedunt, quique dato munere sacerdotium presumunt.

Panem quoque polluit, qui doctrinam Domini in populo male dispertit, et qui honorat potentem et despicit pauperem.

Et infra:

§. 1. “Si offeratis cecum ad immolandum, nonne malum est?” etc.

Superius accusati de panibus nunc accusantur de uictimis.

Cecum animal offert, qui ordinat indoctum in loco docti, magistrum que facit, qui uix discipulus esse poterat.

Claudum offert, qui lucra terrena querentem locat, utpote pedem in diuersa ponentem, unum in diuinis, alterum in carnalibus, cui potest inferri illud de libro Regum: “Usquequo claudicas in duas partes?”

Languidum offert, qui uitiosum pro religioso habet, quique tardum et pigrum probat patientem, dicens illum negligentiam redarguendum.

Indignum est enim dare Deo quod dedignatur homo.

## **DISTINCTIO L.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Ex premissis auctoritatibus liquido demonstratum est, quod uariis criminibus irretiti in sacerdotes ordinari non possunt.

Nunc autem de hisdem queritur, utrum post actam penitentiam, uel in propriis ordinibus remanere, aut ad maiores gradus conscendere ualeant?

Multorum auctoritatibus deiciuntur uariis criminibus irretiti a propriis ordinibus, et ab accessu maiorum prohibentur.

Unde Gregorius ait Constantino Mediolanensi Episcopo: [lib. IV. epist. 17].

**C. I.** Lapsi in suum ordinem reparari non possunt.

Si lapsis ad suum ordinem reuertendi licentia conceditur uigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum pro reuersionis spe prauæ actionis desideria quis concipere non formidat.

Et post pauca:

§. 1. Illud pre omnibus studete, ut lapsos in sacro ordine nullius uobis supplicatio aliquo modo reuocare studeat, ne huiusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur esse uindicta.

**C. II.** Qui post ordinationem labitur, depositus permanebit.

Item Martinus Papa. [I].

Amando Episcopo.

Qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit deinceps iam depositus erit, nullum que gradum sacerdotii poterit adipisci.

**C. III.** Presbiter post lapsum nulla ratione in sacro ordine reparari ualet.

Item Gregorius Papa Sabino Episcopo. [lib. VII. epist. 25].

Presbiterum, de quo nos fraternitas tua latoris presentium legatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere, aut reuocari posse cognoscat.

Circa quem tamen mitius agendum est, quia commissum facinus facili dicitur professione confessus.

**C. IV.** Post peractum homicidium sacerdotale officium amministrari non potest.

Item Iohannes VIII. Cenomantico Venetensi Episcopo.

Miror minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare et post perpetratum homicidium posse in sacerdotio ministrare, immo (quod est ineptius) nobis suadere uelle, ut ipsi tali presumptioni preberemus assensum.

Quis enim tam demens tam que peruersi sensus tale quid existimaret uel post quantamcumque penitentiam concedendum, cum omni sit canonicæ disciplinæ contrarium?

Debet ergo sacerdotio priuatus lacrimarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus salutis possit inuenire suffragium.

**C. V.** Ad maiorem gradum prouehi non potest clericus, qui paganum occiderit.

Item Nicolaus Papa.

Clericum, qui paganum occiderit, non oportet ad maiorem gradum prouehi, qui carere debet etiam acquisito, homicida enim est.

Nam cum discreti sint milites seculi a militibus ecclesiæ, non conuenit militem ecclesiæ militare seculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit peruenire.

C. VI. Qui se defendendo paganum occiderit, sacerdotali careat offitio.

Idem Osbaldo Corepiscopo Quadrantino.

De his clericis, pro quibus consuluitis, scilicet, qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per penitentiam emendati ad pristinum possint gradum redire, aut ad altiorem ascendere, scito, nos nullam occasionem dare nec ullam tribuere licentiam eis quemlibet hominum quolibet modo occidendi.

Verum si contigerit, ut clericus sacerdotalis ordinis saltem paganum occiderit, multum sibi consulit, si ab offitio sacerdotali recesserit; satius que illi est in hac uita Domino sub inferiori habitu inreprehensibiliter famulari, quam alta indebite appetendo in profundum dampnabiliter dimergi.

C. VII. Episcopus, presbiter, aut diaconus capitale crimen committens cadat ab offitio.

Item ex Concilio Agatensi.

Si episcopus, presbiter, aut diaconus capitale crimen commiserit, aut cartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab offitii honore depositus in monasterio detrudatur et ibi quamdiu uixerit laicam tantummodo communionem accipiat.

C. VIII. Qui homicidii facto aut precepto, aut consilio post baptismum conscius fuerit, clericus non ordinetur.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 26].

Si quis uiduam aut ab alio relictam duxerit, non admittatur ad clerum.

Quod si irrepserit, deiciatur.

Similiter si homicidii aut facto, aut precepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit et per aliquam subreptionem ad clericatum uenerit, deiciatur, et in fine uitæ suæ communionem accipiat.

C. IX. De sacris ordinibus lapsi reparari non possunt.

Item Gregorius Ianuario Episcopo Caralitano. [lib. III. epist. 26].

Peruenit ad nos, quosdam de sacris ordinibus lapsos uel post penitentiam, uel ante penitentiam ad ministerii sui offitium reuocari; quod omnino prohibemus, et in hac re sacratissimi quoque canones contradicunt.

Qui igitur post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum fuerit carnis, sacro ordine careat, et ad ministerium altaris non accedat.

C. X. De eodem.

Idem Venantio Lunensi Episcopo. [lib. IV. epist. 5].

Accedens ad Gorgonam insulam fraternitas uestra discutiat id, quod ad nos de Saturnino expresbitero est perlatum.

Peruenit namque ad nos, quia postquam de sacris ordinibus lapsus a sui sacerdotii ordine deiectus est, ad explendum ministerium presbiterii presumpsit accedere, et omnipotenti Deo hostias immolare.

Quod si ita factum uestra fraternitas repererit, eum sacri corporis et sanguinis domini participatione priuatum in penitentiam redigat, ita ut usque ad diem ultimum in eadem excommunicatione permaneat et uiaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat.

Sin autem eum talem penitentiam agere fraternitas uestra cognouerit, ut ei iuste ad recipiendam inter laicos communionem etiam ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate.

Et infra:

§. 1. Preterea ad fraternitatis tuæ consulta respondentes statuimus, diaconem et abbatem, quem de portu Veneris indicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere uel posse aliquo modo reuocari.

Quem quidem sacro ordine priuatum in penitenciam deputare te conuenit; cuius si postea actus conuersatio que meruerit, priorem inter alios monachos, ubi decreueris, standi locum obtineat.

Subdiaconi quoque, quos similis culpa constringit, ab offitio suo irreuocabiliter depositi, inter laicos communionem accipiant.

In portu autem Veneris loco lapsi diaconi alium, qui hoc offitium implere debeat, ordinabis.

Saturninum uero expresbiterum, ut numquam ad sacri ordinis ministerium presumat accedere, scriptis cauere decreuimus; sed eum in insula Gorgona atque Capraria sollicitudinem de monasteriis gerere, et in quo est statu sine cuiusquam aduersitate manere permisimus.

**C. XI.** Loco lapsi alius ordinandus est.

Idem. [Mariniano Episcopo Rauennæ, lib. VI. epist. 39].

Postquam quemquam criminaliter cadentem in locum, quo lapsus est, nulla permittit ratio reuocari, et ultra tres menses ecclesiam uacare pontifice statuta sacrorum canonum non permittunt, ne cadente pastore dominicum gregem hostis (quod absit) antiquus insidiando dilaniet, fraternitas uestra deprecationi eorum consentire et in lapsi loco debet episcopum ordinare.

**C. XII.** Qui post ordinationem in lapsum ceciderit, sacra misteria non debet tractare.

Item Martinus Papa. [I. in epistola ad Amandum].

Si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, et preuaricationis peccato fuerit deprehensus obnoxius omnimodo prohibendum est, eum manibus lutulentis atque pollutis misteria nostræ salutis tractare.

## **II. Pars.**

Gratian. Econtra exemplis et auctoritate probatur, post actam penitenciam proprios gradus licite posse administrare, et ad maiores conscendere.

Maria enim, soror Aaron, postquam lepra percussa est, quia in Moysen murmurauerat, acta penitencia mundata est, et pristinam gratiam prophetandi recepit.

Aaron post conflatum uitulum etiam in summum sacerdotem est consecratus.

Dauid post adulterium et homicidium spiritum prophetiæ recepit, et in proprio gradu permansit.

Achab post mortem Nabuthæ uiri sanctissimi per penitenciam humiliatus in regia sede remansit.

Et, ut pretereamus multa exempla ueteris testamenti, Petrus negauit Christum, et tamen postea princeps apostolorum factus est; Paulus Stephanum lapidauit, et tamen a Deo in apostolum electus est.

Multi quoque ab heresi ad unitatem catholicæ fidei reuertentes in suis ordinibus recepti sunt, alii uero ad episcopalem etiam gradum sunt promoti, utpote Augustinus et alii quam plures.

[PALEA. C. XIII. De eodem.

Iohannes Crisostomus a duabus sinodis orthodoxorum episcoporum fuit diiudicatus, sed iterum fuit restitutus.

Marcellus episcopus Anciræ Galatiæ depositus fuit, sed postmodum proprium recepit episcopatum.

Asclepius diiudicatus a sinodo ecclesiam suam postea recepit.

Lucius episcopus Adrianopolites dampnatus a Papa Iulio recepit ecclesiam sui episcopatus.

Cirillus episcopus Ierosolimitanus depositus fuit, postea reconciliatus est ecclesiæ suæ.

Simili modo Polichronium eiusdem ecclesiæ Ierosolimitanæ pontificem Sixtus Papa dampnavit et iterum ipse eum reconciliauit.

Innocentius Papa Fotinum episcopum dampnavit, sed postea eum in proprium locum restituit ecclesiæ suæ.

Misenum episcopum a Felice Papa dampnatum Gelasius Papa successor illius reconciliauit et ecclesiæ suæ restituit.

Leontius, dum esset presbiter, depositus fuit, sed postea in Antiochia patriarcha extitit.

Gregorius uero quartus Papa Theodosium, quem Eugenius eius antecessor presbiterii honore priuauerat, sanctæ ecclesiæ Signinæ consecrauit episcopum.

Ibas namque episcopus diiudicatus fuit, sed sancta synodus canonica suam illi restituit ecclesiam.

Rothadum uero episcopum sanctæ Suessionensis ecclesiæ, a synodo, cui Carolus interfuit, condemnatum, et Sophronium Placentinum episcopum merito reprobatum, Nicolaus Papa ambos reconciliauit].

Preterea Calixtus Papa [I]. de huiusmodi ita scribit: [epist. II. ad Episcopos Galliarum]

**C. XIV.** Clerici post lapsum in suis ordinibus reparari possunt.

Ponderet unusquisque sermones suos, et quod sibi loqui non uult alteri non loquatur.

Unde bene sacra scriptura ait: “Quod tibi non uis fieri, alteri ne facias”.

Nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturius, agamus, ne precipitemus consilia et opera nostra, neque ordinem corrumpamus.

§. 1. Sed si aliquis lapsus quo modo fuerit, portemus eum et fraterno corripiamus affectu, sicut ait B. Apostolus: “Si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi”.

§. 2. Porro S. Daud de mortiferis criminibus penitentiam egit, et tamen in honore permansit.

§. 3. B. quoque Petrus amarissimas lacrimas fudit, quando Dominum negasse penituit, sed tamen apostolus permansit.

Et Dominus per Prophetam pollicetur, dicens: “Peccator in quacumque die conuersus fuerit et ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius”.

Errant itaque, qui putant, sacerdotes post lapsum, si condignam egerint penitentiam, Domino non posse ministrare, et suis honoribus frui, si bonam uitam deinceps duxerint, et suum sacerdotium digne custodierint.

Et ipsi, qui hoc putant, non solum errant, sed etiam traditas ecclesiæ clauas despiciere uidentur, de quibus dicitur: “Quecunque solueritis in terra, erunt soluta et in celo”.

Alioquin hec sententia aut Domini non est, aut uera est.

§. 4. Nos uero indubitanter tam Domini sacerdotes quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per Prophetam: “Numquid qui dormit, non adiciet, ut resurgat”?

Et propheta Dauid penitenciam agens dixit: “Redde mihi leticiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me”.

Ipsae namque post penitenciam et alios docuit, et sacrificium Deo obtulit, dans exemplum doctoribus sanctae ecclesiae, si lapsi fuerint et condignam penitenciam Deo gesserint, utrumque facere posse.

Docuit enim, quando dixit: “Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te conuertentur”.

Sacrificium Deo obtulit pro se, dum dicebat: “Sacrificium Deo spiritus contribulatus”.

Videns enim Propheta scelera sua mundata per penitenciam, non dubitauit predicando et Domino libando curare aliena.

§. 5. Mutatur ergo homo a peccato et gratia Dei resurgit a lapsu et in pristino manet offitio iuxta predictas auctoritates.

Videat, ne amplius iaceat, sed euangelica sententia in eo maneat que ait: “Vade et amplius noli peccare”.

Unde ait Apostolus: “Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius”.

§. 6. Sententiam, que misericordiam uetat, non solum tenere, fratres, sed etiam audire refugite, quia potior est misericordia omnibus holocaustomatibus et sacrificiis.

C. XV. In pristinum gradum post penitenciam sacerdotes reuocari possunt.

Item Ieronimus. [ad cap. 3. Malachiae].

“Et purgabit filios Leui; tempus est enim, ut iudicium incipiat a domo Dei,” et alibi scribitur: “A sanctis meis incipite”.

In filiis autem Leui omnem sacerdotalem intellige dignitatem.

Si autem sacerdotes purgandi sunt et colandi, ut purum aurum remaneat et argentum, quid est de ceteris dicendum?

Qui cum emundati fuerint et colati, tunc offerent Domino iusta sacrificia et placebit sacrificium eorum Domino, quod offerunt pro Iuda et Ierusalem, (hoc est pro his, qui Dominum confitentur et pacem eius mente conspiciunt, sicut dies seculi et sicut anni antiqui), ut quomodo in principio placuerunt Deo, sic post peccatum et penitenciam placere incipiant, cum omni fuerint peccatorum sorde purgati.

C. XVI. Lapsi reparari possunt.

Item Gregorius Secundino. [lib. VII. epist. 53]

Tua sanctitas requisiiuit, ut tibi de sacerdotali offitio post lapsum resurgendi auctoritatem scriberemus, dum dicis de hoc canonum diuersorum te legisse diuersas sententias, alias resurgendi, alias nequaquam: ideo nos generaliter a Nicena synodo incipientes, cum reliquis quatuor ueneramus, quia in cunctis sententiis unanimiter concordant.

Nos uero precedentes Patres sequimur quia (auctore Deo) a sacra doctrina illorum non discordamus.

A capite itaque incipientes usque in quartum altaris ministerium, hanc formam seruandam cognouimus, ut sicut minorem maior precedit honore, ita et crimine, et quem maior sequitur culpa, maiori implicetur uindicta et post penitencia credatur esse fructuosa.

§. 1. Quid enim prodest triticum seminare, et fructum illius non colligere?

aut domum construere, et non illic habitare? Post dignam itaque satisfactionem credimus posse redire ad honorem.

§. 2. Ad fontem misericordiæ recurrentes euangelicam proferamus sententiam: “Gaudeo,” inquit, “super uno peccatore penitentiam agente quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia”.

Et ouem perditam, nonaginta nouem non errantibus relictis, humero pii pastoris ad ouile reportandam Dominus ipse testatur.

Si ovis perdita errans post inuentionem ad ouile humero deportatur, predictis nonaginta nouem non errantibus relictis in deserto cur post penitentiam ad ecclesiæ ministerium lapsus non reuocetur?

Sicut in Apocalipsi dicitur de ministro ecclesiæ: “Memento unde cecideris, et age penitentiam, et prima opera fac”.

Quid est enim grauius, aut carnale delictum admittere, sine quo pauci inueniuntur, aut Dei filium iureiurando negare?

In quo uerbo hunc ipsum B. Petrum apostolorum principem, ad cuius sacrum corpus indigni sedemus, lapsum esse cognouimus.

Sed post negationem penitentia secuta est, et post penitentiam misericordia data, quia ab apostolatu eum non distulit, qui ante ipsum se negare predixit.

**C. XVII.** Post acerrimam penitentiam lapsi reparantur.

Idem. [super Ezechielem, hom. IX. ad c. 2].

Quid est hoc, quod Prophetæ iacenti dicitur: “Sta supra pedes tuos, et loquar te cum?”

Qui enim iacenti loquebatur, cur stanti promittit se esse locuturum?

sed sciendum est, quia alia sunt, que iacentes, alia que stantes audire debemus.

Iacenti enim dicitur, ut surgat; stanti autem precipitur, ut ad predicationem proficisci debeat.

Adhuc enim nobis in infirmitatis confusione iacentibus preberi non debet auctoritas predicationis.

Sed cum iam in bono opere surgimus, cum iam recti stare ceperimus, dignum est, ut ad lucrandos alios in predicatione mitti debeamus.

Stans ergo Prophetæ uisionem spiritualem uidit, et cecidit; cadens uero admonitionis uerba suscepit, ut surgeret; surgens autem preceptum audiuit, ut predicaret.

Nam qui adhuc ex superbiæ uertice stamus, cum iam de eternitatis timore aliquid sentire ceperimus, dignum est, ut ad penitentiam cadamus.

Et dum infirmitatem nostram subtiliter agnoscentes humiliter iacemus, per diuini uerbi consolationem ad fortiora opera surgamus.

**C. XVIII.** De eodem.

Idem. [lib. XVIII. Moral. c. 16. ad cap. 28. Iob].

Ferrum de terra tollitur, cum fortis propugnator ecclesiæ a terrena, quam prius tenuit, actione separatur.

Non ergo in eo debet despici, quod fuit, quia iam incipit esse quod non fuit.

**C. XIX.** Post condignam penitentiam pristina recipiuntur offitia.

Item Augustinus.

Cum exaudiero eos, dabo eis uirtutem spiritus mei, et inplebo eos iudicio meo et fortitudine mea.

Animaduertite, in presenti loco posse docere aliquem post peccatum, si tamen uicia pristina digna penitentia diluerit.

Unde Dauid post adulterium et homicidium loquitur in Psalmo: “Asperges me, Domine, ysopo, et mundabor; lauabis me, et super niuem dealbabor”.

Nec sua tantum puritate contentus est, sed infert: “Redde mihi leticiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me,” cum que hoc feceris, “docebo, ait, iniquos uias tuas, et inpii ad te conuertentur”.

**C. XX. De eodem.**

Item Ieronimus. [lib. II. contra Iouinianum].

Ihesus filius Iosedech sacerdos magnus quamquam in typo precesserit aduentum saluatoris, qui nostra peccata portauit et alienigenam ex gentibus sibi copulauit ecclesiam, tamen secundum litteram post sacerdotium sordidatus inducitur, et stat diabolus a dexteris eius, et candida illi deinceps uestimenta redduntur.

**C. XXI. Per penitentiam clerici correcti gradum suum et dignitatem recipiant.**

Item ex Concilio Agatensi. [c. 2].

Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur, et si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contempserint, aut ecclesiam frequentare uel offitium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur; ita, ut cum eos penitencia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatem que recipiant.

**C. XXII. De eodem.**

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 17].

Si quis presbiter aut diaconus inuentus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiæ uenundasse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione ecclesiastica non haberi.

Iudicio tamen episcopi dimittendus est, si in suo debeat recipi gradu, quia multociens hoc ipsum, quod de sacrosancto altario contaminatum est, in episcopi potestate dimissum est.

**[PALEA. C. XXIII. Item Augustinus ad Bonifacium.**

Bene ualet sacerdos restitui ad honorem suum post peractam penitentiam, licet in hoc diuersi diuersa sentiant, dicentes, non posse restitui ad honorem.

Sed sic dictum est propter simulatas penitencias quorundam, et propter affectatas honorum dignitates].

**[PALEA. C. XXIV.**

Sacerdos quidem si cadit, ualet, et habet restitutionis locum post dignam peractam penitentiam in honorem suum, Propheta attestante, qui ait: “Numquid qui cadit non adiciet, ut resurgat?”

Et B. Gregorius hoc dicit ad Secundinum inclusum, amicum suum: Etiam ab ipso Propheta in hoc argumentum habemus, qui, cum post peractum adulterium et homicidium perpetravit, tamen postea peracta digna penitencia per Dei gratiam ad pristinum offitium restituitur].

**III. Pars.**

Gratian. Quomodo igitur huiusmodi auctoritatum dissonantia ad concordiam reuocari ualeat, breuiter inspiciamus.



Sunt quidam, quos non odium criminis, sed timor uilitatis, amissio proprii gradus et ambitio celsioris ad penitentiam cogit.

Hos sacri canones irrecuperabiliter deiciunt, quia qui simulatione penitentiæ uel affectione honoris adeo non consequitur ueniam, nec ab ecclesia meretur reparationem. Unde Augustinus scribit ad Bonifacium: [epist. L].

**C. XXV.** Quare constitutum est in ecclesia, ne post penitentiam aliquis ad clericatum redeat.

Ut constitueretur in ecclesia, ne quisquam post alicuius criminis penitentiam clericatum accipiat, uel ad clericatum redeat, uel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ.

Alioquin contra clauas datas ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: “Quecumque solueritis in terra, soluta erunt et in celo”.

Sed ne forte etiam de ceteris criminibus spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbe ageret penitentiam, seuerissime placuit, ut post actam de crimine dampnabili penitentiam nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina maior et uerior esset humilitatis.

Nam et S. Daudid de criminibus mortiferis egit penitentiam, et tamen in honore suo perstitit, et B. Petrum, quando amarissimas lacrimas fudit, utique Dominum negasse penituit, et tamen apostolus mansit.

Sed non ideo putanda est superuacua posteriorum diligentia, qui ubi saluti nichil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tucius muniretur, experti, credo, aliorum fictas penitencias per affectatas honorum potentias.

Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum.

Verum in huiusmodi causis, ubi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, ut maioribus malis sanandis karitas sincera subueniat.

**C. XXVI.** Reparationis beneficium non nisi post penitentiam debet concedi.

Item ex epistola Cleri Romani missa Papæ Cipriano.

Absit a Romana ecclesia uigorem suum tam profana facilitate dimittere, et neruos seueritatis euersa fidei maiestate dissoluere, ut, cum adhuc non tantum iaceant, sed etiam cadant euersorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura prestantur.

Ubi enim poterit penitentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus intercepta penitencia indulget periculis?

Hoc non est curare, sed (si dicere uerum uolumus) occidere.

**C. XXVII.** Inpenitentibus uenia concedi non potest.

Item Ciprianus de lapsis.

Si quis prepostera festinatione temerarius remissionem peccatorum cunctis putat dare se posse, aut audet Domini precepta rescindere, non tantum nichil prodest, sed obest lapsis. Prouocasse est iram, non seruasse sententiam, nec misericordiam piissimi Domini deprecari, sed contempto Domino de sua facilitate presumere.

Et infra:

§. 1. Mandant martires aliqua fieri, si iusta, si licita, si non contra ipsum Dominum ac Dei sacerdotem sunt facienda; si obtemperantis facilis et prona confessio, si penitentis fuerit religiosa moderatio.

Mandant martires aliqua fieri; sed si scripta non sunt in Domini lege, que mandant, ante est, ut sciamus illos de Deo inpetrasse que postulant, tunc facere quod mandant.

Neque enim statim uideri potest de diuina maiestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum.

Nam et Moyses pro peccatis populi petiit, nec tamen peccantibus ueniam, cum petisset, accepit.

**C. XXVIII.** Qui sunt reparandi post lapsum, uel qui non.

Item Ysidorus ad Massanum Episcopum.

Domino sancto meritis que beato fratri Massano episcopo Ysidorus Episcopus.

Quod in epistolis uenerabilis fraternitas tua innotuit, uidelicet quod in canone Anquiritano c. XIX. legitur, post lapsum corporalem restaurandum honoris gradum post penitentiam, alibi uero legitur, post huiusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum: hec diuersitas hoc modo soluitur.

Illos enim ad pristinos gradus redire canones precipiunt, quos penitentiæ precessit satisfactio uel condigna peccatorum confessio.

At contra hi, qui neque a uicio corruptionis emendantur, atque hoc ipsum carnale delictum, quod admittunt, uendicare quadam supersticiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam recipiunt communionis.

Ergo ita est determinanda sententia, ut necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per penitentiam reconciliationem merentur diuinæ pietatis.

Hi non inmerito consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem penitentiæ recepisse noscuntur remedium uitæ.

Id autem, ne forte magis sit ambiguum, diuinæ auctoritatis sententia confirmatur.

Ezechiel quidem propheta sub typo preuaricatricis Ierusalem ostendit, post penitentiæ satisfactionem pristinum restaurari honorem: “Confundere,” inquit, “o Iuda, et porta ignominiam tuam”.

Et post Paululum: “Et tu,” inquit, “et filiæ tuæ reuertimini ad antiquitatem tuam”.

§. 1. Quod dixit, “confundere,” ostendit, post opus peccati debere quemquam erubescere, et post confessionem pro admissis sceleribus uerecundam frontem humo prostratam demergere, pro eo quod dignum confusione perpetravit opus.

Deinde precepit, ut post ignominiam id est deiectionem sui nominis siue dignitatis reuertatur ad suam antiquitatem.

Ergo dum quisque post opus confusionis suæ confunditur, atque ignominiam portans depositionem suam cum humilitate luget, reuocari secundum Prophetam ad priorem poterit statum.

Item Iohannes euangelista Angelo Ephesi ecclesiæ inter cetera quedam similia scribit: “Memor esto unde cecideris, et age penitentiam, et prima opera fac; alioquin ueniam tibi, et mouebo candelabrum tuum de loco suo”.

§. 2. Ecce in quantum ualui concilii Anquiritani antiquam plane et plenam auctoritate sententiam sacris testimoniis explanavi, ostendens, eum posse restaurari in proprio ordine, qui per penitentiæ satisfactionem nouit propria delicta deflere.

Qui uero nec luget que gessit, sed lugenda sine ullo pudore religionis uel timore diuini iudicii committit, nullo modo eum posse ad pristinum gradum restaurari cognoscas.

§. 3. In fine autem huius epistolæ hoc adiciendum putavi, ut quotiescumque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius concilii magis teneatur sententia, cuius antiquior et potior extat auctoritas.

Gratian. Quicumque igitur pro criminibus suis digne Deo penitentiam obtulerint, auctoritate Gregorii et Ieronimi et Augustini et Ysidori gradum pristinae dignitatis recipere possunt.

Qui autem non odio criminis, sed timore utilitatis uel ambitione honoris falsas Deo penitencias offerunt, in pristini honoris gradum reparari minime poterunt.

Sed obicitur illud Hormisdæ Papæ, qui scribit omnibus Episcopis per uniuersas prouincias:

**C. XXIX.** Diaconus aut presbiter in adulterio deprehensi reparari non possunt.

Si quis diaconus aut presbiter post acceptam benedictionem Leuiticam cum uxore sua incontinens inuenitur, ab officio suo abiciatur.

§. 1. Ecce manifeste constat, quia secundum titulos antiquorum Patrum sancto Spiritu suggerente conscriptos, et secundum sententias CCCXVIII. episcoporum, (quas etiam Gallicani canones continere uidentur), clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis conuicti, ad honorem redire non possunt.

Quia forte non desunt, quibus pro nimia pietate suprascripta sanctorum Patrum seueritas minime placeat, sciant, se CCCXVIII. episcoporum, qui et reliquos canones statuerunt, sententias reprehendere uel dampnare.

Sed forte maior est in illis pietas, quam in supradictis CCCXVIII. episcopis?

maior est in illis misericordia, quam in S. Iohanne Papa?

maior karitas, quam in reliquis sanctis sacerdotibus, qui hoc exemplo remedia ecclesiarum suis diffinitionibus deliberauerunt?

Et ideo aut prona uoluntate preceptis illorum consentiant, aut omnibus illis contrarios se et inimicos esse cognoscant.

Que est ista iusticiæ inimica bonitas, palpare criminosos, et uulnera eorum usque ad diem iudicii incurata seruare?

§. 2. Quod si eos durissimam penitentiam per plures annos uideremus agere, tunc nos et saluti eorum possemus consulere, et statuta canonum deberemus temperare.

Cum uero in aliquibus nec compunctio humilitatis, nec instantia orandi apareat, nec beatum Daud imitentur, qui dicit: "Lauabo per singulas noctes lectum meum; lacrimis meis stratum meum rigabo;" et illud: "Cinerem tamquam panem manducabam et potum meum cum fletu miscebam;" nec eos ieiuniis uel lectionibus uacare uideamus, possumus agnoscere, si ad pristinos gradus uel honores redirent, cum quanta negligentia et cum quanto torpore et inimica suæ animæ securitate permanerent, credentes, quod sic eis non acta digna penitentia dimiserit Deus, quomodo sacerdotes indulsisse uidentur.

Vere dico, quia illi ipsi, quibus cum periculosa et falsa misericordia indulgere uidemur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis dampnandi aduenerint, contra nos causam dicturi sunt, dicentes, quod dum aut asperitatem linguæ eorum expauimus, aut falsa blandimenta et periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, in eisdem peccatis permanere eis inutiliter indulgemus, aut ipsa peccata augere permittimus, non recordantes illud, quod in ueteri testamento scriptum est: quia uno peccante contra omnes ira Dei deseuit.

**C. XXX.** Difficile est post lapsum ad pristinum gradum redire.

Item Ieronimus.

Quicumque dignitatem diuini gradus non custodiunt, contenti fiant animam saluare.

Reuerti enim in pristinum gradum difficile est.

C. XXXI. Lapsus post penitentiam altario tantummodo ministret.

Item Basilius.

Qui sub gradu ceciderit post penitentiam, contentus fiat baptizare, communionem infirmis dare, et altario ministrare tantummodo.

C. XXXII. De sacerdotibus, diaconibus et laicis, qui idolis thurificant.

Item ex Concilio Ancirano. [c. 1. et seqq.].

Presbiteros, qui immolauerunt, et postea certamen iterum inierunt, si ex fide luctati sunt, et non ex compacto ad ostentacionem ut offerrentur ipsi fecerunt, hos placuit honorem quidem sedis propriæ retinere, offerre autem illis et sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officiiis fungi non liceat.

§. 1. Diacones similiter, qui immolauerunt, postea uero iterum reluctati sunt, alias quidem honorem habere oportet; cessare autem debent ab omni sacro ministerio, ita ut nec panem, nec calicem offerant, nec pronuncient, nisi forte aliqui episcoporum conscii laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis, uoluerint eis aliquid amplius tribuere uel adhibere.

Penes ipsos ergo de his erit potestas.

§. 2. Qui autem fugientes comprehensi sunt, uel a domesticis traditi, uel ademptis facultatibus sustinere tormenta, aut in custodia trusi proclamauerunt se Christianos esse, et eousque astricti sunt, ut manus eorum comprehendentes uiolenter adtraherent et funestis sacrificiis admouerent, ut aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogentur, in omni deiectione et habitu et humilitate uitæ confitentes, hos uelud extra delictum constitutos a communionis gratia non prohiberi decernimus.

§. 3. Si uero prohibiti sunt ab aliquibus propter ampliorem cautelam, uel propter quorundam ignorantiam, statim, recipiantur.

§. 4. Hoc autem similiter et de clericis et de laicis ceteris obseruare conuenit.

§. 5. Perquisitum est autem et illud, si possunt etiam laici, qui in has necessitatis angustias inciderunt ad clericatus ordinem promoueri.

Placuit ergo et hos tamquam qui nichil peccauerint, si precedens eorum uita probauerit, ad hoc officium prouehi.

§. 6. De his autem, qui negauerunt preter necessitatem, aut preter ablationem facultatum, aut preter periculum, uel aliquid huiusmodi (quod factum est sub tyrannide Licinii), placuit synodo, quamuis humanitate probentur indigni, tamen eis beneuolentiam commodari.

Gratian. Sed illud Hormisdæ Papæ desidiosos et negligentes, non uere penitentes reparari prohibet.

§. 1. Illud autem Ieronimi fatetur hoc esse difficile, non impossibile.

§. 2. Basilius autem circa delinquentes rigorem iusticiæ seruandum ostendit, quem circa penitentes alii relaxandum misericorditer affirmant.

§. 3. Possunt et aliter distingui premissæ auctoritates.

Quorum crimina manifesta sunt ante uel post ordinationem, a sacris ordinibus deiciendi sunt; quorum autem peccata occulta sunt et secreta satisfactione secundum sacerdotis edictum purgata, in propriis ordinibus remanere possunt.

Unde Nicolaus Papa Carolo Archiepiscopo, et eius suffraganeis:

C. XXXIII. Non potest restitui in sacerdotem, cuius fuerit manifestum crimen.

Sacerdotes, si in fornicationis laqueum ceciderint, et criminis manifestus siue ostensus fuerit actus, sacerdocii non possunt habere honorem secundum canonicæ institutionis auctoritatem.

Item Rabanus Archiepiscopus scribit ad Heribaldum:

**C. XXXIV.** Qui sint reparandi post lapsum, uel qui non.

De his uero uisum nobis est scribendum esse, qui sacros ordines habent et ante uel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur.

In quibus, ut mihi uidetur, hec distancia esse debet, ut hi, qui deprehensi uel capti fuerint publice in periurio, furto atque fornicatione et ceteris huiusmodi criminibus, secundum sacrorum canonum instituta a proprio gradu decendant, quia scandalum est populo Dei tales personas superpositas habere, quas ultra modum uitiosas esse constat.

Nempe inde detrahunt homines sacrificio Dei (sicut quondam, filiis Hely peccantibus fecisse leguntur, et rebelles hinc atque contrarii existentes eorum prauis exemplis cotidie peiores fiunt.

Qui autem de predictis peccatis absconse a se admissis per occultam confessionem coram angelis Dei, presente etiam sacerdote, qui eis indicturus est penitentiam, confitentur, et semetipsos grauiter deliquisse queruntur, si se per ieiunia et elemosinas uigilias que et sacras orationes purgare certauerint, his etiam gradu seruato spes ueniæ de misericordia Dei promittenda est.

#### **IV. Pars.**

Gratian. De lapsis etiam in heresim hoc obseruandum est, ut ante sententiam concilii nullus eis communicet.

Unde Ciprianus Papa Antoniano inter cetera: [lib. IV. epist. 2].

**C. XXXV.** A communione absteat, qui lapsis ante restitutionem communicat.

De eo tamen, quod statuendum esset circa causam lapsorum, distuli, ut cum quies et tranquillitas data esset, et episcopos in unum conuenire indulgentia diuina permetteret, tunc communicato et librato de omnium collatione consilio statuerem quid fieri oporteret.

Si quis uero ante consilium nostrum et ante sententiam de omnium consilio statutam temere lapsis communicare uoluisset, ipse a communione abstineret.

#### **V. Pars.**

Gratian. Quod uero supra de homicidiis statutum legitur, intelligendum est, quando facultas datur effugiendi, nec necessitate clauduntur obsidionis.

Ceterum, cum necessitate angustati effugere non possunt, si tunc homicidium admiserint, purgati per penitentiam et offitio, et communioni reddentur.

Unde in Ilerdensi Concilio [cap. 1]. legitur:

**C. XXXVI.** Clerici in obsidionibus positi necessitate si sanguinem fuderunt, post duorum annorum penitentiam offitio et communioni restituantur.

De his clericis, qui in obsessionibus positi necessitate fuerint, id statutum est, ut qui altario ministrant et Christi corpus et sanguinem tradunt, uel uasa sacro offitio deputata contrectant, ut ab omni humano sanguine etiam hostili se absteant.

Quod si in hoc inciderint, tam offitio quam communione corporis Domini duobus annis priuentur, ita ut duobus annis uigiliis, ieiuniis, orationibus et elemosinis pro uiribus, quas Dominus donauerit, expientur; et ita demum offitio uel communioni reddantur, ea tamen ratione, ne ulterius ad offitia potiora promoueantur.

Quod si in diffinito tempore negligentiores circa salutem suam extiterint, protelandi ipsius penitentiæ tempus in potestate maneat sacerdotis.

Gratian. Casu quoque si clericus homicidium fecerit, in proprio gradu ex dispensatione remanere permittitur.

Unde Urbanus II. scribit Guarnerio Merseburgensi Episcopo:

**C. XXXVII.** Qui casu homicidium facit, ex dispensatione in suo ordine permaneat.

Clerico iacente lapidem puer interemptus dicitur.

Nos pro amore tuo in suo ordine eum permanere permittimus, ut tamen semper in penitencia et timore permaneat.

**C. XXXVIII.** De eodem.

Item Stephanus V. Sichiberto Corsicæ Episcopo.

Quia te quasi obnoxium iudicas, eo quod a Sarracenis captus homines interfecisse uideris, bene facis.

Sed quoniam non tua sponte id fecisse cognosceris inde canonice nullo modo iudicaris.

Gratian. Si uero ira conmotus aliquem presbiter interfecerit, etsi animum occidendi non habuerit, perpetuo tamen depositus erit.

Unde Nicolaus Papa scribit Osbaldo Corepiscopo Quadrantino:

**C. XXXIX.** Perpetuo careat offitio presbiter, qui ira conmotus, licet extra animum, aliquem interfecerit.

Studeat sanctitas tua persuadere episcopo tuo, sibi canonicum sociare numerum collegarum, id est sex ex uicinis prouinciis fratres et coepiscopos suos, quibus te cum iunctis et decernentibus diligenter inuestigare et omni annisu scrutari procurete, quatenus inuenire ualeatis, utrum percussione iam nominati presbiteri, an ceruicis fractione idem diaconus, ut fertur, extinctus est.

Et siquidem a sepe fato presbitero non ad mortem percussus est, sed ex equo cadens ceruice fracta interiit, secundum arbitrium uestrum pro percussione incaute agenti presbitero penitentiam competentem indicite et aliquanto tempore a missarum solemniis suspendatur, denuo post hec ad sacerdotale rediturus offitium.

Quod si ueraciter qualicumque percussione presbiteri ille mortuus fuerit diaconus, nulla hunc ratione ministrare more sacerdotis decernimus, quoniam, etsi uoluntatem occidendi non habuit, furor tamen et indignacio, ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, et precipue in Dei ministris, multipliciter inhibetur atque dampnatur.

Verum si presbiter adeo uestro studio obnoxius forte claruerit, precipimus, ut tale beneficium sibi ecclesiæ suæ concedatur, quo et ipse et sui sufficiens possint habere suæ sustentacionis solatium.

[PALEA. **C. XL.** De eodem.

Item ex Concilio Maticensi c. 6.

Qui uero odii meditatione uel propter cupiditatem Iudeum uel paganum occiderit, quia imaginem Dei et spem futuræ conuersionis exterminat, quadraginta dies in pane et aqua peniteat].

[PALEA. C. XLI. De eodem.

Si quis homicidium fecerit, si episcopus est, XV. annos peniteat, et deponatur; cunctos quoque dies uitæ suæ peregrinando finiat.

Presbiter XII. annis peniteat, tres ex his in pane et aqua, et deponatur superioris sententia.

Diaconus X. annis peniteat, tres ex his in pane et aqua.

Clericus et laicus VII. annis peniteat, tres ex his in pane et aqua, et ad gradum cuiuslibet sacerdotii accedere non presumat].

C. XLII. Quinquennio a communione abstineant, qui casu homicidium faciunt.

Item ex Concilio Neocesariensi.

Eos uero, qui non uoluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem tantum annorum penitentiam communioni sociauit secundum gradus constitutos; hec uero humana diffinitio quinquennii tempus tribuit.

C. XLIII. Quibus temporum spaciis a communione abstineat que uoluntate uel casu ancillam suam interfecerit.

Item ex Concilio Eliberitano. [c. 4].

Si qua femina furore zeli accensa flagellis uerberauerit ancillam suam, ita ut infra tertium diem animam cum cruciatu emittat, eo quod incertum sit, uoluntate, an casu occiderit: si uoluntate, post septem annos, si casu, post quinque annorum tempora (acta legitima penitentia) ad communionem placuit admitti.

Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

C. XLIV. De his, quis sponte homicidium uel casu faciunt

Item ex Concilio Martini Papæ.

Si quis uoluntarie homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiæ catholicæ semper iaceat, et communionem in exitu uitæ suæ recipiat.

Si autem non uoluntate, sed casu homicidium aliquod fecerit, prior canon septem annis agere penitentiam iussit, secundus canon quinque mandauit.

[C. XLV]. Item Digestis titulo de furtis. [I. Qui saccum].

Qui saccum habentem pecuniam subripuit, furti etiam sacci nomine tenetur, quamuis non sit ei animus sacci subripiendi.

Contra animum, non opus puniri, libro IX. Codicis titulo ad legem Corneliam de sicariis [l. 5]. exemplo sacrarum litterarum Diocletiani et Maximiani colligitur:

C. XLVI.

Eum, qui asseuerat homicidium se non uoluntate, sed casu fortuito fecisse, cum calcis ictu mortis occasio prebita uideatur, si hoc ita est, neque super hoc ambigi poterit, omni metu ac suspicione, quam ex admissæ rei discrimine sustinet, secundum id, quod annotatione nostra comprehensum est, uolumus liberari.

[PALEA. C. XLVII. Item Imperator Antoninus. [C. ad leg. Cornel. de scar. l. 1].

Frater uester rectius fecerit, si se presidi prouinciæ obtulerit, qui, si probauerit, non occidendi animo hominem a se esse percussum, remissa homicidii pena secundum militarem disciplinam sententiam proferet.

Crimen enim contrahitur, si et uoluntas nocendi intercedat.

Ceterum ea, que ex inprouiso casu potius quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxæ imputantur].

Hinc etiam Pelagius Papa:

**C. XLVIII. De eodem.**

Quantum dicit iste Placidus, anno preterito dictum est de uxore ipsius, quia subito inter caballos inuenta et dum traherentur caballi, collisa est illa, et abortum fecit.

Quod si ita est, forte si caballos alienos tulit, inde est culpabilis.

Nam de muliere, que casu inter caballos confracta est, ubi uoluntas illius non agnoscitur perniciosa fuisse, non potest nec debet addici per leges.

**C. XLIX. De eodem.**

Item Nicolaus Papa.

Hii, qui arborem incidere uidentur, si contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt atque innocii, quia nec uoluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est.

Si uero aliqua eorum culpa uel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur aduenisse, abiciendi sunt a gradu, et in sacro ordine nullatenus suscipiendi.

**C. L. De eodem.**

Item ex Concilio Guarmatiensi.

Sepe contingit, dum quis operi necessario insistens arborem inciderit, ut aliquis subtus ipsam ueniens deprimatur.

Et iccirco, si uoluntate uel negligentia incidentis arborem factum est, ut homicida penitentiæ debet omnino submitti.

Quod si non uoto, sed incuria illius, non hoc eum sententia contingit.

Si enim dum ille operi necessario fortassis incumberet, iste insperatus occurrit sub arbore et sub ipsa oppressus est, incisor arboris non tenetur pro homicida.

**C. LI. De eodem.**

Item ex Concilio Triburiensi. [cap. 36. Sed ibi copiosius].

Si duo fratres in silua arbores succiderint, et appropinquante casura unius arboris frater fratri dixerit, caue, et ille fugiens in pressuram arboris inciderit, et mortuus fuerit, uiuens frater innocens de sanguine germani diiudicetur.

Gratian. Premissis auctoritatibus, lapsis permittitur, ut post penitentiam in suis ordinibus reparari ualeant; ad maiorem autem conscendere post lapsum nulla eis auctoritate permittitur, immo penitus prohibetur.

Unde in Ilerdensi Concilio [c. 5]. legitur:

**C. LII. Lapsi in suis ordinibus reparari possunt, sed non ad maiora conscendere.**

Hii, qui altario sancto deseruiunt, si subito flenda carnis fragilitate corruerint, et Domino respiciente digne penituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate pontificis uel ueraciter afflictos non diu suspendere, uel



desidiosos prolixiori tempore ab ecclesiæ corpore segregare; ita tamen, ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoueri.

[PALEA. §. 1. Quod si iterato uelut canes ad uomitum reuersi fuerint, et ueluti sues in uolutabris luti iacuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem nisi in exitu non percipiant].

Gratian. Sed exemplo B. Petri (qui postquam trinæ negationis maculas confessione diluit amoris, non solum in gradu sui apostolatus remansit, uerum etiam in pastorem totius ecclesiæ a Christo institui meruit,) probantur lapsi post dignam penitenciam non solum propria officia retinere, sed etiam ad maiora posse conscendere.

Quod autem B. Petrus post negationem pastor ecclesiæ a Domino sit institutus, probatur auctoritate B. Gregorii, qui in omelia dominicæ resurrectionis de eodem principe apostolorum scribit, dicens:

**C. LIII.** Petrus post culpam negationis princeps apostolorum a Domino est institutus. Considerandum est nobis, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ ecclesiæ preferre disposuerat, ancillæ uocem pertimescere et se ipsum negare permisit.

Quod nimirum magnæ actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat pastor ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset.

Prius itaque eum ostendit sibi, et tunc preposuit ceteris, ut ex sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliena infirma tolleraret.

**C. LIV.** Post negationem in fide et gradu Petrus profecit.

Item Ambrosius in omelia L.

Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse defleuit; atque ideo maiorem gratiam reperit quam amisit.

Tamquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, et qui se interrogationis temptatione nutauerat, ceteros fidei stabilitate fundaret.

Denique pro soliditate deuotionis ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: “Tu es Petrus et cetera”.

Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molem que contineat.

## **VI. Pars.**

Gratian. Item obicitur, penitentes ad sacros ordines promoueri non debent: non ergo lapsi post penitencia ad maiora pertingere possunt.

Unde in Cartaginensi Concilio IV. [cap. 68. et 69]. legitur:

**C. LV.** Non ordinetur clericus ex penitentibus.

Ex penitentibus, quamuis sit bonus, tamen clericus non ordinetur.

Si per ignorantiam episcopi factum fuerit, deponatur a clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse penitentem.

Si autem sciens episcopus ordinauerit talem, etiam ipse ab episcopatu suo ordinandi dumtaxat potestate priuetur.

Simili sententiæ subiacebit episcopus, si sciens ordinauerit clericum, qui uiduam aut repudiatam uxorem habuerit, aut secundam.

C. LVI. Bigamus, penitens, uiduæ maritus, sacræ militiæ se ingerens, sine spe promotionis in suo ordine permaneat.

Item Siricius Papa Himerio Episcopo. [epist. I. c. 15].

Quicumque penitens, quicumque bigamus, quicumque uiduæ maritus ad sacram miliciam indebite et incompetenter irreperit, hac sibi condicione a nobis ueniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis in hoc quo inuenitur ordine perpetua stabilitate permaneat.

C. LVII. Non prohibeatur a clero, qui pressus languore per communionem penitentiæ benedictionem accepit.

Item ex Concilio Gerondensi. [c. 9].

Is uero, qui egritudinis languore depressus penitentiæ benedictionem, quam uaticum dicimus, per communionem acceperit, postmodum reconualescens caput penitentiæ in ecclesia non subdiderit publice, si prohibitis uiciis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

C. LVIII. Qui ad penitentiam agendam in monasterio recluditur, presbiter non ordinetur.

Item Hormisda Papa omnibus Episcopis per uniuersas prouincias.

Si ille, qui ultro petit penitentiam, quamuis eam perfecte agat, non potest episcopus aut presbiter ordinari, ita ut, etiamsi per ignoranciam ordinatus fuerit et postea conuincitur penitentiam accepisse, deiciatur: ille, qui inuitus ad penitentiam agendam mittitur in monasterio, (qui utique nichil aliud, quam penitens dicendus est), qua consciencia ad sacerdotium peruenire permittitur?

Nemo mihi alia quelibet contra auctoritatem sedis apostolicæ uel CCCXVIII. episcoporum, uel reliquorum canonum constituta obiciat; quia quicquid contra illorum diffinitionem (in quibus Spiritum sanctum credimus locutum) dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.

C. LIX. Bigami, uel quilibet post penitentiam sacris non applicentur ministeriis.

Item Gelasius Urbis Romæ Episcopus omnibus Episcopis. [per Lucaniam, etc. cap. 5].

Non confidat quisquam pontificum fas esse, digamos aut coniugia sortientes ab aliis derelicta, siue quoslibet post penitentiam, uel sine litteris, uel corpore uiciatos, uel condicionarios, aut curiæ publicarum que rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis expectatione discussos, diuinis seruituros applicare ministeriis.

C. LX. Penitentes nec etiam clerici fieri possunt.

Item Innocentius. [Agapito et ceteris, epist. VI].

Canones apud Niceam constituti penitentes etiam ab infimis offitiis clericorum excludunt.

Gratian. Hoc non de quibuslibet penitentibus intelligitur, sed de illis tantum, qui post penitentiam secularis militiæ cingulum accipiunt.

De quibus Innocentius Episcopus scribit Victorio Rotomagensi Episcopo. [epist. II. c. 2].

C. LXI. Non debet fieri clericus, qui post remissionem peccatorum miliciæ cingulum habuit.

Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiae secularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

Gratian. Potest et aliter intelligi.

Est quedam penitencia, que solemnis appellatur, que semel tantum in ecclesia conceditur, de qua Ambrosius ait: "Sicut unum est baptisma, ita unica est penitencia".

Item: "Non est secundus locus penitencie".

Item: "Reperiantur quam plurimi, qui sepius agendam penitenciam putant, qui luxuriantur in Christo.

Nam si uere penitenciam agerent, numquam iterandam postea putarent".

[C. LXII].

Item Augustinus ad Macedonium. [epist. LIV].

Quamuis caute et salubriter prouisum sit, ut locus humillimae penitencie semel tantum in ecclesia concedatur, ne medicina nimis utilis minus utilis haberetur, tamen cotidie peccantibus numquam per penitenciam uenia negatur.

Gratian. Hec autem penitencia quomodo inponenda sit in Agatensi Concilio legitur, in quo sic statutum est: [c. 15].

C. LXIII. Quomodo penitentes ad penitenciam accedant.

Penitentes tempore, quo penitenciam petunt, inpositionem manuum et cilicium super capita a sacerdote (sicut ubique statutum est) consequantur.

Si autem comas non deposuerint, aut uestimenta non mutauerint, abiciantur et nisi digne penituerint, non recipiantur.

Iuuenibus etiam penitencia propter etatis fragilitatem non facile committenda est.

Viaticum tamen omnibus in morte positis non est negandum.

C. LXIV. Que sint obseruandas in solempni penitencia.

Item ex eodem.

In capite quadragesimae omnes penitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt penitenciam, ante fores ecclesiae se representent episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, uultibus in terram demissis reos se esse ipso habitu et uultu protestantes.

Ibi adesse debent decani, id est archipresbiteri parrochiarum et presbiteri penitencium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, et secundum modum culpae penitenciam per prefatos gradus iniungere.

Post hec eos in ecclesiam introducat, et cum omni clero septem penitencie psalmos in terram prostratus cum lacrimis pro eorum absolutione decantet; tunc resurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis inponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat, et cum gemitu et crebris suspiriis denunciaret eis, quod sicut Adam proiectus est de paradiso, ita et ipsi pro peccatis ab ecclesia abiciuntur; postea iubeat ministris, ut eos extra ianuam ecclesiae expellant, clerus uero prosequatur eos cum responsorio: "In sudore uultus tui uesceris pane tuo, etc." ut, uidentes sanctam ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non paruipendant penitenciam.

In sacra autem Domini cena rursus ab eorum decanis et eorum presbiteris ecclesiae liminibus represententur.

Gratian. Hanc penitenciam nulli umquam clericorum agere conceditur, atque ideo huiusmodi penitentes ad clerum admitti prohibentur.

Unde in Cartaginensi Concilio V. [cap. 11]. statutum legitur:

**C. LXV.** Clericis non inponatur manus tamquam penitentibus.

Confirmandum est, ut, si quando presbyteri uel diaconi in aliqua grauiori culpa conuicti fuerint, qua eos a ministerio necesse sit remoueri, non eis manus tamquam penitentibus uel tamquam fidelibus laicis inponatur, neque umquam permittendum est, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoueantur.

Item Siricius Papa: [Himerio, epist. I. c. 14].

**C. LXVI.** Nec clerico penitentiam agere, nec penitenti ad clericatum accedere permittitur.

Illud quoque nos par fuit prouidere, ut sicut penitentiam agere nulli umquam conceditur clericorum, ita post penitudinem ac reconciliationem cuiquam laicorum non liceat honorem clericatus adipisci, quoniam quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint uasa uiciorum.

**C. LXVII.** Presbyteris et diaconibus tamquam penitentibus manus inponi non debent.

Item Leo Papa. [Rustico Narbonensi, epist. XC. cap. 2].

Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut diaconii gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus inpositionem remedium accipiant penitendi; quod sine dubio ex apostolica tradizione descendit, secundum quod scriptum est: "Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro illo?"

Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, ubi illis, si satisfactio fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Gratian. Probantur etiam auctoritate Tolletani Concilii huiuscemodi penitentes ad clerum non admittendi, in quo [c. 2]. sic statutum est:

**C. LXVIII.** Causa necessitatis ad clerum penitentes admittantur.

Placuit, ut penitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum si necessitas aut usus exegerit; tunc deputentur inter hostiarios uel inter lectores, ita ut apostolum uel euangelium non legant.

§. 1. Si qui autem ordinati sunt in diacones, inter subdiacones habeantur, ita ut manum non inponant nec sacra contingant.

§. 2. Cum uero penitentem dicimus, qui post baptisma aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus grauissimis que peccatis publicam penitentiam gerens sub cilicio diuino fuerit reconciliatus altario.

## **VII. Pars.**

Gratian. Apostatae quoque ad clericatus officium admitti non debent.

Unde in Concilio Arelatensi II.: [cap. 25].

**C. LXIX.** Ad clericatus officium non admittantur apostatae.

Hii, qui post sanctam religionis professionem apostatant et ad seculum redeunt, et postmodum penitentiae remedia non requirunt, sine penitentia communionem penitus non accipiant.

Quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti.

Et quicumque ille sit, post penitentiam habitum secularem accipere non presumat. Quod si presumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.

## **DISTINCTIO LI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Ecce, quod criminosi, uel non uere penitentes, uel publicam penitentiam agentes, a sacris prohibentur ordinibus.

Adiecit quoque sancta mater ecclesia, ut curiales, aut post baptismum militantes, aut in foro decertantes, a sacris prohibeantur ordinibus.

Unde Innocentius ait: [Papa Episcopis in Toletana. Sinodo constitutis, epist. XXIV. c. 2].

**C. I.** Post baptismum militantes, uel in foro decertantes, a sacris prohibentur ordinibus.

Aliquos ex his, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione sunt uersati et obtinendi pertinaciam susceperunt, adscitos ad sacerdotium esse comperimus, quorum numero aliqui prohibentur ad sacerdotium assumi; aliquos ex militia, qui cum potestatibus obediunt, seu necessario precepta sunt exsecuti; aliquos ex curialibus, qui, dum parerent potestatibus, que sibi sunt imperata fecerunt; aliquos, qui uoluptates et editiones populi celebrarunt, ad honorem summi sacerdotii peruenisse, quorum omnium neminem ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat peruenire.

Que singula si discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus; idcirco remittenda potius hec putamus.

Sed ne deinceps similia committantur dilectionis uestræ maturitas prouidere debet, ut tantæ usurpationis nunc finis necessarius imponatur, eo uidelicet constituto, ut, quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur.

**C. II.** De quibus laicis ad clericatum non possunt peruenire.

Idem Felici Episcopo Nuceriensi. [epist. IV. c. 3].

Designata sunt genera laicorum, de quibus ad clericatum aliqui peruenire non possunt, id est, si quis fidelis administrauerit.

De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam etsi inueniantur huiusmodi uiri, qui clerici debeant fieri, tamen quoniam sepius ad curiam repetuntur, cauendum est ab his propter tribulationem, que sepe de his ecclesiæ prouenit.

**C. III.** Non admittantur curiales ad clericale officium.

Idem. [Victricio Episcopo Rothomagensi, epist. II. cap. 11].

Preterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales uel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt, pro quibus postea maior est tristitia, cum de reuocandis eis aliquid ab imperatore precipitur, quam gratia nascitur de ascito.

Constat enim eos in ipsis muneribus etiam uoluptates exhibere, quas a diabolo inuentas esse non dubium est, et ludorum et munerum apparatus aut preesse, aut forsitan interesse.

Sit certe in exemplum sollicitudo et tristitia fratrum, quam sepe pertulimus inperatore presente, cum pro his sepius rogaremus, quam ipse nobis cum positus cognouisti, quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, uerum etiam iam in sacerdotio constituti ingens molestia ut redderentur instabat.

**C. IV.** Non promoueatur ad diaconatum, qui post baptismum ad fideles necandum accinctus fuerit.

Item ex Concilio Tolletano I. [cap. 8].

Si quis post acceptum baptismum militauerit, et clamidem sumpserit ac cingulum ad necandum fideles, etiamsi graua non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconii non accipiat dignitatem.

**C. V.** A quibus debet esse immunis, qui in episcopum est ordinandus.

Item ex Tolletano Concilio IV. [cap. 19].

Qui in aliquo crimine detenti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam penitentiam se admisisse confessi sunt, qui in heresim sunt lapsi, qui in heresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt aut qui naturali defectu membrorum aliquid minus habere noscuntur, qui secundæ uxoris coniunctionem sortiti sunt aut numerosa coniugia frequentauerunt, qui uiduam uel a marito relictam duxerunt aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas aut fornicarias habuerunt, qui seruili condicioni obnoxii sunt qui ignoti sunt, qui neophiti uel laici sunt, qui seculari miliciæ dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscii litterarum sunt, qui nondum ad triginta annos peruenerunt, qui per gradus ecclesiasticos non ascenderunt, qui ambitu honorem querunt, qui honorem muneribus obtinere moliuntur, qui a decessoribus in sacerdotium eliguntur.

§. 1. Sed nec ille deinceps sacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriæ ciuitatis elegit, uel auctoritas metropolitani, uel conprouincialium sacerdotum assensus non exquisiuit.

Quicumque ergo deinceps ad ordinem sacerdocii postulatus, et in his, que predicta sunt, exquisitus, in nullo horum deprehensus fuerit, et examinatus probabili uita atque doctrina exstiterit, tunc secundum sinodalia uel decretalia constituta cum omnium clericorum uel ciuium uoluntate ab uniuersis conprouincialibus episcopis, aut certe a tribus, in sacerdotem die dominico consecrabitur, conuenientibus ceteris, qui absentes sunt, suis litteris, et magis auctoritate uel presencia eius, qui metropolitanus Episcopus constitutus est.

Episcopus autem conprouincialis ibi consecrandus est, ubi metropolitanus elegerit; metropolitanus autem non nisi in ciuitate metropoli, conprouincialibus ibidem conuenientibus.

§. 2. Si quis autem deinceps contra predicta uetita canonum ad sacerdotii gradum indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.

## **DISTINCTIO LII.**

### **GRATIANUS.**

Qui uero pretermisissis aliquibus gradibus non superbia, sed negligentia ad maiores conscenderit, tamdiu a maioribus abstineat, quousque congruo tempore pretermisissos accipiat.

Unde Alexander II. scribit Grimaldo Constantiensi Episcopo:

**C. I.** De eo, qui subdiaconatus ordine postposito diaconus et presbiter est ordinatus. Sollicitudo dilectionis tuæ studuit consulere, utrum portitor istarum litterarum diaconatus et presbiteratus officium idoneus sit peragere nec ne, cum ad id prepropere cursu, subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius quam superbia cognoscatur ascendisse.

Unde nos consulendo caritati tuæ mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, et sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas.

### **DISTINCTIO LIII.**

#### **GRATIANUS.**

Curiales autem, ut supra scriptum est, ideo ordinari prohibentur, quia frequenter, dum ab ecclesia repetuntur, plurima incommoda ecclesia sequitur, uel quia iidem curiales non uoto religionis, sed ut officiorum suorum ratiocinia fugiant, ad ecclesias se transferunt.

Unde Gregorius scribit libro VIII. Registro [Indict. I. epist. 11]. omnibus Episcopis de lege Mauriti Augusti:

**C. I.** Quare sit constitutum, ne curiales ordinentur.

Legem, quam piissimus inperator dedit, ne forte hi, qui miliciæ uel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum ueniant uel in monasteriis conuertantur, uestræ studui fraternitati transmittere, maxime ob hanc causam, quod hi, qui seculi actionibus implicati sunt, in clero ecclesiæ prepropere suscipiendi non sunt, quia, dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter quam prius uixerant uiuunt, nequaquam student seculum fugere, sed mutare.

Quod si etiam tales quique monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a negociis publicis fuerint absoluti.

**§. 1.** Si qui uero ex militaribus uiris in monasteriis annumerari festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi uita eorum subtiliter inquisita fuerit.

Et iuxta normam regularem in suo habitu per triennium probati, tunc monachicum habitum Deo auctore suscipiant.

### **DISTINCTIO LIV.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Serui autem ordinari prohibentur, nisi a propriis dominis libertatem legitimam consequantur.

Unde Leo Episcopus omnibus scribit Episcopis:

**C. I.** Seruus ad clericatus officium non promoueatur.

Nullus episcoporum seruum alterius ad clericatus officium promouere presumat, nisi forte eorum peticio aut uoluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo uendicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui diuinæ miliciæ est aggregandus, ut a castris dominicis, quibus nomen eius asscribitur, nullius necessitatis uinculis abstrahatur.

**C. II.** De seruili condicione ad sacros ordines nullus accedat.

Item ex Triburiensi Concilio.

Nulli de seruili condicione ad sacros ordines promoueantur, nisi prius a dominis propriis legitimam libertatem consequantur; cuius libertatis charta ante ordinationem in ambone publice legatur, et, si nullus contradixerit rite consecrabuntur.

Porro seruus non canonicè consecratus, postquam de gradu deciderit, eius condicionis sit, cuius fuerat ante gradum.

[PALEA. **C. III.** Ex Concilio Cartaginensi I. c. 8.

Magnus episcopus Astiagensis dixit, quid dilectioni uestræ uidetur, procuratores, actores et executores, seu curatores pupillorum si debeant ordinari?

Gratus episcopus dixit: si post deposita uniuersa et reddita ratiocinia actus uitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent et cum laude cleri, si postulati fuerint, honore munerari.

Si enim ante libertatem negotiorum uel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati, ecclesia infamatur.

Uniuersi dixerunt: Recte omnia statuit sanctitas tua, ideo que ita est et nostra ista quoque sententia].

**C. IV.** Post donum libertatis famuli ecclesiæ deuocentur in clerum.

Item ex Concilio Tolletano IX. [c. 11].

Qui ex famulis ecclesiæ seruituri deuocantur in clerum ab episcopis suis, necesse est, ut libertatis percipiant donum, et si honestæ uitæ claruerint meritis adiuti tunc demum maioribus fungantur officiis.

Quos uero flagitii sordidauerit incorrigibilis noxa, perpetua seruitus condicionis religet in catena.

Gratian. Qui autem a dominis suis ordinandi libertatem consequuntur, ab eorum patrocinio penitus debent esse alieni, ut in nullo eorum obsequiis inueniantur obnoxii.

Unde in Concilio Tolletano IV. [c. 73]. legitur:

**C. V.** Ad clericatum suscipiantur qui nullo obsequio retento a dominis suis libertatem percipiunt.

Quicumque libertatem a dominis suis ita percipiunt, ut sibi in eis nullum obsequium patronus retinet, isti, si sine crimine sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur, quia directa manumissione absoluti noscuntur.

Qui uero retento obsequio manumissi sunt, pro eo, quod adhuc patroni seruitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promouendi, ne, quando uoluerint eorum domini, fiant ex clericis serui.

[PALEA. **C. VI.** Ex Concilio Tolletano. [c. 82].

De seruorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos promouentur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordari debere, et statutum est, ut nullus episcoporum



deinceps eos ad sacros ordines promouere presumat, nisi prius a dominis propriis libertatem consecuti fuerint.

§. 1. Et si quilibet seruus dominum suum fugiens aut per litteras, aut adhibitis testibus munere conductis uel corruptis, aut qualibet calliditate uel fraude ad gradus ecclesiasticos peruenerit, decretum est, ut deponatur, et dominus eius eum recipiat.

§. 2. Si uero auus uel pater ab alia patria in aliam migrans in eadem prouincia filium genuerit, et ipse filius ibidem educatus et ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, et utrum seruus sit ignotum sit, et postea ueniens dominus illius legibus eum acquisierit, sancitum est, ut, si dominus eius illi libertatem dare uoluerit, in gradu suo permaneat.

§. 3. Si uero eum catena seruitutis a castris dominicis abstrahere uoluerit, gradum amittat, quia iuxta sacros canones uilis persona manens sacerdotii dignitate fungi non potest].

C. VII. Sine consensu patroni non ordinetur, qui patrocínio cuiuslibet est obligatus.

Item ex Concilio Martini Papæ.

Si quis obligatus est tributo seruili, uel aliqua condicione, uel patrocínio cuiuslibet domus, non est ordinandus clericus, nisi probatæ uitæ fuerit, et patroni consensus accesserit.

[PALEA. C. VIII. Ex Concilio Tolletano c. 2.

De rebus uero illorum uel peculiari, qui a propriis dominis libertate donantur, ut ad gradus ecclesiasticos iure promoueantur, statutum est, ut in potestate dominorum consistat, quicquid ante libertatem habuerunt utrum illis concedere, an sibi retinere uoluerint].

Gratian. Ceterum, si a dominis suis libertatem consecuti non fuerint, et ad ecclesiasticos ordines aliquo modo irrepserint, presbiter peculii amissione mulctetur, diaconus uero aut uicarium pro se prestabit, aut in seruitutem reuocabitur; ceteri uero gradus non possunt quemquam a nexu seruitutis absoluere.

Unde Gelasius scribit Martino et Iusto Episcopis:

C. IX. Seruus si latenter irrepserit ad sacerdotium, peculii amissione multetur.

Ex antiquis regulis et nouella sinodali explanatione comprehensum est, personas obnoxias cingulo celestis miliciæ non precipi.

Sed nescio utrum ignorantia aut uoluntate rapiamini, ita ut ex hac causa nullus pene episcoporum uideatur extorris.

Ita enim nos frequens et plurimorum querela circumstrepit, ut ex hac parte nichil penitus putetur constitutum.

§. 1. Actores siquidem illustris uiri filii nostri Amandiani grauiter conqueruntur, homines suo iuri debitos alios iam clericos, alios iam diaconos ordinatos, cum non solum post modernum concilium (quod tantorum collectione pontificum sub omnium saluberrimæ prouisionis assensu constat esse perfectum) huiusmodi personæ suscipi non deberent, uerum etiam, si qui forte in diuinæ cultu miliciæ ante fuerint ignorantia faciente suscepti, eliminari prorsus et exuti religioso priuilegio, ad dominorum suorum possessiones iusta debuerint ammonitione compelli.

Et ideo, fratres karissimi, eos, quos supradicti uiri actores in clericatus offitio monstrauerint detineri, discussos et obnoxios adprobatos, custodito legum tramite sine

intermissione restituite, ita ut si quis iam ex his presbiter reperitur, in eodem gradu peculii sola amissione multatus maneat.

Diaconus uero aut uicarium prestet, aut, si non habuerit, ipse reddatur.

Reliqua uero offitia sciant, neminem posse ab obnoxietate, si conuincitur, uendicari, quatenus hoc ordine custodito nec dominorum iura, nec priuilegia ulla ratione turbentur.

**C. X. Seruus clericus factus seruituti maneat obnoxius.**

Idem Herculentio, Stephano et Iusto Episcopis.

Frequens quidem et assidua nos querela circumstrepit de his pontificibus, qui nec antiquas regulas, nec decreta nostra nouiter directa cogitantes, obnoxias possessoribus illigatas que personas uenientes ad clericale cingulum non refutant.

§. 1. Nuper etenim rectores illustris feminæ Placidia petitorii oblatione conquesti sunt, Sabinum Marcellianensis siue Cusilinitis urbis antistitem Antiochum seruum iuris patronæ suæ (absentis dominæ occasione captata) ad presbiterii honorem usque perductum, eius que fratrem Leoncium clericalis offitii priuilegio decorasse.

Et ideo, fratres carissimi, inter supradictos actores, et eos, qui extremæ condicionis repetuntur obiectu, cognitionem uobis nostra auctoritate deputamus, ut omni ueritate discussa, si reuera obiectam sibi maculam iustæ refragationis non poterit ratione diluere, Leoncium clericum, quem gradus prefinitus legibus non defendit, ad sequendam condicionis suæ necessitatem modis omnibus redibete.

Antiochum uero, quia propter sacerdotium iam retolli non potest, si in sua ecclesia in hoc in quo est honore collocare desiderat, non uelud redditum sibi habeat, sed pro ministeriorum celebratione susceptum.

**C. XI. De eodem.**

Idem Rufino et Aprili Episcopis.

Quis aut leges principum, aut patrum regulas, aut ammonitiones modernas dicat debere contempni, nisi qui inpunitum sibi tantum existimat transire commissum?

Actores siquidem filiæ nostræ illustris et magnificæ feminæ Maximæ petitorii nobis insinuatione conquesti sunt, Siluestrum atque Candidum, originarios suos, contra constitutiones, que supra dictæ sunt, etiam contradictione preeunte a Lucerino pontifice diacones non legitime ordinatos.

Et ideo, fratres karissimi, tantæ preuaricationis excessus noueritis sagacius inquirendos, et, si constiterit querelam ueritate fulciri, continuo, qui contradictione preeunte non legitime sunt creati, a sacris offitiis repellantur.

**C. XII. Nec ad religiosæ uitæ propositum, nec ad clericatus offitium sine dominorum consensu serui admittantur.**

Item eisdem.

Generalis etiam querelæ uitanda presumptio est, qua propemodum causantur uniuersi, passim seruos et originarios dominorum iura possessionem que fugientes, sub religiosæ conuersionis obtentu uel ad monasteria sese conferre, uel ad ecclesiasticum famulatum conuiuentibus quoque presulibus indifferenter admitti.

Que modis omnibus est amouenda perniciēs, ne per Christiani nominis institutum aut aliena peruadi, aut publica uideatur disciplina subuerti; precipue cum nec ipsam ministerii clericalis hac obligatione fuscari dignitatem conueniat, cogatur que pro statu militantium sibi condicione que iurgari, aut uideri (quod absit) obnoxia.

Quibus sollicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus, presbiter, diaconus, uel eorum, qui monasteriis preesse noscuntur, huiusmodi personas apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps uel ecclesiæ seruituti, uel religiosis congregationibus putauerint applicandas, nisi uoluntate forsitan dominorum subscriptionis testimonio primitus absolutas uel legitima transactione concessas, periculum se proprii honoris non ambigant communionis que subituros, si super hac re cuiusquam uerax nos querela pulsauerit.

§. 1. Magnis quippe studiis secundum B. Paulum Apostolum precauendum est, ne fides et disciplina Domini blasphemetur.

Idem:

§. 2. Nichil perire credimus ecclesiasticis utilitatibus, si que sunt aliena reddantur.

## II. Pars.

Gratian. Hoc tunc obseruandum est, cum dominus et serus eiusdem professionis inueniuntur.

Ceterum Iudeus Christianum mancipium emerit, iudicis uel episcopi auctoritate, etiam eo inuito, ad libertatem debet perducere.

Unde Gregorius Libertino Episcopo:

C. XIII. Ad libertatem perducantur mancipia Christiana a Iudeis comparata.

Mancipia Christiana, quecumque Iudeum comparasse patuerit, ad libertatem iuxta legum precepta sine ambiguitate perducite, ne, quod absit, religio Christiana Iudeis subiecta polluat.

C. XIV. Offitia publica Iudeis non sunt committenda.

Item ex Concilio Tolletano III. [c. 14].

Nulla offitia publica Iudeis iniungantur, per que eis occasio tribuatur penam Christianis inferre.

Si qui uero Christiani ab eis in Iudaismo ritu sunt maculati uel etiam circumcisi, non reddito pretio ad libertatem et religionem redeant Christianam.

Gratian. De his autem, qui in infidelitate empti ad gratiam baptismi uenire desiderant, quid fieri debeat, Gregorius scribit Fortunato Neapolitano Episcopo: [lib. V. epist. 31].

C. XV. In libertatem uendicentur serui, qui ab infidelitate ad fidem accedunt.

Fraternitatem uestram oportet esse sollicitam, si de Iudeorum seruitio non solum Iudeus, sed etiam quisquam paganorum fieri uoluerit Christianus, postquam uoluntas eius fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio uel argumento cuiquam Iudeorum uenundandi facultas sit; sed is, qui ad Christianam conuerti fidem desiderat, defensione uestra in libertatem modis omnibus uendicetur.

§. 1. Hi uero, quos huiusmodi oportet seruos amittere, ne forsitan utilitates suas irrationabiliter existiment impediti, sollicita uos hoc conuenit consideratione seruare, ut, si paganos, quos mercimonii causa de externis finibus emerint, infra tres menses, dum emptor, cui uenditi fuerant, non inuenitur, fugere ad ecclesiam forte contigerit, et uelle se dixerint Christianos fieri, uel etiam extra ecclesiam hanc talem uoluntatem prodiderint, pretium eorum a Christiano scilicet emptore percipiant.

Si autem post prefinitos tres menses quisquam huiusmodi seruorum Iudaicorum uelle suum dixerit, et fieri uoluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emerit, nec

dominus qualibet occasionis specie hunc audeat uenundare, sed ad libertatis proculdubio premia perducatur, quia hunc non ad uendendum, sed ad sibi seruiendum dicitur comparasse.

[PALEA. C. XVI. Idem Ianuario Caralitano Episcopo, libro III. epistola 9.

Si quilibet Iudeorum seruus ad uenerabilia loca confugerit causa fidei, nullatenus eum patiamini preiudicium sustinere; sed siue olim Christianus, siue nunc fuerit baptizatus, sine ullo Christianorum pauperum damno religioso ecclesiasticæ pietatis patrocinio in libertatem modis omnibus defendatur.

[PALEA. C. XVII. Item ex Concilio Tolletano XII. c. 9.

Et si Iudeorum serui, nec dum adhuc conuersi, ad Christi gratiam conuolauerint, libertate donentur].

[PALEA. C. XVIII. Item ex Concilio Matisconensi I. c. 16.

Presenti concilio Deo auctore sancimus, ut nullum Christianum mancipium Iudeo deinceps seruiat; sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis ipsum mancipium quicumque Christianus seu ad ingenuitatem, seu ad seruitium licentiam habeat redimendi.

Et si Christianus fieri desiderat, et non permittitur, similiter faciat, quia nefas est, quem Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, blasphemum Christianæ religionis in uinculis tenere.

Quod si acquiescere his, que statuimus, quicumque Iudeus noluerit, quamdiu ad pecuniam constitutam uenire distulerit, liceat mancipium ipsum cum Christianis ubicumque uoluerit habitare].

C. XIX. De eodem.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I. c. 5].

### III. Pars.

Si seruus, absente aut nesciente domino, episcopo sciente quod seruus sit, presbiter aut diaconus ordinatus fuerit, ipso in clericatus officio permanente, episcopus eum domino duplici satisfactione recompenset.

Si uero episcopus eum seruum nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicauerint ordinari, simili redibitione teneantur obnoxii.

C. XX.

Constitutio noua.

Si seruus sciente et non contradicente domino, in clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso liber et ingenuus erit.

Sed si ignorante domino, licet, ei intra spatium unius anni et seruilem fortunam probare, et seruum suum accipere.

Verum et si legitimo probatus experimento monachus efficiatur, euadit iugum seruitutis. Debent enim per triennium antequam monachi efficiantur in monasterio permanere, postea uero si monachi effecti fuerint, liberi efficiuntur.

Episcopalis ordo liberat a fortuna seruili uel ascriptitia, sed non a curiali siue officiali, nam et post ordinationem durat.

Sed et ius patriæ potestatis soluit episcopalis dignitas.  
Inscripticios uero in ipsis possessionibus clericos etiam preter uoluntatem dominorum fieri permittimus, ita tamen, ut clerici facti inpositam sibi agriculturam adimpleant.

**C. XXI. De eodem.**

Item Leo omnibus Episcopis. [epist. I. c. 1].

Admittuntur passim ad sacrum ordinem, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur, et qui a dominis suis consequi libertatem minime potuerunt, ad fastigium sacerdotii (tamquam seruilis uilitas hunc honorem capiat) prouehuntur.

Ab his itaque, fratres karissimi, omnes uestræ prouinciæ abstineant sacerdotes, et non tantum ab his, sed etiam ab aliis originariis, uel qui alicui conditioni obligati sunt, uolumus temperari, nisi forte eorum peticio aut uoluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos uendicant potestatis.

**IV. Pars.**

Gratian. De seruis monasterii queritur, an ecclesiasticis offitiis possint aggregari, an non.

Sed famuli ecclesiarum non sunt ordinandi, sicut supra dictum est, nisi a propriis episcopis libertatem consequuntur.

Porro serus monasterii libertatem consequi non ualet, non ergo ad clericatum sibi accedere licet.

Quod autem liber fieri non possit, probatur auctoritate octauæ Sinodi, in qua sic statutum legitur:

**C. XXII. Monasterii seruuum abbati uel monacho non licet facere liberum.**

Abbati uel monacho monasterii seruuum non licebit facere liberum.

Qui enim nichil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest, nam, sicut et seculi leges sanxerunt, non potest alienari possessio, nisi a proprio domino.

Gratian. Hac auctoritate prohibentur serui adipisci libertatem recedendi ab obsequio monasterii, sed non prohibentur nancisci libertatem promouendi ad sacros ordines.

Potest enim in sacris ordinibus constitutus monasterii obsequiis perpetuo deseruire, ac sic seruus monasterii et libertatem adipisci et sacris offitiis ualet associari.

Unde in alio capitulo prefatæ constitutionis hec causa redditur: “Iniustum est enim, ut monachis rurale opus facientibus serui eorum otio torpeant ac deliciis affluant”.

**V. Pars.**

Gratian. Quid autem serui ecclesiarum (quo nomine etiam monasterii seruos significari intelligimus) ad sacræ religionis propositum debeant assumi, auctoritate beati Gregorii probatur, qui generali Sinodo residens dixit:

**C. XXIII. Si conuersionis probatæ fuerit famulus ecclesiæ, potest ordinari.**

Multos ex ecclesiastica familia nouimus ad omnipotentis seruitium festinare, ut ab humana seruitute liberi in diuino seruitio ualeant in monasteriis conuersari.

Quod si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici iuris dominium occasionem prebemus.

Si uero festinantes ad omnipotentis seruitium incaute retinemus, illi inuenimur negare quedam, qui dedit omnia.

Unde necesse est, ut si quis ex iuris ecclesiastici uel secularis miliciæ seruitute ad Dei seruitium conuerti desiderat, probetur prius in laicali habitu constitutus.

Et si mores eius atque conuersatio bono desiderio illius testimonium ferunt, absque ulla retractione in monasterio omnipotenti Domino seruire permittatur, ut ab humano seruitio liber recedat, qui diuino amore districtiorem appetit subire seruitutem.

Si autem et in monachico habitu secundum Patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conuersatus, post prefixa sacris canonibus tempora iam ad quodlibet ecclesiasticum offitium prouehatur, si tamen illis non fuerit criminibus maculatus, que in testamento ueteri morte mulctantur.

Gratian. Ecce, quomodo serui ad clericatum ualeant assumi, uel quomodo non admittantur.

Liberti quoque non sunt promouendi ad clerum, nisi ab obsequiis sui patroni fuerint absoluti.

Unde in Concilio Eliberitano: [c. 80].

**C. XXIV.** Absque patroni consensu libertus non promoueatur ad clerum.

Prohibendum est, ut liberti, quorum patroni in seculo fuerint, ad clerum non promoueantur.

## **DISTINCTIO LV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Corpore uero uitati similiter a sacris offitiis prohibentur.

Unde Gelasius Papa [Episcopis per Lucaniam et Brutios constitutis, epist. I. c. 2. et 3]. scribit, dicens:

**C. I.** Qui de monasterialibus disciplinis ad clericale munus accedit et de laicis, anteacta eius uita examinetur.

Priscis igitur pro sua reuerentia manentibus institutis, (que, ubi nulla rerum uel temporum perurget angustia, regulariter conuenit custodiri), quia eatenus ecclesiæ uel cunctis uel sufficientibus priuatæ sunt ministeriis, ut plebibus ad se pertinentibus diuina munera subplere non ualeant, concedimus, ut, si quis monasterialibus disciplinis eruditus ad clericale munus accedit, etiam de laicis, anteacta eius uita requiratur, §. 1. ne sit aliquo facinore infectus, uel illitteratus, uel bigamus, uel ab adolescentia sortitus, uel corpore uitatus, uel seruilis uel originariæ condicionis, uel curiæ uel publicarum nexibus rerum implicatus, uel publica penitencia notatus, uel nulla congruentis temporis expectatione discussus.

**C. II.** Annuæ suspensioni subiaceat, qui preter canonum formam aliquem ordinat.

Item ex Concilio Arelatensi IV. [c. 3].

Nullus penitentem, nullus digamum, nullus uiduarum maritos in predictis honoribus audeat ordinare.

Et licet hec iam prope omnium canonum instituta contineant, tamen ne cuicumque sacerdotum supplicantium (sicut iam diximus) inopportunitas uel suggestio iniqua subripiat, necesse fuit, ut nunc seueriorem regulam sibi uelint Domini sacerdotes inponere.

Et ideo, quicumque ab hac die contra ea, que superius comprehensa sunt, clericum ordinare presumpserit, ab ea die, qua hoc ei potuerit approbari, anno integro missas cantare non presumat.

Quam rem si quis obseruare noluerit, et contra constitutum fratrum faciens missas celebrare presumpserit, ecclesiæ communionem priuetur, et ab omnium fratrum communionem se nouerit alienum, quia dignum est, ut seueritatem ecclesiasticæ disciplinæ sentiat, qui salubriter a sanctis Patribus instituta obseruare contempnit.

**C. III.** Non ordinentur penitentes, uel inscii litterarum.

Item Ylarius Papa. [ex Concilio Romano ab ipso habito, cap. 3].

Penitentes uel inscii litterarum, aut aliqua membrorum dampna perpessi, ad sacros ordines aspirare non audeant.

Quisquis autem talium consecrator extiterit, factum suum ipse dissoluet.

Gratian. Corpore autem uitati intelliguntur non casu, sed propria uoluntate abscisi.

Unde in canonibus Apostolorum [c. 22. et 23]. legitur:

**C. IV.** Qui semetipsum abscidit, non ordinetur.

Si quis abscidit semetipsum, (id est, si quis amputauerit sibi uirilia), non fiat clericus, quia suus est homicida, et Dei condicionis inimicus.

§. 1. Si quis, cum clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino dampnetur, quia suus est homicida.

**C. V.** Non producantur ad clerum, qui se ipsos abscidunt.

Item ex Concilio Arelatensi II. [c. 7].

Hii, qui se carnali uicio repugnare nescientes abscidunt, ad clerum peruenire non possunt.

Item Innocentius scribit Felici Nucерiano Episcopo: [epist. IV. cap. 1].

**C. VI.** Non est ordinandus, qui partem digiti sui uolens abscidit.

Qui partem cuiuslibet digiti sibi ipsi uolens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt.

Cui uero casu aliquo contigerit, dum aut operi rustico curam inpendit, aut aliquid faciens se non sponte percutit, hos canones precipiunt et clericos fieri, et, si in clero reperti fuerint, non abici.

In illis enim uoluntas est iudicata, que sibi ausa fuerit ferrum inicere; in istis uero casibus ueniam meruit.

Gratian. Similiter intelligendum est de his, qui per languorem a medicis secantur, aut a barbaris absciduntur, aut a dominis castrantur.

Unde in Niceno Concilio [c. 1]. legitur:

**C. VII.** Qui per languorem a medicis dissecatur, ad clerum ualet admitti.

Si quis a medicis propter languorem desectus est aut a barbaris abscisus, hic in clero permaneat.

Si quis autem se sanus abscidit, hunc in clero constitutum abstinere conueniet, et deinceps nullum talium debere promoueri.

Sicut autem hoc claret, quod de his, qui hanc rem affectant audent que semetipsos abscidere, dictum sit, sic eos, quos aut barbari, aut domini castrauerunt, inueniuntur autem alias dignissimi, tales ad clerum suscipit ecclesia.

**C. VIII.** Licite ordinetur episcopus, qui per hominum insidias eunuchizatur.

Item ex canone Apostolorum. [21].

Eunuchus, si per insidias hominum factus est, uel si in persecutione eius sunt amputata uirilia, uel si ita natus est, et est dignus, fiat episcopus.

**C. IX.** Non excluduntur a clero, qui a medicis, uel a barbaris, uel a dominis suis exsecantur.

Item ex Concilio Martini Papæ.

Si quis pro egritudine naturalia a medicis secta habuerit, similiter et qui a barbaris aut a dominis suis castrati fuerint, et moribus digni inueniuntur, hos canon admittit ad clerum promoueri.

Si quis autem sanus non per disciplinam religionis et abstinentiæ sed per abscissionem a Deo plasmati corporis, existimat, posse a se carnales concupiscentias amputari, et ideo se castrauerit, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium.

Quod si iam ante fuerit promotus ad clerum, prohibitus a suo ministerio deponatur.

**C. X.** Non prohibetur a sacris ordinibus qui medicorum incisione claudus efficitur.

Item ex Concilio Ilerdensi.

Si quis in infirmitate positus clericus in medicorum incisione claudus efficitur, promoueri ad sacros ordines eum non denegamus.

**C. XI.** Non prohibetur a clero, qui digitum casu sibi abscidit.

Item Stephanus Roberto Metensi Episcopo.

Lator presentium, Flauinus scilicet clericus, ad sanctam sedem apostolicam ueniens, detulit a te directam nobis epistolam, qua indagare studuisti, eum a Normannis nuperrime captum sinistrae manus digitum habere abscisum, sciscitaris, si ob hoc ad ecclesiasticum ordinem ualeat promoueri, an non.

Quod et nos reperientes, quia sollertia tua, magis super hoc sollicita, a sede apostolica doceri flagitat, normam iusticiæ semper sequi desideramus, studium tuæ sanctitatis merito collaudamus, reuerentiam tuam scire uolentes, quoniam si ita est, quod a Normannis digitum ipsum habeat abscisum, ad promouendum (si alias dignus fuerit) nil ei nocebit, eo quod quid de his, qui a dominis, uel a medicis, siue a paganis non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus.

**C. XII.** Tempore sinceritatis dignitas accepta sequenti debilitate non amittatur.

Item Gelasius Papa Palladio Episcopo.

Precepta canonum, quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut non paciuntur uenire ad sacerdotium debiles corpore, ita si quis in eo fuerit constitutus actu, ac tunc fuerit sauciatus, amittere non potest quod tempore suæ sinceritatis accepit.

§. 1. Stephanus siquidem presbiter petitorio nobis defleuit oblato, quod habetur in subditis, olim sibi et ante annos plurimos collatam presbiterii dignitatem, quam reuera immaculati corporis iudicio suscepisset; sed nuper propter prouinciæ uastitatem (quam



Thusciæ pre omnibus barbarorum diuersa sectantium, et ambiguitas inuexit animorum), dum imminentes gladios euadere fugæ presidio niteretur, acutis sudibus occurrentia sibi septa transsiliens, inferiores partes corporis inseruisse suggestit, que uix adhibita curatione biennio potuisset abstergi.

Et ideo, frater karrissime, supradicto locum suum dignitatem que restitue, quatenus sacrosancta misteria, sicut consueuit, exerceat.

Nec enim conuenit ob hoc auferri ante susceptum ordinem, in quo postmodum in inualitudine corporis casu probatur faciente prolapsus.

## II. Pars.

Gratian. Hoc autem non de omnibus membris intelligendum est.

Qui enim oculum casu amiserit, licet desit uoluntas, tamen sacerdotium adipisci non potest.

Unde Pelagius scribit Rufino Episcopo:

**C. XIII.** Non sunt prestanda iura sacerdotii, cui oculus est erutus.

Si euangelica admonitio iracundiam nec usque ad uerbum furentem prosilire permittit, ne, si Racha fratri suo quis dixerit, reus sit gehennæ ignis: quali putamus pena plectendum esse, qui non solum pugno inpie percussit hominem in Leuitici offitii ministerio seruientem, quasi non sufficeret ad cedem manus, ita (instigante se diabolo) raptus ad iracundiam est, ut fuste non solum percuteret, sed etiam erueret oculum fratris?

Et quamuis huiusmodi excessus grauiori esset pena plectendus, bene tamen fraternitas tua fecit ab offitio eum presbiterii remouere.

Hoc tamen sollicitudinis tuæ sit, ut locum etiam penitentiæ constituas, et in aliquo eum monasterio retrudas, laica sibi tantum communionem concessa.

In loco autem illius alium te necesse est ordinare presbiterum, nam illi, cui erutus est oculus, non possunt iuxta canones sacerdotii iura concedi.

Neque enim aliquid ei prodest, quod oculus inuitus amisit, cum nec uolens quisquam oculum amisisse credendus est, nec sacratissimos canones aliquem casum in amissione oculi, ei qui ad sacerdotium adipiscendum non inpediret, suis excepisse regulis inuenimus; sed hoc tantummodo ad prohibitionem fecisse uidemus, ut qui caret oculo, sacerdotii offitium adipisci non possit.

Sed nec illi ullatenus quasi in compensatione iniuriæ sacratus ordo concedi poterit, qui ad tantam sacerdotem proprium potuit iracundiam prouocare, ut ille et offitium, in quo erat, amitteret, et iste prouectus sui perderet facultatem.

## DISTINCTIO LVI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Presbiterorum etiam filii ad sacra offitia non sunt admittendi.

Unde Urbanus Papa II. ait:

**C. I.** Filii presbiterorum a sacris ordinibus remouentur.

Presbiterorum filios a sacris ministeriis remouemus, nisi aut in cenobiis, aut in canonicis religiose probati fuerint conuersari.

## II. Pars.

Gratian. Sed hoc intelligendum est de illis, qui paternæ incontinentiæ imitatores fuerint. Verum si morum honestas eos commendabiles fecerit, exemplis et auctoritate non solum sacerdotes, sed etiam summi sacerdotes fieri possunt.

[PALEA. C. II. Unde Damasus Papa scribit:

Osius Papa fuit filius Stephani subdiaconi.

Bonifacius Papa fuit filius Iucundi presbiteri.

Felix Papa filius Felicis presbiteri de titulo Fasciolæ.

Agapitus Papa filius Gordiani presbiteri.

Theodorus Papa filius Theodori episcopi de ciuitate Ierosolima.

Siluerius Papa filius Siluerii episcopi Romæ.

Deusdedit Papa filius Stephani subdiaconi].

Felix enim tertius, natione Romanus, ex patre Felice presbitero fuit.

Item Gelasius, natione Afer, ex patre episcopo Valerio natus est.

Item Agapitus, natione Romanus, ex patre Gordiano presbitero originem duxit.

Quamplures etiam alii inueniuntur, qui de sacerdotibus nati apostolicæ sedi prefuerunt.

Hinc Augustinus ait: [libro de bono coniug. c. 16].

### C. III. Vicia parentum filiis non inputentur.

Undecumque homines nascuntur, si parentum uicia non sectantur, honesti et salui erunt.

Semen enim hominis ex qualicumque homine Dei creatura est, et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit.

Sicut autem boni filii adulterorum nulla est defensio adulterorum, sic mali filii coniugatorum nullum crimen est nuptiarum.

### C. IV. De eodem.

Item Iohannes Crisostomus supra Mattheum homilia III. [c. 1].

Numquam de uiciis erubescamus parentum, sed unum illud queramus semper que amplectamur, uirtutem uidelicet.

Huiusmodi enim, etiamsi alienigenam habet matrem, etiamsi fornicatione pollutam uel quolibet huiusmodi dedecore sordidatam, nichil tamen de eius aut uilitate fuscabitur, aut crimine polluetur.

Quod si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum nequaquam uita conmaculat prior, multo magis ex meretrice natus et adultera, si propria uirtute decoretur, parentum suorum non decoloratur obprobriis.

Item:

§. 1. Non est omnino, non est nec de uirtute nec de uicio parentum aut laudandus aliquis, aut culpandus, nemo inde uere aut obscurus, aut clarus est, imo etiam considerantius aliquid dicamus ac expressius, nescio, quomodo ille magis resplendet, qui ex parentibus a uirtutibus prorsus alienis, ipse tamen fuerit Dei uirtute mirabilis.

### C. V. Non parentum, sed propria culpa quemque condempnat.

Item Ieronimus in epistola contra Rufinum.

Nasci de adulterio non est eius culpa, qui nascitur, sed illius, qui generat.

Quomodo in seminibus non peccat terra, que confouet non semen, quod in sulcis iacitur, non humor et calor, quibus temperata frumenta in germen pullulant, sed, uerbi gratia, fur et latro, qui fraude et ui eripit semina: sic genus humanum recipit terra, id est uulua, quod suum est et receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, et inter illas sacri uentris angustias Dei manus semper operatur, idem que est corporis creator et animæ.

Noli despiciere bonitatem figuli, qui te plasmavit et fecit ut uoluit.

Ipse est Dei uirtus et Dei sapientia, qui in utero uirginis edificauit sibi domum.

Iepte, inter uiros sanctos Apostoli uoce numeratus, meretricis est filius.

Esau de Rebecca et Isaac, hispidus tam mente quam corpore, quasi bonum triticum in lolium auenas que degenerat, quia non in seminibus, sed in uoluntate nascentis causa uiciorum est atque uirtutum.

**C. VI.** Iniquitates parentum filiis obesse non possunt.

Item Augustinus. [contra Faustum, lib. XXII. c. 64].

Sponsus ille, qui uocaturus erat ad nuptias bonos et malos, congruens inuitatis, nasci etiam uoluit de bonis et malis, quo exemplo discant parentum suorum iniquitates sibi obesse non posse.

**C. VII.** Non aliena culpa, sed propria aliquem ab eo, quo fungitur, deicit gradu.

Item Gregorius. [ad Columbum Episcopum Numidiæ, lib. X. epist. 8].

Satis peruersum et contra ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra quorundam, uoluptatibus quis priuetur, quem sua culpa uel facinus ab offitiis, quo fungitur, gradu non deicit.

**C. VIII.** Ex adulterio natus a sacerdotio non prohibetur.

Item Ieronimus.

Dominus noster Iesus Christus uoluit, non solum de alienigenis, sed etiam de adulterinis conmixtionibus nasci, nobis magnam fiduciam prestans, ut qualicumque modo nascamus, tantum ut eius uestigia imitemur, ab ipsius corpore non separemur, cuius per fidem membra effecti sumus.

Et sicut ille uerus est pontifex ex adulterinis natus coniunctionibus, ita, qualicumque ordine natus sit aliquis, tantum ut fidem perfectam habeat, et quod fide tenet inpleat operibus, sit que litteratus, et uir unius uxoris, nequaquam a sacerdotio repellitur.

Iudas enim patriarcha concubuit cum Thamar nuru sua, et ex illo coitu nati sunt Phares et Zaran, inde postea Salmon, qui fuit dux in deserto, inde Obeth inde que Booz, inde postea Isai, qui fuit pater Dauid.

Ex progenie autem illa origo ducitur Christi, qui uerus sacerdos est; ideo que si filii eius sumus, que ipse fecit imitari debemus.

**C. IX.** A populo Dei non separat aliquem materna condicio, sed propria culpa.

Item Augustinus de unico baptismo. [contra Donatistas, lib. I. c. 15].

Ismæl ut separaretur a populo Dei, non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia; nec profuit potestas uxoris, cuius magis filius erat, quia per ipsius iura coniugalia et in ancilla seminatus erat, et ex ancilla susceptus.

### **III. Pars.**

Gratian. Contra Bonifacius Martir Regi Anglorum:

**C. X.** Vicia parentum etiam ad posteros transeunt.

Si gens Anglorum (sicut per istas prouincias diuulgatum est, et nobis in Francia et in Italia inproperatur, et ab ipsis paganis inproperium nobis obicitur, spretis legalibus conubiis adulterando et luxuriando ad instar Sodomiticæ gentis fedam uitam uixerit, de tali commixtione meretricum estimandum est degeneres populos et ignobiles, et furentes libidine fore procreandos, et ad extremum uniuersam plebem ad deteriora et ignobiliora uergentem, et nouissime nec bello seculari fortem, nec in fide stabilem, et nec honorabilem hominibus, nec Deo esse amabilem uenturam, sicut aliis gentibus Hispaniæ et Prouinciæ et Burgundionum populis contigit, que sic a Deo recedentes fornicatæ sunt, donec iudex talium criminum ultrices penas per ignorantiam legis Dei, et per Sarracenos, uenire et seuire permisit.

Unde idem Urbanus in fine superioris capituli distinguendo subiunxit:

**C. XI.** Si religiosi inuenti fuerint filii sacerdotum, ordinentur.

Nisi aut in cenobiis, aut in canonicis religiose probati fuerint conuersari.

**C. XII.** De eodem.

Item Alexander II.

Apostolica uobis auctoritate precipimus, ut si eum, qui ecclesia electus est, digniorem altero esse, canonicam que eius electionem probaueritis, nostra fulti auctoritate consecretis.

Nam pro eo, quod filius sacerdotis dicitur, si ceteræ uirtutes in eum conueniant, non reicimus, sed suffragantibus meritis conuiuendo eum recipimus.

Gratian. Hoc autem, quod de filiis sacerdotum dicitur, ex dispensatione ecclesiæ introductum uidetur, et quod ex dispensatione introducitur, ad consequentiam regulæ trahi non poterit.

Unde Urbanus [Papa II]. scribit Bartholomeo Thuronensi Archiepiscopo:

**C. XIII.** Filii sacerdotum non prohibentur ab episcopatu, si ceteræ uirtutes in eis inueniantur.

Cenomanensem electum, pro eo, quod filius sacerdotis dicitur, si ceteræ uirtutes in eum conueniant, non reicimus, sed suffragantibus meritis patienter suscipimus: non tamen, ut pro regula in posterum assumatur, sed ad tempus ecclesiæ periculo consulitur.

Gratian. Cum ergo ex sacerdotibus nati in summos Pontifices supra leguntur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugiis nati, que sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant, et in orientali ecclesia usque hodie eis licere probatur.

§. 1. Quod autem uicium originis semini inputari negatur, uidetur esse contrarium illi sententiæ “Adulterorum filii abominatio sunt Domino”.

Sed sicut supra dictum est de presbiterorum filiis, ita et hoc de filiis adulterorum intelligendum uidetur, ut illi dicantur esse abominatio Domino, ad quos paterna flagitia hereditaria successione descendunt.

Similiter et illud Urbani intelligendum est, quod ipse scribit Patrono Legionensi Episcopo:

**C. XIV. De eodem.**

Quia simpliciter ad sedem apostolicam ueniens humiliter peccatum confessus es, quod pontificii tui uidebatur offitium impedire, uidelicet quod ex matre non legitima procreatus sis, quam uiuente propria uxore pater tuus cognouisse cognoscitur, nos apostolicæ mansuetudinis gratia admonente a ceteris que sacerdotium impediunt criminibus tam tui professione quam fratrum testimonio, qui te cum sunt, immunem te agnoscentes, et uitam tuam religiosam audientes, ab huius te peccati uinculo absolutum in suscepto sacerdotali offitio confirmamus.

**DISTINCTIO LVII.****GRATIANUS.**

Item, qui in egritudine constitutus baptizatur, presbiter ordinari non debet. Unde in Neocesariensi Concilio [c. 12]. legitur:

**C. I. Non ordinetur presbiter, qui in egritudine constitutus baptizatur.**

Si quis in egritudine constitutus baptizatus fuerit, presbiter ordinari non debet, (non enim fides illius uoluntaria sed ex necessitate est), nisi forte postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.

**DISTINCTIO LVIII.****GRATIANUS.**

Item ex monachali habitu nullus assumatur ad ecclesiasticum offitium, nisi fuerit oblatum uoluntate proprii abbatis.

Unde Gregorius scribit: [Mariniano Episcopo Rauennati, lib. VII. epist. 18].

**C. I. Monachus non ordinetur clericus, nisi uoluntate abbatis episcopo fuerit oblatum.**

Ad ecclesiasticum uero offitium nullus ex monasterio producatum monachus, nisi quem abbas loci admonitus propria uoluntate obtulerit episcopo.

**C. II. De eodem.**

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 13].

Si quis de alterius monasterio repertum uel ad clericatum promouere uoluerit, uel in suo monasterio maiorem monasterii constituere, episcopus, qui hoc fecerit, a communione ceterorum seiunctus, suæ tantummodo plebis communione contentus sit, et ille neque clericus neque prepositus perseueret.

**DISTINCTIO LIX.****GRATIANUS.**

Item qui ecclesiasticis disciplinis inbuti, et temporum approbatione discussi non sunt ad summum sacerdotium non aspirent.

Unde Zosimus Papa: [ad Hesichium Salonitanum Episcopum, epist. I].

[PALEA. C. I. Non aspiret ad summum sacerdotium qui ecclesiasticis disciplinis non est inbutus.

Qui ecclesiasticis disciplinis inbutus per ordinem non est et temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum ecclesiæ sacerdotium aspirare presumat, et non solum in eo ambitio inefficax habeatur, uerum etiam in ordinatores eius, ut careant eo ordine, quem sine ordine contra precepta Patrum crediderant presumendum].

C. II. Ad sacerdotale offitium nullus, nisi per singulos gradus probatus, accedat.

Si offitia secularia principalem locum non uestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis deferunt, quis tam arrogans, tam impudens inuenitur, qui in celesti milicia, que propensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desiderat, cum tiro ante non fuerit, et prius uelit docere quam discere?

Assuescat in Domini castris in lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruicij, nec illi uile sit exorcistam, acolithum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri, nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus.

Iam uero ad presbiterii fastigium talis accedat, ut et nomen etatis impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur.

Inde summi pontificis iure locum sperare debet.

Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis querunt, et putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri.

Hinc passim numerosa popularitas etiam in his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum parrochias extendi cupiunt, aut quibus aliud prestare non possunt diuinos ordines largiuntur.

Quod oportet districti semper esse iudicij.

Rarum est enim omne quod magnum est.

C. III. Cuiuslibet meriti laicus ad summum non aspiret sacerdotium.

Item Gregorius. [lib. VII. Reg. epist. 110].

Hoc ad nos peruenisse non dissimili dignum est detestacione complecti, quod quidam desiderio honoris inflammati defunctis episcopis tonsurantur, et fiunt repente ex laicis sacerdotes, atque inuerecunde religiosi propositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt.

Quid putamus, quid isti subiectis prestaturi sunt, qui antequam discipulatus limen attingant tenere locum regiminis non formidant?

Qua de re necesse est, ut, quamuis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distincta ecclesiastici ordinis exerceatur offitia.

C. IV. Non aspiret ad summum sacerdotium qui ecclesiasticis non est inbutus disciplinis.

Item Celestinus Episcopis Galliarum. [epist. II. c. 3].

Ordinatos uero quosdam, fratres karissimi, episcopos, qui nullis ecclesiasticis ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint constituti contra Patrum decreta, huius usurpatione, qui se hoc recognoscit fecisse, didicimus, cum ad episcopatum his gradibus, quibus frequentissime cautum est, debeat perueniri, ut minoribus initiati offitiis ad maiora firmentur.

Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit: omnis uitæ institutio hac, ad id quod tendit, se ratione confirmat.

Qui minime litteris operam dederit preceptor esse non potest litterarum.

Qui non per singula stipendia creuerit ad meritum ordinem stipendii non potest peruenire.

Solum sacerdotium inter ista, rogo, uilius est, cur facilius tribuitur, cum difficilius inpleatur?

## **DISTINCTIO LX.**

### **GRATIANUS.**

Ecce, ex parte ostensum est, qui possint ad sacerdotii ordinem promoueri, et qui non.

Nunc autem considerandum et, ex quibus ordinibus in archipresbiterum, uel prepositum, uel episcopum, uel archiepiscopum sint eligendi.

De his ita statutum est in Concilio Urbani Papæ celebrato Aluerniæ:

**C. I.** Archipresbiter, uel decanus, aut archidiaconus non nisi presbiter aut diaconus ordinetur.

Nullus episcopus in ecclesia sua, nisi diaconus sit, archidiaconum instituere, nec archipresbiterum aut decanum, nisi presbiteri sint, ordinare presumat.

Quod, ut districtius teneatur, auctoritate apostolica prohibemus et interdicimus.

**C. II.** Nullus in prepositum, uel archiepiscopum, uel archipresbiterum, uel archidiaconum nisi presbiter, uel diaconus ordinetur.

Item Calixtus Papa. [II].

Nullus in prepositum, nullus in archiepiscopum uel archipresbiterum, nullus in decanum nisi presbiter uel diaconus, nullus in archidiaconum nisi diaconus ordinetur.

**C. III.** De eodem.

Item Innocentius II. [in Concilio Romano, c. 10].

Innouamus autem et precipimus, ut nullus in archidiaconum uel decanum nisi diaconus uel presbiter ordinetur.

Archidiaconi uero, uel decani, uel prepositi, qui infra ordines prenomatos existunt, si inobedientes ordinari contempserint, honore suscepto priuentur.

Prohibemus autem, ne adolescentibus, uel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia et merito uitæ clarescant, predicti concedantur honores.

Gratian. Horum unum propter procacitatem quorundam statutum est, qui nomen preposituræ adepti offitium contempnunt, nolentes fieri sacerdotes; alias autem inane esset, cum etiam in episcopum eligi possint in subdiaconatu constituti, iuxta illud Urbani Papæ:

**C. IV.** Non eligatur in episcopum nisi in sacris ordinibus constitutus.

Nullus in episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose uiuens inuentus fuerit.

Sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbiteratum.

Hos siquidem solos primitiua legitur habuisse ecclesia, subdiacones uero, quia et ipsi altaribus ministrant, oportunitate exigente concedimus, si tamen spectatæ sint religionis et scientiæ.

Quod ipsum non sine Romani Pontificis uel metropolitani scientia fieri permittimus. Gratian. Alterum uero, ut in episcopum uel archiepiscopum nisi in sacris ordinibus constitutus non eligatur, propter dignitatem ordinis statutum est.

## **DISTINCTIO LXI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Item laici non sunt in episcopum eligendi, sed per singulos ordines prius sunt probandi. Unde Gregorius Brunichildæ Reginæ Francorum: [lib. VII. Reg. epist. 113].

#### **C. I. Sacerdotes ex laicis non sunt ordinandi.**

Sacerdotale offitium uestris in partibus in tanta (sicut didicimus) est ambitione perductum, ut sacerdotes, quod nimis graue est subito, ex laicis ordinentur.

#### **C. II. De eodem.**

Item Hormisda Papa omnibus Episcopis. [per Hispaniam constitutis, epist. III. c. 1].

In sacerdotibus eligendis uel ordinandis curam oportet esse perspicuam.

Inreprehensibiles enim esse conuenit, quos preesse necesse est corrigendis.

§. 1. Longa debet uitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur ecclesiæ.

[C. III. Idem eodem loco continenter].

Non negamus in laicis esse Deo placitos mores, sed milites suos probatos sibi querunt instituta fidelium.

Discere quis debet antequam doceat, et exemplum religiosæ conuersationis de se potius aliis prestare quam sumere.

Emendatiorem esse conuenit populo, quem necesse est orare pro populo.

Longa obseruatione religiosus cultus tradatur, ut luceat, et clericalibus obsequiis erudiendus inseruiat, ut, ad uenerandi gradus summa perductus, quis sit fructus humilitatis ostendat.

§. 1. Nec tantum consecrare de laicis inhihemus, sed ne de penitentibus quidem quisquam ad huiusmodi gradum profanus temerator aspiret.

Satis illi sit postulanti ueniam concedi; qua conscientia absoluat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum?

Quis enim quem paulo ante iacentem uideat ueneretur antistitem?

Perferens memorandi criminis labem non habet lucidam sacerdotii dignitatem.

#### **C. IV. De eodem.**

Item Innocentius Papa. [ad Aurelium Cartaginensem Episcopum, epist. XII].

Miserum est, eum fieri magistrum, qui numquam fuit discipulus; eum que summum sacerdotem fieri, qui in nullo gradu umquam obsecutus fuerat sacerdoti.

#### **C. V. De eodem.**

Item Leo Episcopus. [ad Episcopos Africanos, epist. LXXXV. al. LXXXVII. c. 1].



Miramur tantum apud uos per occasionem temporis impacati aut ambientium presumptionem aut tumultum ualuisse popularem, ut indignis quibusque et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium et gubernatio ecclesiæ crederetur.

Non est hoc consulere populo, sed nocere, nec prestare regimen sed augere discrimen.

Integritas enim presidentium salus est subditorum, et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

§. 1. Principatus autem,  
etc. et infra.

§. 2. Quod si in quibuslibet ecclesiæ gradibus prouidenter scienter que curandum est, ut in domo Domini nichil sit inordinatum nichil que preposterum, quanto magis elaborandum est, ut in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur?

Nam totius familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inuenitur in capite.

Ubi est illa B. Pauli apostoli per Spiritum Dei emissa preceptio?

qua in persona Timothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, et inde unicuique nostrum dicitur: “Manus cito nemini inposueris, neque communices peccatis alienis”.

Quid est cito manus inponere?

etc. et infra.

§. 3. Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo sacerdote iudicium, ita graui semetipsum afficit dampno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum.

Non enim in cuiusquam persona pretermittendum est quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ legis precepta collatus.

§. 4. Merito Patrum beatorum uenerabiles sanctiones, cum de sacerdotum electione loquerentur, eos demum sacris amministrationibus idoneos censuerunt, quorum omnis etas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior uita preberet, nec potest de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci premium debetur.

§. 5. Si enim ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est peruenire, et notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuuant, quam diligens et quam prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum et celestium dignitatum?

C. VI. Non sunt eligendi ad episcopatum, nisi quos probabilis uita commendat.

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 12].

Episcopum non oportet preter iudicium metropolitanorum et finitimorum episcoporum constitui ad ecclesiæ principatum.

Nec eligantur nisi hi, quos multo ante nota probabilis que uita commendat, et nichilominus si in sermone fidei et recta ratione per suam conuersionem probati fuerint.

C. VII. De eodem.

Item Celestinus omnibus orthodoxis. [ad Episcopos Apuliæ et Calabriae, epist. III. cap. 2].

Quid proderit per singula stipendia clericos militasse et omnem egisse in dominicis castris etatem, si hii, qui futuri sunt sacerdotes, ex laicis requirantur, qui uacantes seculo et omnem ecclesiasticum ordinem nescientes saltu prepropero in alienum honorem ambiunt inmoderata cupiditate transscendere, et in aliud uitæ genus (calculata reuerentia ecclesiasticæ disciplinæ) transire?

Talibus itaque, fratres karissimi, necesse est obuiemus, his que fraternitatem uestram decretis commonemus, ne quis laicum ad clericatus ordinem admittat, et sinat fieri unde et illum decipiat, et sibi causas generet, quibus reus constitutorum decretalium fiat.

**C. VIII.** Rudibus et inperitis gubernacula ecclesiæ non sunt committenda.

Item Leo. [I., epist. LXXXV. al. LXXXVII. c, 1. ad Episcopos Africanos].

Statuimus ne in aliquo apostolica et canonica decreta uiolentur, et his regenda ecclesia Domini credatur, qui legitimarum institutionum nescii, et totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed a summis uolunt habere principium, cum ualde iniquum sit absurdum que, ut inperiti magistris noui antiquis rudes preferantur emeritis. Gratian. His omnibus auctoritatibus laici prohibentur in episcopatum eligi.

## II. Pars.

§. 1. Econtra B. Nicolaus ex laico est electus in episcopum, B. Seuerus ex lanificio assumptus est in archiepiscopum, B. Ambrosius, cum nondum esset baptizatus, in archiepiscopum est electus.

§. 2. Sed sciendum est, quod ecclesiasticæ prohibitiones proprias habent causas, quibus cessantibus cessant et ipsæ.

Ut enim laicus in episcopum non eligeretur, hec causa fuit, quia uita laicalis ecclesiasticis disciplinis per ordinem non erudita nescit exempla religionis de se prestare aliis, que in se ipsa experimento non didicit.

Cum ergo quilibet laicus merito suæ perfectionis clericalem uitam transscendit, exemplo B. Nicolai et Seueri et Ambrosii eius electio potest rata haberi.

[C. IX].

Unde idem Ambrosius in epistola [LXXXII]. ad Vercellenses. [ait de se ipso]

“Neophitus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia Sed si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non adheret, uicium non inputatur.

Ordinationem itaque meam occidentales episcopi iudicio, orientales etiam exemplo probarunt”.

**C. X.** Scolasticus ex foro aut ex administratione potest postulari episcopus.

Item obicitur illud Sardicensis Concilii: [c. 13].

Osius episcopus dixit: Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetur, si forte aut diues, aut scolasticus de foro aut ex administratore episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante lectoris munere, et offitio diaconi aut presbiteri fuerit perfunctus, et ita per singulos gradus (si dignus fuerit) ascendat ad culmen episcopatus.

## III. Pars.

Gratian. Sed aliud est postulari, aliud eligi.

Postulatur nexibus curiæ adstrictus ab inperatore, clericus alterius ciuitatis a suo episcopo; sed non eligitur aliquis nisi in sacris ordinibus constitutus.

Fit enim electio cum solempnitate decreti omnium subscriptionibus roborati: postulatio uero simplici petitione.

Quam distinctionem B. Gregorius innuit in registro [lib. II. epist. 19]. scribens cuidam Episcopo:

**C. XI.** Electio episcopi debet fieri cum solempnitate decreti omnium subscriptionibus roborati.

Episcopus, dum fuerit postulatus, cum solempnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat.

Gratian. Sic B. Ambrosius ante susceptum baptisma ab inperatore postulatus, non electus est.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Item clerici unius ecclesiæ non sunt preferendi in electione his, qui bene militant in propria ecclesia.

Unde Celestinus Papa: [ad Episcopos Galliæ, epist. II. c. 4].

**C. XII.** Extranei emeritis in suis ecclesiis non preponantur.

Nec emeritis in suis ecclesiis peregrini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum, qui bene ciuium suorum merentur testimonium, preponantur.

**C. XIII.** De eodem.

Item. [eadem epist. c. 5].

Nullus inuitis detur episcopus.

Tunc alter de altera ecclesia eligatur, si de ciuitatis ipsius clero, cuius est episcopus ordinandus, nullus (quod euenire non credimus) dignus poterit reperiri.

Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito preferantur.

Habeat unusquisque suæ fructum miliciæ in ecclesia, in qua suam per omnia offitia transegit etatem.

In aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitam alter audeat sibi uendicare mercedem.

Sit facultas clericis renitendi, si se uiderint pregrauari, et quem sibi ingeri ex transuerso uiderint non timeant refutare.

Qui etsi non debitum premium, uel liberum de eo, qui eos rector est, debent habere iudicium.

[PALEA. **C. XIV.**

In ordinatione prepositi illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei siue etiam pars congregationis (quamuis parua) saniori consilio elegerit.

Vitæ autem merito et sapientia eligatur qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine congregationis.

Quod si etiam omnis congregatio uiciis suis (quod absit) consentientem personam pari consilio elegerit, et uicia ipsa aliquatenus in notitiam episcopi, ad cuius diocesin pertinet

locus ipse, uel ad alios uicinos prepositos uel Christianos claruerint, prohibeant prauorum preualere consensum, et domui Dei constituent dignum dispensatorem].

**C. XV. De eodem.**

Item Gregorius ciuibus Neapolim. [I. VIII. Reg. epist. 40].

Studii uestri sit, etiam alium, qui aptus sit, prouidere ut, si forte Petrus, quem a uobis electum asseritis, huic ordini non uideatur ydoneus, sit, in quo uestra declinari possit electio.

Nam graue cleri illius erit obprobrium, ut, si hic fortasse probatus non fuerit, alium se dicant qui eligi debeat non habere.

**C. XVI. De eodem.**

Item Gregorius in Registro. [I. XI. epist. 16].

Obitum Victoris Panormitanæ ciuitatis antistitis directa relatio patefecit.

Quapropter uisitacionis destitutæ ecclesiæ fraternitati tuæ operam solempniter delegamus.

Et ideo fraternitas tua ad predictam ecclesiam ire properet et assiduis adhortationibus clerum plebem que eiusdem ecclesiæ ammonere festinet, ut, remoto studio, uno eodem que consensu talem preficiendum sibi expetant sacerdotem, qui tanto ministerio ualeat dignus reperiri, et a uenerandis canonibus nullatenus respuatur.

§. 1. Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius ciuitatis, in qua uisitacionis inpendis offitium, nullus ad episcopatum dignus (quod euenire non credimus) poterit inueniri, prouisurus ante omnia, ne ad cuiuslibet conuersationis meritum laicæ personæ aspirare presumant, ne et illi suæ uoluntatis effectum non inueniant et tu in periculum ordinis tui (quod absit) incurras.

Monasteria autem, si qua sunt in ipsius constituta parrochia, sub tua cura dispositione que, quousque illic proprius fuerit ordinatus episcopus, esse concedimus.

**C. XVII. De eodem.**

Item Pelagius Papa [II]. Eucarpo Messanensi Episcopo.

Cathenensis ecclesiæ uisitacionem tibi iniungimus, cuius episcopum de hac luce transiisse suscepta cleri relatione didicimus.

Impossibile enim est, ut nos in prouincia illa dumtaxat in Siracusanis partibus alii cuilibet causas, que ad Dominum pertinent, committamus, nisi forte talem per te Deus nunc in Cathenensi ecclesia eligere uoluerit, de cuius conscientia possimus esse securi, ut a te labores istos paululum remouere possimus.

Mox ergo dilectio tua ad supradictam Cathenensem ecclesiam pergat, et hominem de clero, qui nec uxorem habeat, nec filios, nec crimen aliquod canonibus inimicum, eligi cum Dei auxilio compellat atque suadeat; et statim eum ad urbem Romam cum decreto et testificatione relationis tuæ trans mitte.

**C. XVIII. Qui in episcopum eligitur, non sit reus criminum, que sacra lex morte punit.**

Item Gregorius Passiuo Episcopo. [lib. X. epist. 13].

Bene nouit fraternitas tua, quam longo tempore Aprutium pastorali sit sollicitudine destitutum; ubi diu quesiuimus, quis ordinari debuisset, et nequaquam potuimus inuenire.

Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis ualde laudatus, religiosam uitam omnimodo dicitur agere, hunc uolumus fraternitas uestra ad se faciat uenire, et de anima sua admoneatur, quatenus in bonis studiis crescat. Et si nulla ei crimina, que per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obuiant, tunc hortandus est, ut uel monachus, uel a uobis subdiaconus fiat; et post aliquantulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastorem curam debeat promoueri. Gratian. Cui autem uisitatio iniungitur, nichil de rebus eiusdem ecclesiæ a quoquam presumi patiatur.

Unde Gregorius: [Gaudentio Episc., I. IV. epist. 12].

**C. XIX.** Non patiatur a quoquam presumi de rebus ecclesiæ, cui eius uisitatio fuerit iniuncta.

Quoniam Festus Capuanæ ecclesiæ episcopus in Romana ciuitate positus de hac luce migravit, curæ nobis fuit (que uniuersis ecclesiis impenditur, fraternitati tuæ presentia scripta dirigere, ut memoratæ ecclesiæ uisitor accedas, sic tamen, ut nichil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu ministeriis que, uel quicquid prefati loci esse poterit, a quoquam presumi patiaris; sed omnem uigilantiam atque cautelam circa clerum plebem que eiusdem ecclesiæ exhibere te conuenit, ut in uigiliis obsequio que ecclesiastico sedule ac deuote debeant seruire.

## **DISTINCTIO LXII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Breuiter monstratum est, ex quibus ordinibus in quos gradus sunt eligendi.

Nunc uidendum est, a quibus sunt eligendi et consecrandi.

Electio clericorum est, consensus plebis.

Unde Leo Papa: [Rustico Narbonensi Episcopo, epist. XC. ad XCII. c. 1].

**C. I.** Non sunt habendi inter episcopos, qui nec a clericis eliguntur, nec a plebibus expetuntur.

Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a conprouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati.

Unde cum sepe questio de male accepto honore nascitur, quis ambigat nequaquam ab istis esse tribuendum quod nec docetur fuisse collatum?

Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eorum ecclesiis ordinati sunt, etc.

infra causa simoniacorum. [C. 1. q. 1. c. 40].

**C. II.** Populus non debet preire, sed subsequi.

Item Celestinus. [Papa ad Episcopos Apuliæ et Calabriae, epist. III. c. 3].

Docendus est populus, non sequendus, nos quoque, si nesciunt, eos quid liceat quid ue non liceat commonere, non his consensum prebere debemus.

Quisquis conatus fuerit temptare prohibita, sentiet censuram sedis apostolicæ minime defuturam.

Que enim sola ammonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est, per seueritatem congruentem regulis uindicemus.

Per totas ergo hoc, que propriis rectoribus carent, ecclesias uolumus innotescat, ut nullus sibi aliqua spe forsitan blandiciis illudat.

Gratian. Nisi autem canonicè electus fuerit, consecrari non debet.

Unde Calixtus Papa: [II].

**C. III.** Non consecratur in episcopum nisi canonicè electus.

Nullus in episcopum nisi canonicè electum consecret.

Quod si presumptum fuerit, et consecrans, et consecratus absque recuperationis spe deponatur.

## **DISTINCTIO LXIII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Laici uero nullo modo se debent inserere electioni.

Unde Adrianus Papa: [in VIII. Sinodo Constantinopoli sub ipso celebrata c. 22].

**C. I.** Laici electioni pontificum se ipsos non inserant.

Nullus laicorum principum uel potentum semet inserat electioni uel promotioni patriarchæ, metropolitæ, uel cuiuslibet episcopi, ne uidelicet inordinata et incongrua fiat confusio uel contentio, presertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestatiuorum uel cetero laicorum habere conueniat.

Et infra:

Quisquis secularium principum uel potentum, uel alterius dignitatis laicus aduersus communem ac consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere temptauerit, anathema sit, donec obediat et consentiat, quicquid ecclesia de ordinatione atque electione proprii presulis se uelle monstrauerit.

**C. II.** De eodem.

Item ex VIII. Sinodo. [actione I].

Adrianus Papa secundus (quod Nicolaus decessor eius disposuerat) missos suos, Donatum scilicet Hostiensem episcopum, et Stephanum Nephesium episcopum, et Marinum diaconem sanctæ Romanæ ecclesiæ, ad Basilium imperatorem et ad filios eius Constantinum et Leonem Augustos Constantinopolim direxit, cum quibus et Anastasius bibliothecarius Romanæ sedis, utriusque linguæ, græcæ scilicet et latinæ, peritus, perrexit, et sinodo congregata (quam octauam uniuersalem sinodum illuc conuenientes appellauerunt) exortum scisma de Ignatii depositione et Fotii ordinatione sedauerunt, Fotium anathematizantes et Ignatium restituentes.

In qua sic statutum est: Consecrationes et promotiones episcoporum, concordans prioribus conciliis, clericorum electione ac decreto et episcoporum collegio fieri hec sancta et uniuersalis sinodus diffiniuit et statuit atque iure promulgauit, neminem laicorum principum uel potentum semet inserere electioni uel promotioni patriarchæ, uel metropolitani, aut cuiuslibet episcopi, ne uidelicet inordinata et incongrua hinc fiat contentio uel confusio, presertim cum nullam in talibus potestatem quemquam

potestatiuorum uel laicorum ceterorum habere conueniat, sed silere et attendere sibi, usquequo regulariter a collegio ecclesiae suscipiat finem electio futuri pontificis.

Si uero quis laicorum ad concertandum et cooperandum inuitatur ab ecclesia, licet huiusmodi cum reuerentia, si forte uoluerit, obtemperare se asciscentibus.

Taliter enim dignum pastorem sibi regulariter ad suam et ecclesiae salutem promouet.

**C. III. Electioni episcoporum inperator interesse non debet.**

Item ex Istoria tripartita. [lib. VII. c. 8].

Valentinianus inperator ueniens ab oriente ad esperias partes (ut refert istoria ecclesiastica) mortuo Auxentio, Arrianæ perfidiæ magistro, qui Mediolanensem ecclesiam ut lupus dilaniauerat, cum uellet catholicum, Deo ordinante, ibi consecrari episcopum, euocans episcopos hec eis locutus est: Nostis aperte, eruditi diuinis eloquiis, qualem oporteat esse pontificem, et quia non decet eum uerbo solo, sed etiam conuersacione gubernare subiectos, et totius semetipsum imitatore uirtutis ostendere, testem que doctrinæ conuersacionem bonam habere.

Talem itaque in pontificali constituite sede, cui et nos, qui gubernamus inperium, sincere nostra capita submittamus et eius monita, dum tanquam homines delinquimus necessario ueluti curantis medicamina suscipiamus.

Hec autem, cum dixisset inperator, petiit sinodus, ut magis ipse discerneret sapiens et pius existens.

At ille, supra nos, inquit, est talis electio.

Vos enim diuina gratia potiti et illo splendore fulgentes, melius poteritis eligere.

Tunc sacerdotes egressi de episcopali sede tractabant.

§. 1. Cum autem ordinatione diuina Ambrosius nondum baptizatus electus fuisset, exultans inperator ait: Gratias tibi ago Domine omnipotens et saluator noster, quoniam huic uiro ego commiseram corpora, tu autem animas, et meam sententiam ostendisti tuæ iustitiæ conuenire.

Cum que sanctus Ambrosius contristaretur de hoc, quod acciderat, (ut idem ipse in suis epistolis scripsit), confortauit eum inperator et ait: Noli timere, quia et Deus, qui te elegit, semper adiuuabit te, et ego adiutor et defensor tuus (ut meum ordinem decet) semper existam.

**C. IV. Apostolica auctoritate, non regio fauore episcopus est eligendus.**

Item Nicolaus Papa [I]. Lothario Regi.

Porro scias, quia relatum est nobis, quod, quicumque ad episcopatum in regno tuo prouehendus est, non nisi fauentem tibi permittas eligi.

Idcirco apostolica auctoritate sub diuini iudicii obtestacione iniungimus tibi, ut in Treuerensi urbe et in Agrippina Colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro apostolatui fiat.

**C. V. Non recipiatur a conprouincialibus qui regia ordinatione episcopale culmen adipiscitur.**

Item ex Concilio Parisiensi. [I. cap. 8].

Si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate presumpserit, a conprouincialibus ipsius loci episcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt.

Si quis de conprouincialibus recipere eum contra interdicta presumpserit, sit a fratribus omnibus segregatus et ab ipsorum omnium karitate submotus.

**C. VI. De eodem.**

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 13]

Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi.

**C. VII. Irrita sit electio episcopi aut presbiteri a principibus facta.**

Item ex secunda actione VI. sinodi CCCL. Episcoporum, [c. 3].

Omnis electio episcopi, uel presbiteri, aut diaconi a principibus facta irrita maneat secundum regulam, que dicit: “Si quis episcopus, secularibus potestatibus usus, ecclesias per ipsas obtinuerit, deponatur, et segregetur omnes que, qui illi communicant”.

**C. VIII. Non eligantur a populo, qui sunt promouendi ad clerum.**

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 1].

Non liceat populo facere electionem eorum, qui ad sacerdotium promouentur, sed in iudicio episcoporum sit, ut ipsi eum probent, si in sermone et fide et spirituali uita edoctus sit.

Gratian. His omnibus auctoritatibus laici excluduntur ab electione sacerdotum, atque iniungitur eis necessitas obediendi, non libertas inperandi.

**II. Pars.**

Econtra uero scribet B. Gregorius Iohanni Episcopo primæ Iustinianæ Iliricæ: [lib. IV. epist. 15].

**C. IX. Voluntas principis in ordinatione pontificis desideratur.**

Quia igitur suscepta fratrum atque coepiscoporum relatio ad locum uos sacerdotii totius concilii unito consensu et serenissimi principis uoluntate declarat accersiri, gratias saluatori nostro magna cum exultatione retulimus.

Nos quoque in persona fraternitatis tuæ per omnia consentimus, atque omnipotentem Dominum deprecamur, ut karitatem uestram sicut sua gratia elegit, ita in omnibus sua protectione custodiat.

**C. X. Clerus et populus pontificis electioni intersit.**

Item Gregorius Iohanni Subdiacono. [lib. II. Indict. 11. epist. 30].

Quanto apostolica sedes auctoritate cunctis prelata constat ecclesiis, tanto inter multiplices curas et illa nos ualde sollicitat, ubi ad consecrandum antistitem nostrum spectatur arbitrium.

Defuncto igitur Laurentio, Mediolanensi episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit, in electione se filii nostri Constancii, diaconi sui, unanimiter consensisse.

Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio, ne quid, quod ad cautelam pertinet, omittamus, idcirco huius precepti auctoritate suffultum Genuam te proficisci necesse est.

Et quia illic multi Mediolanensium coacti barbarica feritate consistunt, eorum te uoluntates oportet eis in commune conuocatis perscrutari.

Et si nulla eos diuersitas ab electionis unitate disternat, siquidem in predicto filio nostro Constancio omnium uoluntates atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum



a propriis episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, solatiante Domino, facias consecrari, quatinus huiusmodi seruata consuetudine et apostolica sedes proprium uigorem retineat, et a se concessa aliis iura non minuat.

**C. XI.** In electione episcopi populus debet adesse.

Item Gelasius papa Philippo et Gerontio Episcopis.

Plebs Dictrensis data nobis petitione defleuit, diu se sine rectoris proprii gubernatione dispergi.

Ac, sicut asseritur, is qui a nobis iam probatus dicitur, a paucis et tenuibus iam putatur electus, cum ad nos pertineat, uniuersos assidua admonitione compellere, ut omnes in unum, quem dignum sacerdotio uiderint et sine aliqua reprehensione, consentiant.

Et ideo, fratres karissimi, diuersos ex omnibus sepe dicti loci parrochiis presbiteros, diaconos et uniuersam turbam uos oportet sepius conuocare, quatinus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem, uobis ammonentibus, sibi querant sola diuinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit reuocare prescriptis.

**C. XII.** De eodem.

Item Stephanus Episcopus seruus seruorum Dei, Romano Archiepiscopo Rauennati.

Nosse tuam fraternitatem uolumus, ad nostras aures fore peruentum, Immolensem episcopum ab hac luce migrasse; in cuius successoris electione populi diuisionem prouenisse audiuius.

Quod quia sepe contingere solet, querentibus singulis que sua sunt, non que Iesu Christi, non adeo miramur.

Verumtamen in hoc plurimum oportet tuam adhiberi sollicitudinem, ut conuocato clero et populo talis ibi eligatur per Dei misericordiam, cui sacri non obuiant canones.

Sacerdotum quippe est electio, et fidelis populi consensus adhibendus est; quia docendus est populus, non sequendus.

**C. XIII.** De eodem.

Item Nicolaus papa Iohanni Rauennati Archiepiscopo.

Episcopos per Emiliam non consecres, nisi post electionem cleri et populi.

**C. XIV.** De eodem.

Item Pelagius Papa Tulliano Episcopo Grumentino.

Litteras karitatis tuæ suscepimus, quibus significas, Latinum diaconum tuum ad episcopatum ecclesiæ Marcellianensis a clero et omnibus, qui illic conueniunt, postulari.

Hoc itaque dicimus, ut si eum omnes eligunt, et uis eum concedere, gratum nobis esse cognosce; et si potest, ante diem sanctum festinet occurrere, ut uel sabato ipso noctis magnæ post baptismum cum Dei gratia ualeat ordinari.

**C. XV.** Sacra principis ordinandis est necessaria.

Idem Laurentio Episcopo Centumcelensi.

Principali deuotissimorum militum, qui illic in ciuitate Centumcelensi consistunt, relatione ad nos directa, sacram insinuant se clementissimi principis inpetrasse, que eis presbiterum, diaconum et subdiaconum fieri debere precepit.

Ideo hortamur dilectionem tuam, ut personas ipsas uideas, et diligenter requiras, ne aliquid contra canones commisissent; et si eos inculpabiles repereris, et uitæ ipsorum

testimonium laudabile uideris, ueniente mediana ebdomada pascae, (si Dominus uoluerit, et si uixerimus) unumquemque per offitia, que prediximus promouere non differas.

**C. XVI.** Papa rogat Augustos, ut Reatinam ecclesiam cuidam electo dignentur concedere.

Item Leo IV. Lothario et Lodeuico Augustis.

Reatina ecclesia, que per tot annorum spatia pastoralibus curis destituta consistit, dignum est, ut brachio amplitudinis uestrae subleuetur, ac gubernationis tegmine protegatur.

Unde salutationis alloquio premissa uestram mansuetudinem deprecamur, quatinus Colono humili diacono eandem ad regendum ecclesiam concedere dignemini, ut, uestra licentia accepta, ibidem eum Deo iuuante consecrare ualeamus episcopum.

Si autem in predicta ecclesia nolueritis ut preficiatur episcopus Ausculanam ecclesiam, que uiduata existit, illi uestra serenitas dignetur concedere, ut consecratus a nostro presulatu Deo omnipotenti uestro que inperio grates peragere ualeat.

**C. XVII.** Regis precepto ab Apostolico Colonus Reatinæ ecclesiæ ordinatur episcopus.

Item Ritæ Comitissæ.

Nobis dominus inperator et inperatrix per suas epistolas direxerunt, ut Colonom in Reatina ecclesia, que pastoris offitio per longa iam tempora destituta uidebatur, episcopum facere deberemus, sicut et fecimus.

**C. XVIII.** Inperatoris epistola in electionis confirmatione desideratur.

Item Stephanus Guidoni Comiti.

Lectis sagacitatis uestræ apicibus, que defuncto ecclesiæ Reatinæ antistite clerum et plebem eiusdem elegisse futurum sibi antistitem, nobis consecrandum uestro studio directum esse, ne ipsa ecclesia diu sine proprio constet pastore, fatebantur; nos, de obitu prioris dolentes, nunc ipsum electum unanimitate et canonica ipsius ecclesiæ electione, ut mandastis, tam citissime ordinare omisimus, quod inperialem nobis, ut mos est, absolutionis minime detulerit epistolam.

Pro qua scilicet re ambiguum nobis est; ideo uoluntati uestræ in hoc parere distulimus, ne augustalis animus durissime quocumque modo perciperet.

Sed scientes, ecclesiam Domini sine proprio pastore diu non debere consistere, gloriæ uestræ mandamus, quoniam nos aliter agere non debuimus, ut uestra sollertia inperiali (ut prisca consuetudo dictat) percepta licentia, et nobis, quemadmodum uos scire credimus, inperatoria directa epistola, tunc uoluntati uestræ parebimus de hoc, eundem que electum Domino adiuuante consecrabimus; quod, karissime fili, moleste nullo modo suscipiatis.

**C. XIX.** Clericorum et ciuium uoluntate metropolitanus est ordinandus.

Item Leo papa [I. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, epist. LXXXII. al. LXXXIV. c. 6].

Metropolitano defuncto, cum in loco eius alius fuerit subrogandus, prouinciales episcopi ad ciuitatem metropolim conuenire debent, ut omnium clericorum atque ciuium uoluntate discussa ex presbiteris eiusdem ecclesiæ uel ex diaconibus optimus ordinetur.

**C. XX.** Cum clero et populo archipresbiteri fiat electio.

Item Ysidorus in libro Offitiorum.

Si in plebibus archipresbiteri obierint aut pro aliquo reatu exinde eieci fuerint archidiaconus quantocius proficiscatur illuc, et cum clericis et populis ipsius plebis electionem faciat, quatinus dignus pastor domui Dei constituatur, et, dum ordinatur, eius prouidentia ipsa plebs custodiatur.

**C. XXI.** Electus in Romanum pontificem non ordinetur, nisi eius decretum inperatori primum representetur.

Item ex gestis Romanorum Pontificum.

Agatho natione Siculus, cuius legatione fungens Iohannes episcopus Portuensis dominico die octaua pascae in ecclesia S. Sophiae publicas missas coram principe et patriarcha latine celebravit, hic suscepit dialem secundum suam postulationem, per quam reuelata est quantitas, que solita erat dari pro ordinatione pontificis facienda, sic tamen, ut, si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, ut cum eorum conscientia et iussione debeat ordinatio prosperari.

§. 1. Item Vitalianus natione Signensis direxit responsales suos cum sinodica iuxta consuetudinem in regiam urbem apud piissimos principes, significans de ordinatione sua.

**C. XXII.** Inperator ius habet eligendi pontificem.

Item ex Historia ecclesiastica.

Adrianus Papa Romam uenire Karolum regem ad defendendas res ecclesiae postulavit.

Karolus uero Romam ueniens Papiam obsedit, ibi que relicto exercitu in sancta resurrectione ab Adriano Papa Romae honorifice susceptus est.

Post sanctam uero resurrectionem reuersus Papiam, cepit Desiderium regem; deinde Romam reuersus, constituit ibi sinodum cum Adriano papa in patriarchio Lateranensi in ecclesia S. Saluatoris, que sinodus celebrata est a CLIII episcopis religiosis et abbatibus. Adrianus autem Papa cum uniuersa sinodo tradiderunt Karolo ius et potestatem eligendi Pontificem, et ordinandi apostolicam sedem.

Dignitatem quoque patriciatus ei concesserunt.

Insuper archiepiscopos et episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere diffiniuit, et ut, nisi a rege laudetur et inuestiatur episcopus, a nemine consecratur, et quicumque contra hoc decretum esset, anathematis uinculo eum innodauit, et nisi resipisceret, bona eius publicari precepit.

**C. XXIII.** Electio Romani Pontificis ad ius pertinet inperatoris.

Item Leo Papa.

In sinodo congregata Romae in ecclesia S. Saluatoris.

Ad exemplum B. Adriani apostolicae sedis antistitis, qui domino Karolo, uictoriosissimo regi Francorum ac Longobardorum, patriciatus dignitatem, ac ordinationem apostolicae sedis, et inuestituram episcoporum concessit, ego quoque Leo, seruus seruorum Dei, episcopus, cum cuncto clero ac Romano populo constituimus, confirmamus et corroboramus, et per nostram apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur domino Ottoni primo, regi Teutonicorum, eius que successoribus huius regni Italiae, in perpetuum sibi facultatem eligendi successorem, atque summae sedis apostolicae Pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiscopos seu episcopos, ut ipsi ab eo

inuestituram accipiant et consecrationem, unde debent, exceptis his, quos inperator Pontifici et archiepiscopis concessit; et ut nemo deinceps cuiusque dignitatis uel religionis eligendi uel patricium uel Pontificem summæ sedis apostolicæ, aut quemcumque episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius inperatoris, (quod tamen fiat absque omni pecunia), et ut ipse sit patricius et rex.

Quod si a clero et populo quis eligatur episcopus, nisi a supradicto rege laudetur, et inuestiatur, non consecretur.

Si quis contra hanc apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subiacere decernimus, et nisi resipuerit, inreuocabili exilio puniri uel ultimis suppliciis ferri.

**C. XXIV.** Precepto principum Maximo remittitur, quod absque apostolica auctoritate ordinatur.

Item Gregorius [lib. IV. Reg. epist. 34. ad Constantiam Augustam].

Salonitanæ ciuitatis episcopus me ac responsale meo nesciente ordinatus est, et facta res est, que sub nullis anterioribus principibus euenit.

Quod ego audiens, ad eundem preuaricatorem, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, ut omnino missarum solempnia nullo modo celebrare presumeret, nisi prius a serenissimis dominis cognoscerem, si hoc fieri iussissent; quod ei sub excommunicationis interpositione mandauit.

Qui contempto me atque despecto, in audacia quorundam secularium hominum, quibus denudata sua ecclesia premia multa prebere dicitur, nunc usque missas facere presumit, atque ad me uenire secundum iussionem dominorum noluit.

Ego autem preceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc, quod in ordinatione sua me uel responsalem meum pretermittere presumpsit, ita ex corde laxauit, ac si me auctore fuerit ordinatus.

Alia uero peruersa illius, scilicet mala corporalia, que cognoui, uel quia cum pecuniis electus est, uel quod excommunicatus missas facere presumpsit, propter Deum inrequisita preterire non possum.

Et si ad me diu distulerit uenire, exercere in eo distictionem canonicam nullo modo cessabo.

**C. XXV.** In episcoporum electione principis desideratur assensus.

Item ex Tolletano Concilio. [XII. c. 6].

Cum longe late que tractu terrarum diffuso commeantium inpeditur celeritas nunciorum, quo aut non queat regibus audientibus decedentis presulis transitus notificari, aut de successore morientis episcopi libera principis electio expectari, nascitur sepe aut nostro ordini de relatione talium difficultas, aut regiæ potestati, dum consultum nostrum pro subrogandis pontificibus sustinet, innumerosa necessitas.

Unde placuit omnibus pontificibus Yspaniæ atque Galliæ, ut, saluo priuilegio uniuscuiusque prouinciæ, licitum maneat deinceps Tolletano pontifici, quoscumque regalis potestas elegerit, et iam dicti Tolletani episcopi iudicium dignos esse probauerit, in quibuslibet prouinciis in precedentium sedibus preficere presules, et decedentibus episcopis eligere successores, ita tamen, ut, quisquis ille fuerit ordinatus, post ordinationis suæ tempus infra trium mensium spatium metropolitani proprii presentiam uisurus accedat.

Gratian. Electiones quoque summorum pontificum atque aliorum infra presulum quondam inperatoribus representabantur, sicut de electione B. Ambrosii et B. Gregorii legitur.

Quibus exemplis et premissis auctoritatibus liquido colligitur, laicos non excludendos esse ab electione, neque principes esse reiciendos ab ordinatione ecclesiarum.

Sed quod populus iubetur electioni interesse, non precipitur aduocari ad electione faciendam, sed ad consensum electioni adhibendum.

Sacerdotum enim (ut in fine superioris capituli Stephani papæ legitur) est electio, et fidelis populi est humiliter consentire.

Desiderium ergo plebis requiritur an clericorum electioni concordet.

Tunc enim in ecclesia Dei rite preficietur antistes, cum populus pariter in eum acclamauerit, quem clerus communi uoto elegerit.

Unde Celestinus papa ait: [ad Episcopos Galliaë, epist. II. c. 5].

**C. XXVI.** Plebis non est eligere, sed electioni consentire.

Cleri, plebis que consensus et desiderium requiratur.

**C. XXVII.** De eodem.

Item Leo I. [ad Episcopos Viennensis prouinciaë, epist. LXXXVII. al. LXXCIX].

Vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum constituentur.

Et infra:

Per pacem et quietem sacerdotes, qui futuri sunt, postulentur, teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordines conuentus et plebis.

### **III. Pars.**

Gratian. Principibus uero atque inperatoribus electiones Romanorum Pontificum atque aliorum episcoporum referendas usus et constitutio tradidit pro scismaticorum atque hereticorum dissensionibus, quibus nonnumquam ecclesia Dei concussa periclitabatur, contra quos legibus fidelissimorum inperatorum frequenter ecclesia munita legitur.

Representabatur ergo electio catholicorum principibus, ut eorum auctoritate roborata nullus hereticorum uel scismaticorum auderet contraire, et ut ipsi principes tamquam deuotissimi filii in eum consentirent, quem sibi in patrem eligi uiderent, et ei in omnibus suffragatores existerent, sicut Valentinianus B. Ambrosio legitur dixisse: “Noli timere, quia Deus, qui te elegit, semper adiuuabit te, et ego adiutor et defensor tuus, ut meo ordini decet, semper existam”.

Unde Stephanus papa statuit dicens:

**C. XXVIII.** Presentibus legatis inperatoris ordinetur pontifex Romanus.

Quia sancta Romana ecclesia, cui Deo auctore presidemus, a plurimis patitur uiolentias Pontifice obeunte, que ob hoc inferuntur, quia absque inperiali noticia Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab inperatore directi sunt nuncii, qui scandala uetent fieri: uolumus, ut, cum instituendus est Pontifex, conuenientibus episcopis et uniuerso clero eligatur presente senatu et populo qui ordinandus est, et sic electus ab omnibus presentibus legatis inperialibus consecratur, nullus que sine sui periculo iuramenta uel promissiones aliquas noua adinuatione audeat extorquere, nisi

que antiqua exigit consuetudo, ne uel ecclesia scandalizetur, et imperialis honorificentia minuatur.

#### IV. Pars.

Gratian. Verum, quia imperatores quandoque modum suum ignorantes non in numero consentientium, sed primi distribuentium, immo exterminantium esse uoluerunt, frequenter etiam in hereticorum perfidiam prolapsi catholicæ matris ecclesiæ unitatem impugnare conati sunt, sanctorum Patrum statuta aduersus eos prodierunt, ut semet electioni non insererent, et quisquis eorum suffragio ecclesiam obtineret anathematis uinculo innodaretur, sicut scriptura quoque diuina dicit, quod postquam Ezechias dissipauit excelsa, et contriuit statuas, et succidit lucos, confregit que serpentem eneam, quem fecit Moyses; uidelicet, quia illum serpentem Deus fieri iusserat, ne serpentina morte populus interiret, ideo ipse populus colere et uenerari eum ceperat, et idcirco destruxit iste, quem iubente Deo fecerat ille.

Ac per hoc magna auctoritas ista habenda est in ecclesia, ut, si nonnulli ex predecessoribus et maioribus nostris fecerunt aliqua, que illo tempore potuerunt esse sine culpa, et postea uertuntur in errorem et superstitionem, sine tarditate aliqua et cum magna auctoritate a posteris destruantur.

Postremo presentibus legatis imperatorum et inconsultis electiones Romanorum Pontificum leguntur celebratæ, et tandem idem imperatores religioso mentis affectu prefatis priuilegiis renunciauerunt, multa insuper donaria ecclesiæ Dei conferentes.

Unde Gregorius IV. scribit:

**C. XXIX.** Inconsultis legatis imperatoris Adrianus [II]. ad pontificatum eligitur.

Cum Adrianus secundus ad Romanum pontificatum ab ecclesia Dei genitricis dominæ nostræ, que dicitur “Ad presepe”, traheretur ad Lateranense patriarchium, certatim a populo et clero et proceribus deportatus est.

Quod audientes missi Lodoici imperatoris moleste tulerunt, indignati scilicet, quod, dum presentes essent, non fuerunt inuitati, nec optatæ a se futuri presulis electioni interesse meruerunt.

Qui accepta ratione, quod non causa Augusti contemptus, sed futuri temporis prospectu hoc commissum fuerat (ne uidelicet legatos principum in electione Romanorum presulum mos expectandi per huiusmodi fomitem inolesceret), omnem indignationem medullitus sedauerunt, et ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.

**C. XXX.** Romani pontificis electio a Lodoico Romanis conceditur.

Item pactum constitutionis Imperatoris primi Lodoici cum Romanis Pontificibus.

Ego Lodoicus Romanus Imperator Augustus statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi B. Petro principi apostolorum, et per te uicario tuo domino Pascali summo Pontifici et successoribus eius in perpetuum, sicut a predecessoribus uestris usque nunc in uestra potestate et ditione tenuistis et disposuistis, ciuitatem Romanam cum ducatu suo, et suburbanis atque uiculis omnibus, et territoriis eius montanis, atque maritimis littoribus, et portubus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis, ac uillis in Tusciæ partibus.

Idem:

§. 1. Quando diuina uocatione huius sacratissimæ sedis Pontifex de hoc mundo migrauerit, nullus ex regno nostro aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente

homo sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat contra Romanos aut publice, aut priuatim ueniendi, uel electionem faciendi, nullus que in ciuitatibus aut territoriis ad ecclesiæ B. Petri apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum propterea facere presumat; sed liceat Romanis cum omni ueneratione et sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam, et eum, quem diuina inspiratione et B. Petri intercessione omnes Romani uno consilio atque concordia sine aliqua promissione ad Pontificatus ordinem elegerint, sine qualibet ambiguitate uel contradictione more canonico consecrare, et, dum consecratus fuerit, legati ad nos, uel ad successores nostros reges Francorum dirigantur, qui inter nos et illum amicitiam et caritatem ac pacem societ.

[PALEA. C. XXXI. Electio et consecratio Romani Pontificis non nisi iuste et canonice fieri debet.

Item Leo IV. Lothario et Lodowico Augustis.

Inter nos et uos pacti serie statutum et confirmatum est, quod electio et consecratio futuri Romani Pontificis non nisi iuste et canonice fieri debeat].

[PALEA. C. XXXII. Ab inperatore uel nunciis eius electioni Romani Pontificis nullum generetur obstaculum.

Item Constitutio primi Heinrici et primi Ottonis cum Romanis Pontificibus.

Constitutio primi Heinrici et primi Ottonis cum Romanis Pontificibus.

Ut nullus missorum nostrorum cuiuscumque inpeditionis argumentum in electione Romani Pontificis componere audeat, omnino prohibemus.

Item:

§. 1. In electione Romanorum Pontificum neque liber, neque seruus ad hoc uenire presumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat inpedimentum.

Quod si quis contra hanc nostram constitutionem facere presumpserit, exilio tradatur].

C. XXXIII. Iuramentum Ottonis, quod fecit domino Papæ Iohanni.

Item Constitutio Ottonis.

Tibi domino Iohanni Papæ ego rex Otto promittere et iurare facio per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per hoc lignum uiuificæ crucis, et per has reliquias Sanctorum, quod, si (permittente Deo Romam uenero, sanctam Romanam ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, et numquam uitam, aut membra, neque ipsum honorem quem habes, mea uoluntate, aut meo consensu, aut meo consilio, aut mea exortacione perdes, et in Roma nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, que ad Te aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio, et quicquid de terra S. Petri ad nostram potestatem uenerit, tibi reddam.

Cuicumque regnum Italicum commiserit, iurare faciam illum, ut adiutor tui sit ad defendendam terram S. Petri secundum suum posse.

C. XXXIV. Liberum sit clero et populo de propria diocesi episcopum eligere.

Item ex primo libro Capitulorum Caroli et Lodowici. [Imperatorum c. 84].

Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico prebemus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria diocesi, remota personarum et munerum

acceptatione, ob uitæ meritum et sapientiæ donum eligantur, ut exemplo et uerbo sibi subiectis usquequaque prodesse ualeant.

Gratian. Ex his constitutionibus et pacto Lodowici inperatoris deprehenditur, inperatores illis renunciassent priuilegiis, que de electione summi Pontificis Adrianus Papa Karolo inperatori, et ad imitationem eius Leo papa Ottoni I. regi Theutonicorum fecerat.

Cum ergo ex premissis auctoritatibus cunctis liqueat electionem clericorum tantummodo esse, queritur, quorum sit ipsa electio, an clericorum maioris ecclesiæ tantum, an etiam religiosorum aliorum, qui in eadem ciuitate fuerint?

Sed (sicut in breuiatione canonum Fulgentii, Cartaginensis ecclesiæ diaconi, inuenitur) septimo concilio Nicensi et Macerensi concilio statutum est, ut ad eligendum episcopum sufficiat ecclesiæ matricis arbitrium.

Nunc autem sicut electio summi pontificis non a Cardinalibus tantum, immo etiam ab aliis religiosis clericis auctoritate Nicolai Papæ est facienda, ita et episcoporum electio non a canonicis tantum, sed etiam ab aliis religiosis clericis, sicut in generali sinodo Innocentii Papæ Romæ habita constitutum est.

Ait enim:

**C. XXXV.** Absque religiosorum uirorum consilio canonici maioris ecclesiæ episcopum non eligant.

Obeuntibus sane episcopis, quoniam ultra tres menses uacare ecclesiam sanctorum Patrum prohibent sanctiones, sub anathemate interdicimus, ne canonici de sede episcopali ab electione episcoporum excludant religiosos uiros, sed eorum consilio honestam et idoneam personam in episcopum eligant.

Quod si exclusis religiosis electio facta fuerit, quod absque eorum consensu et conniuentia factum fuerit, irritum habeatur et uacuum.

Gratian. Nunc ergo queritur, si uota eligentium in duas se diuiserint partes, quis eorum sit preferendus alteri?

De his ita scribit Leo Episcopus: [ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, epist. LXXXII al. LXXXIV. cap. 5].

**C. XXXVI.** Cum uota eligentium in duas se diuiserint partes, quis sit preferendus alteri. Si forte, quod nec reprehensibile, nec inreligiosum iudicamus, uota eligentium in duas se diuiserint partes, is metropolitani iudicio alteri preferatur, qui maioribus iuuatur studiis et meritis; tantum ut nullus detur inuitis et non petentibus, ne plebs inuita episcopum non optatum contempnat, aut oderit.

## **DISTINCTIO LXIV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Hinc considerandum est, a quibus uel qua tempore sacri ordines sint distribuendi, uel quibus in locis patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, corepiscopi et reliqui sacerdotes sint ordinandi.

A quibus ordinentur episcopi, in Niceno Concilio diffinitum est, in quo sic legitur, [c. 4].



**C. I.** Ab omnibus conprouincialibus episcopi ordinentur.

Episcopi ab omnibus, qui sunt in sua prouincia, debent ordinari.

Si uero hoc difficile fuerit, uel urgente necessitate, uel itineris longitudine, tres episcopi debent in unum congregari, ita ut ceterorum, qui absentes sunt, consensum litteris teneant.

Potestas sane uel confirmatio pertinebit per singulas prouincias ad metropolitanum episcopum.

**C. II.** De eodem.

Item Anacletus Papa. [ad Episcopos Italiæ, epist. II].

Ordinationes episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus, qui in eadem prouincia sunt, episcopis celebrandæ sunt.

§. 1. Quod si omnes simul minime conuenire potuerint, assensum tamen suis prebeant precibus, ut ab ipsa ordinatione animo non desint.

[PALEA. C. III.

Ex Concilio Arausicano I. c. 21.

De abiectioe eius, quem duo presumpserint ordinare episcopi in nostris prouinciis, placuit de presumptoribus, ut sicubi contigerit duos episcopos tertium ordinare, et ipse, et auctores dampnabuntur quo cautius ea, que sunt antiquitus instituta, seruentur].

**C. IV.** Ceteris assentientibus cum tribus conprouincialibus ordinetur episcopus.

Item Anicius Papa. [in epistola ad Episcopos Galliæ].

Conprouinciales episcopi, si necesse fuerit, ceteris consentientibus a tribus episcopis iussu archiepiscopi consecrari possunt.

**C. V.** Non ordinetur episcopus extra conscientiam metropolitani.

Item Innocentius. [Papa ad Victricium Episcopum Rothomagensem epist. II. c. I].

Extra conscientiam metropolitani nullus audeat ordinare episcopum.

Integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur.

Nec unus episcopus presumat ordinare episcopum, ne furtiuum beneficium prestitum uideatur.

Hoc enim et sinodus Nycena constituit atque constituendo diffiniuit.

**C. VI.** Episcopi a suo metropolitano, et ipse ab eisdem consecretur.

Item Gelasius uniuersis episcopis per Dardaniam.

## **II. Pars.**

Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam ecclesiarum iura turbare, ac priuilegia, que metropolitanis uel prouincialibus episcopis decreuit antiquitas, temeraria presumptione peruadere, propter quod etiam communionis apostolicæ desiderant tenere dissidium, quod scilicet ab eius auctoritate diuisi uel inpune proprias usurpationes exerceant, non respicientes, quia eterno iudici rationem tam de catholicæ sinceritatis iniuria, quam de traditionum preiudiciis paternarum non sine perpetuæ sint dampnationis interitu redditori, si in hac obstinatione permanserint, karitatem uestram duximus instruendam, ut uos omnes in commune fratres, per Dardaniam, siue per contiguam quamque prouinciam constituti, qui uos sub metropolitanis uestris esse

meministis, et ab eisdem substitui decernentes, sicut uetus consuetudo deposcit, unanimiter studeatis antistites, et uicissim, si metropolitanus humanæ condicionis sorte recesserit, a conprouincialibus episcopis, sicut forma transmisit, sacrari omnibus modis censeatis, neque sibi quod uobis antiqua dispositione concessum est patiamini uendicare; quatinus et inter ipsas aduersantium uoluntatum procellas ueterum regulas nullatenus custodire cessetis, sicut persecutionum tempore diuersarum patres nostros constanter fecisse non dubium est.

**C. VII. De eodem.**

Item ex Concilio Martini Papæ.

### **III. Pars.**

Episcopum oportet maxime quidem ab omni concilio constitui.

Sed si hoc aut pro necessitate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur, et omnium presentium uel absentium subscriptiones teneantur, et sic postea ordinatio fiat.

§. 1. Huius autem rei potestas in omni prouincia ad metropolitanum pertinet episcopum.

**C. VIII. Non erit episcopus, qui preter metropolitani conscientiam fuerit ordinatus.**

Item ex Concilio Niceno. [I. cap. 6].

Illud generaliter est clarum, quod, si quis preter sententiam metropolitani factus fuerit episcopus, hunc magna synodus diffiniuit episcopum esse non oportere.

## **DISTINCTIO LXV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Conprouincialium episcoporum uniuersaliter desideratur consensus in ordinatione episcopi.

Quod si aliqui animositate ducti contradicere uoluerint, obtineat sententia plurimorum.

Unde in Niceno Concilio: [c. 6].

**C. I. Si ceteris consentientibus ordinationi episcoporum duo uel tres contradicant, obtineat sententia plurimorum.**

Sane, si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum ecclesiasticam regulam, duo uel tres animositate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia sacerdotum.

**C. II. De eodem.**

Item ex Concilio Martini Papæ.

Non debet ordinari episcopus absque consilio et presentia metropolitani episcopi.

Adesse autem oportet omnes, qui sunt in prouincia sacerdotes, quos per suam debet epistolam conuocare metropolitanus.

Et quidem si omnes occurrant, bene; si hoc autem difficile fuerit, plures oportet occurrere.

Qui autem non conueniunt, presentiam sui per epistolas suas faciant, et sic omnium facto consensu ordinationem episcopi fieri oportet.

Si autem aliter, preter quod a nobis terminatum est, fuerit factum, talem ordinationem nichil preualere decernimus.

## II. Pars.

§. 1. Si autem secundum canones ordinatio episcopi fuerit facta, et aliquis cum sua malicia in aliquo contradixerit, plurimorum consensus obtineat.

### C. III. De eodem.

Item ex Concilio Antiocono. [c. 19].

Episcopum non ordinandum sine consilio et presentia metropolitani episcopi, cui melius erit, si ex omni prouincia congregentur episcopi.

Quod si fieri non potest, hi, qui adesse non possunt, propriis litteris consensum suum de ipso designent, et tunc demum post plurimorum siue per presentiam siue per litteras consensum sententia consona ordinetur.

Quod si aliter, quam statutum est, fiat, nichil ualere huiusmodi ordinationem.

§. 1. Si uero etiam secundum diffinitas regulas ordinatio celebretur, contradicant autem aliqui propter proprias et domesticas simultates, his contemptis sententia de eo obtineat plurimorum.

Gratian. Si autem prouinciam primatem habere constiterit, nec etiam metropolitano absque eius conscientia episcopum consecrare licebit.

Unde Leo Papa urbis Romæ Anastasio Episcopo: [epist. LXXXII. al. LXXXIV. c. 6].

### C. IV. Absque primatis consensu metropolitanus episcopum non ordinet.

De persona autem consecrandi episcopi, et de cleri plebis que consensu metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in prouincia bene placuit scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque confirmet auctoritas.

Que rectis dispositionibus nichil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum.

### C. V. De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 12].

Placet omnibus, ut inconsulto primate cuiuslibet prouinciæ tam facile nemo presumat, licet cum multis, in quocumque loco sine eius (ut dictum est) precepto episcopum ordinare.

§. 1. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, cum primatis precepto ordinare debent episcopum.

### C. VI. Unicuique ecclesiæ proprius honor seruetur.

Item ex Niceno Concilio. [c. 6].

Mos antiquus perduret in Egipto, uel Libia et Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem et Romano episcopo parilis mos est.

§. 1. Similiter autem et apud Antiochiam ceteras que prouincias honor suus unicuique seruetur ecclesiæ.

**C. VII. De eodem.**

Item ex eodem. [cap. 7].

Quoniam mos antiquus obtinuit et uetusta traditio, ut Eliæ, id est Ierosolimorum episcopo, honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen metropolitana ciuitatis propria dignitate.

Gratian. Qui uero a conprouincialibus suis cum metropolitani licentia fuerit ordinatus, infra constituta tempora eius se representet conspectibus.

Unde in Tarraconensi Concilio [c. 5]. legitur:

**C. VIII. De eodem.**

Si quis in metropolitana ciuitate episcopus non fuerit ordinatus, posteaquam suscepta benedictione per metropolitani litteras honorem episcopi fuerit adeptus, id optimum esse decreuimus, ut postmodum statuto tempore, id est inpletis duobus mensibus, se metropolitani sui presentet aspectibus, ut ab illo monitis ecclesiasticis instructus plenius quid obseruare debeat recognoscat.

Quod si forte hoc implere neglexerit, in sinodo increpatus a fratribus corrigatur.

Et si forte infirmitate aliqua ne hoc inpleat fuerit inpeditus, hoc suis litteris metropolitano indicare procuret.

**III. Pars.**

Gratian. His auctoritatibus datur intelligi, quod episcopi a conprouincialibus suis debent ordinari.

Sed queritur, si in prouincia fuerint plurimi episcopi, et contigerit forte unum remanere episcopum, quid fieri debeat?

Ille, quia solus est, non potest ordinare episcopum; conprouinciales non habet, cum quibus consecrare episcopum ualeat.

Cum ergo talis necessitas fuerit, quid faciendum sit, in Sardicensi Concilio diffinitur, in quo [cap. 5]. sic statutum legitur:

**C. IX.** Si unus tantum in prouincia remanserit episcopus, ad consecrationem episcopi de uicina prouincia episcopi conuocentur.

Si forte in prouincia unum tantum remanere episcopum contigerit, superstes episcopus conuocet episcopos uicinæ prouinciæ, et cum eis ordinet conprouinciales sibi episcopos.

Quod si facere neglexerit, populi conueniant episcopos uicinæ prouinciæ, et illi prius commoneant episcopum, qui in eadem prouincia commoratur, et ostendant, quod sibi petant populi rectorem, et doceant iustum esse, ut ueniat ipse, et cum eis ordinet episcopum.

Sed si litteris conuentus tacuerit et dissimulauerit, nichil que rescripserit, tunc satisfaciendum est populis, ut ueniant ex uicina prouincia, et episcopum ordinent.

**DISTINCTIO LXVI.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Archiepiscopi autem ab omnibus suæ prouincia episcopis debent ordinari.

Unde Anicius Papa ait: [in epist. ad Episcopos Galliæ]

**C. I.** Ab omnibus suffraganeis episcopis archiepiscopus ordinetur.

Archiepiscopus ab omnibus suæ prouinciæ episcopis ordinetur.

§. 1. Hoc autem, quod de archiepiscopi consecratione preceptum est, ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus licet inmutari, quia ille qui preest ab omnibus episcopis, quibus preest debet constitui.

Sin autem aliter presumptum fuerit, uiribus carere non dubium est, quia irrita erit secus acta ordinatio.

## **II. Pars.**

Gratian. De episcopis non ordinandis a paucioribus quam a tribus episcopis, scribit Anacletus [ep. II. ad episcopos Italiæ] dicens:

[C. II].

Porro et Ierosolimitarum primus archiepiscopus B. Iacobus, qui Iustus dicebatur, et secundum carnem Domini frater nuncupatus est, a Petro, Iacobo et Iohanne apostolis ordinatus est, successoribus uidelicet dantibus formam eorum, ut minus quam a tribus episcopis, reliquis que omnibus assensum prebentibus, nullatenus episcopus ordinetur, et communi uoto ordinatio celebretur.

## **DISTINCTIO LXVII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Presbiteri uero et corepiscopi ab uno episcopo ordinari possunt.

Unde Anacletus: [epist. II. ad Episcopos Italiæ]

**C. I.** Sacerdotes ab uno possunt ordinari episcopo.

Reliqui sacerdotes a proprio ordinantur episcopo, ita ut ciues et alii sacerdotes assensum prebeant, et ieiunantes celebrent ordinationem.

Similiter et diaconi ordinantur.

Ceterorum autem graduum distributioni trium ueracium testimonium episcopi scilicet approbatione sufficere potest.

Item in Spalensi [Concilio II., c. 6]. legitur:

**C. II.** De eodem.

#### **II. Pars.**

Episcopus sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, solus auferre non potest.

## **DISTINCTIO LXVIII.**

**GRATIANUS.****I. Pars.**

Queritur de illis, qui ordinantur ab eis, quos non constat fuisse episcopos, an sint iterum consecrandi, an non?

Quod uero consecrandi non sint, probatur auctoritate Gregorii, qui scribens Iohanni Episcopo Rauennati, [lib. II. epist. 32]. ait:

**C. I.** Semel consecratus iterum consecrari non debet.

Sicut semel baptizatus iterum baptizari non debet, sic et semel consecratus iterum consecrari non potest.

Sed si quis cum leui culpa ad sacerdotium uenit, pro culpa penitentia debet indici, et tamen ordo seruetur.

Econtra idem Gregorius testatur scribens cuidam episcopo:

**C. II.** De presbiteris, qui ordinantur ab eis, quos constat non fuisse episcopos.

Presbiteri, quos reperisti, si incogniti fuerint uiri illi, qui ordinantur, et dubium est, eos episcopos fuisse, an non, qui eos ordinauerunt, si bonæ actionis uiri que catholici sunt ipsi presbiteri, et in ministerio Christi omni que sancta lege edocti, ab episcopo suo benedictionem presbiteratus suscipiant et consecrentur, et sic ministerio sacro fungantur.

Gratian. Quod ergo consecratus in eodem ordine iterum consecrari prohibetur, de eo intelligendum est, qui consecratus est ab illo, quem certum erat ius consecrandi habere.

Qui autem ab illo consecratur, quem non constat ius consecrandi habuisse, iterum consecrandus est, quia si ille ius consecrandi non habuerit iste ex olei effusione nichil consecrationis accepit.

Et quia in ipso ordine consecratus non erat, nunc quasi primum ad consecrationem ueniens ab episcopo sacerdotalem benedictionem et consecrationem consequitur.

Si autem ius consecrandi habuerit, in prima unctione consecutus est consecrationem; in secunda uero non reiteratur consecratio, sed sola unctio, sicut de quo dubium est, an sit baptizatus an non, debet baptizari; qui si prius baptizatus non fuerat, consequitur gratiam baptismi, si autem baptizatus erat, nichil accipit in secunda unctione, nec pertinet hoc ad reiterationem baptismi, sed ad cautelam salutis.

Hoc etiam de ecclesiis consecrandis similiter obseruandum est.

Unde in Niceno Concilio:

**C. III.** Non debet iterum consecrari ecclesia semel consecrata.

Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutæ fuerint: quia sicut infans a qualicumque sacerdote in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus iterum consecrandus est, nisi propter eas causas, quas superius nominauimus, si tamen fidem sanctæ Trinitatis tenuerunt, qui eum consecrauerunt.

**II. Pars.**

Gratian. Inter episcopos autem et corepiscopos hec differentia est, quod episcopi non nisi in ciuitatibus, corepiscopi etiam in uicis ordinari possunt.

Episcopi formatas tribuunt, corepiscopi non nisi commendaticias et pacificas dare ualent.

Episcopi ius consecrandi habent, corepiscopi minores tantummodo ordines tribuunt, Leuiticam autem et sacerdotalem benedictionem prestare non ualent.

De his ita scribit Leo Episcopus omnibus Episcopis: [epist. LXXXVI. al. LXXXVIII].

**C. IV.** In quibus corepiscopi ab episcopis differant.

Quamuis corepiscopis et presbiteris plurima cum episcopis ministeriorum communis sit dispensatio, quedam tamen sibi prohibita nouerint, sicut est presbiterorum et diaconorum, et uirginum consecratio, constitutio altaris, ac benedictio uel unctio.

Si quidem nec erigere altaria, nec consecrare ecclesias eis licitum est, nec per inpositionem manuum fidelibus baptizatis uel conuersis hereticis paraclatum Spiritum sanctum tradere, nec crisma conficere, nec crismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in missa quemquam penitentem reconciliare, nec formatas cuiuslibet epistolas mittere.

[**PALEA.** Hec enim omnia illicita sunt corepiscopis, qui ad exemplum et formam LXXII. discipulorum esse noscuntur, uel presbiteris, qui eandem gestant figuram].

Quoniam, quamquam consecrationem habeant, pontificatus tamen apicem non habent.

### **III. Pars.**

Gratian. Hi uero propter insolentiam suam, qua episcoporum offitia sibi usurpabant, ab ecclesia hodie prohibiti sunt.

Unde Damasus papa ait: [ad Episc. Africae, epist. V].

**C. V.** Ordo corepiscoporum a sacra sede reprobatur.

Corepiscopi tam ab hac sacra sede, quam ab episcopis totius orbis prohibiti sunt.

Nimis enim eorum institutio improba, nimis est et praua, quia, ut de summo sacerdotis ministerio aliquid presumant, omni auctoritate caret.

§. 1. Nam non amplius, quam duos ordines inter discipulos Domini esse cognouimus, id est duodecim apostolorum, et LXXII. discipulorum.

Unde iste tertius processerit, ignoramus.

Et quod ratione caret extirpare necesse est.

### **IV. Pars.**

§. 2. Quod autem episcopi non sint, qui minus quam a tribus episcopis ordinati sunt, omnibus patet.

Prohibitum, est enim a sanctis Patribus, ut qui ab uno uel a duobus sunt ordinati episcopis non nominentur episcopi.

Si nomen non habent, qualiter offitium habebunt?

Item Urbanus. [Papa II].

**C. VI.** Apostolorum in ecclesia locum tenent episcopi.

Quorum uices in ecclesia episcopi habeant, et quis eis hanc dignitatem dare debeat, S. Augustinus ostendit, inquit: “Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.

Patres missi sunt apostoli: pro apostolis filii nati sunt, constituti sunt episcopi.

Hodie enim episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt?

Ipsa ecclesia patres illos appellat ipsa illos genuit, et ipsa illos constituit in sedibus patrum.

Non te ergo putes desertam, quia non uides Paulum, quia non uides Petrum, quia non uides illos, per quos nata es: de prole tua creuit tibi paternitas.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

Filios genuit ecclesia, constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram”.

## **DISTINCTIO LXIX.**

### **GRATIANUS.**

#### **III. Pars.**

Tonsura uero clerici de manu abbatis suscipi potest, si eidem abbati manus inpositio ab episcopo facta noscatur.

Unde in Septima Sinodo [c. 14]. legitur:

**C. I.** Abbates, quibus ab episcopis manus inponitur, aliquos tonsurare possunt.

Quoniam uidemus multos sine manus inpositione a paruula etate tonsuram clerici accipientes, nondum que ab episcopo manus inpositione percepta super ambonem irregulariter in collecta legentes, precipimus amodo id minime fieri.

Id ipsum quoque conseruandum est etiam inter monachos.

#### **II. Pars.**

§. 1. Lectoris autem manus inpositione licentia est unicuique abbati solummodo in proprio monasterio faciendi, si dumtaxat eidem abbati manus inpositio facta noscatur ab episcopo secundum morem proficiendorum abbatum, dum constet illum presbiterum esse.

§. 2. Simili modo secundum antiquam consuetudinem corepiscopum preceptione oportet episcopi promouere lectores.

**C. II.** Non exorcizent qui ab episcopo prouecti non sunt.

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 26].

Non oportet exorcizare eos, qui necdum ab episcopis sunt prouecti, neque in ecclesiis, neque in domibus.

## **DISTINCTIO LXX.**

### **GRATIANUS.**

Ab episcopis alterius ciuitatis clericus ordinari non poterit, nec etiam a proprio absolute ordinandus est: absoluta autem ordinatio Calcedonensi Concilio prohibetur et uacuum habere manus inpositionem precipitur; in quo sic statutum est: [can. 6].



**C. I. Nullus est absolute ordinandus.**

Neminem absolute ordinari presbiterum iubemus, uel diaconum, nec quemlibet in ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in ecclesia ciuitatis, siue possessionis, aut in martirio, aut in monasterio, hic, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ uocabulum.

Eorum autem, qui absolute ordinantur, decreuit sancta synodus uacuum habere manus inpositionem, et nullum tale factum ualere ad iniuriam ipsius, qui eum ordinauit.

**C. II. Irrita sit ordinatio sine titulo facta.**

Item ex synodo Urbani [II]. habita Placentiæ. [c. 15].

Sanctorum canonum statutis consona sanctientes decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, et in qua ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuo perseueret.

§. 1. Omnino autem in duabus aliquem titulari non liceat, sed unusquisque, in qua titulatus est, in ea tantum canonicus habeatur.

Licet enim episcopi dispositione unus diuersis preesse possit ecclesiis, canonicus tamen prebendarius, nisi unius ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet.

§. 1. Si que tamen capellæ sunt, que suis redditibus clericos sustentare non possunt, ea cura ac dispositio preposito maioris ecclesiæ, cui capellæ subditæ esse uidentur, immineat, et tam de possessionibus quam de ecclesiasticis capellarum offitiis ipse prouideat.

Gratian. In eodem etiam concilio antiquis nouem prefationibus decima addita est, que ita se habet: “Equum et salutare, que et unigenitum tuum S. Spiritus obumbratione concepit, et uirginitatis gloria permanente lumen eternum mundo effudit, Iesum Christum Dominum nostrum”.

**DISTINCTIO LXXI.****GRATIANUS.**

De clericis uero non ordinandis ab episcopo alterius ciuitatis, in Sardicensi Concilio [c. 18. et 19]. statutum est, in quo Ianuarius Episcopus legitur dixisse:

**C. I. Clerici ab episcopo alterius ciuitatis non ordinantur.**

Illud quoque sanctitas uestra statuat, ut nulli episcopo liceat alterius ciuitatis ecclesiasticum sollicitare et in sua diocesi clericum ordinare.

Quia ex his contentionibus solent nasci discordiæ, et ideo prohibeat omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

§. 1. Osius episcopus dixit: Et hoc uniuersi constituimus, ut quicumque ex alia parrochia uoluerit alienum ministrum sine consensu ipsius et sine uoluntate ordinare, non sit rata eius ordinatio.

**C. II. De eodem.**

Item Innocentius. [ad Victricium Rothomagensem Episcopum, epist. II. c. 7].

De aliena ecclesia ordinare clericum nullus presumat nisi eius episcopus precibus exoratus concedere uoluerit.

**C. III.** Qui sine episcopi sui consensu ordinatur, irrita sit eius ordinatio.

Item ex Niceno Concilio. [c. 16. in fin.].

Si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, in ecclesia ordinare, cum non habeat consensum illius episcopi, a quo recessit clericus, irrita sit huiusmodi ordinatio.

**C. IV.** Clericus unius ecclesiæ in alia non ordinetur.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 20].

Clericos in singulis ecclesiis constitutos non liceat, sicut iam diffiniuimus, in alterius ciuitatis ecclesiis ordinari; sed quiescant in ea, in qua ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias ciuitates perdidit, et ex necessitate ad alias ecclesias migrauerunt.

Si uero quicumque episcopus post diffinitionem istam ad alium episcopum pertinentem clericum susceperit, placuit sanctæ synodo, et hunc, qui suscepit, et eum, qui susceptus est, tamdiu excommunicatos manere, quamdiu ipse clericus reuertatur ad propriam ecclesiam.

**C. V.** Apostolica permissione unius ecclesiæ clericus in altera ualet ordinari.

Item Gregorius Fortunato Episcopo Neapolitano. [lib. V. epist. 11].

Fraternitatem tuam a nobis petisse recolimus, ut Gratianum ecclesiæ Enafrenæ diaconem tuæ concederemus ecclesiæ ordinandum.

Et quoniam nec episcopum, cui obsecundare debeat, propria habet ecclesia, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non preuidimus differendam.

Idcirco scriptis tibi presentibus eum necessario duximus concedendum, habiturus licentiam illum diaconum nostra interueniente auctoritate ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere cardinalem.

**C. VI.** Sine litteris sui episcopi in aliqua ecclesia clericus non suscipiatur.

Item ex Concilio Cartaginensi. [c. 5].

Primatus episcopus Begeselitanus dixit: Suggero sanctitati uestræ, ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum obtineat sine conscientia eius episcopi, de cuius plebe est.

Gratus episcopus dixit: Hec obseruantia pacem custodit; nam et memini in sanctissimo concilio Sardicensi similiter statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet: sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, et per consensum sui episcopi habeat.

**C. VII.** Sine litteris commendaticiiis extra suam ecclesiam clericus non ministret.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 13].

Extraneo clerico et lectori extra suam ciuitatem sine commendaticiiis litteris proprii episcopi nusquam penitus liceat ministrare.

**C. VIII.** De eodem.

Item ex sermone S. Augustini ad populum.

Hortamur Christianitatem uestram, ut iuxta sanctorum canonum instituta, in ecclesiis a uobis fundatis aliunde ueniens presbiter non suscipiatur, nisi a uestræ fuerit ecclesiæ episcopo consecratus, aut ab eo per commendaticias litteras suscipiatur.

C. IX. Absque formata clerici peregrini non suscipiantur.

Item ex Concilio Antiocono. [c. 7].

Nullum absque formata, quam Greci epistolam dicunt, suscipi peregrinorum clericorum oportet.

## DISTINCTIO LXXII.

### GRATIANUS.

Dimissorias uero litteras episcopus non nisi rogatus tribuat sicut statutum est in Sinodo habita Romæ.

C. I. Nisi eodem petente, nulli dimissoriæ litteræ prestantur.

Episcopus subiecto sibi sacerdoti, uel alii clerico, nisi ab ipso postulatus, dimissorias non faciat, ne ouis quasi perdita aut errans inueniatur.

C. II. De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 21].

Clericum alienum, nisi concedente episcopo, nemo audeat uel retinere, uel promouere in ecclesiam sibi creditam.

Clericorum autem nomen etiam lectores et psalmistæ et hostiarii retinent.

C. III. In una ecclesia ordinatus in alia non suscipiatur.

Item ex Concilio Mileuitano. [II. c. 15].

Placuit, ut quicumque in ecclesia uel semel eligitur ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur.

[PALEA.

## DISTINCTIO LXXIII.

### GRATIANUS.

Qualiter uero commendaticia, uel dimissoria seu formata epistola facienda sit, uidendum est.

Debent namque litteræ grecæ interponi in ea epistola, et non sine causa.

Grecæ enim elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus, qui uel tenuiter greci sermonis noticiam habet, ignorat.

Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latinus “Formatas” uocat, aliqua fraus falsitatis temere presumeretur, hoc a Patribus CCCXVIII. Niceæ congregatis saluberrime inuentum est et constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem, id est, ut assumantur in supputationem prima greca elementa Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hoc est, (*Graece*) P. (*Graece*) U. (*Graece*) A. que elementa octogenarium et quadringentesimum et primum significant numerum.

Petri quoque apostoli prima littera, id est (*Graece*) P., que numerum octoginta significat; eius quoque, qui scribit, episcopi prima littera; cui scribitur, secunda littera; accipientis, tertia littera; ciuitatis quoque, de qua scribitur, quarta, et indictionis, quecumque est illius temporis, numerus assumatur.

Atque ita his omnibus grecis litteris, que, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quecumque fuerit collecta, summam epistola teneat; hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expresse.

Addat preterea separatim in epistola etiam nonagenarium et nonum numerum, qui secundum greca elementa significat (*Graece*) Amên.

### C. I.

Exemplar formatæ epistolæ, que in Nicena Sinodo a CCCXVIII. Patribus facta est.

In nomine Patris (*Graece*) P., et Filii (*Graece*) U., et Spiritus sancti (*Graece*) A. (*Graece*) P. Walterio Spirensi episcopo ego Burchardus sanctæ Vormaciensis ecclesie deuotus gregis Christi famulus, in Deo uero summæ felicitatis beatitudinem.

Cum sancta catholica ecclesia prompta sit sequi documenta euangelica, que dicunt: “Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, accipiet mercedem prophetæ, et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, etc.” et Apostolus iubeat hospitalitatem sectari, et necessitatibus sanctorum uirorum communicare; tamen propter eos, qui cauteriatam habent suam conscientiam, dicentes se esse simplices, cum sint astutia diabolica repleti, et pro opere pietatis dicunt se de loco ad locum transire, cum sint sua malicia faciente fugitiui, et dicunt se esse ministerio sacro insertos, cum non sint: statutum est a sanctis Patribus, neminem clericum alienum et ignotum recipi ab aliquo episcopo, et inthronizari in sua ecclesia, nisi habeat a proprio episcopo epistolam, que in canonibus nominatur Formata.

Ideo notum facimus fraternitati uestræ, quod presens frater noster, harum litterarum portitor, nomine Hermannus, non pro sua nequicia expulsus est a nobis, sed postulantibus fratribus, eo quod ex familia nostra fuit et noster baptizatus, fecimus ei libertatem receptam in cornu altaris canonice, et ordinauimus eum ad gradum presbiterii.

Cui etiam has dimissorias siue commendaticias litteras facimus, et eum ad uestram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in uestra parrochia sub uestro sacro regimine et defensione consistere ualeat.

Ego, inquam, Burchardus humilis episcopus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et in unitate sanctæ ecclesie, in qua Petro datum est ius ligandi atque soluendi, absoluo Hermannum presbiterum de ciuitate Vormaciensi indictione X., et licentiam do uobis inthronizandi eum in quacumque ecclesia uultis uestræ parrochiæ.

Hanc ergo epistolam grecis litteris hinc inde munire decreuimus, et annulo nostræ ecclesie firmare censuimus.

Fraternitatem uestram Christus nobis incolumem conseruet.

(*Graece*) P. (*Graece*) U. (*Graece*) A. (*Graece*) P. (*Graece*) B. (*Graece*) E. (*Graece*) Z. (*Graece*) X. (*Graece*) Amên.

Data Vormaciæ Idibus Marcii, anno Dominicæ incarnationis MXII. Indictione X.

### C. II.

Incipit epistola formata a CCCXVIII. Episcopis et ab Attico Constantinopolitanæ urbis Episcopo edita:

Sanctissimo in Christo fratri summa dulcedine karitatis amplectendo (*Graece*) A., illius ciuitatis episcopo, (*Graece*) U., illius ecclesie presul, perpetuæ beatitudinis optat in Christo salutem.

(*Graece*) ô. (*Graece*) U. (*Graece*) A. (*Graece*) ô.

De cetero nouerit sancta fraternitas uestra, quod iste clericus, Hermannus nomine, nostra in parrochia instructus ac detonsus, paruitem nostram rogauit, quatinus illi commendaticias litteras conscriberemus, quibus uestræ celsitudini commendatus sub tuitione uestri regiminis degere posset; cuius uoluntati consentientes secundum canonicam auctoritatem litteras ei dimissorias dedimus, per quas et ipsi concedimus, ut sub uestro magisterio diuinæ seruituti insistens suæ deseruiat utilitati, et uobis licentiam tribuimus, ut, si dignum eum iudicaueritis, ad sacros ordines promoueatis.

Quas litteras, ut uigore ueritatis firmatæ indubitanter a uobis suscipiantur, litteris grecis, ut canonica docet auctoritas, confirmare satagemus.

Sancta Trinitas uestram beatitudinem ad regimen sanctæ suæ ecclesiæ perpetualiter bene ualere concedat, (*Graece*) Amên. (uel sic: Et. (*Graece*) TH. (que eandem summam exprimunt) indictione X. Continet hec formata epistola summam numeri MCCCXV. (*Graece*) U. grecam in nomine illius primam ponimus, quia Greci eam in quibusdam locis pro (*Graece*) U. consonante ponunt, sicut est (*Graece*) Daud et (*Graece*) euaggelion)].

## DISTINCTIO LXXIV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Queritur de his qui ab episcopis suis promoueri contempnunt, an inuiti sint sublimandi, an non?

De his ita statutum inuenitur in Concilio Aurelianensi III.: [cap. 7].

**C. I.** Annuæ suspensioni subiaceat episcopus, qui inuitum ordinare presumit.

Episcopus, qui inuitum aut reclamantem ordinare presumpserit, annuali penitentiæ subditus missas facere non presumat.

**C. II.** Nullus promoueatur inuitus.

Item Gregorius Natali Episcopo. [Salonitano, in lib. I. Reg. epist. 19].

Gesta, que nobis consilii uestri secretario confecta direxistis, in quo archidiaconus Honoratus adicitur, plena esse semine iurgiorum cognouimus, cum uno eodem que tempore una persona nolens ad sacerdotii ordinem prouehitur, que tamquam inmerita a diaconatus offitio remoueatur.

Et sicut iustum est, ut nemo crescere compellatur inuitus, ita censendum puto, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio deiciatur iniuste.

Econtra inuenitur in Concilio Cartaginensi: [c. 31].

**C. III.** Qui ab episcopis suis promoueri contempnunt, a loco suo deiciantur.

Si qui clerici ab episcopis suis promoueri contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerunt.

**C. IV.** Item de eodem.

Placuit, ut quicumque clerici uel diaconi pro necessitatibus ecclesiasticarum rerum non obtemperauerint episcopis suis, uolentibus eos ad honorem ampliorem in ecclesia sua promouere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.

**C. V.** Posteriores prioribus episcopi non preponantur.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 23].

Episcoporum etiam, quorum uita non reprehenditur, posteriorem priori nullus preponat, nisi forte superbia elatus quod pro necessitate ecclesiæ episcopus iusserit implere contempnat.

## **II. Pars.**

§. 1. Sane si offitium archidiaconatus propter simpliciores naturam implere aut expedire nequiverit, ille loci sui teneat nomen et ordinationem ecclesiæ, quem elegerit episcopus preponendum.

**C. VI.** In quo loco quis ordinatus est inuitus teneri non debet.

Item Gregorius Iohanni Episcopo Siracusano. [lib. XI. epist. 34].

Quorundam ad nos relatione peruenit, Cosmam, qui ex monacho monasterii S. Lucie a decessore tuo uenerandæ memoriæ Maximiano in ecclesia Siracusana subdiaconus factus, atque a te postea in possessione, que Iuliana uocatur, presbiter dicitur ordinatus, ita nimia tristitia et loci qualitate uehementer afflictum, ut uitam sibi penam existimet, et contritioni suæ fugæ querat auxilium.

Et ideo, quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nos, si subiecti fuissetus, nostros uellemus esse prepositos, magnæ benignitatis est, si eum in ecclesia, ubi subdiaconii est functus offitio, sanctitas tua reducere atque illic studuerit constituere cardinalem.

Quod et facere, quantum arbitramur, debes, si nichil est, quod iuste contra eum animos tuos exasperet.

Si uero aliqua culpa est, suis nobis epistolis hoc fraternitas uestra, ut scire possimus, insinuet.

## **III. Pars.**

Gratian. Verum illud Gregorii de his intelligendum est, qui non causa necessitatis, sed causa ingratitude callide ab episcopis suis promoueri queruntur.

Illud autem Cartaginensis concilii de his intelligitur, qui nolunt obtemperare episcopis suis propter necessitatem ecclesiæ uolentibus eos ad altiora promouere.

Hanc distinctionem ex decreto Simplicii Papæ quilibet ualet corroborare, qui scribens Iohanni Archiepiscopi Rauennati, [epist. II]. ait inter cetera:

**C. VII.** Non est aliquis inuitus ad episcopatum pertrahendus.

Ubi ista didicisti, que in episcopum et confratrem nostrum Gregorium non dilectione, sed inuidia perpetrasti?

quem inexcusabili uiolentia pertrahi ad te passus es atque uexari, ut ei tantum honorem non per animi tranquillitatem, sed per amentiam, sicut dicendum est, irrogares?

Neque enim talia potuissent fieri sanitate consilii.

Nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur iudicare quod dignum est; nam priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

Denunciamus autem, quod, si post hec aliquid tale presumpseris, et aliquem seu episcopum, uel presbiterum, uel diaconum inuitum facere forte credideris, ordinationes tibi Rauennatis ecclesiae uel Emiliensis noueris auferendas.

**C. VIII. De eodem.**

Item Gregorius Antonino Subdiacono. [lib. II. epist. 16. Indict. 10].

Honoratus, archidiaconus Salonitanæ ecclesiae a sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione poposcerat, ut ab antistite suo inuitus prouehi ad fortioris gradus ordinem contra morem nullo modo cogere.

Hoc enim fieri sibi non causa prouehendi, sed causa ingratitude prohibebat.

Pro qua re tunc etiam sanctæ memoriæ predecessor noster scriptis suis Natali fratri coepiscopo que nostro interdixerat, ne Predictum Honoratum archidiaconum inuitum proueheret, neue dolorem conceptæ ingratitude in corde retineret.

Cum que etiam a me hec eadem summopere fuerint interdicta, non solum mandata Dei negligens, sed etiam scripta nostra contempnens, prefatum archidiaconem quasi ad fortiorem honorem prouehens conatus est callide degradare.

Unde actum est, ut, eodem archidiaconatus loco submoto, alium adscisceret, qui eius obtemperare moribus potuisset.

Quem Honoratum archidiaconem arbitramur antistiti suo aliunde displicere non posse, nisi quod eum uasa sacra suis parentibus dare prohibebat.

Quam causam subtili uolumus et tunc sanctæ memoriæ decessor meus, et nunc ego indagatione perquirere, sed sui suorum que actuum conscius personam suam ad iudicium postposuit destinare.

Unde experientiam tuam presentis precepti auctoritate duximus fulciendam, quatinus, conueniens in Salonia, Natalem fratrem nostrum et coepiscopum nostrum saltim tot scriptis ammonitum studeat adhortari, ut supra memoratum archidiaconem in suo statu suscipiat.

Quod si facere hoc contumaciter, ut consuevit, forte distulerit, usum pallii ei, qui ab hac sede concessus sibi fuerat, ex auctoritate sedis apostolicæ contradices.

Quem si etiam amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseuerare perspexeris, dominici corporis et sanguinis eundem antistitem participatione priuabis.

Gratian. Adhibenda est etiam disciplina, qua nolentes promoueri ad sacros ordines ad obediendum episcopis suis pronocentur.

In minoribus siquidem ordinibus constituti paulatim per singulos gradus sunt prouehendi, ut contempnentes suis obedire episcopis doleant sibi esse prelatos, quos prius habebant subiectos.

Unde Gelasius scribit Victori Episcopo:

**C. IX. Cum maiores ordinari contempserint, de minoribus promoueantur ordinibus.**

Consuluit dilectio tua de suorum promotione clericorum, perhibens, quod diaconi ad presbiterii gradum (quo ecclesiam tuam memoras indigere) uenire detrectant.

Quapropter, quia inuitos fieri ecclesiastica moderatio grauitas que non patitur, ut ex nolentibus fiant uolentes ordinatio illa potest perficere, si quos habes in acolitis, uel subdiaconibus maturiores etate, et quorum sit uita probabilis, hos in presbiterium studeas promouere, ut, qui in suis proficere noluerunt, reddantur suis inferioribus post minores.

Ipsa commoda presbiteri propensius quam diaconi consequantur, ut hac saltem ratione constricti et honorem, quem refugerant, appetere nitantur, et questum.

**DISTINCTIO LXXV.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Tempus autem consecrationis, sicut in Ordine Romano habetur, ad episcopi benedictionem non eligitur.

Omni enim tempore benedicuntur, dummodo ieiunii et hora tertia benedictionem accipiant.

Unde Anacletus urbis Romæ Episcopus scribit omnibus Episcopis: [epist. II. in princ.].

**C. I. Ordinationes episcoporum qua hora fieri debeant.**

Ordinationes episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint prouincia, episcopis sunt celebrandæ.

Qui simul conuenientes scrutinium cum precibus, celebrent, manus cum sanctis euangeliis inponentes, dominica die, hora tertia orantes, sacra que unctione prophetarum exemplo regum capita perungentium, eos more apostolorum et Moysi ungentes; quia omnis sanctificatio constat esse in Spiritu sancto, cuius uirtus inuisibilis sancto est crismati permixta, et hoc ritu solempnem celebrent ordinationem.

**II. Pars.**

Gratian. Tempus autem consecrationis trium mensium spatio clauditur, ultra quod, nisi necessitate cogente, episcoporum consecrationes post electionem differri non licet.

Unde in Calcedonensi Concilio [c. 25]. legitur:

**C. II. Ultra tres menses non differatur episcoporum ordinatio.**

Quoniam quidam metropolitanorum, sicut ad nos perlatum est, negligunt greges sibi creditos, et differunt ordinationes facere episcoporum, placuit sanctæ sinodo, intra tres menses fieri ordinationes episcoporum, nisi forte inexcusabilis necessitas coegerit tempus ordinationis amplius protelari.

Si autem episcoporum quis hoc non obseruauerit, ipsum debere ecclesiasticæ condempnationi subiacere, redditus uero eiusdem uiduatæ ecclesiæ integros reseruari apud economum eiusdem ecclesiæ censemus.

**III. Pars.**

Gratian. Ceterorum uero ordinationes non nisi certis temporibus et diebus, maxime sacerdotum et Leuitarum, fieri debent, uespera uidelicet sabati, uel mane diei dominicæ continuato ieiunio.

Unde Zepherinus urbis Romæ Archiepiscopus scribit omnibus Episcopis: [epist. II].

**C. III. Presbiteri et Leuitæ qua hora ordinentur.**



Ordinationes presbiterorum Leuitarum que tempore congruo, multis coram astantibus, solempniter agite, et probabiles ac doctos uiros ad hoc opus prouehite, ut de eorum societate et adiumento plurimum gaudeatis.

**C. IV. De eodem.**

Item Leo Episcopus Dioscoro Alexandrino Episcopo. [epist. LXXIX. cap. 1].

Quod a Patribus nostris propensiori cura nouimus esse seruatum, a nobis quoque uolumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis uel leuitica ordinatio celebretur, sed post diem sabati eius que noctis, que in prima sabati lucescit, exordia consecrandi eligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, ieiunis et a ieiunantibus sacra benedictio conferatur.

Quod eiusdem obseruantiae erit, si mane ipso die dominico, continuato sabati ieiunio, ordinatio celebretur, a quo tempore precedentis noctis initia non recedunt, quod ad diem resurrectionis (sicut etiam in pasca Domini declaratur) pertinere non dubium est.

**C. V. Quare die dominico sacerdotum ordinationes celebrentur.**

Item. [eodem cap.]

**IV. Pars.**

Quod die dominico ordinationes sacerdotum celebrentur, non tantum ex consuetudine, sed etiam ex apostolica nouimus uenire doctrina, scriptura manifestante, quod, cum apostoli Paulum et Barrabam ex Spiritus sancti precepto ad euangelium gentibus mitterent predicandum, ieiunantes et orantes inposuerunt eis manus, ut intelligamus, quanta et dantium, et accipientium deuotione sit curandum, ne tantae benedictionis sacramentum negligenter uideatur inpletum.

Et ideo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum formam sacerdotum per ecclesias, quibus Dominus preesse te uoluit, etiam ipse seruaueris, ut his, qui consecrandi sunt, numquam benedictio, nisi in die dominicae resurrectionis tribuatur, cui a uespere sabati initium constat ascribi, que tantis diuinarum dispensationum misteriis est consecrata, ut, quicquid a Domino est insigne constitutum, in huius diei dignitate sit gestum.

In hac mundus sumpsit exordium: in hac per resurrectionem et mors interitum, et uita accepit principium.

[PALEA. **C. VI. De eodem.**

Item in ordine Romano, capitulo de gradibus ecclesiae.

Quando et ubi libitum fuerit usque ad subdiaconatus officium ordinantur clerici, diaconi uero atque presbiteri nunquam, nisi in publica ordinatione].

**C. VII. De temporibus ordinationis.**

Item Gelasius omnibus Episcopis. [epist. I. cap. 13].

**V. Pars.**

Ordinationes presbiterorum et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis ieiunio et septimi et decimi; sed etiam quadragesimalis initii, ac medianae hebdomadae, sabati ieiunio circa uesperas ipsas ordinationes nouerint

celebrandas, nec cuiuslibet utilitatis seu presbiterum, seu diaconum his preferre audeant, qui ante ipsos fuerint ordinati.

## **DISTINCTIO LXXVI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quibus temporibus ieiunia celebranda sint, Calixtus Papa determinat, scribens Benedicto Episcopo: [epist. I].

#### **C. I. Quibus temporibus ieiunium celebrentur.**

Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut, sicut annus per quatuor uoluitur tempora, sic et nos solempne quaternum agamus ieiunium per quatuor anni tempora.

#### **C. II. De eodem.**

Item ex Concilio Magontiensi. [I. cap. 34].

Constituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus hominibus cum ieiunio obseruentur, id est in Martio, hebdomada prima; in Iunio, secunda; in septembri, tertia; in decembri, quarta.

#### **C. III. De eodem.**

Item ex Concilio Salegunstat habito. [cap. 2].

De ieiunio autem quatuor temporum hanc certitudinem statuimus, ut si kalendæ Martii in feria quarta siue antea euenerint eadem hebdomada ieiunium celebretur.

§. 1. Sin autem kalendæ Martii in quintam feriam, aut in sextam, aut in sabbatum distenduntur, in sequenti hebdomada ieiunium differatur.

Simili quoque modo, si kalendæ Iunii in quarta feria aut antea euenerint, in subsequenti hebdomada ieiunium celebretur; et si in quinta, aut in sexta feria, aut sabato contigerit, ieiunium in tertia hebdomada reseruetur.

§. 2. Et hoc sciendum est, quod, si quando ieiunium mensis Iunii in uigilia pentecostes secundum predictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solempni pentecostes, quia uigilia simul et ieiunium celebrari non debent, etiam tunc propter solempnitatem sancti Spiritus diacones dalmaticis induantur, et “Alleluia” cantetur, et “Flectamus genua” non dicatur.

§. 3. Eodem modo de septimi mensis ieiunio constitutum est, ut, si kalendæ septembris in quarta feria euenerint aut antea, in tertia hebdomada ieiunium celebretur, et si in quinta, aut sexta, aut sabato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit.

§. 4. In decembri uero illud obseruandum erit, ut proximo sabato ante uigiliam natalis Domini celebretur ieiunium, quia, si uigilia in sabato euenerit, simul uigiliam et ieiunium celebrari non conuenit.

Contra Urbanus: [II. in Concilio Placentino, c. 14].

#### **C. IV. De eodem.**

Statuimus etiam, ut ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur: primum ieiunium in initio quadragesimæ, secundum in hebdomada pentecostes, tertium uero et quartum in septembri et decembri more solito fiat.

**C. V. De eodem.**

Item ex sermone Leonis Papæ. [I. sermone I. de ieiunio pentecostes].

Igitur post sanctæ leticiæ dies, quos in honorem Domini a mortuis resurgentis ac deinde in celum ascendentis exegimus, post que acceptum sancti Spiritus donum, salubriter et necessarie consuetudo est ordinata ieiunii, ut, si quid forte inter ipsa festiuitatis gaudia negligens libertas et licentia inmoderata presumpserit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget.

**C. VI. De eodem.**

Item. [sermone VIII. de ieiunio decimi mensis].

Huius obseruantię utilitas, dilectissimi fratres, in ecclesiasticis precipue est constituta ieiuniis, que ex doctrina sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit asscripta temporibus.

Siquidem ieiunium uernum in quadragesima, estiuum in pentecosten, autumpnale in mense septimo, hiemale in hoc, qui est decimus, celebremus, intelligentes diuinis nichil esse uacuum preceptis, et uerbo Dei ad erudicionem nostram omnia elementa seruire, dum per ipsius mundi cardines quasi per quatuor euangelia incessabili tuba discimus quod et predicamus, et agimus.

**II. Pars.**

Gratian. Primum uero mensem, quartum, septimum, et decimum, non Ebreorum ratione debemus accipere, sed nostra.

Primus enim mensis apud illos est Aprilis, quartus Iulius, septimus October, decimus Ianuarius.

In quibus, et preterea in quinto mense, qui est Augustus, que fuerit eis causa ieiunii, Ieronimus supra Zachariam exponit, dicens:

**C. VII. Quare in supradictis mensibus ieiunia lex inperauit.**

Ieiunium quarti, et ieiunium quinti, et ieiunium septimi, et ieiunium decimi subaudiatur mensis domui Iudæ et Ierusalem in dies festos uertetur in gaudium.

Hoc loco nostrorum multi multa dixerunt inter se dissonantia.

§. 1. Cogimur igitur ad Ebreos recurrere, et scientiæ ueritatem de fonte magis quam de riuiulis querere.

§. 2. Ieiunium quarti mensis, qui apud Latinos uocatur Iulius, die septimo et decimo eiusdem mensis illud arbitramur, quando descendens Moyses de monte Synai tabulas legis abiecit atque confregit, et iuxta Ieremiam muri primum rupti sunt ciuitatis.

In quinto mense, qui apud nos uocatur Augustus, cum propter exploratores terræ sanctæ seditio esset orta in populo, iussi sunt non ascendere montem, sed per quadraginta annos longis a terra sancta circumire dispendiis, ut exceptis duobus, Caleph et Iosue, omnes in solitudine caderent.

In hoc mense et a Nabuchodonosor, et multa post secula a Tito et Vespasiano templum Ierosolimis incensum est atque destructum; capta urbs Bethel, ad quam multa milia confugerant Iudeorum.

In septimo uero, qui apud nos appellatur October, occisus est Godolias, et Iudæ tribus, ac Ierusalem reliquiæ dissipatæ sunt.

Mense decimo (qui apud nos Ianuarius dicitur, eo quod ianua anni sit atque principium), Ezechiel in captiuitate positus audiuit et cunctus populus captiuorum, quinto mense templum esse subuersum, quod plenissime in eodem propheta cognoscimus.

Hoc est igitur omne, quod dicitur, dies planctus et ieiuniorum, quos hactenus habuistis in luctum, sciatis (quia cogitauit, ut benefaciam Ierusalem et domui Iuda) uobis in leticiam et gaudium et solempnitates esse uertendos; ita dumtaxat, si ueritatem diligatis et pacem.

Iuxta anagogem, quia tunc ieiunamus, quando sponsus aufertur a nobis, et non meremur eius habere presentiam, cum reuersus fuerit ad nos Dominus, et cogitauerit, ut benefaciat nobis, omnis tristitia uertetur in gaudium, et fames pristina sermonis Dei presencia doctrinarum eius et celestis panis saturitate compensabitur.

### III. Pars.

Gratian. Non autem uidentur ieiunia quarti mensis posse celebrari ante diem pentecostes.

A die enim dominicæ resurrectionis usque in diem pentecostes non inducuntur ad obseruanda ieiunia.

Unde Ambrosius in eiusdem dei sermone [LXI.,] qui sic incipit:

[C. VIII].

Scire debet sanctitas uestra: “per hos quinquaginta dies nobis est iugis et continuata festiuitas, ita ut hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succedamus”.

“Et infra:

§. 1. “Ad instar ergo dominicæ resurrectionis tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, et omnes isti dies uelud dominici deputantur.

Resurrectio enim dominica est.

In dominica resurgens saluatur reuersus ad homines est, et post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus conuersatus est.

Equalis ergo eorum necessarium est ut sit festiuitas, quorum equalis est et sanctitas.

Non igitur ieiunamus in quinquagesima, quia in his diebus nobis cum Dominus conmoratur”.

Idem in apologia Dauid: “Hunc numerum (quinquagesimum uidelicet) leti celebramus post Domini passionem, remisso culpæ totius debito cyrographo que euacuato ab omni nexu liberi, et suscipimus aduenientem in nos gratiam sancti Spiritus; die pentecostes uacant ieiunia, laus dicitur Deo, Alleluia cantatur”.

[Gratian.] Necessario ergo ecclesia constituit, ut post diem pentecostes ieiunia celebrentur.

Sed quod in illis quinquaginta diebus ieiunandum esse negatur, ex obseruantia necessitate intelligitur.

Unde in eiusdem diei sermone, [LX.,] qui sic incipit:

[C. IX].

Nosse credo uos fratres: “Non minore leticia celebramus diem pentecostes, quam sanctum diem paschæ curauimus.

Tunc enim, sicut modo fecimus, ieiunauimus sabbato, uigilias celebrauimus, orationibus pernoctanter institimus: unde necesse est, similem obseruantiam similis leticia subsequatur”.

[Gratian.] Obseruantia uero similis quod ad factum, non quod ad necessitatem.  
Item Ysidorus: [lib. I. de ecclesiasticis offitiis, cap. 42].

[C. X].

“Post pascha usque ad pentecosten, licet traditio ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxauerit, tamen si quis monachorum uel clericorum ieiunare cupit, non sunt prohibendi, quia et Antonius et Paulus et ceteri patres antiqui etiam in his diebus in heremo leguntur abstinuisse, neque soluisse abstinentiam, nisi tantum die dominico”.

[C. XI].

Item Ieronimus ad Lucinum, [ep. XXVIII].

“Utinam omni tempore ieiunare possemus, quod in Actibus apostolorum diebus pentecostes et die dominico apostolum Paulum et cum eo credentes fecisse legimus. Nec hoc dico, quod festis diebus ieiunandum putem, et contextas quinquaginta diebus ferias et solempnitates auferam; sed unaqueque prouincia habundet in suo sensu, et precepta maiorum leges apostolicas arbitretur”.

**C. XII.** Sabato magno post horam baptismatis episcopus ualet ordinari.

Item Pelagius Petro Episcopo Potentino.

Dilectionis tuæ scripta suscepimus, quibus significas, Latinum ecclesiæ Grumentinæ diaconem ad episcopatum Marcellianensis ecclesiæ siue Clusitanæ ab omnibus fuisse electum, quod iam ante hoc tempus retulistis; et iussimus, ut ueniret, credentes eos de persona eius ab episcopo suo dimissoriam acceperit.

Quod si modo fecerunt, facite eum uelociter ad urbem Romam occurrere, ut, si Deus iusserit, in magno sabato post horam baptismi ordinetur.

Quia si ante memoratum diem non occurrerit, cogetur usque ad quarti mensis ieiunia sustinere.

## **DISTINCTIO LXXVII.**

### **GRATIANUS.**

His temporibus secundum Anacletum, Zepherinum, Gelasium et Pelagium episcopi, presbiteri et diaconi sunt ordinandi.

Metropolitanus autem iuxta Leonem papam ex presbiteris eiusdem ecclesiæ uel ex diaconibus optimus ordinetur.

Ex monachis autem uel laicis nullus nisi per gradus ecclesiæ ad summum sacerdotium debet peruenire.

Unde Gelasius Papa:

**C. I.** Non nisi per distinctos gradus quisquam ad sacerdotium aspiret.

Illud nos statuentes uobis et omnibus seruare mandamus, ut ad ordines ecclesiasticos sic accedant in ecclesia, qui ordinari merentur: id est, si quis episcopus esse meretur, sit primo hostiarius, deinde lector preterea exorcista, inde sacretur acolitus, demum uero

subdiaconus, deinde diaconus, et postea presbiter, exinde, si meretur, episcopus ordinetur.

Item Zosimus Episcopus urbis Romæ ait: [ad Hesychium, epist. I. cap. 3].

### C. II. Que interualla temporis in singulis gradibus sint obseruanda.

In singulis gradibus hec tempora sunt obseruanda, si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, ut inter lectores et exorcistas quinquennio teneatur, exinde acolitus uel subdiaconus quatuordecim annis fiat, et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, si inculpate gesserit, adherere debet.

Exinde suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, sacerdotium poterit promereri, de quo loco, si eum exactior uita ad bonos mores perduxerit, summum pontificatum sperare debet.

§. 1. Defensores etiam ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta obseruatione teneantur, si meruerint in ordine esse clericatus.

### C. III. De eodem.

Item Siricius Papa. [ad Himerium Tarraconensem, epist. I. cap. 9].

Quicumque itaque se ecclesiæ uouit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari et lectorum debet ministerio sociari; qui ab accessu adolescentiæ usque ad trigesimum etatis annum si probabiliter uixerit, una tantum, et ea, quam uirginem communi per sacerdotem benedictione percepit, uxore contentus, acolitus et subdiaconus esse debet, postquam ad diaconii gradum (si se ipsum primitus, continentia preeunte, dignum probauerit) accedat.

Ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrauerit, congrue presbiteratum consequatur.

Exinde post decennium episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamen per hec tempora integritas suæ uitæ ac fidei eius fuerit approbata.

Qui uero iam etate grandeuus, melioris propositi conuersatione prouocatus, ex laico ad sacram miliciam peruenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum unam habuisse uel habere, et hanc uirginem accepisse constet uxorem.

Qui, dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolitus et subdiaconus fiat, et sic ad diaconatum, si per hec tempora dignus iudicatus fuerit, prouehatur.

Exinde iam accessu temporum presbiterio uel episcopatu, si eum plebis ac cleri euocauerit electio, non inmerito societur.

### C. IV. De eodem.

Item ex Sexta Sinodo. [c. 15].

Subdiaconus non minor uiginti annorum ordinetur.

§. 1. Si quis uero in aliquo ordine sacerdotali preter constituta tempora ordinatus fuerit, deponatur.

### C. V. De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 4].

Placuit, ut ante uiginti quinque annos etatis nec diaconi ordinentur, nec uirgines consecrentur, et ut lectores populum non saluent.

C. VI. Minoribus XXV. annis leuitica non prestetur benedictio.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 16. et 17].

Episcopus benedictionem diaconatus minoribus quam uiginti quinque annorum penitus non committat.

§. 1. Sane si coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam uxorū uoluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conuersi fuerint, ordinentur.

§. 2. Presbiterum uero uel episcopum ante triginta annos, id est antequam ad uiri perfecti etatem perueniat, nullus metropolitanorum ordinare presumat, ne per etatem (quod aliquociens euenit) aliquo errore culpetur.

C. VII. De eodem.

Item ex Concilio Toletano IV. [c. 20].

In ueteri lege ab anno uicesimo et quinto Leuitæ tabernaculo seruire iubentur, cuius auctoritatem in canonibus et sancti Patres secuti sunt.

Nos et diuinæ legis, et præceptorum canonum inmemores, infantes et pueros Leuitas facimus ante legitimam etatem, aut experientiam uitæ; ideo que ne ulterius fiat a nobis, et diuina lege, et canonicis ammonemur sententiis, sed a uicesimo quinto anno etatis suæ Leuitæ consecrentur, et a tricesimo presbiteri ordinentur.

C. VIII. Per que interualla temporum ordinetur qui de monachis in clericatum eligitur.

Item Gelasius. [Papa ad Episcopos per Lucaniam, epist. I. cap. 3].

Si quis de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus ad clericale munus accedit, inprimis eius uita acta inquiratur, si nullo graui facinore probatur infectus; si secundam fortasse non habuerit uxorem, nec a marito reiectam sortitus ostenditur.

[C. IX].

Idem. [eodem capite et sequenti]

Monachus uero nouitius morum honestate fulcitus, continuo lector, uel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses existat acolitus, maxime si huic etiam etas suffragatur; sexto mense subdiaconi nomen accipiat, ac si modeste conuersionis honestæ que uoluntatis existat, nono mense diaconus, completo que anno sit presbiter; cui tamen, quod annorum fuerant interstitia collatura, sancti propositi sponte suscepta docetur prestitisse deuotio.

§. 1. Si uero laicus quispiam ecclesiasticis est aggregandus offitiis, tanto sollicitius in singulis, que superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinare personam, quantum inter mundanam religiosam que uitam esse constat discriminis, quia utique conuenientia ecclesiæ ministeria deputanda sunt, non inconuenientibus meritis ingerenda, tanto que magis quod sacris aptum possit esse seruitiis in eorum querendum est institutis, quantum de tempore, quo fuerint assequenda, decerpitur, ut morum hoc habere doceatur probitas, quod prolixior consuetudo non contulit, ne per occasionem supplendæ penuriæ clericatus uitia potius diuinis cultibus intulisse, non legitimæ familiæ Domini computemur procurasse compendia.

Quorum promotionibus super anni metas sex menses nichilominus subrogamus, quoniam, sicut dictum est, distare debet inter personam diuino cultui deditam, et de laicorum conuersione uenientem.

Que tamen eatenus indulgenda credimus ut ecclesiis ab hac occasione cessantibus canonum paternorum uetus forma seruetur.

**DISTINCTIO LXXVIII.****GRATIANUS.**

Qua uero etate sacerdotes ordinari debeant, Bonifatius Papa diffinit, dicens:

**C. I.** Ante XXX. annos presbiter non ordinetur.

Si quis triginta etatis suæ non inpleuerit annos, nullo modo ordinetur presbiter, etiamsi ualde sit dignus.

[**PALEA. C. II.** De eodem.

Item in Nouellis in Authentica de sanctissimis episcopis §. Clericos, apud Iulianum Antecessorem constitutione CXV. c. 19.

Nemo presbiter consecratur, qui minor triginta annis sit; nemo diaconus uel subdiaconus fiat, qui minor uiginti quinque annis sit; nemo lectoribus connumeretur, qui minor decem et octo annis fuerit; nemo inter diaconissas consecratur sacrosanctæ ecclesiæ, que minor sit quadraginta annis, uel ad secundum matrimonium peruenerit].

**C. III.** Non est ordinandus sacerdos, nisi longo probatus examine.

Item Leo papa. [ad Episcopos Africanos, epist. LXXXV. cap. 1].

Quid est: manus cito inponere, nisi ante etatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis?

Et quid est: communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari?

**C. IV.** Ante XXX. annos presbiter non ordinetur.

Item ex Concilio Neocesariensi. [c. 11].

Presbiter ante triginta annorum etatem non ordinetur, quamuis sit probabilis uitæ; sed obseruetur usque ad prefinitum tempus.

Dominus enim tricesimo anno baptizatus est, et tunc predicauit.

Gratian. Hoc regulariter, unde et Christus, et Iohannes Baptista, et Ezechiel, et nonnulli prophetarum non leguntur predicasse uel prophetasse.

Verum, quia et Ieremias et Daniel ante iuuenilem etatem spiritum prophetiæ accepisse leguntur, Daud quoque et Salomon in adolescentia uncti inueniuntur, Iohannes etiam Euangelista, cum adhuc esset adolescens, a Domino in apostolum electus et cum aliis ad predicandum missus inuenitur; Paulus quoque apostolus in adolescentia a Domino electus, et ad predicandum missus asseritur: ecclesia similiter necessitate exigente nonnullos ante trigesimum annum ordinare consueuit.

Unde Zacharias papa Bonifatio Episcopo: [epist. VI. cuius initium: "Benedictus Deus"]

**C. V.** Necessitate cogente XXV. annorum sacerdotes ordinentur.

Si triginta annorum non reperiuntur, et necessitas exposcit, a uiginti quinque annis sacerdotes ordinentur.

**DISTINCTIO LXXIX.**



**GRATIANUS.****I. Pars.**

Apostolicus autem non nisi a Cardinalibus et religiosus clericis est intronizandus.  
Unde Nicolaus papa [II]. ait: [in epistola, qua sinodum a se Romæ habitam refert, cap. 1].

**C. I.** De eo qui sine concordia electione Cardinalium intronizatur.

Si quis apostolicæ sedi sine concordia et canonica electione Cardinalium eiusdem ac deinde sequentium clericorum religiosorum intronizatur, non Papa uel Apostolicus, sed apostaticus habeatur.

**C. II.** Papa superstite, eo inconsulto de electione futuri Pontificis nemo audeat loqui.

Item Simacus Papa. [in Sinodo Romana I. cap. 3. et 5].

Si quis superstite Papa pro Romano Pontificatu cuiquam quolibet modo fauorem prestare conuincitur, loci sui honore priuetur.

Et infra:

Si quis presbiter, aut diaconus, aut clericus, Papa incolumi et eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pitacia promittere, aut sacramentum prebere temptauerit, aut aliquod certe suffragium polliceri, uel de hac causa priuatis conuenticulis factis deliberare aliquid atque decernere presumpserit, loci sui dignitate, uel communionem priuetur.

Et infra:

Propter occultas fraudes et coniurationum secretas insidias, quas sententia huius districtiois consequitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit noticiam consilia eorum, qui contra hanc sinodum de pontificali egerint ambitu, et rationabili probatione conuincerit, particeps actionis huiusmodi non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione, que non indigna sit, subleuetur.

**C. III.** In apostolatus culmen nisi ex Cardinalibus non promoueatur.

Item ex Concilio Stephani Papæ. [III].

Oportebat, ut hec sacrosancta domina nostra Romana ecclesia (iuxta quod a B. Petro et eius successoribus institutum est) rite ordinaretur, et in apostolatus culmen unus de cardinalibus presbiteris aut diaconibus consecraretur.

**C. IV.** De eodem.

Item ex eodem.

Nullus umquam laicorum neque ex alio ordine presumat nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbiter factus fuerit cardinalis, ad sacrum pontificalem honorem promoueri.

**C. V.** Anathematizetur episcopus uel monachus uel laicus Romanam ecclesiam inuadens, et in gradum filiorum eius prorumpens.

Item ex eodem.

Si quis ex episcopis, uel monachis, uel laicis contra canonum et sanctorum Patrum instituta prorumpens in gradum filiorum sanctæ Romanæ ecclesiæ, id est presbiterorum cardinalium et diaconorum ire presumpserit, et hanc apostolicam sedem inuadere

quilibet ex supradictis temptauerit, et ad summum pontificalem honorem ascendere uoluerit, ipsi et sibi fauentibus fiat perpetuum anathema.

Et infra:

§. 1. Si quis resistere presumpserit sacerdotibus atque primatibus ecclesiæ, uel cuncto clero ad eligendum sibi Romanum Pontificem secundum canonicam tradicionem, anathema sit.

C. VI. Anathema sit, qui canonicæ electioni Romani pontificis contradicere presumpserit.

Item ex Concilio Leonis Papæ. [IV].

Si quis sacerdotibus, seu primatibus nobilibus, seu cuncto clero huius sanctæ Romanæ ecclesiæ, electionem Romani pontificis contradicere presumpserit, sicut in concilio beatissimi Bonifatii et Stephani Papæ legitur statutum, anathema sit.

C. VII. Nullius episcopi fiat electio, nisi post diem tercium depositionis alterius.

Item ex Concilio Bonifatii. [Papæ III].

## II. Pars.

Nullus Pontifice Romano uiuente aut episcopo ciuitatis suæ presumat loqui, aut partes sibi facere, nisi tercio die depositionis eius, adunato clero et filiis ecclesiæ, et tunc electio fiat.

## III. Pars.

Gratian. Sed queritur, si duo temeritate concertantium ordinati fuerint, quis eorum alteri sit preferendus?

De his ita scribit Honorius Augustus ad Bonifatium Papam:

C. VIII. Si temeritate concertantium duo fuerint ordinati.

Si duo forte contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex eis futurum sacerdotem permittimus, sed illum solum in sede apostolica permansurum censemus, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium et uniuersitatis consensus elegerit.

## IV. Pars.

Gratian. Hoc autem capitulum non de eo intelligendum est, qui uno per apostasiam ordinato a Cardinalibus et religiosis clericis apostolicæ sedi intronizatur, etiamsi ille apostaticus ita cathedram B. Petri uiolenter tenuerit, ut canonica electio intra Urbem fieri non ualeat.

Unde Nicolaus papa [II. in Concilio Romano] statuit, dicens:

C. IX. De eo, qui pecunia uel populari tumultu, non canonica electione ordinatur.

Si quis pecunia uel gratia humana, aut populari tumultu seu militari, sine canonica et concordi electione cardinalium, et sequentium religiosorum clericorum fuerit apostolicæ sedi intronizatus, non Apostolicus, sed apostaticus habeatur, liceat que cardinalibus et

aliis clericis timentibus Deum et laicis inuasorem anathematizare et humano auxilio a sede apostolica pellere.

Quod si intra Urbem perficere nequiverint, apostolica auctoritate extra urbem congregati in loco, quo eis placuerit, electionem faciant, concessa electo auctoritate regendi et disponendi res et utilitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ iuxta qualitatem temporis, quasi intronizatus sit.

#### **V. Pars.**

Gratian. Electio uero Romani pontificis etiam cum deliberatione predecessoris fieri debet.

Unde Simacus ait: [in Sinodo Romana I. cap. 4].

**C. X.** Si Papa de electione sui successoris decernere non poterit.

Si transitus Papæ inopinatus euenerit, ut de sui electione successoris, ut supra placuit, non possit ante decernere, siquidem totius in unum conuenerit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus.

Si uero, ut fieri solet, studia ceperint esse diuersa eorum, de quibus certamen emerit, conuincat sententia plurimorum: sic tamen, ut sacerdotio careat, qui captus promissione non recto iudicio de electione decreuerit.

#### **VI. Pars.**

Gratian. Sicut supra monstratum est, electio summorum sacerdotum a Cardinalibus et religiosis clericis debet fieri: electio uero eorum diuino iudicio est reseruata.

Unde Anacletus Papa ait: [ad Episcopos Italiæ, epist. II. cap. 2].

**C. XI.** Summorum sacerdotum electionem sibi Dominus reseruauit.

Electionem summorum sacerdotum sibi Dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessisset.

### **DISTINCTIO LXXX.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Loca uero, in quibus primates, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, presbiteri sunt ordinandi, hec sunt secundum Lucium Papam, ac Clementem, atque Anacletum.

Ait enim Lucius Papa:

**C. I.** In quibus locis primates uel patriarchæ debeant ordinari.

Urbes et loca, in quibus primates presidere debent, non modernis, sed multis ante aduentum Christi sunt statutæ temporibus quarum primates gentiles etiam pro maioribus negotiis appellabant.

§. 1. In ipsis uero urbibus post aduentum Christi apostoli et eorum successores patriarchas et primates posuerunt, ad quos episcoporum negotia, salua in omnibus apostolica auctoritate, et maiores causæ post apostolicam sedem sunt referendæ.

**C. II. De eodem.**

Item Clemens Papa. [ad Iacobum epist. I].

In illis ciuitatibus uero, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates uel patriarchas poni B. Petrus precepit, qui reliquorum episcoporum causas et maiora negotia in fide agitent.

§. 1. In illis autem, in quibus dudum apud ethnicos predictos erant eorum archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos institui precepit.

§. 2. In singulis uero reliquis ciuitatibus singulos, et non plures episcopos constitui precepit, qui episcoporum tantum uocabulo potirentur; quoniam nec inter ipsos apostolos par fuit institutio, sed unus prefuit omnibus.

**C. III. De eodem.**

Item Anacletus. [epist. III. cap. 2].

Episcopi non in castellis neque in modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbiteri per castella et modicas ciuitates atque uillas debent ab episcopis ordinari et poni, singuli tamen per singulos titulos suos.

Episcopus non ab uno, sed a pluribus episcopis debet ordinari, et, ut dictum est, non ad modicam ciuitatem, ne uilescat nomen episcopi, sed ad honorabilem titulandus et denominandus est.

Presbiter uero ad qualemcumque locum in eo constitutæ ecclesiæ est preficiendus.

**C. IV. De eodem.**

Item Leo Papa. [ad Episc. Africae, epist. LXXXV. c. 2].

Illud sane, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia uolumus canonum statuta seruari, ut non in quibuslibet locis, nec quibuscumque castellis, et ubi ante non fuerunt, episcopi consecrentur, cum, ubi minores sunt plebes minores que conuentus, presbiterorum cura sufficiat episcopalia autem gubernacula non nisi in maioribus populis et frequentioribus ciuitatibus oporteat presidere, ne, quod sanctorum Patrum diuinitus inspirata uetuerunt decreta, uiculis et possessionibus, uel obscuris et solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium.

**C. V. De eodem.**

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 57].

Non debere in uicis et uillis episcopos ordinari, sed uisitatores, id est qui circumeant, constitui; his autem qui ante hoc ordinati sunt, nichil agere censemus sine conscientia episcopi ciuitatis.

Similiter autem presbiteri sine precepto et consilio episcopi nichil agant.

**II. Pars.**

Gratian. Sedes autem episcoporum non longo interuallo debent disiungi, ut ad consecrationem sui conprouincialis sine difficultate possint occurrere.

**C. VI. Episcopales sedes non longo interuallo a se disiungi debent.**

Fraternitatem tuam ita uolumus ordinare episcopos, ut sibi ipsi episcopi longo interuallo minime disiungantur, quatinus nulla sit necessitas, ut in ordinatione episcopi conuenire non possint.

Nam episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus aut quatuor episcopis fieri nullatenus debet.

## **DISTINCTIO LXXXI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Hec de ordinandis et ordinatoribus atque de singulorum graduum distinctionibus et offitiis dixisse nos sufficiat.

Verum quia aliquantulum diffusius in his immorati sumus, precedentibus coherentia quedam sub epilogo ad memoriam subiciamus.

Debet autem ordinandus in episcopum, (ut Apostolus scribit esse “sine crimine,” id est sine peccato mortifero, quod non solum de episcopo, sed etiam de quolibet electo ad aliquam preposituram ecclesiæ oportet intelligi.

Unde Augustinus scribit supra Iohannem:

**C. I.** Sine crimine id est sine graui peccato debet esse qui ordinatur episcopus.

Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos uel presbiteros, uel diacones, et quicumque ordinandus est ad preposituram ecclesiæ, non ait: “Si quis sine peccato est,” (hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, et nullus ordinaretur,) sed ait: “Si quis sine crimine est:” sicut est homicidium, adulterium, aut aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium et cetera huiusmodi.

§. 1. Crimen autem est graue peccatum, accusatione et dampnatione dignissimum.

#### **II. Pars.**

Gratian. Quolibet itaque horum implicatus ordinari non debet; uel si iam ordinatus ante tempus uel post tempus suæ ordinationis aliquid eorum admisisse conuincitur, suscepti gradus officio priuabitur.

Unde Simacus Papa ait:

**C. II.** Monitoris personam recte non suscipit, qui uerbis, non operibus docet.

Nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condempnat, et amorem innocentiae conuersione demonstrat.

**C. III.** Careat ordine, quem prestat, qui indignum sublimare non metuit.

Item Celestinus Papa. [ad Episcopos Galliae, epist. II. c. 3].

Tantis Daniel grauatus testimoniis facinorum, tanta accusatione pulsatus sacrarum, ut dicitur uirginum pollutus incestu episcopus asseritur ordinatus.

Et, ut in nostri libellis scrinii continetur, quorum ad uos quoque exemplaria direximus, in pontificii dignitatem hoc tempore, quo ad causam dicendam missis a nobis litteris uocabatur, obrepsit.

Sacro nomini absit iniuria.

Facilius est, ut hanc dignitatem tali dando amiserit ordinator, quam eam obtineat ordinatus; cui conuicto sociabitur, qui eum sibi credit largiendo pontificium sociandum.

Qualis enim ipse sit, quisquis tales ordinauerit, ostendit.

**C. IV.** Non recipit ordo ecclesiasticus, qui in examinatione, uel postea confessus ordinatur.

Item ex Concilio Niceno. [cap. 9].

Si qui sine examinatione promoti presbiteri sunt, et postea examinati confessi sunt peccata sua, et, cum confessi fuissent, homines uenientes contra regulam eis manus inposuerunt, hos ecclesiasticus ordo non recipit.

In omnibus enim quod inreprehensibile est defendit ecclesia.

**C. V.** Lapsi, per ignorantiam aut contemptu ordinantium tonsorati, deiciantur.

Item eiusdem Concilii. [cap. 10].

Quicumque ex his, qui lapsi sunt, per ignorantiam iam ordinati sunt, uel contemptu eorum, qui eos ordinauerunt, hoc non preiudicat regulæ ecclesiasticæ.

Cum enim compertum fuerit, deponentur.

**C. VI.** Alienus fiat a ministerio, qui illud uiuendo illicite polluit.

Item Innocentius. [ad Maximum et Seuerum, ep. V].

Maximilianus filius noster qualem querelam detulerit, libelli eius series adnexa declarat. Qui zelo fidei ac disciplinæ ductus, non patitur ecclesiam pollui ab indignis presbiteris, quos in presbiterio filios asserit procreasse.

Et ideo, fratres, huius libelli, qui subiectus est, tenore perspecto, eos, qui talia perpetrasse dicuntur, debetis in medio collocare, discussis que obiectionibus, que ipsis presbiteris impinguntur, si conuinci potuerint, a sacerdotali remoueantur officio, (quia qui sancti non sunt sancta attractare non possunt,) atque alieni efficiantur a ministerio, quod uiuendo illicite polluerunt.

**C. VII.** Cuilibet ab ordine deponendo episcopi prouidentia locus penitentiæ deputetur.

Item Eugenius Papa. [II].

Sacerdos, aut quis alius in ordine ecclesiastico prouectus, si in eo scelere inuenitur, quo abiciendus conprobetur, depositus prouidentia episcopi bene prouiso loco constituatur, ubi peccatum lugeat et ulterius non committat.

**C. VIII.** Retrudantur in monasterio presbiteri, qui penitenciam agere contempnunt.

Item ex Concilio Magontiensi.

Dictum est nobis, presbiteros propter suam negligentiam canonicè degradatos et seculariter gradu amisso uiuere, et penitentiæ agendæ bonum negligere.

Unde statuimus, ut gradu amisso agendæ penitentiæ gratia in monasterium aut canonicam regularem mittantur.

Si uero hoc fieri causa quelibet prohibuerit, ubicumque sint, penitenciam agere non desistant.

Si autem amisso gradu seculariter uiuere uoluerint, et penitenciam agere neglexerint, ab ecclesiæ communionem separentur.

**C. IX.** Mutatio loci ualet conuersis ad penitenciam.

Item Ysidorus. [Sententiarum, de summo bono, lib. II. c. 10].

Valet interdum conuersis pro animæ salute mutatio loci; plerumque enim, dum mutatur locus, mutatur mentis affectus.

Congruum est ergo, inde etiam corporaliter euelli ubi quisque illecebris deseruiuit.

Nam locus, ubi praeue quisque uixit, in aspectu mentis apponit quod sepe ibi uel cogitauit, uel gessit.

**C. X.** Clericus adulterasse conuictus uel confessus in monasterio retrudatur.

Item ex VII. Sinodo Aurelianensi. [c. 7].

Si quis clericus adulterasse aut confessus fuerit, aut conuictus, depositus ab offitio communionem concessa in monasterio toto uitæ suæ tempore tradatur.

**C. XI.** De eodem.

Item Pelagius Constantino Defensori.

Romanus ecclesiae Thianensis clericus pro crimine adulterii, quod admisisse perhibetur, a clericatus ordine depositus in monasterio hic in urbe Romana ad agendam penitentiam ex nostra iussione retrusus est.

**C. XII.** In crimine captus presbiter uel diaconus deponatur, sed communionem non priuetur.

Item ex canone Apostolorum. [c. 25].

Presbiter aut diaconus, qui in fornicatione, aut furto, aut periurio, aut homicidio captus est, deponatur, non tamen communionem priuetur; dicit enim scriptura: “Non iudicat Deus bis in id ipsum”.

**C. XIII.** De eodem.

Item.

Si quis episcopus, aut presbiter, aut diaconus post diaconii sui gradus acceptos fuerit fornicatus aut mechatus, deponatur, et ab ecclesia proiectus inter laicos agat penitentiam.

**C. XIV.** De eodem.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I. c. 9. et 12].

Si diaconus aut presbiter crimen capitale commiserit, simul et ab offitio, et communionem pellatur.

Si uero pro reatu suo se ab altaris communionem sub penitentis professione submouerit, his quoque, si alii defuerint, et causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.

**C. XV.** Non ingrediantur ecclesias presbiteri, diaconi, subdiaconi, qui in fornicationis crimine iacent.

Item Gregorius [VII]. omnibus per regnum Italicum et Teutonicorum.

Si qui uero in peccato suo perseuerare maluerint, nullus uestrum eorum audire presumat offitium quia benedictio eorum uertitur in maledictionem et oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam: “Maledicam,” inquit, “benedictionibus uestris”.

Qui uero huic saluberrimo precepto obedire noluerint, ydolatriæ peccatum incurrunt, Samuele teste, et B. Gregorio instruente: “Peccatum ariolandi est non obedire, et scelus ydololatriæ non adquiescere”.

Peccatum igitur paganitatis incurrit, quisquis, dum Christianum se esse asserit, apostolicæ sedi obedire contempnit.

**C. XVI.** Offitio et beneficio priuetur episcopus, presbiter, diaconus uxorem suscipiens, uel susceptam retinens.

Item Alexander II. Episcopis et Regi Dalmatiæ.

Si quis amodo episcopus, presbiter, diaconus feminam acceperit uel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, usque dum ad satisfactionem ueniat, nec in choro psallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus ecclesiasticis habeat.

**C. XVII.** De eodem.

Idem Clero Mediolanensi.

Si quis sacerdotum, uel diaconorum, uel subdiaconorum offitium contumaciter deserens feminam sibi potius elegerit, sicut sponte ob fornicationem dimittit offitium, ita ob preuaricationem dimittere cogatur etiam inuitus beneficium.

**C. XVIII.** De eodem.

Idem populo Mediolanensi.

Eos etiam, qui, ut fornicari eis liceat, diuinum offitium derelinquunt, a Deo recedentes diabolo et operibus eius seruiunt, sicut se iustissime ab offitio alienos faciunt, ita beneficio ecclesiarum priuatos esse adiudicamus.

**C. XIX.** De eodem.

Item Lucius Papa.

Ministri altaris presbiteri siue diaconi ad offitia dominica tales eligantur, qui continenciam seruent.

§. 1. Si uero post ordinationem suam ministro contigerit propriæ uxoris inuadere cubile, sacrarii non intret limina, nec sacrarii portitor fiat nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad dominici corporis portionem accedat, nec propinet, neque sine maioris natu auctoritate minora gerat offitia; urceum sane uel calicem ad altare non suggerat.

**C. XX.** Clericus matronarum domicilia frequentans deponatur.

Idem.

### **III. Pars.**

Clericus solus ad feminæ tabernaculum non accedat, nec properet sine maioris natu sacerdotis iussione; nec solus presbiter cum sola femina fabulas misceat, nec archidiaconus sub pretextu humilitatis aut offitii frequenter intret domicilia matronarum, aut forte per clericos aut domesticos matronæ mandet aliquid secrete.

Si agnitum fuerit, et ille deponatur, et ille a liminibus ecclesiæ arceatur.

[PALEA. **C. XXI.** De eodem.

Idem.

Sed si forte aliqua intercessio fuerit, episcopo suggeratur.

Et si talis est, ad quam debeat ire pio interuentu, ipse pergat: sin autem, de latere suo dirigat cum duobus aut tribus testibus.



Nemo tamen cum extranea habitet femina, nisi proxima aut soror fuerit.  
Et hoc cum magna sollicitudine fiat.  
Non enim ignoramus malicias satanæ].

[PALEA. C. XXII. De eodem.

Ex decreto Eugenii Papæ.

Si quispiam sacerdotum, id est presbiter, uel diaconus, uel subdiaconus, de quacumque femina crimine fornicationis suspectus post primam, secundam et tertiam admonitionem inueniatur fabulari cum ea uel aliquo modo conuersari, excommunicetur, femina uero canonice iudicetur].

C. XXIII. Simul cum mulieribus sacerdotes habitare non licet.  
Item Gregorius.

#### IV. Pars.

Oportet sacerdotes, quibus populus Domini commissus est, cum magna constantia uigilare desuper dominicas oues, ne lupinis morsibus id est diaboli stimulis lanientur.

§. 1. Neque enim hoc silere debeo, quod cum graui animi tristitia dico: sacerdotes cum feminis habitare conspicio; quod nefarium est dicere uel audire, et contra sanctorum canonum sancita.

Ubi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hostis stimuli non desunt.

Ideo que ammonendi sunt, ut non antiqui hostis decipiantur fraude, quatinus iuxta Apostoli uocem non uituperetur ministerium nostrum.

Cauere enim nos oportet, fratres, ab illicitis, ut mundas ualeamus ad Deum leuare manus.

Scriptum est enim: “Sancti estote, quoniam ego sanctus sum”.

Si quis uero presumpserit aliter agere, sacerdotii sui honore priuetur.

Unde omnimodo cauendum est, fratres, ne fallamus populum, et inpleatur in nobis illud Prophetæ dictum: “Sacerdotes mei contaminant sancta et reprobant legem,” quos et alius Propheta increpat, dicens: “Vos o sacerdotes, qui fallitis nomen meum, et dixistis, in qua re fallimus nomen tuum?”

quibus responsum est: offerentes ad altare meum panes pollutos.

Non mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus, et sacrificium non accipiam de manibus uestris, quia polluti estis”.

C. XXIV. De eodem.

Idem Simaco. [Defensori, lib. I. Reg. Indict. IX. ep. 50].

Volumus, ut sacerdotes Prohiberi debeant, ne cum mulieribus conuersentur: excepta dumtaxat matre, uel sorore, uel uxore, quæ caste regenda est.

C. XXV. De eodem.

Idem in registro. [lib. VII. epist. 39].

Legitur, quod B. Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens: Que cum sorore mea sunt sorores meæ non sunt.

Docti ergo uiri cautela magna nobis debet esse instructio.

C. XXVI. De eodem.

Item ex VIII. Sinodo.

In omnibus obseruare conuenit, ut certus quis, et certo tempore, et certo loco, et certis personis uel apparere clericus, uel loqui debeat mulieribus, ut excludatur omnis nefanda suspicio.

Certe solum ad solam accedere nulla religionis ratio permittit.

“Melius enim duo, quam unus”.

Simul enim et fidelius, et tutius res geritur.

“Ve enim uni, quia si ceciderit, non est qui erigat eum”.

**C. XXVII. De eodem.**

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 17].

Cum omnibus omnino clericis extraneæ feminæ non cohabitent, sed solæ matres, auia et materteræ, amitæ, sorores et filia fratrum aut sororum, et quecumque ex familia domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabant, uel si filii eorum iam ordinatis parentibus uxores acceperunt, aut seruis, non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.

**C. XXVIII. De eodem.**

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 30].

Non oportet ministros altaris, uel etiam clericos quoslibet, aut se continentes, et omnino Christianum cum mulieribus lauacra habere communia.

Hec enim est apud gentiles prima reprehensio.

**C. XXIX. De eodem.**

Item Gregorius Ianuario Episcopo Caralitano. [lib. III. epist. 26].

Archidiaconum tuum, ut audio, habitare cum mulieribus prohibuisti, et nunc usque in ea prohibitionem despiceris; qui nisi iussioni tuæ paruerit, eum sacro ordine uolumus esse priuatum.

**C. XXX. Veniuntur ab episcopo que appetunt illicita clericorum consortia.**

Item ex Concilio Tolletano. [IV. c. 42].

Quidam clerici, legitimum non habentes coniugium, extranearum mulierum uel ancillarum suarum que interdicta sunt consortia appetunt.

Ideo que, quecumque clericis taliter coniunctæ sunt, ab episcopo auferantur et ueniuntur, illis pro tempore religatis ad penitentiam, quos sua libidine infecerunt.

**C. XXXI. Non habitent cum clericis, nisi quas necessitudo excusat.**

Item Siricius Papa Imerio Episcopo. [ep. I. c. 12].

Feminas non alias in domo clericorum esse patimur, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem sinodus Nicena permisit.

**C. XXXII. Nisi maiorum iussione ad feminarum domicilia clerici non accedant.**

Item ex Concilio Affricano III. [c. 5].

Clerici uel continentes ad uiduas uel uirgines nisi ex iussu uel permissu episcoporum aut presbiterorum non accedant.

Et hoc non soli faciant, sed cum clericis, uel cum quibus episcopus aut presbiter iusserit. Nec ipsi episcopi aut presbiteri soli habeant accessum ad huiusmodi feminas, sed ubi aut clerici presentes sunt, aut graues aliqui Christiani.

**C. XXXIII.** Episcopi prouideant, ne occasione temporalium clericorum familiaritatibus uirgines socientur.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 102].

Ad reatum episcopi pertinet uel presbiteri, qui parrochiæ preest, si sustentandæ uitæ presentis causa adolescentiores uiduæ uel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subiciantur.

[**C. XXXIV.**]

Item ex eodem. [c. 103].

Viduæ, que stipendio ecclesiæ sustentantur, tam assiduæ in Dei opere esse debent, ut et meritis, et orationibus suis ecclesiam adiuuent.

## **DISTINCTIO LXXXII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Generaliter etiam pauperibus et his, qui suis manibus laborare non possunt, episcopus necessaria prouideat.

Unde in Aurelianensi Concilio [I. c. 18]. legitur:

**C. I.** De eodem.

Episcopus pauperibus uel infirmis, qui debilitate faciente suis manibus laborare non possunt, uictum et uestitum (in quantum sibi possibile fuerit) largiatur.

**C. II.** Qui uoluptatem offitio preposuerit, modis omnibus submoueatur.

Item Innocentius Exsuperio Tolletano Episcopo. [epist. III. c. 1].

#### **II. Pars.**

Proposuisti, quid de his obseruari debeat, quos in diaconii ministerio aut in offitio presbiterii positos incontinentes esse aut fuisse generati filii prodiderunt.

De his etiam manifesta diuinarum legum est disciplina, et beatæ recordationis Siricii episcopi monita euidencia commearunt, ut incontinentes in offitiis talibus positi omni honore ecclesiastico priuarentur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

Est enim uetus admodum sacræ legis auctoritas iam inde ab initio custodita, quod in templo anno uicis suæ habitare precepti sunt sacerdotes, ut seruiens sacris oblationibus puros et ab omni labe purgatos sibi uendicent diuina misteria, neque eos ad sacra offitia fas sit admitti, qui exercent uel cum uxore carnale consortium, quia scriptum est: “Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus uester”.

Quibus utique propter sobolis successionem propterea usus fuerat relaxatus, quia de alia tribu, ad sacerdotium nullus fuerat iussus accedere.

Quo magis ipsi sacerdotes uel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus et sacerdotium, uel ministerium sine successione est, nec preterit dies, qua uel a sacrificiis diuinis, uel baptismatis offitio uacent?

Nam si Paulus ad Corinthios dicens scribit: “Abstinetes uos ad tempus, ut uacatis orationi,” et hoc utique laicis precepit, multo magis igitur sacerdotes, quibus et sacrificandi et orandi iuge officium est, semper debent ab huiusmodi consortio abstinere; qui, si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo merito exaudiri se posse credit, cum dictum sit: “Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus mundum nichil est; sed coinquinata est eorum mens uel conscientia?”

Sed fortasse hoc licere sibi credit, quia scriptum est: “Unius uxoris uirum”.

Non dixit hoc, ut permaneat in concupiscentia generandi, sed propter incontinentiam futuram.

Quod apertius declarat dicens: “Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu”.

Sed ea plane dispar et diuersa sententia est.

Nam si ad aliquos forma ecclesiasticæ uitæ pariter et disciplinæ, que ab episcopo Siricio ad omnes prouincias comeauit, non probatur peruenisse, his ignorantibus uenia non negabitur, ita ut de cetero penitus incipiant abstinere et ita gradus suos, in quibus fuerint inuenti, retentent, ut eis non liceat ad potiora conscendere; quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum, quem retinent, non amittunt.

§. 1. Si qui autem scisse formam uiuendi missam a Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abiecerint, illi sunt modis omnibus submouendi, qui post admonitionem cognitam preponendam arbitrati sunt uoluptatem.

### C. III. De eodem.

Item Siricius Papa. [ad Himerium Tarraconensem Episcopum, epist. I. cap. 7].

Plurimos sacerdotes Christi atque Leuitas post longa consecrationis suæ tempora tam de coniugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, et crimen suum hac prescriptione defendere, quia in ueteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa.

Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum preceptor que uitiorum, si existimat quod in lege Moysi sacris ordinibus passim a Deo nostro laxata sunt frena luxuriæ, cur eos, quibus committebantur sancta sanctorum, premonet, dicens: “Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus uester?”

Cur etiam procul a suis domibus anno uicis suæ in templo habitare iussi sunt sacerdotes?

Hac uidelicet ratione, ne uel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientia integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent.

Quibus expleto deseruitionis suæ tempore uxoris usus solius successionis causa fuerat relaxatus, quia non ex alia tribu, nisi ex Leui, quisquam ad Dei ministerium fuerat preceptus admitti.

### [C. IV].

Item.

Quia aliquanti, de quibus loquimur, (ut tua sanctitas retulit), ignorantia lapsos se esse deflent, his hac condicione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo deiecti sunt, quamdiu uixerint, officio perseuerent: si tamen post hoc continent se studuerint exhibere.

Hi uero, qui illiciti priuilegii excusatione nituntur, et sibi asserunt ueteri hoc lege concessum, nouerint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicæ

sedis auctoritate deiectos, nec umquam posse ueneranda attractare misteria, a quibus se ipsi, dum obscenis cupiditatibus inhiant, priuauerunt.

Et quia exempla presentia cauere nos premonent in futurum, si quilibet episcopus, presbiter atque diaconus (quod non optamus) fuerit talis inuentus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est ut abscondantur uulnera, que fomentum non senserint medicinam.

### III. Pars.

Gratian. Qui autem propter peccatum iubetur deponi, post condignam penitenciam in suo ordine poterit reparari.

Unde in Gangrensi Concilio legitur:

**C. V.** Que penitentia sit inponenda sacerdoti, qui de fornicatione conuictus fuerit.

Presbiter, si fornicationem fecerit, quamquam secundum canones Apostolorum debeat deponi, tamen iuxta auctoritatem B. Siluestri Papæ, si non in uitio perdurauerit, si sua sponte confessus adiecit, ut resurgeret, decem annis in hunc modum peniteat: tribus siquidem mensibus a ceteris remotus pane et aqua a uespera in uesperam utatur, diebus autem dominicis et precipuis festis modico uino et pisciculis atque leguminibus recreetur, sine carne et sagimine, ouis et caseo; sacco indutus humi adhereat, die ac nocte iugiter misericordiam Dei omnipotentis inploret.

Finitis tribus mensibus continuis exeat: tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiat; nec enim debet sacerdos publice penitere, sicut laicus.

Postea aliquantis per resumptis uiribus, unum annum et dimidium in pane et aqua expleat, exceptis dominicis diebus et precipuis festiuitatibus, in quibus uino et sagimine, ouis et caseo iuxta canonicam mensuram uti poterit.

Finito primo anno et dimidio, corporis et sanguinis Domini, ne indurescat, particeps fiat, et ad pacem ueniat, psalmos cum fratribus in choro ultimus canat, ad cornu altaris non accedat, iuxta B. Clementis uocem minora gerat officia.

Deinde uero usque ad expletionem septimi anni omni quidem tempore, exceptis pascalibus diebus, tres legitimas ferias in unaquaque ebdomada in pane et aqua ieiunet.

Expleto septimi anni circulo, si fratres apud quos penituit, eius condignam penitentiam laudauerint, episcopus in pristinum honorem iuxta B. Calixti Papæ auctoritatem eum reuocare poterit.

Sane sciendum est, quia secundam feriam unum psalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando, si opus est, redimere poterit.

Finitis septem annis, deinde usque ad finem decimi anni sextam feriam (nulla interueniente redemptione) obseruet in pane et aqua.

§. 1. Eadem quoque penitentia erit sacerdoti de omnibus aliis peccatis et criminibus, que eum in depositionem adducunt.

Neque hoc cuilibet uideatur onerosum, si sacerdos post lapsum digne, ut supra dictum est, penitens ad pristinos redeat honores.

## DISTINCTIO LXXXIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Prouidendum quoque est, ne is, qui ad ordinandum eligitur, etsi a proprio uitio uideatur alienus, consentiendo alienis inquinetur.

Ut enim Simacus Papa ait: “Non est grandis differentia, utrum lethum inferas, uel admittas.

Mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cum possit, non excludit”.

Hinc Gregorius VII. ait: [in Reg. lib. VI. c. 12. Romanæ Sinodi, celebratæ Anno Domini 1080. al. 1078].

**C. I.** Suspendatur ab offitio, clericorum suorum fornicationi consentiens episcopus.

Si quis episcopus fornicationem presbiterorum, diaconorum, uel crimen incestus in sua parrochia precio uel precibus interueniente consenserit, uel commissum auctoritate sui offitii non inpugnauerit, ab offitio suspendatur.

**C. II.** Maxime ecclesiam ledit sub nomine sanctitatis delinquens.

Item Augustinus.

Nemo quippe in ecclesia amplius nocet, quam qui peruerse agens nomen uel ordinem sanctitatis et sacerdotis habet.

Delinquentem namque hunc nullus redarguere presumit, et in exemplum culpa uehementer extenditur, quoniam pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

Episcopus itaque, qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis inpudicus quam episcopus.

**C. III.** Qui non resistit errori, consentit.

Item Innocentius.

Error, cui non resistitur, approbatur, et ueritas, cum minime defensatur, obrimitur.

Negligere quippe, cum possis perturbare peruersos, nichil est aliud quam fouere.

Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.

**C. IV.** Non prodest suo errore non pollui, qui alieno consentit.

Item Pius Papa. [epist. I. ad omnes Christi fideles]

Quid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum prestat erranti?

**C. V.** Qui non occurrit, consentit.

Item Gregorius.

Consentire uidetur erranti, qui ad resecanda, que corrigi debent, non occurrit.

Gratian. Sicut autem aliorum uitia palpare non debet, ita nec malorum laudibus delectari.

Unde Anacletus cunctis fidelibus:

**C. VI.** Miserrimus est episcopus, qui malorum gloriatur laudibus.

Nichil illo pastore miserius, qui luporum gloriatur laudibus.

Quibus si placere uoluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ouibus magna perniciēs.

Nullus igitur pastorum placere lupis et gregibus ouium potest.

Perdit enim memoriam laborum mens terrenis obligata carceribus.

Sicut autem artium in suo quoque opere inuenitur mater instantia, ita nouerca erudicionis est negligentia.

**II. Pars.**

Gratian. Quamquam sacerdotem tam a suis, quam ab alienis criminibus oporteat esse immunem, tamen si aliorum sese habuerit, non ideo uerba suae predicationis debent contempni.

Sicut enim Ieronimus ait: ut lixiuum per cinerem humidum fluens lauat, et non lauatur, ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lauat a sorde peccatorum.

**DISTINCTIO LXXXIV.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Sollicitum quoque ac uigilantem oportet esse episcopum circa defensionem pauperum, releuationem obpressorum, tuicionem monasteriorum.

Quod si facere neglexerint, aspere sunt corripiendi.

Unde Gregorius Antemio Subdiacono Campaniae: [lib. XI. epist. 29].

**C. I.** Corripiatur episcopus, qui circa offitium suum negligens extiterit.

Peruenit ad nos, fratrem et coepiscopum nostrum Pascasium ita desidem et negligentem in cunctis existere, ut in nullo quia est episcopus agnoscat, adeo ut neque ecclesia ipsius, neque monasteria, siue filii uel obpressi pauperes eius erga se dilectionis studium sentiant, nec aliquam supplicantibus sibi in quibus iustum est opem defensionis accomodet, et (quod adhuc dici est grauius) consilia sapientum et recta suadentium nulla patiat ratione suscipere, ut quod per se nequit attendere ab altero saltem possit addiscere.

Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscas, qui eum obiurgare atque cohercere ut dignum est, distulisti.

Volumus itaque, ut eum coram aliis sacerdotibus uel quibusdam de filiis suis nobilibus contestari pro hac re debeas et hortari.

Si uero (quod non credimus) post hanc adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse temptauerit, ad nos est modis omnibus transmittendus, ut hic positus discere possit, quid uel qualiter secundum Dei timorem agere conueniat sacerdotem.

**C. II.** De eodem.

Idem ad eundem. [eod. lib. epist. 33].

Nunciatum est nobis, Campaniae episcopus ita negligentes existere, et inmemores honoris sui, ut neque erga ecclesias, neque erga filios paternae uigilantiae curam exhibeant, uel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in obpressorum siue pauperum se tuicionem inpendant.

Ideo que hac tibi auctoritate precipimus, ut, eis ad te conuocatis, ex nostro illos mandato districte commoneas, quatinus ita in his, que eos iuste secundum Deum agere conuenit, uigilantes existant, ut nullum nos de eis denuo murmur exasperet.

Si quem uero eorum post hec negligentem esse cognoueris, ad nos eum sine aliqua excusatione trans mitte, ut quam sit graue nolle ab his, que reprehensibilia et ualde uituperanda sunt, corrigi, regulari in se ualeat distictione sentire.

## II. Pars.

Gratian. Quod autem de munditia castitatis sacerdotibus inperatur, hoc etiam de quibuslibet altari deseruiantibus intelligendum est.

Unde in Cartaginensi Concilio II. [cap. 2]. Aurelius Episcopus dixisse legitur:

**C. III.** Qui sacramentis diuinis deseruiunt continentiam in omnibus seruent.

Cum in preterito concilio de continentiae et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt; episcopos inquam, presbiteros et diacones ita placuit, ut concederet sacros antistites ac Dei sacerdotes, nec non et Leuitas, uel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Domino postulant inpetrare, ut quod apostoli docuerunt et ipsa seruauit antiquitas nos quoque custodiamus.

Ab uniuersis episcopis dictum est: Omnibus placet, ut episcopi, presbiteri, diaconi, uel qui sacramenta contrectant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus abstineant.

Ab omnibus dictum est: Placet, ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altario deseruiunt.

**C. IV.** De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [cap. 3].

Cum de quorundam clericorum, quamuis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit episcopos et presbiteros et diaconos secundum statuta priora etiam ab uxoribus continere: quod nisi fecerint, ab ecclesiastico remoueantur offitio; ceteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque ecclesiae consuetudinem obseruari debere.

## III. Pars.

Gratian. Similiter, quod monogamus episcopus esse iubetur, etiam ad reliquos ordines ecclesiasticos deriuari oportet.

Unde Siricius Episcopus scribit Ymerio Tarraconensi Episcopo: [epist. I. c. 11].

**C. V.** Laica sit tantum communionem contentus clericus, uiduam aut secundam ducens uxorem.

Quisquis clericus aut uiduam, aut secundam uxorem duxerit, omni ecclesiasticae dignitatis priuilegio mox denudetur, laica tantum sibi communionem concessa.

Quam ita demum poterit possidere, si nichil postea, propter quod hac carere debeat, admittat.

## IV. Pars.

Gratian. Presbiterorum uero nomen quamquam a senectute sit sumptum, magis tamen maturitatem indicat sapientiae, quam caniciem corporis.

Unde Anacletus: [ad Episcopos Italiae, epist. II].

**C. VI.** Presbiteri seniores dicuntur, non tam etate, quam sapientia.

Porro Moysi precipitur, ut eligat presbiteros id est seniores.



Unde et in Prouerbiis dicitur: “Gloria senum est canicies”.

Hec uero canicies sapientiam designat, de qua scriptum est: “Canicies hominum prudentia est”.

Cum que nongentis et amplius annis ab Adam usque ad Abraham uixisse homines legamus, nullus alius prius appellatus est presbiter, id est senior, nisi Abraham qui multo paucioribus uixisse annis conuincitur.

Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbiteri nominantur.

## **DISTINCTIO LXXXV.**

### **GRATIANUS.**

Hospitalitas uero usque adeo episcopis necessaria est, ut, si ab ea inueniantur alieni, iure prohibeantur ordinari.

Unde Gregorius scribit Iohanni Episcopo: [lib. XII. epist. 6].

#### **C. I. Hospitalitatem nesciens non fiat episcopus.**

Florentinum archidiaconum ecclesie Anchonitanæ, qui ad episcopatum electus fuerat, scripturæ quidem sacræ scientiam habere, sed ita etatis senio iam confractum accepimus, ut ad regiminis officium non possit assurgere; adicientes etiam, illum ita tenacem existere, ut in domo eius amicus ad karitatem numquam introeat.

Rusticus autem diaconus eiusdem ecclesie, qui similiter electus fuerat, uigilans quidem homo dicitur, sed, quantum asseritur, psalmos ignorat.

Florentinum uero diaconum ecclesie Rauennatis, qui electus ab omnibus memoratur, sollicitum esse nouimus, sed qualis sit interius omnino nescimus.

Ideo que fraternitas tua una cum fratre nostro et coepiscopo nostro Armenio, suprascriptæ ecclesie Anchonitanæ uisitatores, illuc festinet accedere, et diligenter de uita ac moribus singulorum requirere si nullo sint crimine conscii, quod eos ad hoc officium uetet accedere.

Pariter etiam requirendum est, si hoc, quod de prefato archidiacono dictum est, quia numquam amicus domum eius ingressus est, ita se ueritas habet, et utrum ex necessitate, an ex tenacia talis sit; aut si ita senex est, ut ad regendum non possit assurgere, uel si tactis sacrosanctis euangelis (sicut nobis nunciatum est) iusiurandum prebuerit, numquam se ad episcopatum accedere.

Sed et de Rustico diacono quantos psalmos minus tenet scrutandum est.

Florentino autem diacono Rauennati, si nullum, sicut diximus, crimen est, quod obsistat, apud episcopum eius necesse est, agere ut ei debeat concessionem concedere; non tamen ex nostro mandato uel edicto, ne contra suam uoluntatem eum concedere uideatur.

## **DISTINCTIO LXXXVI.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Doctorem autem episcopum oportet esse, ne inferiorum culpæ in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exequi nescit uel negligit.

Unde Leo Episcopus scribit Aquilegensi Episcopo: [epist. III. et LXXXIV. seu LXVI].

**C. I. Negligentiæ rectorum inputantur culpæ inferiorum.**

Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentes que rectores, qui multam sepe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

**C. II. Homines sunt diligendi, peccata odio habenda.**

Item Leo Episcopus Rustico Narbonensi Episcopo. [epist. XC. seu XCII. in princip.].  
Odio habeantur peccata, non homines; corripiantur tumidi, tolerantur infirmi; et quod seuerius castigare necesse est non seuiantis plectatur animo, sed medentis.

**C. III. Qui negligit emendare quod ualet, facientis culpam habet.**

Item Iohannes VIII.

Facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere negligit emendare. Scriptum quippe est: “Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt,” participes iudicantur.

**§. 1. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit aduersa.**

Et negligere, cum possit deturbare peruersos, nichil est aliud quam fouere.

Nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.

Et probat se odisse uitia, qui condempnat errantes.

Nec relinquit sibi locum deuiandi, qui non pepercerit excedenti.

Et primus innocentiae gradus est odisse nefanda.

Et latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate consensum.

Et nichil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.

**II. Pars.**

Gratian. Si autem in corripiendo quisque modum excesserit, non a subditis, sed a Domino ueniam petat.

Unde Augustinus de uita clericorum:

**C. IV. Veniam a subditis non petat qui in corripiendo modum excedit.**

Quando necessitas disciplinæ moribus coercentis dicere uos dura uerba compellit, si etiam ipsi modum uos excessisse sentitis, non a uobis exigitur, ut uobis a subditis ueniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.

Et tamen petenda est uenia ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

**III. Pars.**

Gratian. In doctrina uero sacræ scripturæ debet auctoritatem preferre, non secularium litterarum peritiam ostentare.

Non enim est episcopalis offitii grammaticam exponere, ne laudes Iouis personent ore pontificis.

Unde Gregorius scribit Desiderio Episcopo: [lib. IX. epist. 48].

**C. V.** Sacram scripturam, non grammaticam debet episcopus exponere.

Cum multa nobis de uestris studiis fuissent nunciata, ita nostro cordi est nata leticia, ut negare ea, que sibi uestra fraternitas concedenda deposcit, minime ualeremus.

Sed post hec peruenit ad nos, (quod sine uerecundia memorare non possumus) fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere.

Et quam graue nefandum que sit episcopis canere, quod nec religioso conueniat, considera.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Liberalem quoque necessitatem patientibus sacerdotem esse oportet; alias autem uacuum portabit nomen episcopi.

Unde Gregorius scribit [lib. V. epist. 29]. Secundo seruo Dei inter cetera:

**C. VI.** Sine liberalitate inane portatur nomen episcopi.

Fratrem nostrum Marianum episcopum uerbis, quibus uales, excita, quia eum obdormisse suspicor.

Dic ergo illi, ut cum loco mutet et mentem.

Non sibi credat solam lectionem sufficere et orationem, ut remotus nichil studeat de manu fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat, quia, si hoc non habet, uacuum episcopi nomen tenet.

#### **V. Pars.**

Gratian. In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum et personarum: rerum, ut non omnia uni, sed singulis quedam prestantur, ut pluribus prodesse possimus, iuxta illud prophetæ: “Dispersit, dedit pauperibus;” personarum, ut primum iustis, deinde peccatoribus: quibus tamen dare prohibemur, non quia homines sunt, sed quia peccatores.

Unde Augustinus supra Iohannem parte II.:

**C. VII.** Inmane peccatum est res suas istrionibus donare.

Donare res suas istrionibus uitium est inmane, non uirtus.

Et scitis de talibus, quam sit frequens fama cum laude, quia, “laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur”.

**C. VIII.** Grauitur delinquent qui uenatoribus aliquid donant.

Idem in Psalmo CII. [ad uers. Faciens misericordias].

Qui uenatoribus donant, quare donant? dicant mihi, quare dant uenatori?

Hoc in illo amant, in quo nequissimus est hoc in illo pascunt, hoc in illo uestiunt, ipsam nequitiam publicam spectaculis omnium.

Qui donant istrionibus qui donant meretricibus, quare donant?

numquid non et ipsa hominibus donant: Non tamen naturam ibi attendunt operis Dei, sed nequitiam operis humani.

[C. IX].

Item.

Qui uenatori, donat, non homini donat, sed arti nequissimæ.

Nam si homo tantum esset, et uenator non esset, non ei donares: honoras in eo uitium, non naturam.

[C. X].

Idem in Psalmo CXLVII.

Vident homines uenatores, et delectantur: ue miseris, si non se correxerint.

Qui enim uident uenatorem et delectantur, uidebunt Saluatorem et contristabuntur.

[C. XI].

Item Ieronimus in Psalmo XC. [ad uers. Sperabo in Domino]

Esau uenator erat, quoniam peccator erat.

Et penitus non inuenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem uenatorem: pisces inuenimus sanctos.

[C. XII].

Item Ambrosius in omelia. [XXXIII. de Quadragesima]

Quid prodest ieiunare uisceribus, et luxuriari uenatibus?  
abstinere a cibis, errare peccatis?

[C. XIII].

Item.

An putatis illum ieiunare, fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam uigilat non beatorum martirum sancta loca perquirat, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus siluas que perlustrat?

Seruulos, inquam, se cum pertrahit, fortasse magis ad ecclesiam festinantes, et uoluptatibus suis peccata accumulata aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione seruorum.

C. XIV. Que sint in liberalitate seruanda.

Item Ambrosius in libro de officiis.

Non satis est bene uelle, sed etiam bene facere.

Nec satis est iterum bene facere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona uoluntate proficiscatur.

Item: §. 1. Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, ut primum opereris circa domesticos fidei.

Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, famem tollerare, erumpnam perpeti, qui presertim egere erubescit, si in causam ceciderit aut captiuitatis suorum, aut calumpniæ, et non adiuues, si sit in carcere et penis et suppliciis et propter debitum aliquod iustus excrucietur, (nam etsi omnibus debetur misericordia, iusto amplius), si tempore suæ afflictionis nichil a te inpetret, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua ualeat quam uita morituri, non est leue peccatum.

[C. XV].

Item.

Dominus non uult simul effundi opes, sed dispensari, nisi forte, ut Helyseus, qui boues suos occidit, et pauit pauperes ex eo, quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret.

**[C. XVI].**

Item.

Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas.

Melius enim est, ut ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deprecari, aut alicui postulare subsidium necessitatis; non tamen illi ditiores fieri uelint, ex eo quod tu potes conferre inopibus: causam enim natura prestat, non gratia.

Neque enim propterea te Deo dicasti, ut tuos diuites facias, sed ut tibi uitam perpetuam fructu boni operis adquiras, et precio miserationis peccata tua redimas.

Putant parum se postulare? precium querunt tuum, uitæ tuæ adimere contendunt fructum, et accusant, quod eos diuites non feceris, cum te uelint illi eternæ uitæ fraudare mercede?

**[C. XVII].**

Item.

Consideranda est etiam in largiendo etas atque debilitas, nonnumquam etiam uerecundia, que ingenuos prodit natales, ut senibus plus largiaris, qui sibi iam uictum non queunt querere.

Similiter et debilitas corporis est promptius adiuuanda; tamen si quis ex diuitiis cecidit in egestatem, et maxime, sine uitio suo, sed aut latrociniiis, aut proscriptione, aut calumpniis que habebat amisit.

**[C. XVIII].**

Item.

Pulcra etiam liberalitas est, in ipso quoque pauperis dato mensuram tenere, ut habundes pluribus, non conciliandi fauoris gratia ultra modum fluere.

Quicquid enim ex affectu puro et sincero promitur, hoc est decorum: non superfluas edificationes aggredi, nec pretermittere necessarias.

Et maxime sacerdotibus hoc conuenit, ornare Dei templum honore congruo, ut etiam cultu aula Domini resplendeat, impensas misericordiæ frequentare, quantum oporteat largiri peregrinis, non superfluas, sed competentes.

Item:

§. 1. Conpatiamur itaque alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, et plus interdum quam possumus.

Melius est enim causas prestare pro misericordia et inuidiam perpeti, quam pretendere inclementiam; nos aliquando in inuidiam incidimus, quod confregimus uasa mistica, ut captiuos redimeremus.

**[C. XIX].**

Item super Lucam.

Singulis quoque generibus hominum conueniens tribuit S. Baptista responsum unum omnibus ita: publicanis, ne ultra prescriptum exigant, militibus, ne calumpniam faciant, predam requirant; docens idcirco stipendia constituta miliciæ, ne, dum sumptus queritur, predo grassetur.

Sed hec et alia offitiorum precepta propria sunt singulorum, misericordia communis est usus.

Ideo commune preceptum omnibus offitiis, omnibus etatibus necessaria, et ab omnibus deferenda.

Non publicanus, non miles excipitur, non agricola, uel urbanus, diues et pauper, omnes in commune admonentur, ut conferant non habenti.

Misericordia enim plenitudo uirtutum est, et ideo omnibus est proposita forma perfectæ uirtutis, ne uestimentis alimentis que suis parcant.

Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura seruetur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiatur.

[C. XX].

Idem.

Ceterum Dei traditio est, ut prius pascas parentes.

Nam si iuxta diuinum oraculum contumelia parentis morte luitur, quanto magis fames, que multo grauior est?

Quo loco insolentem Dominus infrenat iactantiam.

[C. XXI].

Idem in libro de offitiis.

Pasce fame morientem.

Quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, occidisti.

[C. XXXII].

Item Ieronimus.

Qui clementiam non habet, nec indutus est uiscera misericordiæ et lacrimarum, quamuis spiritualis sit, non adimpleuit legem Christi.

## VI. Pars.

Gratian. Similiter etiam oportet episcopum non esse percussorem, id est ad uindictam facilem.

Unde Gregorius scribit Iohanni Episcopo Corintiorum: [libro XI., epist. 49].

C. XXXIII. Ad uindictam facilis episcopus esse non debet.

Si quid uero de quocumque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iuste possit offendere, facile non credas, nec ad uindictam te res accendat incognita; sed presentibus ecclesiæ tuæ senioribus diligenter ueritas est perscrutanda et tunc, si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis.

C. XXXIV. De quodam episcopo, qui ante missarum solempnia, die dominico ad exarandam messem cuiusdam profectus est.

Idem Ianuario Episcopo. [lib. VII. Indict. 2. epist. 1].

Tanta nequitia ad aures meas de tua senectute peruenit, ut eam, nisi humanitus pensarem, fixa iam maledictione ferirem.

Dictum quippe est mihi, quod dominicorum die, priusquam missarum solempnia celebrare, ad exarandam messem latoris presentium perrexisti, et post exarationem eius missarum solempnia celebrasti; post missarum solempnia etiam terminos possessionis illius eradicare minime timuisti.

Quod factum que pena debeat sequi, omnes, qui audiunt, sciunt.

Dubii autem de tanta peruersitate fueramus, sed filius noster Cyriacus abbas a nobis requisitus, ita se cognouisse perhibuit.

Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur, aliquando resipisce miser senex, atque a tanta leuitate morum et operum peruersitate compescere.

Et quanto morti uicinior efficeris, tanto sollicitior atque timidior esse debes.

Et quidem penæ sententia in te fuerat iaculanda; sed quia simplicitatem tuam cum senectute cognouimus, interim tacemus.

Eos uero, quorum consilio hoc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decreuimus: ita ut, si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus euenierit, benedictione uiatici priuentur.

Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe.

## VII. Pars.

Gratian. Vel percussor esse prohibetur, ne uidelicet propriis manibus aliquem cedat.

Unde in Agatensi Concilio legitur:

**C. XXV.** Non liceat episcopo propriis manibus aliquem cedere.

Non liceat episcopo manibus suis aliquem cedere.

Hoc enim alienum a sacerdote esse debet.

## VIII. Pars.

Gratian. Prohibetur etiam episcopis turpis lucri esse cupidus, ne aliquo inhonesto negotio uictum uel cetera necessaria sibi querat.

Quod generaliter de omnibus diuino cultui mancipatis, id est clericis et monachis, intelligi oportet.

Unde in Calcedonensi Concilio [cap. 3]. legitur:

**C. XXVI.** Qui connumerantur in clero, turpibus non deseruiant lucris.

Peruenit ad sanctam synodum, quia de his qui in clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam aliorum possessionum conductiones, et causas secularium suscipiunt, et a sacris officiiis se per desidiam separant, ad domos autem secularium concurrunt, et substantiarum eorum gubernationes auaritiæ causa suscipiunt.

Decreuit igitur sancta et magna synodus, neminem horum deinceps, hoc est episcopum, siue clericum, aut monachum, conducere possessiones, aut misceri secularibus procurationibus posse, nisi forte, qui legibus ad minorum etatum tutelas siue curationes inexcusabiles attrahuntur, aut cui ipsius ciuitatis episcopus ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, et orphanorum atque uiduarum, que indefensæ sunt, aut earum personarum, que maxime ecclesiastico indigent amminiculo propter timorem Dei.

Si quis uero transgressus fuerit hec precepta, ecclesiasticæ correctioni subiaceat.

## DISTINCTIO LXXXVII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Viduis autem et orphanis ecclesiæ presidium inplorantibus episcopi debent adesse, et contra inproborum uiolentias protectionis patrocinium eis negare non debent.

Unde Gelasius Gerontio et Petro Episcopis:

**C. I.** Inplorantibus patrocinium ecclesiae episcopi debent adesse.

Licet omnibus de nobis sperantibus non debeamus in quantum possumus nos negare, plus tamen uiduarum causas et inpensius ducimus exequendas, quas tueri a nobis uel ab omnibus diuina manifestat assertio.

**C. II.** De eodem.

Idem Anastasio Episcopo.

Desolatis propriae defensionis auxilio, et qui suis actibus prodesse pro etatis infirmitate non possunt exoratum decet Pontificem subuenire, quia pupillis tuicionem etiam diuinitas iussit inpendi.

Et ideo Maximo et Ianuario clericalis offitii (qui se solatiis parentum uel propinquorum asserunt destitutos) auxilium ex nostra delegatione prestabis, ut aduersus improbitates aduersariorum suorum protecti tuae executionis annisu noxia commenta non sentiant.

**C. III.** De eodem.

Idem Leontio et Petro Episcopis.

Quisquis in negociis suis nostri nominis intercessione sperat sibi remedia posse conferri, prona nos conuenit animositate prestare.

**C. IV.** De eodem.

Idem Honorio Episcopo.

Diuinæ retributionis memor ad pontificalem conscientiam non ambigas pertinere, egentium commodis piam sollicitudinem non negare.

**C. V.** Tueatur ecclesia, quos in sui defensione suscepit.

Idem Fortunato Episcopo.

Irreligiosum prorsus et execrabile iudicamus, si quisquam uel extraneus in sua tuicione susceptos non omni fide et tota animi sui educauerit sanctitate.

Ac cum Olimpius diaconus dilectionis tuae Felicis atque Olimpium suggeratur auunculus, eos que paruulos tutelae uice suscepit nutriendos, ultra latrocinium esse iudicamus, quod eos bonusculis parentum (sicut asserunt) reliquit extorres, alia retinendo, alia contra leges et iura uendendo.

**C. VI.** Confugientes ad ecclesiam extrahere non licet.

Item ex Concilio Aurasico. [I. c. 5. et seqq.].

Eos, qui ad ecclesiam confugerint, tradi non oportet, sed loci sancti reuerentia et intercessione defendi.

§. 1. Si quis autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes ecclesias districtissima dampnatione feriatur.

§. 2. In ecclesia quoque manumissos, et per testamentum ecclesiae commendatos si quis in seruitutem uel obsequium, uel ad colonariam conditionem reuocare temptauerit, animaduersione ecclesiastica coherceatur.

**C. VII.** In libertate ecclesia tueatur liberos.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 29].



**II. Pars.**

Libertos legitime a dominis suis factos, ecclesia, si necessitas exegerit, tueatur; quod si quis ante audientiam aut peruadere, aut expoliare presumpserit, ab ecclesia repellatur.

**C. VIII.** A sacerdotibus defendantur liberti, qui in seruitutem reuocantur.  
Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 72].

Liberti, qui a quibuscumque manumissi sunt, atque ecclesiae patrocínio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione a cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libertatis eorum, seu in peculio, quod habere noscuntur.

**C. IX.** Expositos defendat ecclesia, si quis eorum calumpniator extiterit.  
Item ex Concilio Tolletano.

**III. Pars.**

Si expositus ante ecclesiam cuiuscumque sit miseratione collectus, contestationis ponatur epistola, ut si is, qui collectus est, intra decem dies quesitus agnitus que non fuerit, securus habeat qui collegit.

Sane, qui post predictum tempus calumpniator extiterit, ut homicida ecclesiastica districtione dampnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas.

**DISTINCTIO LXXXVIII.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Prohibentur ergo clerici cupiditatis negocia suscipere, non pietatis curam uiduis et orphanis inpendere.

Unde Melciades papa:

**C. I.** De eodem.

Decreuit sancta sinodus, nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negociis secularibus se miscere, nisi propter curam aut pupillorum aut orphanorum aut uiduarum, aut si forte episcopus ciuitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem eum habere precipiat.

Ubi patet, quia alia sunt negocia secularia, alia ecclesiastica.

Nonne Moyses in seculo erat, cum crebro intraret tabernaculum, et exiret, qui intus contemplatione rapiebatur, foris infirmantium negociis urgebatur?

Sic et Iacob ascendentes et descendentes angelos uidit, quia rectores ecclesiae non solum contemplando ascendunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt.

Et dum sacerdotes horum facta imitantur, et se custodiunt, et subditorum onera portant.

**C. II.** De eodem.

Item Gelasius. [Papa ad Episcopos per Lucaniam c. 17].

Consequens est, ut illa quoque, que de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiauit, non pretereunda putaremus, id est, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et turpibus lucris inminere, nullo pudore censentes euangelicam lectionem, qua ipse Dominus negotiatores ex templo uerberatos asseritur expulisse, nec Apostoli uerba recolentes, quibus ait: “Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus;” psalmistam quoque Dauid surda dissimulantes aure, cantantem: “Quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini”.

Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac questibus nouerint abstinendum, et ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cupiditate que cessandum, aut, in quocumque gradu sint positi, mox a clericalibus offitiis cogantur abstinere, quoniam domus Dei domus orationis et esse debet et dici, ne per offitia negotiationis potius sit latronum spelunca.

**C. III.** In sacris ordinibus constituti, seculares curas assumere non debent.

Item ex [Septimo] canone Apostolorum.

Episcopus, aut sacerdos, aut diaconus nequaquam seculares curas assumant; sin aliter, deiciantur.

**C. IV.** Episcopus secularibus causis non debet occupari.

Item Gregorius Romano Defensori. [l. VIII. ep. 11].

Perlatum est ad nos, reuerentissimum fratrem nostrum Basilium episcopum uelud unum de laicis in causis secularibus occupari, et pretoriis inutiliter obseruare.

Que res quoniam et ipsum uilem reddit, et reuerentiam sacerdotalem adnichilat, statim ut experientia tua hoc preceptum susceperit, ad reuertendum eum districta executione compellat, quatinus ei illic te insistente quinque diebus sub qualibet excusatione inmorari non liceat, ne, si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.

**C. V.** Testamentorum tuicionem et curam familiaris rei episcopus non suscipiat.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 18]

Episcopus tuicionem testamentorum non suscipiat.

[C. VI].

Item ex eodem. [c. 20].

Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed lectioni et orationi et uerbo predicationis tantummodo uacet.

[C. VII].

Item ex eodem. [c. 17].

Episcopus gubernationem uiduarum et pupillorum ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbiterum aut archidiaconem agat.

**C. VIII.** Ratiociniorum causas clericus non debet assumere.

Item Gregorius Quertino prefecto. [epist. 30. lib. X].

Inutile et ualde laboriosum est, hominem litteratum ratiociniorum causas assumere, et in eis, quod non expedit, se obligare.

**C. IX.** Fugiendus est clericus negotiator.

Item Ieronimus. [ad Nepotianum de uita clericorum]

Negotiatorem clericum, ex inope diuitem et ex ignobili gloriosum, quasi quasdam pestes fuge.

**C. X.** Clerico negotiari non licet.

Item Augustinus in libro questionum ueteris et noui testamenti. [cap. 127].

Fornicari hominibus semper non licet, negotiari uero aliquando licet, aliquando non licet; antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto iam non licet.

[PALEA. C. XI. De eodem.

Item Iohannes Chrysostomus super Matthæum.

(id est auctor operis imperfecti, hom. XXXVIII. ad c. 21. Matth.).

Eiciens Dominus uendentes et ementes de templo, significauit, quia homo mercator uix aut numquam potest Deo placere.

Et ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut, si uoluerit esse, proiciatur de ecclesia Dei, dicente Propheta: “Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini”.

Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere uolens et se commendare, sine maliloquio esse non potest (necesse est enim, ut isti male loquatur de illo, et illi male de isto), sic qui emit et uendit sine mendacio et periurio esse non potest.

Et paucis interiectis:

§. 1. Sed est nec stabilis substantia eorum, neque ad bonum proficit, quod de malo congregatur.

Quemadmodum enim, si triticum aut aliud tale cernas in cribro, dum huc et illuc iactatur, grana omnia paulatim deorsum cadunt, et tandem in cribro nichil remanet, nisi stercus solum: sic de substantia negotiatorum nouissime nil remanet, nisi solum peccatum.

§. 2. Sed omnes homines uidentur esse mercatores; ostendam ergo, quis non est negotiator, ut qui talis non fuerit, eum intelligas esse negotiatorem.

Quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram et inmutatam uendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator; qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram et inmutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eicitur.

§. 3. Unde super omnes mercatores plus maledictus est usurarius; ipse namque rem datam a Deo uendit, non comparatam, ut mercator, et post fenus rem suam repetit, tollens aliena cum suis, mercator autem non repetit rem uenditam.

§. 4. Adhuc dicit aliquis: Qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum, ut pensiones recipiat, nonne est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit.

Primum quidem, quoniam pecunia non ad aliquem usum disposita est, nisi ad emendum; secundo, quoniam agrum habens, arando accipit ex eo fructum, habens domum, usum mansionis capit ex ea.

Ideo qui locat agrum uel domum, suum usum dare uidetur, et pecuniam accipere, et quodammodo quasi commutare uidetur cum lucro lucrum; ex pecunia reposita nullum usum capis.

Tertio ager uel domus utendo ueterascit.

Pecunia autem cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec ueterascit.

§. 5. “Et mensas nummulariorum subuertit”.

Pecunia spiritualiter homines intelliguntur, quia sicut nummus habet caragma Cesaris, sic homo habet caragma Dei.

Et quemadmodum solidus, qui non habet caragma Caesaris, reprobus est, ita et homo, qui non ostendit in se imaginem Dei, reprobus estimatur.

Unde Ysaïas dicebat ad Ierusalem: “Pecunia tua reprobata est, caupones tui miscent uinum cum aqua, etc.”.

Ideo ergo mensas nummulariorum euertit, significans, quia in templo Dei non debent esse nummi, nisi spirituales, id est, qui Dei imaginem, non diaboli, portant.

Aut certe mensas nummulariorum sacerdotum dicit scripturas.

Nouo enim testamento succedente priori, euersæ sunt scripturæ illorum].

[PALEA. C. XII. De eodem.

Item ex uerbis Augustini.

(hinc inde collectis, et in summam redactis ad Psal. LXX. uers. Quoniam non cognoui).

“Quoniam non cognoui litteraturam:” Aliqui codices habent “negotiationes:” in quo diuersitas interpretum sensum ostendit, non errorem inducit.

Ergo si propterea iste tota die laudem Dei dicit, quia non cognouit negotiationes, corrigant se Christiani, non negotientur.

Sed ait mihi negotiator: Affero ex longinquo merces, mercedem laboris mei, unde uiuam, peto: “dignus est operarius mercede sua”.

De mendacio, de periurio agitur, non de negotio.

Ego enim mentior, non negotium.

Possem enim dicere, tanto emi, tanto uendam: si placet, eme.

Quomodo ergo reuocas a negotiatione? omnes artifices mentiuntur, sutores, agricolæ.

Vis, ut optem carum tempus, ut possim uendere annonam, quam seruauit?

sed non hoc faciunt, inquis, agricolæ boni, nec illa negotiatores boni.

Quid enim? etiam et filios habere malum est, quia, quando eis caput dolet, malæ et infideles matres ligaturas sacrilegas et incantationes querunt?

Omnia ista hominum, non rerum peccata sunt.

Quere ergo episcope, (dicit mihi negotiator) quomodo Psalmistam intelligas, et noli me prohibere a negotiatione: negotiatio enim me non facit malum, sed iniquitas mea et mendacium meum.

Queramus ergo negotiatores, qui presumunt gloriari ex suis operibus, si sunt contra illam gratiam, quam hic Psalmista commendat, ut nemo de suis operibus gloriatur.

Et sicut contra medicos superbos salutis pollicitatores uigilat hoc, quod dictum est: “Tota die salutem tuam,” sic contra negotiatores de operibus suis gloriantes uigilat hoc, quod dictum est: “Os meum annunciabit iustitiam tuam”.

Unde et Dominus expulit illos de templo, uolentes suam iustitiam statuere et ignorantes iustitiam Dei.

Merito dictum negotium, quia negat otium, quod malum est, neque querit ueram quietem, que est Deus].

[PALEA. C. XIII. De eodem.

Item Cassiodorus in eundem Psalmum LXX. in eundem uersiculum.

Quid est aliud negotium, nisi que possint uilius comparari carius uelle distrahere?

Et infra:

Negotiatores ergo illi abhominabiles existimantur, qui iustitiam Dei minime considerantes per inmoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus periuriis onerando quam preciiis.

Tales eiecit Dominus de templo, dicens: “Nolite facere domum patris mei domum negotiationis”].

**C. XIV.** Nomine sacerdotis careat, qui Dei ministros a suis euocat offitiis. Item Cyprianus. [ad Clerum et plebem Furnitanorum, lib. I. epist. 9].

## **II. Pars.**

Neque apud altare Dei merentur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros uoluerint auocare.

Et ideo Victor, cum contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam Geminum Faustinum presbiterum ausus sit tutorem constituere, apud uos ob dormicionem eius non fiat oblatio, aut aliqua deprecatio pro nomine eius frequentetur in ecclesia, ut sacerdotum decretum religiose aut necessarie factum seruetur a nobis.

## **DISTINCTIO LXXXIX.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Domui quoque suæ oportet bene esse prepositum, ut quedam inde quodammodo futuræ dispensationis argumenta assumantur.

In dispensatione uero ecclesiæ hanc regulam obseruandam nouerit, ut nulli quantumlibet exercitatæ personæ duo simul offitia committat, neque secularibus uiris res ecclesiasticas gubernandas committat.

Unde Gregorius scribit omnibus Episcopis:

**C. I.** Uni personæ duo non committantur offitia.

Singula ecclesiastici iuris offitia singulis quibusque personis singillatim committi iubemus.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita in ecclesiæ corpore secundum ueridicam Pauli sententiam in uno eodem que spirituali corpore conferendum est hoc offitium uni, alii committendum est illud, neque enim quantumlibet exercitatæ uni personæ uno tempore duarum rerum offitia committenda sunt: quia si totum corpus oculus, ubi auditus?

Sicut enim uarietas membrorum per diuersa offitia et robur corporis seruat, et pulcritudinem representat, ita uarietas personarum diuersa nichilominus distributa offitia et fortitudinem et uenustatem sanctæ Dei ecclesiæ manifestat.

Et sicut indecorum est, ut in corpore humano alterius fungatur offitio alterum membrum, ita nimirum noxium simul que turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.

**C. II.** Quilibet episcopus uicedominum et yconomum habeat.

Item Gregorius Antemio Subdiacono. [lib. IX. epist. 66].

## **II. Pars.**

Volumus, ut frater noster Pascasius et uicedominum sibi ordinet et maiorem domus, quatinus possit uel hospitibus superuenientibus, uel causis, que eueniunt, idoneus et paratus existere.

Si uero negligentem eum prospicis, uel ea, que dicimus, implere differentem, omnis eius clerus adhiberi debet, ut communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea, que prediximus ualeant ordinari.

Gratian. Offitium uicedomini est episcopium disponere.

Unde Gregorius Clementinæ Patriciæ [lib. I. epist. 11]. post alia:

### C. III. Quid sit offitium uicedomini.

Diaconum uero Anatholium, quem ad uos dirigi poposcistis, hoc nos facere non posse, causæ magis modus quam rigoris auctoritas facit.

Vicedominum enim eum constituimus, cuius arbitrio episcopium commisimus disponendum.

### C. IV. De eodem.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 26].

Quia in quibusdam ecclesiis, sicut ad nos peruenit, sine yconomo episcopi res ecclesiasticas tractant, placuit, omnes ecclesias habentes episcopos etiam yconomos habere de proprio clero, qui gubernent res ecclesiæ cum arbitrio sui episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarum, neque ex hoc eueniat res eiusdem ecclesiæ dispergi, et sacerdotali dignitati obtrectatio generetur.

Si uero quis hoc non obseruauerit, diuinis subiaceat regulis.

### C. V. Secularibus uiris res ecclesiasticæ non committantur.

Item Gregorius Iohanni Carolitano Episcopo. [lib. VII. epist. 66].

Indicatum est nobis, quod laicis quibusdam curam uestri patrimonii commiseritis, qui postmodum in rusticorum uestrorum depredationibus atque ex fatigationibus fuerunt deprehensi.

Quod si ita est, districte a uobis discuti conuenit, atque inter eos ecclesiæ que uestræ rusticos causam examinare subtilius.

Et quicquid fraudis inuentum fuerit, cum pena legibus statuta reddere conpellantur.

De cetero uero cauendum est a fraternitate uestra, ne secularibus uiris atque sub regula uestra non degentibus cuiuslibet res ecclesiæ committantur, sed probatis de offitio uestro clericis, in quibus, si quid reperiri poterit prauitatis, ut in subditis emendare quod illicite gestum fuerit ualeatis: quo uidelicet apud uos habitus sui offitium magis conuenienter amministrent, quam accusent.

## III. Pars.

Gratian. Propinquis, uel etiam fauore sibi coniunctis, ecclesiastica offitia committere non audeat.

Unde in Tolletano Concilio X.: [c. 3].

### C. VI. Ecclesiastica episcopus non committat offitia propinquis uel fauore coniunctis.

Decenter omnibus placet, in presenti tale rescindere factum, et non esse de cetero faciendum.

Quicumque igitur pontificum deinceps aut sanguine propinquis, aut fauore personæ quibuscumque deuinctis talia lucra commendare temptauerit, ad suum nefandæ presumptionis excidium et quod iussum fuerit deuocetur in irritum, et qui ordinauerit annuæ excommunicationi subiaceat.

Que uero ablata fortasse fuerint, ab eo, qui tulit, reddantur in duplum.

Gratian. Porro ipsa offitia quare ita sint distinguenda nec uni personæ omnia committenda ex auctoritate Gregorii et ex auctoritate Bonifatii Papæ datur intelligi, qui ait:

**C. VII.** Graduum et ordinum distributio ecclesiasticam unitatem conseruat.

Ad hoc dispositionis prouisio gradus diuersos et ordines constituit esse distinctos, ut, dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, uera concordia fieret ex diuersitate contextio, et recte offitorum gereretur administratio singulorum.

Neque uniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentię ordo seruaret.

Quia uero creatura in una eadem que qualitate gubernari uel uiuere non potest, celestium miliciarum exemplar nos instruit, quia dum sunt angeli, sunt archangeli, liquet, quia non equales sunt, sed in potestate et ordine (sicut nostis) differt alter ab altero.

## **DISTINCTIO XC.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Litigiosus quoque prohibetur ordinari, quia qui sua potestate discordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes dissidentium prohibetur recipere, nequaquam litigandi facilitate alios ad discidium debet prouocare.

Unde in Cartaginensi Concilio IV. [c. 59]. legitur:

**C. I.** Clerici discordantes reuocentur ad concordiam uel deiciantur ad concordiam.

Discordantes clericos episcopus uel ratione, uel potestate ad concordiam trahat; inobedientes sinodus per audientiam dampnet.

**C. II.** Dissidentium fratrum oblationes in ecclesia non recipiantur.

Item ex eodem. [c. 93. et 94].

Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophilacio recipiantur.

Similiter:

**§. 1.** Dona eorum, qui pauperes obprimunt, a sacerdotibus refutanda sunt.

**C. III.** Extra ecclesiam esse probatur, qui pacem cum proximo non habet.

Item Ciprianus. [de unitate ecclesiæ]

Neque ad Cain neque ad munera eius respexit Deus; neque enim habere peccatum Deum poterat, qui cum fratre non pacem sed zeli discordiam habebat.

Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? que sacrificia celebrare se credunt emuli sacerdotum?

Se cum esse Christum, cum collecti fuerint, opinantur hii, qui extra Christi ecclesiam colliguntur?

Tales etiamsi occisi in confessione nominis Christi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur.

Inexpiabilis et grauis culpa discordiæ nec passione purgatur.

**C. IV. Murmurantes a fratrum unitate alieni efficiantur.**

Item ex Octaua Sinodo.

Alienus sit a fratrum unitate, qui murmurat, et opus eius abiciatur, qui murmurans extiterit, ne penam murmurantium incurrat, de qua dicit Apostolus: “Neque murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, et perierunt ab exterminatore”.

Iuxta mensuram itaque operis peccator (qui in hac sententia Apostoli pleniter declaratur) sacerdotis iudicio peniteat.

**C. V. Corripiantur, qui rixas et contenciones amant.**

Item ex eodem.

Si quis monachus contenciones uel rixas amauerit, uel manifestum conuitium intulerit fratri, iuxta arbitrium rectoris modum que peccati diuturna expietur penitentia.

Item:

§. 1. Qui contentiosus aut murmurans extiterit, secundum arbitrium prioris tamdiu peniteat, quamdiu qualitas culpæ extat.

**C. VI. Dissidentes episcopi ad concordiam redire cogantur.**

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 25].

Dissidentes episcopos, si non timor Dei, sinodus reconciliet.

**C. VII. De eodem.**

Item ex eodem. [c. 26].

Studendum est episcopis, ut dissidentes fratres, siue clericos, siue laicos, ad pacem magis quam ad iudicium cohortentur.

**C. VIII. Non recipiantur dona eorum, qui pauperes obprimunt.**

Item ex eodem. [c. 94].

Eorum, qui pauperes obprimunt, dona a sacerdotibus sunt refutanda.

**C. IX. A cetu alienentur fidelium, qui ad concordiam redire contempnunt.**

Item ex Concilio Agatensi. [c. 31].

Placuit etiam, ut (sicut plerumque fit) quicumque odio aut longinqua inter se lite dissenserint, et ad pacem reuocari diuturna nequuerint obstinatione, a sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur.

Qui si inimicitias deponere pernitiōsa intentione noluerint, de ecclesiæ cetu iustissima excommunicatione pellantur.

**C. X. Inediis maceretur acerrimis, qui fratri suo reconciliari non uult.**

Item Fabianus Papa.

Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo qui contristauerit, acerrimis maceretur inediis, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat.



C. XI. Episcopi ad pacem firmiter tenendam uicissim sibi consilium et auxilium prestant.

Item Innocentius II.

## II. Pars.

Precipimus, ut episcopi, ad solum Deum et salutem populi habentes respectum, omni tepiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuam sibi consilium et auxilium prebeant, neque hoc alicuius amore uel odio pretermittant.

Quod si quis in hoc Dei opere tepidus fuerit inuentus, dampnum propriæ dignitatis incurrat.

C. XII. Pellendi sunt a communione fidelium, qui sibi inuicem reconciliari nolunt.

Item Victor Papa. [ad Afros, epist. II].

Perlatum est ad sedem apostolicam, aliquos uestrum nocere fratribus uelle, et ut cadant decertare, similiter in sacramentis discrepare, et ob id contentiones et emulationes inter uos fieri, a quibus dissensionibus uos auertere, et in his omnibus concordare, et opem ferre uicissim mandamus.

Nam si hoc agere cito neglexeritis, et uicissim reconciliari non studueritis, ab apostolicæ sedis et totius ecclesiæ communione uos pelli non dubitetis.

## DISTINCTIO XCI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Qui autem turpi lucro uel inhonesto negotio uictum sibi querere prohibetur, de oblationibus ecclesiæ stipendia consequatur.

Quod si ecclesia ei sufficere non poterit, proprio artificio uel agricultura (exemplo Apostoli, qui de labore manuum uiuebat) sibi necessaria inueniat, ita tamen, ut occasione sui operis uigiliis ecclesiæ non desit, quod absque inequalitate sui corporis inpune nulli conceditur.

Unde Pelagius papa:

C. I. Corripiantur clerici, qui offitiis matutinis uel uespertinis se subtrahunt.

Eleuterius frater et coepiscopus noster queritur, clericos suos sibi contra canones superbire, et id, quod nobis iubentibus facta in scrinio cautione promisit, ut cottidianis diebus uigiliæ in eius celebrentur ecclesia, illis contempnentibus implere non posse, sed magis unumquemque suis (postposito ecclesiæ seruitio) uacare negotiis.

Et ideo experientia tua eos, quos tibi esse ostenderit contumaces, debita obiurgatione conpesce, et modis omnibus uigiliis uacare compelle.

[PALEA. C. II. De eodem.

Item ex Concilio Nannetensi.

Presbiter mane, matutinali offitio expleto, pensum seruitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam nonam que persoluat, ita tamen, ut postea horis competentibus et signis designantibus iuxta possibilitatem aut a se, aut a scolaribus publice compleantur.

Deinde peractis horis, infirmis uisitatis, si uoluerit, ad opus rurale exeat ieiunus, ut iterum necessitatibus peregrinorum et hospitem siue diuersorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum succurrere possit usque ad statutam horam pro qualitate temporis et opportunitate.

Item ex dictis S. Benedicti:

§. 1. Propheta dicente: “Septies in die laudem dixi tibi,” qui septenarius sacratus numerus a nobis sic inplebitur si matutinæ, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, uesperæ completorii que tempore nostræ seruitutis officia persoluamus, quia de his dixit Propheta: “Septies in die laudem dixi tibi”.

Nam de nocturnis uigiliis idem ipse Propheta ait: “Media nocte surgebam ad confitendum tibi”.

Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ].

**C. III. Sine officii detrimento artificiolo sibi clericus necessaria querat.**

Unde in Concilio eodem Cartaginensi [IV., c. 52. et 49]. legitur.

Clericus uictum et uestimentum sibi artificiolo uel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento, preparet.

§. 1. Clericus enim, qui absque corpusculi sui inequalitate uigiliis deest, stipendio priuatus excommunicetur.

**C. IV. De eodem.**

Item ex eodem. [c. 51. 53. et 48. et 50].

Clericus quilibet uerbo Dei eruditus artificiolo uictum querat.

Item:

§. 1. Omnes clerici, qui ad operandum ualidi sunt, et artificiola, et litteras discant.

Qui uero non pro emendo aliquid in nundinis uel in foro deambulant, ab officio suo degradentur.

Inter temptationes autem ab officio declinantes uel negligentius agentes ab ipso officio remoueantur.

**C. V. De eodem.**

Item ex Concilio Aurelianensi. [I. c. 28].

Clerici uero, qui ad opus sanctum adesse contempserint, secundum arbitrium episcopi ecclesiasticam suscipiant disciplinam.

## **DISTINCTIO XCII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Cum autem ad ecclesiam uenerint, corde magis quam uoce Deo cantandum meminerint. Unde Ieronimus in epistola ad Ephesios:

**C. I. Corde, non uoce Deum laudare debemus.**

“Cantantes et psallentes in cordibus uestris Domino”.

Audiant hec adolescentuli, audiant hi, quibus in ecclesia est psallendi offitium: Deo non uoce, sed corde cantandum, nec in tragediarum modum guttur et fauces medicamine liniendæ sunt, ut in ecclesia teatrales moduli audiantur et cantica.

Gratian. Ab offitio autem cantandi et psallendi diaconi inueniuntur excepti, ne, dum uocis modulationi student altaris ministeria negligant.

Unde Gregorius: [lib. IV. epist. 44. et I. XII. post finem epistolarum, in Concilio ab ipso habito]

**C. II.** Cantandi offitium sibi diacones non usurpent.

In sancta ecclesia Romana dudum consuetudo est ualde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti modulationi uocis inseruiant, quos ad predicationis offitium et elemosinarum studium uacare congruebat.

Unde fit plerumque ut in sacro ministerio, dum blanda uox queritur, congrua uita negligatur, et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum uocibus delectet.

Qua de re presenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solum que euangelicæ lectionis offitium inter missarum solempnia exsoluant; psalmos uero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos uel, si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi.

Si quis autem contra hoc decretum meum uenire temptauerit, anathema sit.

## **II. Pars.**

Gratian. A quibus ordinandos oporteat esse immunes, breuiter monstratum est.

De quorum uero manibus suos ordines suscipere debeant, facile patet.

Sacerdos enim et cuncti infra ipsum constituti ab episcopis debent ordinari.

Unde in Concilio Martini Papæ legitur:

**C. III.** Qui ab episcopo non ordinantur, in pulpito non psallant uel legant.

Non liceat in pulpito psallere aut legere, nisi qui ab episcopo ordinati sunt lectores.

Gratian. De episcopis autem, a quibus uel in quibus locis ordinari debeant, supra diffinitum est.

## **III. Pars.**

§. 1. Nunc autem queritur de his, qui ordinati a parrochia sua non recipiuntur, uel pro aliqua causa eas adire noluerint, an in alterius parrochia episcopale possint offitium celebrare?

De his in Concilio Martini Papæ sic statutum inuenitur:

**C. IV.** Sacerdotis tantum offitium gerat episcopus, quem sua parrochia non recipit.

Si quis ordinatus episcopus pro contemptione populi aut pro aliqua ratione, non pro sua culpa, in parrochiam, que ei fuerit data, non ierit, hunc oportet honorem sacerdotii tantummodo contingere, ita ut de rebus ecclesiæ, in quam conuenit nichil presumat, sustineat autem, quid de eo sanctum concilium iudicare uoluerit.

**C. V.** De episcopo ordinato, quem sua parrochia non recipit.

Item ex Concilio Antiocono. [c. 18].

Si quis episcopus ordinatus ad parrochiam, cuius est electus, minime accesserit, non suo uitio, sed quod eum aut populus uetet, aut propter aliam causam, non tamen eius uitio perpetrata, hic et honoris sit et ministerii particeps, dummodo rebus ecclesiæ, ubi ministrare cognoscitur, in nullo molestus existat.

Quem etiam obseruare conuenit, quicquid synodus perfecte prouinciæ iudicando decreuerit.

**C. VI.** A sua parrochia non recepti aliis molestiam non inferant.

Item ex Concilio Ancirano. [c. 28].

Si qui episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parrochia, in qua fuerant denominati, uoluerint que alias occupare parrochias, et uim presulibus earum inferre, seditiones aduersus eos excitando, eos abici placuit.

Quod si uoluerint in presbiterii ordine, ubi prius fuerant, ut presbiteri residere, non abiciantur a propria dignitate.

Si autem seditiones commouerint ibidem constitutis episcopis, presbiterii quoque honor talibus auferatur, fiant que dampnatione notabiles.

**C. VII.** Communione priuetur episcopus, qui ecclesiam sibi commissam adire neglexerit.

Item ex Concilio Antiocono. [c. 17].

Si quis episcopus per manus inpositionem episcopatum acceperit, et sibi commissum ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communionem priuari, donec susceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid integre decreuerit eiusdem prouinciæ synodus sacerdotum.

**C. VIII.** Sine consilio integri ordinis uacantem ecclesiam episcopus non adeat.

Item ex eodem. [c. 16].

Si quis episcopus uacans in ecclesiam non habentem episcopum, subripiens populos, sine consilio integri ordinis irruerit, etiamsi populus, quem seduxit, desideret illum, alienum eum ab ecclesia esse oportet.

Integrum autem et perfectum concilium dicimus illud, cui metropolitanus episcopus interfuerit.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Quod autem supra clerici se uigiliis subtrahentes excommunicari iubentur, de his intelligendum est, qui ab episcopo frequenter admoniti, negligentiam suam corrigere contempnunt.

Unde in Concilio Martini Papæ legitur:

**C. IX.** Excommunicetur clericus, qui ab episcopo commonitus matutinis uel uespertinis horis adesse neglexerit.

Si quis presbiter aut diaconus uel quilibet clericus ecclesiæ deputatus, si in quolibet loco fuerit, in quo ecclesia est, et ad cottidianum psallendi officium matutinis uel uespertinis horis ad ecclesiam non conuenit, deponatur a clero, si tamen castigatus ueniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promereri.

**DISTINCTIO XCIII.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Obedientiam autem inferiores ex ordine superioribus debent.

Summo enim Pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, ut nulli liceat ei communicare, cui pro actibus suis ipse inimicus extiterit, nec in ecclesia esse poterit, qui eius cathedram deserit.

Unde B. Petrus princeps apostolorum in ordinatione Clementis populum alloquens, inter cetera ait:

**C. I.** Cui pro actibus prauis Apostolicus inimicatur, communicare non debemus.

Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, et uos nolite expectare, ut ipse uobis dicat: cum illo nolite amici esse, sed prudenter obseruare debetis, et uoluntati eius absque communicatione obsecundare, et auertere uos ab eo, cui ipsum sentitis aduersum; sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur, ut unusquisque, qui in culpa est, dum cupit omnium uestrum amicitias habere, festinet cicius reconciliari ei, qui omnibus preest, et per hoc redeat ad salutem, cum obedire ceperit monitis presidentis.

Si uero quis amicus fuerit his, quibus ipse non loquitur, unus est ipse ex illis, qui exterminare ecclesiam Dei uolunt, et cum corpore uobis cum esse uideatur, mente et animo contra uos est.

Et est multo nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt, et euidenter sunt inimici; hic enim per amicitiarum speciem que inimica sunt gerit, et ecclesiam dispergit et uastat.

Ideo que huiusmodi apostolicis institutis uos monentes instruimus, ut effecta certior karitas uestra sollicitius deinceps agere studeat et cautius, ne peruersi et infideles homines ledendi fideles et beniuolos habeant facultatem.

**C. II.** A nullo debet suscipi, quem Romana repellit ecclesia.

Item Gregorius. [I. V. epist. 26].

Miratus ualde sum, quia in tanto Salonitanæ ecclesiæ clero uel populo uix duo ex sacris ordinibus inuenti sunt, frater scilicet et coepiscopus meus Paulinus, et dilectissimus filius meus Honoratus archidiaconus eiusdem ecclesiæ, qui communicare Maximo sacerdotium rapianti minime consentirent, et se Christianos esse cognoscerent.

Debuistis enim, karissimi filii, pensare ordines uestros, et quem sedes apostolica repellebat repulsum cognoscere, ut prius, si posset, ab illatis criminibus mundaretur, et tunc ei uestra dilectio communicaret, ne particeps obligationis existeret.

**C. III.** Non est in ecclesia, qui cathedram Petri non sequitur.

Item Ciprianus. [de unitate ecclesiæ]

Qui cathedram Petri, super quam ecclesia fundata est, deserit, in ecclesia se esse non confidat.

Gratian. Episcopi uero, qui apostolicæ ordinationi subiacent, etiam hanc reuerentiam debent, ut singulis annis apostolorum liminibus sese representent.

Unde Anacletus et Zacharias Papa:

**C. IV.** Singulis annis apostolorum limina uisitent episcopi, qui apostolicæ ordinationi subiacent.

Iuxta sanctorum Patrum et canonum instituta episcopi omnes, qui huius apostolicæ sedis ordinationi subiacent, qui propinqui sunt, annue circa idus magi sanctorum principum apostolorum Petri et Pauli liminibus presententur omni occasione seposita.

Qui uero de longinquo, iuxta cyrographum suum impleant.

Qui autem constitutionis huius contemptor extiterit, preterquam si egritudine fuerit detentus, sciat se canonicis subiacere sententiis.

## **II. Pars.**

Gratian. Reliqui uero in ecclesia minores semper debent maioribus subesse, sicut in Sinodo S. Siluestri [c. VII]. legitur:

**C. V.** Maioribus minores obedientiam exhibeant.

A subdiacono usque ad lectores omnes subditi sint diacono cardinali uiro reuerentissimo, in ecclesia representantes ei honorem.

Porro pontifici presbiter, presbitero diaconus, diacono subdiaconus, subdiacono acolithus, acolitho exorcista, exorcistæ lector, lectori hostiarius, hostiario abbas, abbatii monachus in omni loco representet obsequium, siue in publico, siue in gremio ecclesiæ.

**C. VI.** Quid sit diaconorum offitium.

Item ex epistola [I]. Clementis Papæ. [ad Iacobum fratrem Domini]

Diaconi ecclesiæ sint tanquam oculi episcopi, oberrantes et circumlustrantes cum uerecundia actus totius ecclesiæ, et perscrutantes diligentius, si quem uideant uicinum fieri precipicio et proximum esse peccato, ut referant hec ad episcopum.

Et infra:

§. 1. Episcopo suggerere que ad cultum ecclesiæ et disciplinam eius pertinent, diaconibus cura sit.

[C. VII].

Item in eadem.

Sacerdotes uero dicebat B. Petrus sal terræ et mundi lumen docens, eos in splendore operum glorificare patrem Deum, de quibus Dominus ait: “Beati estis, cum maledixerint uobis homines” et reliqua, et iterum: “Vos estis sal terræ”.

**C. VIII.** Non sunt habendi clerici, qui episcopali non gubernantur prouidentia.

Item ex Concilio Parisiensi.

Nulla ratione clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius episcopi disciplina et prouidentia gubernantur.

Tales enim acephalos, id est sine capite, prisca consuetudo nuncupauit.

[C. IX].

Item. [ex epist. III. Clementis].

Qui suis episcopis non obediunt, indubitanter rei et reprobi existunt.

Porro ipsi a Deo donum summi muneris consecuntur, qui suis doctoribus, qui recte episcopi intelliguntur, libenter obediunt.

C. X. In Deum scandalizantur, qui suo non obediunt episcopo.

Item Anacletus. [epist. I].

Ille proculdubio scandalizatur in Deum, qui recte non docet, et qui eius scandalizat episcopum uel sacerdotem.

C. XI. Septem debent esse diaconi in unaquaque ciuitate.

Item Euaristus omnibus Episcopis.

Diaconi (qui quasi oculi uidentur esse episcopi) septem debent esse in unaquaque ciuitate, qui custodiant episcopum predicantem, ne ipse ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut ledatur a suis, aut uerba diuina detrahendo aut insidiando polluantur uel despiciantur: sed ueritas spirituali redoleat feruore; pax predicata labiis cum uoluntate animi concordet.

C. XII. De eodem.

Item ex Concilio Neocesariensi. [c. 14].

Diaconi septem debent esse secundum regulam, quamuis non magna sit ciuitas.

Regulæ autem auctoritas ista est, quod et liber actuum apostolorum idem insinuat.

### III. Pars.

Gratian. Ut ex premissis auctoritatibus apparet, diaconi debent obedientiam presbiteris, sicut et presbiteri episcopis.

Sed diaconi superbientes sacerdotibus exequari, uel potius preferri querebant, contra quorum insolentiam multorum auctoritates manauerunt, eorum supercilium reprimentes, atque ut sacerdotibus condignam obedientiam exhibeant decernentes.

Unde Gelasius Papa [in epist. ad Episcopos per Lucaniam, c. 9. et 10]. ait:

C. XIII. Nichil eorum, que sunt decreta primis ordinibus, uendicent sibi diaconi.

Diaconos propriam constituimus obseruare mensuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quidpiam temptare permittimus, et nichil eorum suo ministerio penitus applicare, que primis ordinibus proprie decreuit antiquitas.

Absque episcopo uel presbitero baptizare non audeant, nisi predictis ordinibus fortassis longius constitutis necessitas extrema compellat.

Quod etiam laicis Christianis facere plerumque conceditur.

§. 1. Sacri corporis prerogationem sub conspectu episcopi seu presbiteri (nisi his absentibus) ius non habeant exercendi.

C. XIV. Inferiores presbiteris se diaconi cognoscant.

Item in Niceno Concilio. [c. 14. seu 18].

Peruenit ad sanctum concilium, quod in locis quibusdam et ciuitatibus presbiteris sacramenta diaconi porrigant.

Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant.

Sed et illud innotuit, quod quidam diacones etiam ante episcopos sacramenta sumant.

Hec ergo omnia amputentur, et in sua diaconi mensura permaneant, scientes, quod episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem presbiteris habeantur.

Per ordinem ergo post presbiteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut episcopo, aut presbitero porrigente eis.

Sed nec sedere in medio presbiterorum diacono liceat, quia si hoc fiat, preter regulam probatur existere.

Si quis autem post has diffinitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debet.

**C. XV.** Diaconus honorem exhibeat presbitero, et ipse ab inferioribus honoretur.

Item ex Concilio Laodicensi. [c. 20].

Non oportet diaconum coram presbitero sedere, sed iussione presbiteri sedeat.

Similiter autem diaconus honorem habeat a sequentibus, id est a subdiaconibus et ab omnibus clericis.

**C. XVI.** Calicem benedicere et panem dare diacono non licet.

Item ex eodem. [c. 25].

Non oportet diacones panem dare, nec calicem benedicere.

**C. XVII.** Sicut episcopis, ita et presbiteris diaconi ministrent.

Item ex Concilio Cartaginensi [IV]. cui Papa Zosimus interfuit per uicarios. [c. 37].

Diaconi ita se presbiteri, sicut episcopi ministros esse cognoscant.

[C. XVIII].

Item in eodem. [c. 38].

Presente presbitero diaconus eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogit, iussus eroget.

[C. XIX].

Item in eodem. [c. 39. 40. et 41].

Diaconus sedeat iubente presbitero quolibet loco.

Item

diaconus in conuentu presbiterorum interrogatus loquatur.

Alba uero tantum tempore oblationis et lectionis utatur.

**C. XX.** Diacones presbiteros se superiores cognoscant.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 39].

Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, ut se presbiteris antepontant, atque in primo choro ipsi priores stare presumant, presbiteris in secundo choro constitutis.

Ergo, ut sublimiores se presbiteros agnoscant, tam hii quam illi in utroque consistant.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Compagis uero calciari absque apostolici licentia diaconibus non permittitur, sicut nec mapulis uti absque eiusdem auctoritate quibuslibet clericis conceditur.

Unde Gregorius Iohanni Episcopo Siracusano: [lib. VII. epist. 28. indict. I].

**C. XXI.** Absque apostolica licentia compagis diacones uti minime presumant.

Peruenit ad nos, quod diaconus ecclesie Catenensis calciatus compagis procedere presumpsisset, quod quia hactenus nulli per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo diaconibus Messanensis ecclesie, quibus olim a predecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolitis.



Quia ergo tantæ temeritatis ausus leuiter non est attendendus, cum omni hoc fraternitas uestra subtilitate perquirat, ut an per se, uel alicuius hoc auctoritate presumpserit, nobis subtiliter innotescat.

Nam si negligenter ea, que male usurpantur, omittimus, excessus uiam aliis aperimus.

**C. XXII.** Mapulis clerici sine apostolici licentia uti non debent.

Idem Iohanni Rauennati Episcopo. [lib. II. epist. 54. circa finem]

Illud autem, quod pro utendis a clero uestro mapulis scripsistis, a clericis nostris est fortiter obuiatum, dicentibus, nulli hoc umquam alii cuilibet concessum fuisse ecclesiæ, nec Rauennates clericos uel illic, uel in Romana ciuitate tale aliquid cum sua conscientia presumpsisse, nec, si temptatum esset, ex furtiua usurpatione sibi preiudicium generari, sed etiam si in qualibet ecclesia hoc presumptum fuerit, asserunt emendandum, quod non concessione Romani Pontificis, sed sola subreptione presumitur.

**C. XXIII.** Sicut in ministerio, ita in dispensatione sine diaconibus episcopus non uiuat.

Item Ieronimus ad Rusticum Narbonensem episcopum.

## **V. Pars.**

Diaconi sunt, quos in Apocalipsi legimus, septem angeli ecclesiarum, hi sunt septem candelabra aurea, hi sunt uoces tonitruorum.

§. 1. Virtutum operatione preclari, humilitate prediti, quieti, humiles, euangelizantes pacem, annunciantes bona, dissensiones et rixas et scandala resecantes, docentes, soli Deo conloquentes, in templo nichil de mundo penitus cogitantes, dicentes patri et matri: “non nouimus uos,” et filios suos non agnoscentes.

§. 2. Sine his sacerdos nomen habet offitium non habet.

Hic minister Dei dicitur, quia scriptum est: “Maiores est, qui ministrat, quam cui ministratur”.

Et sicut in sacerdote ministratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est.

§. 3. Sacerdotibus etiam propter presumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit a diaconibus.

§. 4. Ita enim Deus noster omnipotens uniuersa disposuit, ut qui maiorem se crediderit minor esset, et qui uideretur minor maior existeret.

Denique quam hoc uerum sit ipse perpende.

Leuitæ componunt mensam Domini, Leuitæ sacerdotibus, cum sacramenta benedicunt, assistunt, Leuitæ ante sacerdotes orant, ut et si distinctio locorum credatur in mundo, etiam in altari Dei uideant sibi episcopi, qui superbi sunt, diacones anteponi.

Si humilitatem diligunt et diaconi maiores se esse in eo, quod sunt humiles, recognoscant.

Tunc demum, ut aures habeamus ad Deum, diaconus clamat, ipse predicat, ipse hortatur, ipse commonet astantibus sacerdotibus, nec leuiter hanc uocem, que loquitur et pacem annunciat, aut negligenter aspicias.

Sufficit huic tantum ordini per Dominum concessum fuisse, ut non solum sacerdos in templo Dei totum agere et implere uideatur.

Et infra:

§. 5. Nunc autem ex quo in ecclesiis, sicut in Romano imperio, creuit auaritia, periit lex a sacerdote et uisio de propheta; singuli quique per potentiam episcopalis nominis, quam sibi ipsi illicite absque ecclesia uendicarunt, totum, quod Leuitarum est, in suos usus

redigunt, nec hoc solum, quod ascriptum est, sibi uendicant, sed cunctis auferunt uniuersa.

Mendicat infelix in plateis clerus, et seruili operi mancipatus publicam de quolibet poscit elemosinam.

Qui ex eo magis despicitur a cunctis, quo misere desolatus iuste putatur ad hanc ignominiam deuenisse.

§. 6. Solus episcopus incubat donis, solus utitur ministerio, solus uniuersa sibi uendicat, solus partes inuadit alienas, solus occidit uniuersos.

§. 7. Hinc propter auaritiam sacerdotum odia sepe consurgunt, hinc episcopi accusantur a clericis, hinc principium litis, hinc detractionis causa, hinc origo fit criminis.

Etenim si unusquisque ita in hoc mundo uisibili aliquid possidere iubetur, ut sua tantum sit possessione contentus, ac res non inuadat alienas, non agrum pauperis tollat non uineam, non subuectorium aliquod, non famulos, non fructum; quanto magis qui ecclesiae Dei preest debet ita in omnibus seruare iusticiam, ut hoc sibi uendicet, quod sui iuris esse cognoscit, aliena non rapiat, aliena non tangat equalem ceteris se faciat, et sicut sine his in ministerio non uiuit, ita in dispensatione non uiuat?

§. 8. Certe, ut ipse nosti, qui uisibiliter in hoc mundo ius inuadit alienum, accusatur a paupere, dampnatur a iudice, ita in ecclesia Dei, cum quisque stipendia perdit, clamat ad Dominum exauditur a Christo, nec differtur ultionis sententia, si non sedantur uniuersa. Moderatio enim Dei ac pietas solum nostrum reditum querit, ac nos cupit longa sua bonitate saluari.

Si non conuertimur, si duri colli sumus, si in peccatis usque ad mortem illicite perduramus, assidue peccantium, non miseretur Deus.

## VI. Pars.

Gratian. Hoc capitulo sacerdotum auaricia reprehenditur, diaconorum dignitas siue offitium commendatur.

Sed quia (ut supra dictum est) diaconi insolescentes etiam presbiteris se preferendos arbitrati sunt, contra illorum supercilium scribit Ieronimus ad Euangelum presbiterum: [epist. LXXXV].

C. XXIV. Diacones presbiteris debent subesse.

Legimus in Ysaia: "Fatuus fatua loquitur".

Audio quendam in tantam erupisse uecordiam, ut diaconos presbiteris id est episcopis anteferet.

Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse episcopos, quos presbiteros, quid patitur mensarum et uiduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguis que conficitur?

Queris auctoritatem? Audi testimonium: "Paulus et Timotheus serui Iesu Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus".

Vis et aliud exemplum? In Actibus apostolorum ad unius ecclesiae sacerdotes ita Paulus loquitur: "Attendite uobis, et cuncto gregi, in quo uos: Spiritus sanctus posuit episcopos, ut regatis ecclesiam Dei quam adquisiuit sanguine suo".

Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audiat aliud testimonium, in quo manifestissime declaratur uel conprobatur, eundem esse episcopum atque presbiterum: "Propter hoc reliqui te Cretae, ut que deerant corrigeres, et

constitueres presbiteros per ciuitates, sicut ego tibi mandauit: si quis est sine crimine, unius uxoris uir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.

Oportet enim episcopum: sine crimine esse, quasi Dei dispensatorem”.

Et ad Timotheum: “Noli negligere gratiam, que tibi data est per prophetiam et per inpositionem manuum presbiterii”.

Sed et Petrus in prima epistola: “Presbiteros, qui in uobis sunt, precor compresbiter, et testis passionum Christi, et futuræ gloriæ, que reuelanda est, particeps, regite gregem Christi, et inspiciate non ex necessitate, sed uoluntarie iuxta Deum”.

Quod quidem grece significantius dicitur (*Graece*) episkopountes, unde et nomen episcopi tractum est.

Parua tibi uidentur tantorum uirorum testimonia? Clangat tuba euangelica, filius tonitru, quem Iesus amauit plurimum, qui de pectore saluatoris doctrinarum fluentia potauit: “Presbiter, Electæ dominæ, et filiis eius, quos ego diligo in ueritate”.

Et in alia epistola: “Presbiter Gaio karissimo, quem ego in ueritate diligo”.

§. 1. Quod autem postea unus electus est, qui ceteris preponeretur, in scismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet.

Nam et Alexandriæ a Marco euangelista usque ad Eraclam et Dionisium episcopos, presbiteri ex se semper unum eligebant et in excelsiori gradu collocabant, quem episcopum nominabant, quomodo si exercitus inperatorem faciat.

Diaconi autem eligant de se quem industrem nouerint, et archidiaconum nuncupent.

Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod non facit presbiter?

Nec altera Romanæ urbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est: et Galliæ, et Britannia, et Affrica, et Persis, et oriens et India, et omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam obseruant regulam ueritatis.

Si auctoritas queritur, orbis maior est urbe.

Ubi quæ fuerit episcopus, siue Romæ, siue Eugubio, siue Constantinopolim siue Regio, siue Alexandrinæ, siue Thanis, eiusdem est meriti, eiusdem et sacerdotii.

Potentia diuitiarum et paupertatis humilitas uel sublimiorem episcopum, uel inferiorem non facit; ceterum omnes apostolorum successores sunt.

§. 2. Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium diaconi presbiter ordinatur?

Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiæ uendicas?

Omne quod rarum est plus appetitur.

Pulegium apud Indos pipere preciosius est.

Diacones paucitas honorabiles, presbiteros turba contemptibiles facit.

Ceterum in ecclesia etiam Romæ presbiteri sedent, et stant diaconi, licet paulatim crebrescentibus uitiiis inter presbiteros absente episcopo diaconos sedere uideamus, et in domesticis conuiuuiis benedictiones coram presbiteris dare.

Discant, qui hoc faciunt se non recte facere audiant Apostolos.

“Non est dignum, ut relinquentes uerbum Dei ministremus mensis”.

Sciant diaconi quare constituti sint.

Legant Acta apostolorum, recordentur condicionis suæ.

Presbiter et episcopus aliud etatis, aliud dignitatis est nomen.

Unde ad Titum et Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi dicitur; de presbiteris omnino reticetur, quia in episcopo et presbiter continentur.

Qui prouehitur, a minori ad maius prouehitur.

Aut igitur ex presbitero ordinetur diaconus, ut presbitero maior conprobetur, in quem crescit ex paruo, aut si ex diacono ordinatur presbiter, nouerit se laicis maiorem sacerdotibus esse minorem.

**C. XXV.** De eodem.

Item Ciprianus. [lib. epist. 9].

Dominus noster Iesus Christus, rex et iudex et dominus noster, usque ad passionis diem seruauit honorem pontificibus et sacerdotibus quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi seruassent.

Nam cum leprosum mundasset, dixit illi: “Vade, et ostende, te sacerdotibus, et offer donum”.

Humilitatem nos humilis docuit, sacerdotem adhuc appellans, quem sciebat esse sacrilegum.

Item subditus passioni cum alapam accepisset, et ei diceretur: “Sic respondes pontifici?” nichil contumeliose ille locutus est in personam pontificis, sed sic magis innocentiam suam tuitus est, dicens: “Si male locutus sum, exprobra de malo: si autem bene, quid me cedis?”

Que omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter, ut nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum.

Docuit enim sacerdotes ueros legitimi et plene honorari, dum circa falsos sacerdotes ipse talis extitit.

§. 1. Meminisse autem diaconi debent, quoniam apostolos, id est episcopos et presbiteros, Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in celum apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et ecclesiæ ministros.

Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui episcopos facit, possunt et contra nos diacones audere, a quibus fiunt.

## **VII. Pars.**

Gratian. Hoc autem, quod de diaconorum minoritate dicitur, ubique seruandum est, nisi cum diaconus habuerit locum aut proprii patriarchæ, aut sui metropolitani.

Unde in VI. Sinodo [c. 7]. legitur:

**C. XXVI.** Diaconus sacerdotibus non preferatur, nisi locum metropolitani sui obtineat.

Precipimus, ne diaconus (quamuis etiam in dignitate, hoc est in officio quolibet ecclesiastico sit) ante presbiterum sedeat, nisi cum locum habuerit proprii patriarchæ aut metropolitani pro aliquo capitulo; tunc enim sicut illius locum tenens honorabitur.

Si quis uero presumpserit hoc tyrannice facere, a proprio gradu repulsus ultimus omnium fiat in ordine suo.

## **DISTINCTIO XCIV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Subdiacono etiam summus patriarcha uices suas committere ualet.

Unde Simacus ait:

**C. I.** Etiam subdiacono uices suas committit apostolica ecclesia.

Valde necessarium esse perspeximus, ut sicut decessorum nostrorum fuit iudicium, ita uni eidem que personæ omnia committamus, et ubi nos presentes esse non possumus, nostra per eum, cui precipimus, representetur auctoritas.

Quamobrem Petro subdiacono sedis nostræ intra prouinciam Siciliam uices nostras auxiliante Deo commisimus.

Nec enim de eius actibus dubitare possumus, cui Deo auxiliante totum nostræ ecclesiæ noscitur patrimonium commisisse.

## **II. Pars.**

Gratian. Legatum uero apostolicæ sedis quicumque inpedierit, usque ad satisfactionem excommunicetur.

Unde Alexander: [Papa I. epist. II. omnibus Episcopis]

**C. II.** Excommunicetur, qui legatum sedis apostolicæ inpedire temptauerit.

Si quis autem legationem inpedit, non unius, sed multorum profectum auertit, et sicut multis nocet, ita a multis arguendus est, et bonorum societate priuandus.

Et quia Dei causam inpedit, et statum conturbat ecclesiæ, ideo ab eius liminibus arceatur.

Ab omnibus itaque talis est cauendus, et non in communionem fidelium usque ad satisfactionem recipiendus.

## **III. Pars.**

Gratian. Archidiaconi quoque, quamuis ex officio suo clericorum uitam diligenti examinatione debeant inquirere, et que corrigenda inueniunt episcopo nunciare, tamen dominationem super eos exercere, et censum ab eis exigere prohibentur.

Unde in Cabillonensi Concilio [c. 15]. legitur:

**C. III.** Archidiaconi super presbiteros dominationem non exercent.

Dictum est, quod in plerisque locis archidiaconi super presbiteros parrochianos quandam exercent dominationem, et ab eis censum exigunt, quod magis ad tirannidem, quam ad rectitudinis pertinet formam.

§. 1. Si enim iuxta Apostoli sententiam episcopi non debent esse dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo, multo minus isti facere hoc debent.

Sint itaque contenti regularibus disciplinis, et teneant propriam mensuram, et quod eis ab episcopis iniungitur, hoc per parrochias exercere studeant, nichil per cupiditatem et auariciam presumentes.

## **DISTINCTIO XCV.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quod autem sacerdotes supra iubentur episcopis tamquam subditi obedire, non ita intelligendum est, quasi non liceat eis presentibus episcopis sacra misteria celebrare, (sicut episcopali supercilio quidam ab his uolebant presbiteros prohibere), sed quia presbiteri pontificibus, tamquam filii parentibus, debent obedire.

Baptizatos etiam crismate eis tangere conceditur.

Unde Gregorius scribit Ianuario Episcopo Caralitano: [lib. III. epist. 26. Indict. XII].

**C. I.** Ubi episcopi desunt, baptizatos in frontibus presbiteri crismate tangant.

Peruenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbiteros crismate tangere eos, qui baptizati sunt, prohibuimus.

Et nos quidem secundum ueterem usum nostræ ecclesiæ fecimus.

Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbiteri etiam in frontibus baptizatos crismate tangere debeant, concedimus.

Gratian. Supra econtra Leo episcopus capitulo “Quamuis corepiscopis”: [Dist. LXVIII].

**C. II.** Presbiteri ultra suum modum contendere non presumant.

Item Gelasius.

[Papa Episcopus per Lucaniam, etc. epist. V. c. 8].

Presbiteros ultra suum modum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi crismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.

Gratian. Sed istud Gregorii pro scandalo sedando semel concessum legitur.

Illud autem Leonis et Gelasii usu approbante preualuit, nisi forte ubi aliquorum consuetudo hoc admisit, ut in absentia episcopi extrema necessitate cogente ex concessione Gregorii presbiteri baptizatos in frontibus liniant.

Prohibitio uero Leonis et Gelasii in eo casu intelligatur, cum episcopi presentes sunt, uel cum non cogit ultima necessitas.

Oleo uero sanctificato permittitur eis unguere infirmos.

Unde Iacobus ait: “Infirmatur quis in uobis? inducat presbiteros ecclesiæ, qui orent super eum ungentes eum oleo, et oratio fidei saluabit infirmum”.

## II. Pars.

§. 1. Sed queritur, an episcopis liceat eodem oleo unguere infirmos?

uel si inpenitentibus huiuscemodi unctio sit concedenda? De his uero ita scribit Innocentius Papa: [ad Decentium Eugubinum Episcopum, epist. I. c. ult.].

**C. III.** Oleo sanctificato non prohibentur episcopus tangere infirmos.

Illud superfluum uidemus adiectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbiteris licere non dubium est.

Nam idcirco de presbiteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis inpediti ad omnes languidos ire non possunt.

Ceterum si episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se uisitandum, et benedicere, et tangere crismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum crisma conficere.

Non penitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti.

Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

His igitur, frater karissime, omnibus, que tua dilectio uoluit a nobis exponi, prout potuimus respondere curauimus.

### III. Pars.

Gratian. Crisma uero a suis episcopis ad baptismi sanctificationem presbiteri petant. Unde in Cartaginensi Concilio IV.: [c. 36].

C. IV. Crisma singulis annis a proprio petatur episcopo.

Presbiteri, qui per dioceses ecclesias regunt, non a quibuslibet episcopis, sed a suis, nec per iuniorum clericum, sed omni anno aut per se ipsos, aut per illum, qui sacrarium tenet, ante paschæ solemnitatem crisma petant.

C. V. Presbiter idem est qui et episcopus ac sola consuetudine presbiteris episcopi presunt.

Item Ieronimus supra epistolam ad Titum.

Olim idem presbiter, qui et episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: “Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ,” communi presbiterorum consilio ecclesiæ gubernabantur.

Postquam autem unusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbiteris superponeretur et scismatum semina tollerentur.

Et paulo post:

§. 1. Sicut ergo presbiteri sciunt, se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi prepositus fuerit, esse subiectos, ita episcopi nouerint, se magis consuetudine quam dispensationis dominicæ ueritate presbiteris esse maiores, et in communi debere ecclesiam regere.

C. VI. Coram episcopis presbiteris docere licet.

Idem ad Rusticum Narbonensem Episcopum. [de septem gradibus ecclesiæ]

Ecce ego dico, presentibus episcopis suis atque astantibus in altario presbiteros posse sacramenta conficere.

§. 1. Sed quia scriptum est: “Presbiteri duplici honore honorentur, maxime qui laborant in uerbo Dei,” predicare eos decet, utile est benedicere, congruum est confirmare, conuenit reddere communionem, necesse est uisitare infirmos, orare pro inualidis, atque omnia Dei sacramenta complere.

§. 2. Nemo hinc episcoporum inuidia diabolicæ temptationis infletur, irascatur si plebem interdum presbiteri exhortentur, si in ecclesiis predicent, si plebi, ut dictum est, benedicant.

Etenim abnuenti mihi ista sic dicam: qui non uult presbiteros facere que iubentur a Deo, dicat, quid maior est Christo?

aut quid poterit corpori aut sanguini eius anteponi?

Si presbiter Christum consecrat, cum in altario Dei sacramenta benedicit, benedicere populum non debet, qui Christum consecrare non metuit?

§. 3. Circa laicos ac mulieres iubentibus uobis, iniustissimi sacerdotes, presbiter Dei benedictionis perdit officia amittit linguæ opus, non habet confidentiam predicandi, truncatus est omni parte uirtutum, solum presbiteri nomen habet, plenitudinem atque perfectionem, que consecrationi eius competit, non retentat.

§. 4. Quis hic, rogo, sacerdotes, honor uester est, ut dampnum gibbi inferatis?

Quoniam cum pastoribus per potentiam aufertur Deo digna diligentia, contagium quoddam et calamitas crescit in gregibus, ac dominici patrimonii dampna conquiritis, dum soli uultis in ecclesia potentari.

§. 5. Presbiteri negotiorum ab initio, iudices esse mandati sunt, presbiteri sacerdotum interesse debent concilio, quoniam et ipsi presbiteri, ut legimus, episcopi nominantur, secundum quod dictum est ad episcopum.

“Noli negligere gratiam, que tibi data est per inpositionem manuum presbiteri” et alibi ad maiores natu: “Qui uos posuit episcopos regere ecclesiam suam”.

§. 6. Sed oderunt hoc superbi sacerdotes in presbiterii nomine, qui nolunt hoc esse, quod Christus, qui discipulorum pedes lauit, qui baptizatus a Iohanne est licet baptizandum se esse a Domino proclamaret.

Quod propterea scribo, ut, si preteriti temporis error iam non potest reuocari uel ad presens in ecclesiis faciant, quod Romæ fit, quod in Affrica fit, quod in oriente fit, quod in Hispania, quod in Britannia, quod in Gallia quod in omnibus locis, ubi humilitas perseuerat, quod in celis (quod maius est), ubi sedes eorum legitur esse disposita.

**C. VII.** Episcopi et clerici inuicem sibi honorem exhibeant.

Idem ad Nepotianum. [epist. II].

Esto subiectus pontifici tuo, et quasi animæ parentem ama.

§. 1. Sed et episcopi sacerdotes se esse sciant, non dominos, honorent clericos quasi clericos ut ipsis episcopis honor deferatur a clericis.

§. 2. Scitum est illud oratoris Domicii: “Cur ego, inquit, te habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem?”

§. 3. Quod Aaron et filios, hoc esse episcopum et presbiteros nouerimus.

§. 4. Unus Dominus, unum templum, unum sit ministerium.

§. 5. Recordemur semper, quod beatus Petrus apostolus precepit sacerdotibus: “Pascite eum, qui in uobis est, gregem Domini, prouidentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed uoluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregi ex animo, ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis inmarcescibilem gloriæ coronam”.

§. 6. Pessimæ consuetudinis est in quibusdam ecclesiis, tacere presbiteros et presentibus episcopis non loqui quasi eis inuideant, aut eos dedignentur audire.

“Et si alii,” ut inquit apostolus Paulus, “fuerit reuelatum sedenti, prior taceat”.

“Gloria patris est filius sapiens”.

Gaudeat episcopus in iudicio suo, cum tales elegerit sacerdotes.

**C. VIII.** Presbiteri episcopos non precedant, sed comitentur uel subsequantur.

Item ex Concilio Laodicensi. [c. 56].

Non oportet presbiteros ante ingressum episcopi ingredi, et sedere in tribunalibus, sed cum episcopo ingredi, nisi forte aut egrotet episcopus, aut in peregrinationis comodo eum esse constiterit.

**C. IX.** Episcopus non dominum, sed collegam se presbiterorum cognoscat.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 34].

Episcopus in quolibet loco sedens stare presbiterum non patiatur.

[C. X].

Item ex eodem. [c. 35].



Episcopus in ecclesia in consessu presbiterorum sublimior sedeat.  
Intra domum uero collegam se presbiterorum esse cognoscat.

**C. XI.** Sine precepto episcopi presbiter non signet infantes.

Item ex Concilio Martini Papæ.

Presbiter presente episcopo non signet infantes, nisi ab episcopo fuerit illi preceptum.

[PALEA. **C. XII.** De eodem.

Item ex Concilio Neocesariensi, c. 13.

Presbiteri rursus in ecclesia ciuitatis, episcopo presente uel presbiteris ipsius urbis, offerre non possunt, nec panem sacrificatum dare, calicem que porrigere.

Si uere absentes hi fuerint, et ad dandam ordinationem uocentur soli, dare debebunt].

## **DISTINCTIO XCVI.**

### **GRATIANUS.**

Illud autem Honorii Augusti, quod de electione summi Pontificis supra constituisse legitur, nullius momenti esse probatur, cum non solum de ordinibus, sed nec etiam de rebus ecclesiasticis laicis legatur aliquando attributa disponendi facultas.

Unde quecumque a principibus in ordinibus uel in ecclesiasticis rebus decreta inueniuntur, nullius auctoritatis esse monstrantur.

Unde Simacus Episcopus catholicæ ecclesiæ urbis Romæ in Sinodo residens dixit:

**C. I.** De rebus ecclesiasticis disponendis laicis nulla facultas relinquitur.

Bene quidem fraternitas uestra ecclesiasticis legibus assecuta, sub diuini timore iudicii que erant statuenda diffiniuit, et ad iusticiæ cumulum peruenit, cum sufficienter uniuersa complectitur, nec adiectione indiget plenitudo, maxime de clericis, quos amor dominacionis inuasit, et iugum disciplinæ ecclesiasticæ fecit respuere.

§. 1. Quorum excessus enarrare difficile est: unum tamen, quod occurrit, uenerando ordini uestro intimare non differo.

Inter alia, scripturam quandam illustris memoriæ Basilium quasi pro ecclesiasticæ amore substantiæ conscripsisse refero, in qua nullus Romanæ ecclesiæ interfuit, uel subscripsit antistes, per quem potuisset sortiri legitimam firmitatem.

Ne ergo disputem inde, unde potest uestrum iudicare concilium requiratur, et referatur in medium, ut ex lectione agnoscatis, cuiusmodi possit habere substantiam.

Sancta sinodus respondit: "Deferatur in medium, ut cuiusmodi sit possit agnoscere".

Hec cum diceret, Ormisda diaconus recitauit: "Cum in Mausoleo, quod est apud B. Petrum apostolum, resedisset sublimis et eminentissimus uir prefectus pretorio atque patricius, agens etiam uices precellentissimi regis Odoacris, Basilium, dixit: "Quamquam studii uestri et religionis intersit, ut in electione episcopatus concordia principaliter seruetur ecclesiæ, ne per occasionem electionis status ciuitatis uocetur in dubium, admonitione beatissimi uiri Papæ nostri Simaci Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestacione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum et detrimentum ecclesiæ uenerabilis, si eum de hac luce contigerit transire, non sine consultacione nostra cuiuslibet celebretur electio".

Hec cum legeret, Cresconius Tudertinæ ciuitatis episcopus surgens e consessu dixit: "Hic perpendat sancta sinodus, utrum pretermisissis personis religiosis, quibus maxime

cura est de tanto Pontifice, electionem eius in suam possint redigere potestatem, quod contra canones esse manifestum est”.

Item Ormisda diaconus legit: “Ac ne confusionis atque dispendii aliquid uenerabilis ecclesia sustineret, miramur, pretermisissis quicquam nobis fuisse temptatum, cum sacerdote nostro superstite nichil debuisset assumi.

Quare si amplitudini uestræ uel sanctitati placet, incolumbia omnia, que ad futuri antistitis electionem respiciunt, religiosa ueneratione seruemus, hanc legem specialiter preferentes, quam nobis heredibus que nostris Christianæ mentis deuotione sancimus: ne umquam predium, siue rusticum, siue urbanum, uel ornamenta, aut ministeria que nunc sunt ecclesiarum, uel que ex quibuslibet titulis ecclesiarum iure peruenerint, ab eo, qui nunc antistes sub electione communi fuerit ordinandus, et illis, qui futuris seculis sequuntur, quocumque titulo aut commento alienari liceat.

Et quicumque hoc facere uoluerit, inefficax atque irritum iudicetur, sit que facienti, consentienti accipienti que anathema”.

§. 2. Maximus episcopus Bleranæ ecclesiæ dixit: “Modo sancta sinodus dignetur edicere, si licuit laico homini anathema in ordinem ecclesiasticum dictare, aut si laicus potuit sacerdoti anathema dicere, et contra canones quod ei non competebat constituere? Dicite, quid uobis uidetur? De me licuit laico legem dare?”

Sancta sinodus dixit: “Non licuit,” et adiecit: “Lege sequentia”.

Ormisda diaconus legit: “Et is, qui predium seu rusticum uel urbanum iuris ecclesiastici fuerit consecutus, nouerit se nulla lege uel prescriptione munitum; sed siue is, qui alienauerit, siue qui eum sequens, uoluntate contraria predium huiusmodi alienatum retinere temptauerit, id cum fructibus restituat, qui illud fuerit consecutus”.

§. 3. Hec cum legeret, Stephanus Venusinæ ecclesiæ episcopus surgens e consessu dixit: “Perlegatur”.

Hormisda diaconus legit: “Qua etiam pena placuit accipientis etiam heredes afficere.

In qua re cuilibet clericorum nulla contradicendi libera sit facultas.

Iniquum est enim et sacrilegii instar, ut que pro salute et requie animarum suarum unusquisque uenerabili ecclesiæ pauperum causa contulerit aut certe reliquerit, ab his, quos maxime seruare conuenerat, in alterum transferantur.

Plane quecumque in gemmis, uel auro siue argento, nec non et uestibus minus apta usibus uel ornatui uidebuntur ecclesiæ, que seruare ac diu manere non possunt, sub iusta estimatione uendantur, et erogatio religioni proficiat”.

§. 4. Cum que lecta fuisset, Laurentius episcopus Mediolanensis ecclesiæ dixit: “Ista scriptura nullum Romanæ ciuitatis potuit obligare Pontificem, qui non licuit laicis statuendi in ecclesia preter Romanum Papam habere aliquam potestatem: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas inperandi, maxime cum nec Papa Romanus subscripserit, nec alicuius secundum canones metropolitani legatur assensus”.

§. 5. Petrus episcopus Rauennatis ecclesiæ dixit: “Scripturam, que in nostra congregatione uulgata est, nullas uires habere manifestum est, quia nec canonibus conuenit, et a laica persona concepta uidetur, maxime quia in ea nullus presul sedis apostolicæ interfuisse, uel propria subscriptione eam confirmasse monstratur”.

§. 6. Eulalius episcopus Siracusanæ ecclesiæ dixit: “Scripturam, que in sacerdotali concilio recitata est, euidetissimis documentis constat inualidam: primum, quod contra Patrum regulas a laicis, quamuis religiosis (quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur umquam attributa facultas), facta uidetur; deinde quod nullius presulis apostolicæ sedis subscriptione firmata docetur.

Quod si cuiuslibet prouinciæ sacerdotes intra suos terminos concilio habito quicquid sine metropolitani sui auctoritate tractauerint, irritum esse debere sancti Patres sanxerunt quanto magis quod in apostolica sede, nunc extante presule (qui, merito B. Petri apostoli per uniuersum orbem primatum obtinens sacerdotii, statutis sinodalibus consuevit tribuere firmitatem) a laicis (licet consentientibus aliquantibus episcopis, qui tamen Pontifici, a quo consecrati probantur, preiudicium inferre non potuerunt) presumptum fuisse cognoscitur, uiribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censi?"

§. 7. Sancta sinodus dixit: "Licet secundum prosecutionem uenerabilium fratrum nostrorum Laurentii, Petri, Eulalii, Cresconii, Maximi, uel Stephani, nec apud nos incertum habetur, hanc ipsam scripturam nullius esse momenti, uerumtamen etiamsi aliqua possit ratione subsistere, modis omnibus in sinodali conuentu prouida beatitudinis uestre sententia eneruari conueniebat et in irritum deduci, ne in exemplo remaneret presumendi quibuslibet laicis, quamuis religiosis, uel potentibus, in quacumque ciuitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur".

Unde in sexta actione Calcedonensis Concilii Martianus Imperator dixit inter cetera:

**C. II.** Imperatores ad fidem confirmandam, non potenciam ostendendam sinodo interesse debent.

Nos ad fidem confirmandam, non ad potenciam ostendendam exemplo religiosissimi principis Constantini sinodo interesse uolumus, ut inuenta ueritate non ultra multitudo prauis doctrinis attracta discordet.

[C. III].

Item in eadem. [VI. actione, in fine]

Quedam capitula sunt, que ad honorem uestre reuerentiæ uobis seruauimus, decorum esse iudicantes, a uobis hec regulariter firmari potius per sinodum, quam nostra lege sanciri.

**C. IV.** Sinodali conuentui imperatores interesse non conuenit, nisi ubi de fide agitur.

Item Nicolaus Papa. [in epistola ad Michælem Imp. que incipit: "Proposueramus"].

Ubinam legistis, imperatores antecessores uestros sinodalibus conuentibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, que uniuersalis est, que omnium communis est, que non solum ad clericos, uerum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos?

**C. V.** De presulibus diuinarum rerum, qui humanis rebus presunt iudicare non possunt.

Idem. [in eadem epistola]

Denique hi, quibus tantum humanis rebus, et non diuinis preesse permissum est, quomodo de his, per quos diuina ministrantur, iudicare presumant, penitus ignoramus.

**C. VI.** Nec imperator iura Pontificis, nec Pontifex iura regia usurpet.

Idem. [paulo inferius]

Cum ad uerum uentum est, ultra sibi nec imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpauit, quoniam idem mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discreuit, propria uolens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia

rursum in inferno demergi, ut et Christiani inperatores pro eterna uita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum inperialibus legibus uterentur, quatinus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus, et Deo militans minime se negociis secularibus implicaret, ac uicissim non ille rebus diuinis presidere uideretur, qui esset negociis secularibus implicatus.

**C. VII.** A seculari potestate Pontifex prorsus nec solui nec ligari ualet.

Idem. [in eadem, paucis interiectis]

Satis euidenter ostenditur, a seculari potestate nec solui prorsus, nec ligari Pontificem, quem constat a pio principe Constantino (quem longe superius memorauimus) Deum appellatum, cum nec posse Deum ab hominibus iudicari manifestum sit.

Sed et Theodosius minor sanctæ sinodo scribens dixit Ephesinæ primæ.

“Deputatus est igitur Candidianus, magnificentissimus comes strenuorum domesticorum, transire usque ad sanctissimam sinodum uestram, et in nullo quidem, quem faciendæ sunt de piis dogmatibus questiones seu potius expositiones, communicare.

Illicitem namque est eum, qui non sit in ordine sanctissimorum episcoporum, ecclesiasticis intermisceri tractatibus”.

(Et post pauca:)

§. 1. His itaque manifestis repertis aparet conministrum Ignatium per inperialem tantummodo sententiam nullo modo potuisse prorsus expelli.

In cuius dampnatione quia presulum quoque assensus est subsecutus, aparet fuisse patratum id causa adulationis, non legitimæ sanctionis.

**C. VIII.** Facta Pontificum inperator iudicare non debet.

Idem Lodouico Inperatori.

In scripturis narratur Constantinus inperator dixisse “Vere si propriis oculis uidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachico habitu circumamicti sunt peccantem, clamidem meam explicarem et cooperirem eum, ne ab aliquo uideretur”.

In quibus igitur, desiderantissime fili, necessario commonemini, ut quemadmodum fide et religione ac honoris parilitate ei adequari uidemini, ita quoque humilitate atque deuotione equiparari nichilominus anheletis, ita ut in nullo inferior eo, sed potior inueniamini post exempla, qui talem se exhibuit ante talia prorsus exempla.

Sed hec quidem diximus, cautos uos reddere cupientes, ut si de Domini sacerdotibus, qui iure patres dicuntur, aliquid contigerit uos audire, quod confusionem piis mentibus ingerat, non infrontum, sed pudoratos filios Noe imitantes, patriam de reliquo uerecundiam contegatis, ut affluent, quemadmodum et illi, benedictione repleti moderante Domino mereamini.

**C. IX.** Regum et principum patres et magistri sacerdotes censentur.

Item ex epistola Gregorii [VII]. ad Hermannum Metensem Episcopum, [lib. VIII. epist. 21].

Quis dubitet sacerdotes Christi regum et principum omnium que fidelium patres et magistros censerit?

Nonne miserabilis insanix esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in celis se ligari posse et solui?

C. X. Auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas huius mundi gubernacula regit.  
Item Gelasius Papa Anastasio Imperatori.

Duo sunt quippe, imperator auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas.

In quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipso regibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem.

Et post pauca:

§. 1. Nosti itaque inter hec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi uoluntatem.

§. 2. Talibus igitur institutis, talibus que fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alii reges, alii imperatores excommunicauerunt.

Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, B. Innocentius Papa Archadium imperatorem (quia consensit, ut S. Iohannes Crisostomus a sua sede pelleretur), excommunicauit. B. etiam Ambrosius, licet sanctus, non tamen uniuersalis ecclesie episcopus, pro culpa, que aliis sacerdotibus non adeo grauis uidebatur, Theodosium Magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia exclusit; qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbo, quam regia potestate sit altior ordo sacerdotalis, hoc modo circa principium sui pastoralis scribens: "Honor, fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit conparationibus adequari.

Si regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum uideas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et osculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communicari".

C. XI. Imperatores debent Pontificibus subesse, non preesse.

Item Iohannes.

Si imperator catholicus est (quod salua pace ipsius dixerimus) filius est, non presul ecclesie; quod ad religionem competit discere ei conuenit, non docere; habet priuilegia potestatis sue, que administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est, et eius beneficiis non ingratus contra dispositionem celestis ordinis nil usurpet.

Ad sacerdotes enim Deus uoluit que ecclesie sunt disponenda pertinere, non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt, ecclesie sue sacerdotibus uoluit esse subiectas.

Non sibi uendicet alienum ius, et ministerium, quod alteri deputatum est, ne contra eum tendat abrumpi, a quo omnia constituta sunt, et contra illius beneficia pugnare uideatur, a quo propriam consecutus est potestatem.

Non a legibus publicis, non a potestatibus seculi, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus Christiane religionis clericos et sacerdotes uoluit ordinari, et discuti et recipi de errore remeantes.

Imperatores Christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis presulibus, non preferre.

[PALEA. C. XII. De eodem.

Item Gelasius ad Episcopos orientales.

Numquam de pontificibus nisi ecclesiam iudicasse; non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque ecclesie principaliter constitutis pontificibus; obsequi solere principes Christianos decretis ecclesie, non suam preponere potestatem; episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare].

[PALEA. C. XIII. De eodem.

Constantinus inperator coronam, et omnem regiam dignitatem in urbe Romana, et in Italia, et in partibus occidentalibus Apostolico concessit.

Nam in gestis B. Siluestri (que B. Papa Gelasius in concilio LXX. episcoporum a catholicis legi commemorat, et pro antiquo usu multas hoc imitari dicit ecclesias) ita legitur:]

[PALEA. C. XIV. De eodem.

Constantinus inperator quarta die sui baptismi priuilegium Romanæ ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut iudices regem.

In eo priuilegio ita inter cetera legitur: “Utile iudicauimus una cum omnibus satrapis nostris, et uniuerso senatu optimatibus que meis, etiam et cuncto populo Romanæ gloriæ inperio subiacenti, ut sicut B. Petrus in terris uicarius Filii Dei esse uidetur constitutus, ita et Pontifices, qui ipsius principis apostolorum gerunt uices, principatus potestatem amplius quam terrena inperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere uidetur, concessam a nobis nostro que inperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem apostolorum uel eius uicarios firmos apud Deum esse patronos.

Et sicut nostram terrenam inperialem potentiam, sic eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decreuimus ueneranter honorari, et amplius quam nostrum inperium et terrenum thronum sedem sacratissimam B. Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem, et gloriæ dignitatem atque uigorem, et honorificentiam inperialem.

Atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor precipuas sedes, Alexandrinam, Antiocenam, Ierosolimitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in uniuerso orbe terrarum ecclesias Dei, et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et eius iudicio queque ad cultum Dei uel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint disponantur”.

Et infra:

§. 1. Ecclesiis beatorum apostolorum Petri et Pauli pro continuatione luminariorum possessionum predia contulimus, et rebus diuersis eas ditauimus, et per nostram inperialem iussionem sacram tam in oriente, quam in occidente, uel etiam septentrionali et meridiana plaga, uidelicet in Iudea, Grecia, Asia, Thracia, Affrica et Italia, uel diuersis insulis, nostra largitate ei concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Siluestri summi Pontificis successorum que eius omnia disponantur.

Et infra:

§. 2. Beato Siluestro Patri nostro summo Pontifici et uniuersalis urbis Romæ Papæ, et omnibus, eius successoribus Pontificibus, qui usque in finem mundi in sede B. Petri erunt sessuri, de presenti contradimus palatium inperii nostri Lateranense, deinde diadema, uidelicet coronam capitis nostri, simul que frigium, nec non et superhumeralia, uidelicet lorum, quod inperiale circumdare assolet collum; uerum etiam et clamidem purpuream, atque tunicam coccineam, et omnia inperialia indumenta; sed et dignitatem inperialium presidentium equitum, conferentes etiam et inperialia sceptrum, simul que cuncta signa, atque banda, et diuersa ornamenta inperialia, et omnem processionem inperialis culminis et gloriam potestatis nostræ.

§. 3. Viris autem reuerentissimis clericis in diuersis ordinibus eidem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ seruientibus illud culmen singularitate, potentia et precellentia habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus uidetur gloria adornari, id est patricios

atque consules effici, nec non et ceteris dignitatibus inperialibus eos promulgamus decorari.

Et sicut inperialis milicia ornatur, ita et clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ ornari decernimus.

Et quemadmodum inperialis potentia offitiis diuersis, cubiculariorum nempe, et ostiariorum, atque omnium excubitorum ornatur, ita et sanctam Romanam ecclesiam decorari uolumus.

Et ut amplissime pontificale decus prefulgeat, decernimus et hoc, clericorum eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ manipulis et linteaminibus, id est candidissimo colore, decorari equos, ita et equitare.

Et sicut noster senatus calciamentis utitur cum udonibus, id est candido linteamine illustratis, sic utantur et clerici, ut sicut celestia, ita et terrena ad laudem Dei decorentur.

§. 4. Pre omnibus autem licentiam tribuimus ipsi sanctissimo Patri nostro Siluestro et successoribus eius ex nostro indicto, ut quem placatus proprio consilio clericare uoluerit, et in religiosorum numero clericorum connumerare, nullus ex omnibus presumat superbe agere.

§. 5. Decreuimus itaque et hoc, ut ipse et successores eius diademate, uidelicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant, et in capite ad laudem Dei pro honore B. Petri gestare.

Ipse uero beatissimus Papa, quia super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam B. Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona, nos frigium candido nitore splendidum, resurrectionem dominicam designans, eius sacratissimo uertici manibus nostris inposuimus, et tenentes frenum equi ipsius pro reuerentia B. Petri stratoris offitium illi exhibuimus, statuantes eodem frigio omnes eius successores singulariter uti in processionibus ad imitationem inperii nostri.

§. 6. Unde ut pontificalis apex non uilescat, sed magis quam terreni inperii dignitas gloria et potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut predictum est, quam Romanam urbem, et omnes Italiæ seu occidentalium regionum prouincias, loca et ciuitates prefato beatissimo Pontifici nostro Siluestro uniuersali Papæ contradimus atque relinquimus, et ab eo et a successoribus eius per hanc diualem nostram et pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque iuri sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permansura.

§. 7. Unde congruum perspeximus nostrum inperium et regni potestatem in orientalibus transferri regionibus, et in Bizantiæ prouinciæ optimo loco nomini nostro ciuitatem edificari, et nostrum illic constitui inperium, quoniam ubi principatus sacerdotum et Christianæ religionis caput ab inperatore celesti constitutum est, iustum non est, ut illic inperator terrenus habeat potestatem.

§. 8. Hec uero omnia, que per hanc nostram imperialem sacram, et per alia diualia decreta statuimus atque confirmauimus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permanere decernimus. Unde coram Deo uiuo, qui nos regnare precepit, et coram terribili eius iudicio obtestamur per hoc nostrum imperiale constitutum omnes nostros successores inperatores, uel cunctos optimates, satrapas etiam, amplissimum senatum, et uniuersum populum in toto orbe terrarum nunc et in posterum cunctis retro temporibus inperio nostro subiacentem nulli eorum quoquo modo licere hec aut infringere, aut in quoquam conuellere.

Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor extiterit, eternis condemnationibus subiaceat innodatus, et sanctos Dei, principes apostolorum Petrum

et Paulum sibi in presenti et in futura uita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus cum diabolo et omnibus deficiat inpiis.

Huius uero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes, super uenerandum corpus B. Petri principis apostolorum posuimus.

Datum Romæ 3. Calendas Aprilis, Domino nostro Flauio Constantino Augusto quater, et Gallicano V. C. Coss.].

**C. XV.** Imperialis auctoritas religiosæ dispensationis mensuram non mutat.

Item Gelasius. [ad Episcopos Dardaniæ]

Sicut quamuis parua ciuitas prerogatiuam presentis regni non minuit, sic imperialis presentia mensuram dispensationis religiosæ non mutat.

Et infra:

§. 1. Semper est effectum sacerdotali concilio de sacerdotibus iudicia prouenire.

Nam qualescumque pontifices, etsi errore humanitus accidente, non tamen contra religionem ullatenus excedentes, nullatenus uidentur a seculari potestate posse percelli.

**C. XVI.** Ecclesias restaurare contritas, non pontifices persequi boni principis est.

Item Marcellus Papa Maxentio.

Boni principis est ac religiosi ecclesias contritas atque conscissas restaurare, nouas que edificare, et Dei sacerdotes honorare atque tueri.

Unde sanctos apostolos eorum que successores sub diuina contestacione constitutos precepisse legimus, non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuaciones, nec inuidere laborantibus in agro dominico, nec expelli eterni regis dispensatores.

## **DISTINCTIO XCVII.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Hoc capitulo patenter ostenditur, quod nec inperatori, nec cuilibet laico licet decernere uel de electione Pontificis uel de rebus ecclesiasticis.

Quecumque autem ab eis constituta fuerint, pro infectis habenda sunt, nisi subscriptione Romani Pontificis fuerint roborata.

Unde illud Honorii Augusti, ut supra dictum est, uanum esse uidetur, quod contra auctoritatem sacrorum canonum de electione summi Pontificis decernere temptauerit.

Sed sicut ex eodem capitulo habetur, precibus ecclesiæ inperator in presumptores ualet decernere, sicut pro defensione fidei quondam decreuisse leguntur, ne heretici aliquid nomine ecclesiæ possiderent.

Ab ea autem non inuitati de rebus ecclesiasticis aliquid disponendi non habent facultatem.

Honorius uero Augustus non sua auctoritate, sed B. Bonifatio supplicante, ecclesiasticæ quieti consulere et concertantium ambitionem punire curauit.

Unde idem Bonifatius Episcopus supplicationis epistolam Honorio Augusto destinauit, dicens:

**C. I.** Epistola Bonifatii ad Honorium Augustum.



Ecclesiæ meæ, cui Deus noster meum sacerdotium uobis res humanas regentibus deputauit, nos cura constringit, ne causis eius, quamuis adhuc corporis incommoditate detinear, propter conuentus, qui a sacerdotibus et clericis uniuersis et Christianæ plebis perturbationibus agitantur, apud aures Christianissimi principis existimemur desse.

Si enim secus quam oportet eueniat, non uos id facere, qui cuncta equa moderatione conponitis, sed nos per nostram tacentem desidiam uidebimur quod ciuitatis quietem et ecclesiæ pacem peruertere ualeat admisisse.

Cum enim humanis rebus diuinæ cultor religionis Domino fauente prouideas, nostra culpa erit, si non id sub uestra gloria, quam certum est diuinis semper rebus animo propensiori fauisse, firmo et stabili iure custodiatur, quod per tot annorum seriem sub illis etiam principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit, id est, ut licita seruentur, et sub uestre inperio clementiæ minime que sunt illicita formidentur.

§. 1. Ipsa enim ecclesia deuotionem tuam, Christianissime inperator, meo quidem sermone, sed suo uenerabili affectu appellat, quam Christus Deus noster, uestre fidei rector et uestri inperii gubernator, sibi uni desponsatam et intactam uirginem seruat, ne in ea aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi, et quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari, gloriosissime et tranquillissime inperator semper auguste.

Ipsa uero (que uni desponsata est, uestra tamen mater est) ecclesia pietatem uestram legatione, quam suis sacerdotibus commisit, appellat, preterita presentia que repetit.

Vobis, inquit, religiosissime inperantibus modo tutus est populus, tam fidus Deo quam tibi, principi Christiano.

Ecce enim inter misteria, inter preces suas, quas pro uestri felicitate dependit inperii, teste, apud quem et de cuius sede agitur, sancto Petro, sollicitis pro religionis obseruantia uocibus clamat, cum sollicita petitione miscetur oratio, ne hos in uarias res solito temptatore occulte sollicitante semel euulsa discordia distrahat.

Angeretur pluribus, princeps Christianissime, mater ecclesia, nisi apud te suarum esset secreta causarum, et in obpressionibus idolorum, in hereticorum correctionibus, fide tua, diuino cultu pariter cum inperio semper florente, uicisset.

§. 2. Habet refugium pium tuæ mansuetudinis animum, cum suæ religionis ueneratione coniunctum, cum, quicquid huic proficiat, uos agatis, conferatis fratribus et consacerdotibus meis, probatissimis uiris, a me et ab omnibus (qui ecclesiam faciunt legatis; quibus prosequentibus (precamur) causa sacræ religionis, ut in urbe uestræ mansuetudinis hoc animo, quo postulatis annuitis, in perpetuum statui uniuersalis ecclesiæ consultatis.

### C. II. Rescriptum Honorii ad Bonifatium Papam.

Victor Honorius, inclitus, triumphator, semper augustus, sancto ac uenerabili Bonifatio Papæ urbis eternæ.

Scripta beatitudinis uestræ debita reuerentiæ gratulatione suscepimus, quibus recensitis egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati.

Et ideo reuertentibus uenerabilibus uiris gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, uti cottidianis orationibus apostolatus tuus studium ac uotum suum circa salutem atque inperium nostrum inpendere dignetur.

Illud autem pietati nostræ satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de ecclesiarum ac populi perturbatione sollicita est.

Que ut aliqua ratione non possit euenire, satis clementia nostra credidit esse prouisum.

Denique beatitudine tua predicante id ad cunctorum clericorum noticiam uolumus peruenire, ut, si quid forte religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum.

Ac si duo contra fas etc.,

ut supra.

Et infra:

§. 1. Unde id seruandum est, ut omnes tranquillam mentem et pacificos animos ex serenitatis nostræ admonicione custodiant, nec aliquid seditionis conpirationibus temptare conentur, cum certum sit, nulli partium sua studia profutura.

## II. Pars.

Gratian. Sine signatis apicibus non est mos Romanæ ecclesiæ undecumque legationem suscipere.

Unde Nicolaus Papa:

C. III. Romana non consuevit ecclesia sine signatis apicibus legationem undecumque suscipere.

Nobilissimus uir atque strenuus uestræ sublimitatis legatus, licet nullam epistolam iuxta consuetudinem a uobis nostro Pontificio detulisset, licet numquam apostolicæ sedis moris fuerit absque signatis apicibus undecumque legationem suscipere, nos tamen uos in illa honorantes, eius que grauitatem et eloquiorum illius ueridicas cognoscentes assertiones, nichilominus eum et sicut decuit suscepimus, et ei, sicut honestum fuit, credidimus.

## DISTINCTIO XCVIII.

### GRATIANUS.

Que circa ordinandos sint obseruanda, que in eorum electione diligenter sint consideranda, multorum auctoritatibus monstrata sunt.

Sed quia ueritas rei nonnumquam obscuratur mutacione prouinciæ, decretum est sacris canonibus, ut peregrini, nisi quinque uel eo amplius suorum episcoporum fuerint commendati cyrographis, non ordinentur.

Unde Silvester papa presidens in generali sinodo dixit:

C. I. Nisi quinque episcoporum litteris designatum, transmarinum hominem ad clericatum nullus suscipiat.

Nullus aliqua ratione transmarinum hominem penes nos in clericatus gradu suscipiat, nisi quinque episcoporum designatus sit cyrographis.

C. II. De eodem.

Item Anastasius [I]. urbis Romæ Episcopus omnibus Episcopis. [ep. I. cap. 2].

Transmarinos homines in clericatus honore nemo suscipiat, nisi quinque aut eo amplius episcoporum cyrographis fuerint designati, quia per subreptionem multa solent euenire.

C. III. De eodem.

Item Gregorius Romanæ Ecclesiæ presul Squillatiano Episcopo. [lib. II. epist. 25].

Affros passim, et ignaros peregrinos, ad ecclesiasticos ordines tendentes, nulla ratione suscipias, quia Affrorum alii quidam sunt Manichei, alii rebaptizati; peregrini uero plurimi in minoribus ordinibus constituti fortiores de se pretendisse honores sepe probati sunt.

**C. IV.** Non sunt promouendi ad clerum, qui in peregre fuerint baptizati.

Item ex Concilio Eliberitano. [c. 24].

Omnes, qui in peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita uita, placuit ad clerum non esse promouendos in alienis prouintiis.

## **DISTINCTIO XCIX.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

De primatibus autem (quorum supra mentionem fecimus) queritur, quem gradum in ecclesia obtineant?

an in aliquo a patriarchis differant? quam obedientium archiepiscopi eis debeant?

primates et patriarchæ diuersorum sunt nominum, sed eiusdem officii.

Ab archiepiscopis, quotiens necesse fuerit, episcopi ad primates appellant, sed a primatibus ad archiepiscopos appellari non licet.

Debent quoque obedientiam primatibus archiepiscopi in omnibus, que sibi ab eis fuerint iuste inperata.

Unde Anacletus Papa ait: [ad Episcopos Italiae, epist. II].

**C. I.** Que obedientia sit exhibenda primatibus.

Prouintiæ multo ante Christi aduentum tempore diuisæ sunt maxima ex parte, et postea ab apostolis et B. Clemente predecessore nostro ipsa diuisio est renouata.

Et in capite prouintiarum, ubi dudum primates erant legis seculi ac prima iudiciaria potestas, ad quos, qui per reliquas ciuitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam inperatorum uel regum confugere non poterant uel quibus permissum non erat, confugebant pro obpressionibus uel iniusticiis suis, ipsos que appellabant quotiens opus erat, sicut in lege eorum preceptum erat, ipsis quoque in ciuitatibus uel locis nostris patriarchas uel primates, qui unam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ et ecclesiasticæ poni et esse iusserunt, ad quos episcopi, si necesse fuerit, confugerent eos que appellarent, et ipsi primatum nomine fruerentur.

Reliquæ uero metropolitanæ ciuitates, que minores iudices habebant (licet maiores comitibus essent) haberent metropolitanos suos, qui predictis iuste obedirent primatibus, sicut et in legibus seculi olim ordinatum erat, qui non primatum, sed aut metropolitanorum, aut archiepiscoporum nomine fruerentur.

**C. II.** Non uocentur primates, nisi qui primas sedes tenent.

Item Anicetus. [ad Episcopos Gallie]

#### **II. Pars.**

Nulli archiepiscopi primates uocentur, nisi illi, qui primas sedes tenent, quarum episcopos apostoli eorum que successores regulariter patriarchas uel primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur, cui necesse sit pre multitudine primatem constitui.

Reliqui metropolitani nominentur, qui alias metropoles tenent.

**C. III.** Princeps summus sacerdotum non appelletur primæ sedis episcopus.

Item ex Concilio Affricano. [c. 6].

Primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus.

## **II. Pars.**

Uniuersalis autem nec etiam Romanus pontifex appelletur.

Unde Pelagius papa omnibus Episcopis:

**C. IV.** Nec etiam Romanus Pontifex uniuersalis est appellandus.

Nullus patriarcharum uocabulo uniuersalitatatis umquam utatur, quia, si unus patriarcha uniuersalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur.

Sed absit hoc a fidelibus, hoc sibi quempiam uelle arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte uideatur.

Quapropter karitas uestra neminem umquam suis in epistolis uniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.

**C. V.** De eodem.

Item Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino. [lib. VII. epist. 30. Indict. 1].

Ecce in prefatione epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis uerbum, uniuersalem me Papam dicens, imprimere curastis.

Quod peto mihi dulcissima sanctitas uestra ultra non faciat, quia uobis subtrahitur, quod alteri plus quam ratio exigit prebetur.

Ego non uerbis quero prosperari, sed moribus, nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco.

Meus namque est honor uniuersalis ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus uigor.

Tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.

Si enim uniuersalem me Papam uestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur uniuersum.

Sed absit hoc, recedant uerba, que unitatem inflant, karitatem uulnerant.

## **DISTINCTIO C.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Episcopos autem ordinare ante pallium acceptum nec archiepiscopo, nec primati, nec patriarchæ licet, quod ex auctoritate Pelagii Papæ (licet minus euidenter) datur intelligi.

Ait enim Pelagius Papa:

**C. I.** Infra tres menses fidem suam exponere et pallium postulare a Romana ecclesia quisque metropolitanus studeat.

Quoniam quidam metropolitanorum fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctæ sedi apostolicæ exponere detrectantes usum pallii neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio uiduatæ ecclesiis non sine periculo protelatur, placuit, ut quisquis metropolitanus ultra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam pallium que suscipiendum ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi dignitate careat, sit que licentia metropolitanis aliis, post secundam et tertiam commonitionem uiduatæ ecclesiis cum consilio Romani Pontificis ordinando episcopum subuenire.

§. 1. Si uero consecrandi episcopi negligentia prouenerit, ut ultra tres menses ecclesia uiduata consistat, communionem priuetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non differat.

Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit uiduatam ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat, imo metropolitani sui iudicio cedat.

**C. II.** Honor pallii non detur nisi meritis exigentibus et fortiter postulanti.  
Item Gregorius papa Brunichildæ Reginæ. [lib. VII. epist. 5].

## II. Pars.

Prisca consuetudo obtinuit, ut honor pallii nisi exigentibus causarum meritis et fortiter postulanti dari non debeat.

[PALEA. C. III. De eodem.

Idem Iohanni Corinthiorum Episcopo, libro 4. epistola 55.

Nouit sanctitas tua quia prius pallium nisi dato commodo non datur.

Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus B. Petri apostolorum principis, tam de hoc quam de ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione uetuimus.

Oportet ergo, ut neque per commodum, neque per gratiam aut quorundam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis uel permittatis adduci].

## III. Pars.

Gratian. Causarum uero merita accipienda sunt, ut et is, qui postulat, mereatur accipere, et fidei suæ professionem prius iuramento confirmet, et apostolicis decretis atque sinodalibus statutis se obediturum nichilominus caueat.

Pallio autem non nisi certis diebus et intra ecclesiam ad missarum solempnia cuiquam metropolitano uti licebit.

Unde Iohannes Episcopus Williberto Agripinensi Episcopo:

**C. IV.** Nisi post consuetam fidei professionem pallium dari non debet.

Optatum tibi pallium nunc conferre nequiuimus, quia fidei tuæ paginam minus quam oportet continere reperimus, cum uidelicet nullam in ea sanctarum uniuersalium sinodorum, in quibus fidei nostræ symbolum continetur, nec decretalium Pontificum

Romanorum constitutorum secundum morem feceris mentionem, sed nec illam propria subscriptione munieras, nec aliquem, qui hanc iureiurando firmaret miseras.

**C. V.** Qui pallium desiderat accipere, prius illicita a se amouere promittat.

Item Gregorius Aregio Episcopo Francorum. [lib. VII. epist. III].

In ea synodo, quam contra symoniacam heresim per fratrem et coepiscopum nostrum Siagrium decreuimus congregari, sanctitatem uestram uolumus interesse, atque eidem fratri ita pallium, quod transmisimus, tribui, si prius se promiserit illicita, que prohibuimus, per diffinitionem synodi a sancta ecclesia remouere.

De qua synodo omnem nobis subtiliter ordinem tuam fraternitatem scriptis discurrentibus uolumus nunciare, ut ipse, cuius nobis sanctitas ualde experta est, nos reddat de omnibus certiores.

**C. VI.** Nonnisi ad missarum solempnia archiepiscopo uti pallio licet.

Idem Vigilio Episcopo Arelatensi. [lib. IV. epist. 51].

#### **IV. Pars.**

Pallium tibi transmisimus, quo fraternitas tua intra ecclesiam ad sola missarum solempnia utatur.

[PALEA. C. VII. De eodem.

Idem Iohanni Rauennati Episcopo libro II. epistola 54.

Indictione II.

Non multum temporis interuallum est, quod quedam nobis de tua fraternitate fuerunt nunciata, de quibus uobis, ueniente illuc Castorio, notario sanctæ, cui Deo auctore presidemus, ecclesiæ, subtiliter nos indicasse meminimus.

Peruenerat namque ad nos quedam in ecclesia uestra contra consuetudinis atque humilitatis tramitem geri, que sola (ut bene nostis) est offitii sacerdotalis erectio.

Que si sapientia uestra mansuete, uel cum episcopali suscepisset studio, non de illis accendi debuerat, sed oportuerat te hec eadem cum gratiarum actione corrigere].

**C. VIII.** De eodem.

Idem Iohanni Episcopo Rauennati. [in eadem epistola]

Contra morem est ecclesiasticum, si non patientissime toleratur (quod a nobis absit) etiam iniusta correptio.

Et infra:

§. 1. Illud, frater karrissime, tibi non putamus ignotum, quod prope de nullo metropolitano in quibuslibet mundi patribus sit auditum, extra missarum tempus usum sibi pallii uendicasse.

Et quod bene hanc consuetudinem generalis ecclesiæ noueritis, uestris nobis manifestissimis epistolis significastis, quibus preceptum beatæ memoriæ decessoris nostri Iohannis Papæ nobis in subditis transmisistis adnexum, continens omnes consuetudines ex priuilegio decessorum nostrorum concessas uobis uestræ que ecclesiæ debere conseruari.

Confitemini igitur aliam esse generalis ecclesiæ consuetudinem, postquam ea, que geritis, uobis ex priuilegio uendicatis.

Nulla ergo nobis in hac re, ut arbitramur, poterit remanere dubietas.

Aut enim mos omnium metropolitanorum et tua est fraternitate seruandus, aut, si tuæ ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum preceptum ue a prioribus Romanæ urbis Pontificibus, quod hec Rauennati ecclesiæ sunt concessa, a uobis oportet ostendi. Quod si hoc non ostenditur, restat, postquam talia agere neque consuetudine generali neque priuilegio uendicas, usurpasse te conprobes quod fecisti.

Et infra:

§. 2. Decorari pallio uolumus forsitan moribus indecori, dum nichil in episcopali ceruice splendidius fulget quam humilitas.

Oportet ergo fraternitatem tuam, si honores suos sibi quibuslibet argumentis stabili proposuit mente defendere, aut generalitatis usum ex non scripto sequi, aut ex scripto priuilegiis se tueri.

Quod si postremo nichil horum est, aliis metropolitanis huius te prebere nolumus presumptionis exemplum.

## V. Pars.

Gratian. Priuilegia quoque semper cum usu pallii debent concedi.

Unde idem Gregorius Siagrio Episcopo Augustodunensi: [lib. VII. epist. 112].

### C. IX. De eodem.

Rationis ordo omnino nos admonet, ut cum usu pallii aliqua largiri priuilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet excrescere, ut cultui uestium actionis quoque ornamenta conueniant, oportet, ut enixius in cunctis studiis uestra se fraternitas exercent, et circa subiectorum actus sit uigilans.

### C. X. Usus pallii conceditur, et antiqua priuilegia innouantur.

Idem Iohanni Episcopo primæ Iustinianæ Illirici. [lib. IV. epist. 15].

Pallium uobis ex more transmisimus, et uices uos apostolicæ sedis agere iterata innouatione decernimus.

### C. XI. De eodem.

Idem Episcopis Epiri. [lib. V. epist. 7. Indict. 14].

Scriptorum uestrorum insinuatio, fratres karissimi, patefecit, Andream Nicomedianæ ciuitatis episcopum Deo propitio solempniter ordinatum, cui pallium nos direxisse cognoscite, atque cuncta priuilegia concessisse, que predecessores nostri eius predecessoribus contulerunt.

## DISTINCTIO CI.

### GRATIANUS.

In una autem prouincia duo metropolitani esse non debent, sicut in Calcedonensi Concilio [cap. 12]. statutum est:


### C. I. Duo metropolitani in una eadem que prouincia esse non possunt.

Peruenit ad nos, quod quidam preter ecclesiasticas ordinationes affectantes potentiam per pragmaticum sacrum unam prouinciam in duas diuidant, et ex hoc inueniuntur duo metropolitani episcopi in una eadem que esse prouincia.

Statuit igitur sancta synodus deinceps nichil tale attemptari a quolibet episcopo, eos uero, qui aliquid tale temptauerint, cadere de proprio gradu.

Gratian. Hactenus de electione et ordinatione clericorum tractauimus.

Nunc ad symoniacorum ordinationes transeamus, et ut facile liqueat, quid super hac heresi sanctorum Patrum decreuit auctoritas, causa deducatur in medium, cuius negotium et de scienter a symoniacis ordinatis, et de ignoranter a symoniacis consecratis, et de ordinationibus, que per pecuniam fiunt, contineat.





**DECRETI PARS SECUNDA****CAUSA I.****GRATIANUS.**

Quidam habens filium obtulit eum ditissimo cenobio: exactus ab abbate et a fratribus decem libras soluit, ut filius susciperetur, ipso tamen beneficio etatis hoc ignorante.

Creuit puer, et per incrementa temporum et offitiorum ad uirilem etatem et sacerdotii gradum peruenit.

Exinde suffragantibus meritis in episcopum eligitur, interueniente obsequio et paternis precibus; data quoque pecunia cuidam ex consiliariis archiepiscopi, consecratur iste in antistitem, nescius paterni obsequii et oblatæ pecuniæ.

Procedente uero tempore nonnullos per pecuniam ordinauit, quibusdam uero gratis benedictionem sacerdotalem dedit; tandem apud metropolitanum suum accusatus et conuictus sententiam in se dampnationis accepit.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an sit peccatum emere spiritualia?

(Qu. II).

Secundo, an pro ingressu ecclesiæ sit exigenda pecunia, uel si exacta fuerit, an sit persoluenda?

(Qu. III).

Tertio, an ingressum ecclesiæ uel prebendas emere sit symoniacum?

(Qu. IV).

Quarto, an iste sit reus criminis, quod eo ignorante pater admisit?

(Qu. V).

Quinto, an liceat ei esse in ecclesia, uel fungi ea ordinatione, quam paterna pecunia est assecutus?

(Qu. VI).

Sexto, an illi, qui ab eo iam symoniaco ignoranter ordinati sunt, sint abiciendi, an non?

(Qu. VII).

Septimo, si renunciens suæ heresi sit recipiendus in episcopali dignitate, uel non?

**QUESTIO I.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem spiritualia emere peccatum sit, probatur multorum auctoritatibus.

Ait enim Leo Papa:

**C. I.** Symoniaci gratiam non prestant, quam querunt uendere.

Gratia si non gratis datur uel accipitur, gratia non est.

Symoniaci autem non gratis accipiunt: igitur gratiam, que maxime in ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt.

Si autem accipiunt, non habent; si autem non habent, neque gratis neque non gratis cuiquam dare possunt.

Quid ergo dant? profecto quod habent? quid autem habent?

spiritum utique mendatii.

Quomodo hoc probamus? quia si spiritus ueritatis (testante ipsa ueritate, de qua procedit) gratis accipitur, proculdubio spiritus mendatii esse conuincitur, qui non gratis accipitur.

**C. II.** Inaniter sacerdos dicitur, quicumque symoniace ordinatur.

Item Gregorius Siagrius Episcopo Augustodunensi. [lib. VII. epist. 110].

Quicumque studet precii, datione sacrum ordinem percipere, sacerdos non est, sed concupiscit inaniter tantummodo dici.

**C. III.** Spolietur honore, qui ecclesiam per pecuniam obtinet.

Item in Registro.

Presbiter si ecclesiam per pecuniam obtinuerit, non solum ecclesia priuetur, sed etiam sacerdotii honore spolietur, quia altare, et decimas, et Spiritum sanctum uendere uel emere, symoniacam heresim esse, nullus fidelium ignorat.

[C. IV].

Idem. [Gregorius I. dicta epist. 110. lib. VII].

Benedictio illi in maledictionem, conuertitur, qui ad hoc ut fiat hereticus promouetur.

**C. V.** Partem habebit cum Symone, qui contra symoniacos uehementer non exarserit.

Idem in eodem.

Quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc, ut fiat hereticus, promouetur.

Quisquis ergo contra symoniacam et neophitorum heresim pro offitii sui loco uehementer non arserit, cum eo se non dubitet habiturum portionem, qui prius commisit hoc piaculare flagitium.

**C. VI.** Symonis dampnatio dantem pariter et accipientem inuoluit.

Item Gelasius Papa. [ad Episcopos per Lucaniam constitutos, epist. I. cap. 26].

Quos constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse precio dignitatem, conuictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale patrant, quia dantem pariter et accipientem dampnatio Symonis, quam sacra lectio testatur, inuoluit.

**C. VII.** Anathematis sententia dampnatur, qui symoniace ordinatur.

Item Ambrosius in libro pastorali.

Reperiuntur quamplurimi, negotiatione muneris mercari, uelle gratiam Spiritus sancti, dum illi precium donant, ut pontificalis ordinis sublimitatem accipiant, obliti uerborum Petri, qui dixit ad Symonem: "Pecunia tua te cum sit in perditione, quoniam existimasti donum Dei pecunia possidere".

Proinde quia et usitatum est tantum malum, et maiorum frequenter extat mucrone succisum, nos quoque huic uulneri canceroso ignitum (quod superest adhuc) inicimus

ferrum, decernentes omnino, ut, quicumque deinceps pro accipienda diuini doni dignitate quodlibet premium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis obprobrio condemnatum, atque a participatione corporis et sanguinis Christi alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium.

Quod si aliquis eius accusator extiterit, ille, qui hunc ordinem munerum fuerit datione lucratus, et suscepto honoris gradu priuetur, et in monasterio sub perenni penitentia tradatur.

Illi uero, qui hac causa munerum acceptores extiterint, si clerici fuerint, honoris sui amissione mulctentur, si uero laici, perpetuo anathemate condemnentur.

**C. VIII. Dampnatur episcopus, qui per pecuniam ordinationem facit.**

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 2].

Si quis episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, et sub precio redegerit Spiritus sancti gratiam, que uendi non potest ordinauerit que per pecuniam presbiterum aut diaconum, uel quemlibet de his, qui cognominantur in clero promouerit etiam dispensatorem, aut defensorem, uel quemlibet, qui subiectus est regulæ, pro sui turpissimi lucri commodo, is, cui hoc attemptanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subiacebit, et qui ordinatus est, nichil ex hac ordinatione uel promotione, que est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus a dignitate uel sollicitudine, quam pecuniis adquisiuit.

Si quis uero mediator tam turpibus et nefandis datis uel acceptis extiterit, siquidem clericus fuerit, proprio gradu decidat, si uero laicus anathematizetur.

**C. IX. A sacerdotio sit alienus, qui per pecunias ordinat uel ordinatur.**

Item ex VIII. Sinodo.

Qui per pecunias quemquam consecrauerit, uel ab alio consecratus est, alienus a sacerdotio sit.

**C. X. Nec ordinari, nec promoueri in ecclesia Dei per pecuniam aliquis ualet.**

Item Calixtus Papa. [II].

Sanctorum Patrum exempla sequentes et offitii nostri debito innouantes, ordinari quemquam per pecuniam in ecclesia Dei uel promoueri, auctoritate sedis apostolicæ modis omnibus prohibemus.

Si quis uero in ecclesia ordinationem uel promotionem taliter adquisierit, adquisita prorsus dignitate careat.

**C. XI. De eodem.**

Item Gregorius Nazanzenus.

Qui studet donum Dei precio mercari, in sacro ordine nulla ratione de cetero permanere aut reuocari posse dubium non est.

Talis a communione omnibus modis abscidatur.

Nam Spiritus sancti donum precio comparari quid aliud est quam capitale crimen et symoniaca heresis?

quod quam detestabiliter in utroque testamento uindicatum sit, multorum exemplis facile apparet.

Giezi gratiam sanitatis Naaman Siro uendidit; eandem gratiam sanitatis Eliseo uindicante leprosus factus amisit.

Iudas omnium redemptorem uendit, mox laqueo suspensus eandem redemptionis gratiam non obtinuit, et merito, quia nemo potest retinere quod uendit.

Symon etiam magus cum eandem Spiritus sancti gratiam emere uellet, dampnationis suae sententiam a Petro audiuit: “Pecunia tua te cum sit in perditione, quia donum Dei existimasti pecunia possidere”.

Dominus etiam, ut uendentes et ementes huius gratiae expertes ostenderet, cunctos peccatores per gratiam in templo dimisit, singulariter uendentes et ementes increpans et flagellans de templo eiecit, in quo uenditores et emptores suos gratia Spiritus sancti constat destitutos esse et uacuos.

Quos enim Christus eiecit de templo numquid Spiritus Christi faciet sibi templum?

**C. XII.** Symoniaci sacerdotes esse non possunt.

Item Gregorius.

Qui sacros ordines uendunt aut emunt, sacerdotes esse non possunt.

Unde scriptum est: “Anathema dandi, anathema accipiendi, hoc est symoniaca heresis”.

Quomodo ergo, si anathema sunt et sancti non sunt, sanctificare alios possunt?

Et cum in Christi corpore non sunt, quomodo Christi corpus tradere uel accipere possunt?

Qui maledictus est quomodo benedicere potest?

[C. XIII].

Idem. [Gregorius Siagrius, et aliis Episcopis, lib. VII. epist. 110].

Cum liqueat hanc heresim ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestacione dampnatam, cur non cauetur?

cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc, ut fiat hereticus promouetur?

**C. XIV.** Qui precio ordinat, lepram, non offitium confert.

Item Ambrosius de ministeriis. [seu de dignitate sacerdotali, cap. 5].

Cum ordinaretur episcopus, quod dedit aurum fuit, quod perdidit anima fuit; cum alium ordinaret, quod accepit aurum fuit, quod dedit lepra fuit.

[C. XV].

Item. [ibidem]

Gratiam, cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti.

[C. XVI].

Item de Giezi.

Cito turpem sequitur lepra mercedem, et pecunia male quesita corpus animam que commaculat.

§. 1. Vides, quia facto auctoris successio dampnatur heredis.

Inexpiabilis est enim uenditi culpa ministerii, et uindicta gratiae celestis transit in posteros.

Denique Moabitae et ceteri non intrabunt in ecclesiam Dei usque in terciam et quartam generationem, tamdiu uidelicet, (ut simplicius interpretemur), donec culpam auctorum multiplicis successio generationis aboleret.

Sed cum illi, qui in Deum ydololatriae errore deliquerunt, in quartam generationem uideantur esse mulctati, profecto durior uidetur esse sententia, qua Giezi semen usque in

eternum dampnatur, pro cupiditate habendi prophetica auctoritate presertim cum Dominus noster Iesus Christus per lauacri regenerationem dederit omnibus remissionem peccatorum.

Cur ergo Giezi semen in eternum dampnatur, nisi ut uitiorum magis quam generis semen intelligas?

Sicut enim qui filii promissionum sunt existimantur in semen bonum, ita etiam qui erroris sunt existimantur in semen malum.

Nam et Iudei ex patre diabolo sunt, non utique carnis successione, sed criminis.

Ergo omnes cupidi, omnes auari Giezi lepram cum diuitiis suis possident, et male quesita mercede non tam patrimonii facultatem, quam thesaurum criminum congregarunt eterno supplicio et breui fructu.

## II. Pars.

Gratian. Quia ergo auctoritate Leonis Papæ symoniaci non nisi spiritum mendacii accipiunt; secundum Gregorium apud symoniacus sacerdotium non subsistit, benedictio eorum in maledictionem conuertitur, apud eos manet anathema dandi et accipiendi, cum sancti non sint nec in Christi corpore constituti, cum sint maledicti, nec sanctificare alios possunt, nec Christi corpus tradere uel accipere, nec benedicere aliis ualent; secundum Ambrosium uero anathematis obprobrio condempnantur, atque a participatione corporis et sanguinis Christi alienantur, cum accipiatur aurum et lepra detur, cum inexpiabilis sit culpa uenditi ministerii; secundum Calcedonense concilium ex tali ordinatione nichil proficere iudicantur; secundum Gelasium Symonis dampnatione inuoluuntur; secundum Gregorium Nazanzenum in sacro ordine permanere aut renouari nulla ratione possunt, ab Eliseo lepra perfunduntur, a Petro in perdicionem dampnantur, a Christo uero de templo eiciuntur: quid aliud symoniacus symoniaco in sua ordinatione potest conferre, nisi quod Innocentius de ceteris hereticis testatur, dicens: [epist XVIII. ad Alexandrum, cap. 3].

**C. XVII.** Qui perfectionem Spiritus non habent, ipsam dare non possunt.

Qui perfectionem Spiritus, quam acceperant, perdiderunt, non dare eius plenitudinem possunt, que maxime operatur in ordinationibus, quam per suam perfidiam perdiderunt.

Et iterum:

§. 1. Qui honorem non habuit, honorem dare non potuit, nec aliquid accepit ille, quia nichil erat in dante, sed dampnationem, quam habuit, per prauam manus inpositionem dedit.

**C. XVIII.** Symoniacus per prauam manus inpositionem non consecrationem, sed dampnationem prestat.

Idem. [Rufo, et aliis Episcopis, epist. XXII. c. 3].

Ventum est ad terciam questionem, que pro sui difficultate longiorem exigit disputacionem.

Cum nos dicimus ab hereticis ordinos, uulneratum per illam manus inpositionem habere caput, ubi uulnus infixum est, medicina est adhibenda, qua possit recipere sanitatem.

Que sanitas post uulnus secuta sine cicatrice esse non poterit, atque ubi penitentiae remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse.

Nam sicut legitur, qui tetigerit immundum immundus erit, quomodo ei tribuetur quod munditia et puritas consuevit accipere?

§. 1. Sed econtra asseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse, quia nichil in dante erat, quod ille posset accipere.

Acquiescimus, et uerum est certe, quia quod non habuit dare non potuit.

Dampnationem utique, quam habuit, per prauam manus inpositionem dedit et qui particeps factus est dampnati, quomodo debeat honorem accipere inuenire non possum.

§. 2. Sed dicitur uera et iusta legitimi sacerdotis benedictio auferre omne uitium, quod a uitioso fuerat iniectum.

Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, atque omnium criminum rei, quia benedictione ordinationis crimina uel uitia putentur auferri; nullus sit penitentiae locus, quia id potest prestare ordinatio, quod longa satisfactio prestare consuevit.

Sed nostrae lex ecclesiae est, uenientibus ab hereticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus inpositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus uel exiguum subrogare honorem.

### III. Pars.

Gratian. Sed obicitur: Alii heretici a fide exorbitant, symoniaci autem, etsi gratiam Spiritus sancti uenalem putant, tamen a fide non sunt alieni, atque ideo, quod ab Innocentio de ceteris hereticis decernitur, non ualet consequentur de illis intelligi.

His ita respondetur: Symoniaci, etsi fidem tenere uideantur, infidelitatis tamen perdicioni subiciuntur.

Unde B. Ambrosius in I. libro de penitentia ad Nouatianum scribens, dixit:

C. XIX. Symoniaci fidei integritatem non habent.

Petrus, cum Symon magicæ artis consuetudine deprauatus putasset, quod gratiam Christi per inpositionem manus et infusionem Spiritus sancti pecunia conpararet, ait: "Non est tibi sors neque pars, in hac fide, quia cor tuum non est rectum apud Deum".

Vides, quod hunc magica uanitate condempnat apostolica auctoritate blasphemantem in Spiritu sancto, et eo magis, quod puram conscientiam fidei non habebat.

C. XX. Symoniacus infidelis esse probatur.

Item Gregorius in Registro.

Cum omnis auaritia ydolorum sit seruitus, quisquis hanc et maxime in dandis ecclesiasticis honoribus uigilanter non precauet, infidelitatis perdicioni subicitur, etiamsi tenere fidem, quam negligit, uideatur.

C. XXI. Symoniacorum heresis ceteris dampnabilior esse probatur.

Item ex epistola Tharasi Constantinopolitani Episcopi, missa Papæ Adriano.

Eos, qui per pecunias manus inposuerunt uel inponunt, Petrus diuinus apostolus (cuius cathedram sortita est sanctitas uestra) tamquam Symonem magum deponit.

§. 1. Tollerabilior enim est Macedonii et eorum, qui circa ipsum sunt, sancti Spiritus inpugnatorum inopia heresis.

Illi enim creaturam et seruum Dei Patris et Filii Spiritum sanctum delirando fatentur, isti suum eundem Spiritum sanctum efficiunt seruum.

Omnis enim dominus quod habet, si uult, uendit, siue seruum siue aliquid aliud eorum, que possidet.

Similiter et qui emit, dominus eius uolens esse quod emerit, per precium pecuniæ illud acquirit.

Ita et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui sancto, equaliter peccantes his, qui blasphemauerunt, dicentes, Christum in Beelzebub eicere demonia, atque, ut uerius dicamus, Iudæ comparantur proditori, qui Iudeis Dei occisoribus Christum uendit.

Cum ergo Spiritus sanctus consubstantialis sit Christo, eiusdem ipsi portionis erunt.

Et proculdubio in eis non est gratia Spiritus sancti, id est sacerdotii sanctitas.

Nam quod non acceperunt non habent.

Ait enim Petrus Symon: “Non est pars tibi neque sors in sermone isto, quia existimasti donum Dei pecunia possidere”.

§. 2. Nam et uicesimus nonus canon sanctorum apostolorum, et Actus eorundem, et tertius et quartus liber Regnorum, alienum omnino a sacerdotio pronunciant eum, qui aliquando dederit uel acceperit pecuniam in aliquo tempore, siue ante manus inpositionem, siue post inpositionem.

Accipere enim est quandocumque accipere.

**C. XXII.** Et qui dat, et qui accipit, ut ordines sacri prestantur, anathema sit.

Item ex Concilio Bracarense II. [c. 3].

Placuit, ut de ordinatione clericorum episcopi munera nulla suscipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt gratis dent.

Non aliquo precio Dei gratia et inpositio manuum uenundetur, quia antiqua diffinitio Patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens: “Anathema sit danti et accipienti”.

Propterea, quia aliquanti multis sceleribus obruti, sancto altario indigne ministrantes, non hoc testimonio bonorum operum, sed profusione munerum obtinent, oportet non per gratiam munerum, sed per diligentem discussionem prius, deinde per multorum testimonium clericos ordinare.

Gratian. Ex hac auctoritate Ambrosii et Gregorii patet, quod symoniaci (sicut et alii heretici) a fide exorbitant, et ideo consequenter de illis intelligitur, quod de aliis decernitur.

#### **IV. Pars.**

§. 1. Item opponitur, quod prophetia donum Spiritus sancti est, hec autem in ueteri testamento a sanctis prophetis uendi consueuerat.

Unde Saul ad Samuelem pro uaticinio expetendo non nisi cum munere ire presumpsit.

Uxor etiam Ieroboam ad hominem Dei non nisi cum munere accessit.

Item Christus a Iuda uenditus auriculam serui sanauit.

Exemplo itaque Saulis et uxoris Ieroboam patet, quod donum Spiritus sancti emere uel uendere non est peccatum.

Exemplo Christi liquet, quod Spiritus sanctus, etsi iniuste a symoniacis uenalis putetur, uirtutis tamen suæ non obliuiscitur, nec desinit effectum suæ gratiæ etiam uenditus prestare.

Sed de prophetia B. Ieronimus in [c. 3]. Michea competenter soluit, malos tantum accepisse, non bonos denunciatis:

**C. XXIII.** Mali prophetæ, non boni prophetiam uendebant.

“Duces,” inquit, “eius in muneribus iudicabant, sacerdotes eius in mercede respondebant, et prophetæ eius in pecunia diuinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes: Nonne Dominus est in nobis?

non uenient super nos mala.

Idcirco propter uos Sion quasi ager arabitur et Ierusalem ut custodia pomerii erit”.

Nemo ambigat Ierusalem propter scelera, que in hoc capitulo leguntur fuisse subuersam. Et paulo post:

§. 1. Poterat Petrus Symoni mago uendere quod petebat; imo poterat simulare uendentem, (Spiritus enim sanctus nec uendi nec emi potest); sed oblatam pecuniam cum offerente dampnauit.

§. 2. Nec moueat quemquam illud, quod in primo libro Regnorum legimus, Saulem uolentem ire ad Samuelem dixisse puero suo, ad eum se ire non posse, “quia precium, non est in manu mea,” et adiecit: “quarta pars sicli in manu mea est, hanc dabo uiro Dei, et adnunciabit uiam nostram”.

Non enim scriptum est, quod Samuel acceperit, aut quod illi obtulerint, quin potius pascuntur a propheta.

Sed fac eum accepisse: stipes magis estimandæ sunt tabernaculi quam munera prophetæ.

Siclus enim uiginti obolos habet.

Quarta pars ergo sicli quinque sunt oboli.

Nostri igitur sacerdotes, si uolunt uendere prophetiam, et columbam in cathedris suis proponere, quas Dominus flagello subuertit, quinque tantum obolorum sint mercede contenti, qui utinam non precium uillarum, sed quinque obolos acciperent.

§. 3. Hoc ipsum sonat in tercio Regnorum libro, de uxore Ieroboam ad hominem Dei, pergente, que non nisi decem panes obtulit et crustulam et uas mellis.

Hec magis in sumptus prophetæ reputanda sunt quam munera prophetiæ, licet potuerint hi, qui ad ariolos ire consueuerant ex mala eorum consuetudine id ipsum existimasse de prophetis, et uoluisse sanctis uiris offerre quod diuinis offerre consueuerant.

§. 4. Unde in quarto libro Regum legitur: “quod Eliseus uenit Damascum, et Benadad rex Siriæ egrotabat, nunciauerunt que ei, dicentes: Venit uir Dei huc, ait rex ad Azahel: Tolle te cum munera, et uade in occursum uiri Dei, et consule Dominum per eum, dicens, si euadere de hac infirmitate potero.

Iuit ergo Azahel in occursum eius, habens se cum munera, et omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum”.

Sed non sunt credendi accepisse, sicut de eodem Eliseo legitur, quod Naaman mundatus a lepra obtulit ei munera, dicens: “Obsecro, ut accipias benedictionem a seruo tuo.

At ille respondit: Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam.

Cum que uim faceret, penitus non acquieuit”.

[C. XXIV].

Idem in eodem.

Numquam diuinatio in bonam partem accipitur.

Videbantur sibi quidem esse prophetæ, sed quia pecuniam accipiebant, prophetia eorum facta est diuinatio.

Gratian. Cum ergo secundum Ieronimum boni prophetæ non munera prophetiæ accipiebant, sed stipes tabernaculi, malis autem, qui accipiebant, prophetia, que donum Dei uidebatur in diuinationem, que diabolica est, conuertebatur, quid aliud colligitur, nisi quod symoniacis (quod superius dictum est) nulla spiritualis gratia cooperatur?



Cum enim in sacramentis “neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid sed qui incrementum dat, Deus,” quis operatur in eis, si Dominus, qui incrementum dat, in eis non lucet, sed est otiosus?

Item, quod dicitur de Christo, quod sicut Christus uenditus restituit auriculam Malco, et fecit miracula, sic et Spiritus sanctus possit uendi, et in ipsa uenditione gratiam suam operari, non ualet hec similitudo.

Non enim hoc operatur Spiritus sanctus spiritualiter in perfidis mercimoniis auaritiæ, quod Christus gessit corporaliter certi misterii causa ad exemplum patientiæ.

Si enim omnifaria est similitudo, cum credatur posse uendi, ut Christus, credatur etiam Spiritus sanctus posse crucifigi, quod impossibile est.

Potest etiam intelligi (ut a similitudine non recedamus), quod sicut Christus uenditus non uenditori uel ementi, sed eis, qui nescientes aderant, dona suæ gratiæ contulit, pro quibus etiam in cruce supplicauit, sic et Spiritus sanctus non uendenti uel ementi, sed his, qui de manibus eorum ignorantia ducti sacramenta dominica accipiunt, suæ gratiæ effectum largiri probatur.

§. 1. Item obicitur, quod etsi malum sit ecclesiastica emere, tamen sepe sinistra principia ad felices perueniunt exitus.

Ut Iacob per subplantacionem peruenit ad benedictionem, ut seges, que leprosa manu seritur, munda tamen metitur, ut ex adulterino concubitu pulcra soboles nascitur: sic et pecunia, que per symoniam acquiritur, felicem habet exitum, cum pauperibus profutura erogatur.

Sed nichil horum symoniacis patrocinator.

Ait enim Leo [Episcopus] ad Mauros Episcopos: [epist. LXXXV. al. LXXXVII].

**C. XXV.** Que malo inchoantur principio, non bono peraguntur exitu.

Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen uitii sui est perniciosus exemplo.

Et difficile est, ut bono peragantur exitu, que malo sunt inchoata principio.

**C. XXVI.** Non superedificatur bonum opus, ubi Christus fundamentum non est.

Item Gregorius. [Anastasio] Antiocono Episcopo. [lib. VII. epist. 47. Indict. 2].

Cum Paulus dicat: “Fundamentum aliud nemo potest ponere, preter id, quod positum est, quod est Christus Iesus,” consequenter probatur, quia ubi Christus non est fundamentum, nullum boni operis est superedificium.

**C. XXVII.** Non potest fieri elemosina ex pecunia symoniace acquisita.

Idem Siagrio Episcopo. [lib. VII. epist. 110].

Non est putanda elemosina, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus acquiritur, quia qui hac intentione male accipit, ut bene dispenset, grauatur potius quam iuuetur.

§. 1. Unde etiam certum est, quia etsi monasteria uel xenodochia uel quid aliud ex pecunia, que pro sacris ordinibus datur, construantur, non proficit mercedi.

§. 2. Ne ergo sub obtentu elemosinæ cum peccato aliquid studeamus accipere, prohibet scriptura, dicens: “Hostiæ inpiorum abominabiles sunt, que offeruntur ex scelere”.

Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat.

Hinc rursus scriptum est: “Honora Dominum de tuis iustis laboribus”.

Qui ergo male tollit, ut quasi bene prebeat, constat sine dubio, quia Dominum non honorat.

Hinc quoque per Salomonem dicitur: “Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si uictimet filium in conspectu patris”.

Quantus autem dolor sit patris, perpendamus, si in eius conspectu filius uictimetur, et hinc facile cognoscitur, quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur.

Nimis ergo declinandum est, sub obtentu elemosinæ peccata symoniacæ hereseos perpetrare.

Nam aliud est propter peccata elemosinas facere, aliud propter elemosinas peccata committere.

Et post pauca:

§. 3. Quisquis igitur sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, prius uires suas cum eo, quod est subiturus, onere metiatur, ut si est inpar absteat, et ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat.

C. XXVIII. Pastor symoniacus nullam ouibus prebet medelam.

Idem Theodorico et Theoberto Regibus Francorum. [libro VII., ep. 114].

Fertur symoniaca heresis (que prima contra Dei ecclesiam diabolica subplantatione subrepsit, et in ipso ortu suo zelo apostolicæ ultionis percussa atque dampnata est) in regni uestri finibus dominari, cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum uita.

Si enim uita deest, fides meritum non habet, B. Iacobo attestante, qui ait: “Fides sine operibus mortua est”.

Que enim opera esse ualeant sacerdotis, qui honores tanti sacramenti conuincitur obtinere per premium?

Et post pauca:

§. 1. Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati anima letale uulnus infigitur, uerum etiam excellentiæ uestræ regimen episcoporum uestrorum culpa (quorum magis intercessionibus iuuari debuerat) pregrauatur.

Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed premiorum copia suffragatur, restat, ut nichil sibi in ecclesiasticis honoribus grauitas, nichil sibi defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat.

Et, dum uitia honor remunerat, in locum ultoris is fortasse, qui fuerat ulciscendus, adducitur, atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius iudicantur.

Vulnerato namque pastore quis curandis ouibus adhibet medicinam?

aut quomodo populum orationis clipeo tueatur, qui iaculis hostium se ferendum exponit?

aut qualem fructum de se producturus est, cuius graui peste radix infecta est?

Maior ergo metuenda est locis illis calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam prouocent, quam per semetipsos placare debuerant.

Gratian. Cum ergo secundum Leonem symonia non bono peragatur exitu, secundum Gregorium nullum boni operis sequatur edificium, nec est putanda elemosina, que ex precio symoniæ erogatur pauperibus, uulnerato pastore medicina non adhibetur curandis ouibus, de infecta radice fructus non producitur, maior etiam calamitas in futuro metuatur, de tam sinistro principio quis felix exitus speratur?

Hinc Augustinus ait:

C. XXIX. Symoniacorum sacramenta effectum gratiæ carent.

Sicut eunuchus fuit, qui Ioseph comparauit, ita qui gratiam mercatur, uiuum semen non habet siccis genitalibus.

Sic quoque ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babilonicæ captiuitatis sub aqua uixerat, extinctus est, Antiocho Iasoni uendente sacerdotium, quod significauit ignem Spiritus sancti non lucere in symoniacis sacramentis.

Gratian. Quid in his similitudinibus B. Augustinus notare uoluit, nisi quia sacramenta symoniacorum (sicut et ceterorum hereticorum) licet sint uera quantum ad formam, inania tamen et falsa sunt quantum ad effectum, cum non possint in cordibus hominum gignere uel accendere celestem gratiam?

## V. Pars.

§. 1. Sed obicitur illud Augustini contra hereticos: [tractatu V. super euangelium Iohannis]

C. XXX. Siue bonus, siue malus sit minister, per utrumque Deus effectum gratiæ confert.

Si fuerit iustus minister, computo eum cum Paulo, qui gloriam suam non querit, dicens: “Ego plantauit, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit”.

Qui uero superbus fuerit minister cum zabulo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quia per illum purus fluuius transit, et uenit ad fertilem terram.

Scio, quia lapis ex aqua fructum ferre non potest, et per lapideos canales transit aqua ad areolas, in canali lapideo nichil generat; sed ortus plurimum fructum affert.

Spiritualis enim uirtus sacramenti ut lux pura ab illuminandis excipitur; sed per imundos transiens non coinquinatur.

C. XXXI. De eodem.

Item ad Vincentium Donatistam. [ep. XLVIII].

Ex catholica ecclesia sunt omnia sacramenta dominica, que sic habetis et datis, sicut habebantur et dabantur prius, quam inde exiretis.

C. XXXII. De eodem.

Item ad Donatistas. [lib. V. c. 19].

Sic autem Deus adest sacramentis et uerbis suis, per quoslibet administrantur, quorum sacramenta et uerba recta sunt, sicut mali homines, quibus nichil prosunt, ubique peruersi sunt id est intus et foris.

[[C. XXXIII].

Item. [lib. IV. de bapt. contr. Donatistas, c. 12].

Nec foris ergo, nec intus quisquam, qui ex parte diaboli est, potest in se, uel in quoquam maculare sacramentum, quod Christi est.

C. XXXIV. Sacramenta, que non mutantur, catholicis et hereticis communia probantur.

Idem [Augustinus] ad Emeritum. [epist. CLXIV].

Sacramenta, que non mutastis, sicut habetis approbantur a nobis, ne forte, cum uestram prauitatem corrigere uolumus, illis ministeriis, que in uestra prauitate deprauata non sunt, sacrilegam faciamus iniuriam.

Neque Saul depraauerat unctionem, quam acceperat, cui unctioni Dauid pius exhibuit sepius tantum honorem.

**C. XXXV.** De eodem.

Idem ad Donatistas.

Sicut ficti ueraciter non fecte recipiunt, nec eorum baptisma reprobatur, sic et illa, que scismatici et heretici, non aliter habent, nec aliter agunt quam uera ecclesia, dum ad nos ueniunt, non emendamus, sed potius approbamus.

**C. XXXVI.** Non fugiantur sacramenta, a quocumque ministrentur.

Idem contra Petilianum. [lib. III. c. 9].

Neque in homine bono aliquis Dei sacramenta fugiat neque in homine malo.

**C. XXXVII.** Hominum malitia sacramenta non profanat.

Idem in libro de baptismo. [contra Donatistas, l. VI. c. 44].

Nonne Sodomitæ ethnici erant, id est gentiles?

Peiores ergo Iudei, quibus Dominus dicit: “Tollerabilius erit Sodomis in die iudicii quam uobis,” et quibus Propheta dixit: “Iustificastis Sodomam,” id est, conparatione uestra iusta facta est.

Numquid tamen ideo sacramenta diuina, que apud Iudeos talia erant, quales et ipsi erant?

que Dominus quoque ipse suscepit, et ad ea celebranda leprosos, quos mundauerat, misit, et ea Zachariæ ministranti angelus astitit, eum que in templo sacrificantem exauditum esse nuntiauit.

Hec eadem sacramenta et in bonis hominibus illius temporis erant, et in malis peioribus quam sint ethnici, quandoquidem in malicia Sodomitis prelati sunt, et tamen illa sacramenta in utrisque erant integra et diuina.

Nam et ipsi gentiles, si quid diuinum et rectum in doctrinis suis habere potuerunt, non inprobauerunt sancti nostri, quamuis illi per suas supersticiones, et ydololatriam, et superbiam, ceteros que perditos mores detestandi essent, et, nisi corrigerentur, diuino iudicio puniendi.

**C. XXXVIII.** Sacramenta mali habere possunt, licet uirtutem Spiritus sancti habere non possint.

Idem. [lib. III. cap. 16].

Multæ autem operationes sunt Spiritus sancti, quas idem Apostolus cum quodam loco commemorasset, ita conclusit: “Omnia autem hec operatur unus atque idem Spiritus, diuidens propria unicuique prout uult”.

Cum ergo aliud sit sacramentum, quod habere etiam Symon magus potuit, aliud prophetia, que in malis etiam hominibus fieri solet, ut in Saul, aliud operatio eiusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, id est karitas; quodlibet heretici et scismatici accipiant “karitas, que operit multitudinem peccatorum,” proprium donum est catholicæ unitatis et pacis, nec eius donum in omnibus, quia nec omnes sunt eius.

**C. XXXIX.** Licet sacramenta mali ministrent, remissionem peccatorum non prestant.

Idem. [eodem libro, c. 18].

Remissionem peccatorum auari non dant, que per orationem, id est per columbæ gemitum, datur, quicumque baptizet, si ad eius pacem illi pertinent, quibus datur.

Non enim raptoribus et feneratoribus dicit Dominus: “Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur illi; si cui tenueritis, tenebuntur”.

Foris quidem nec ligari aliquis potest, nec solui, ubi non sit qui alium ligare possit, an soluere sed soluitur qui cum columba fecerit pacem, et ligatur qui cum columba non habet pacem, siue aperte foris sit, siue intus esse uideatur.

Gratian. Si ergo sacramenta in modum lucis ab inmundis coinquinari non possunt, si in morem puri fluuii per lapideos canales ad fertiles areolas perueniunt, patet quod symoniaci sacramentum unctionis sibi quidem inutiliter et perniciose habent, aliis autem utiliter et salubriter eandem unctionem administrant.

Sicut ergo sunt uera sacramenta hereticorum quantum ad formam, ita sunt uera et non inania quantum ad effectum.

## VI. Pars.

Sed notandum est, quod sacramentorum alia sunt dignitatis, alia necessitatis.

Quia enim necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem, illa sacramenta, que saluti sunt necessaria, quia iterari non possunt, cum sint uera, auferri uel amitti non debent, sed cum penitentia rata esse permittuntur.

Illa uero sacramenta, que sunt dignitatis, nisi digne fuerint administrata ita ut digni digne a dignis prouehantur, dignitates esse desinunt, non ut minuatur ueritas sacramenti, sed ut cesset offitium administrandi, uel loco, uel tempore, uel promotione.

Loco, ut ait Leo: [ad Rusticum Narbonensem Episcopum epistola XC. al XCII. cap. I].

**C. XL.** De his qui a pseudoepiscopis ordinantur.

Si qui a pseudoepiscopis ordinati fuerint, potest rata haberi talis ordinatio, ita ut in ipsis ecclesiis perseuerent.

Aliter uana habenda est ordinatio talis.

Gratian. Ecce aliquis a pseudoepiscopis ordinatus, si locum suæ ordinationis mutauerit, uana est et sine amministrazione erit talis ordinatio.

Tempore, ut ait Innocentius [epist. XXII. c. 5]. de ordinatis a Bonoso:

**C. XLI.** Que pro necessitate conceduntur, eadem cessante cessabunt.

Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet cessare pariter quod urgebat, quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio.

Gratian. Ergo aliquis alio tempore ab eo, qui Bonoso sit similis, ordinatus, cessabit ab amministrazione, que pro necessitate illius temporis fuit permissa.

Item promotione, ut ait Leo: [epistola III. ad Iulianum Aquilegiensem]

**C. XLII.** Qui ab hereticis redeunt, sine spe promotionis in suis ordinibus recipi possunt.

Si quis hereticæ communionis contagione se macularit, hoc in magno beneficio habet, si adempta omni spe promotionis in quo inuenitur ordine permaneat.

Gratian. Ecce si clericus uel ordinatione, uel quolibet sacramento hereticis communicat, cessans a promotione uix in suo ordine perseuerat.

Non est enim de hoc sacramento ut de ceteris; cetera enim uel ad culpas abluendas dantur, ut baptismus et penitentia, uel pro culpis non in eternum, sed ad horam negantur, ut eucharistia, que in articulo mortis penitenti etiam de nefariis peccatis conceditur: hoc solum non solum pro culpa, sed etiam pro infamia interdicitur, etiam pro inminuta mundiciæ suæ, uel extrinsecæ, uel intrinsecæ perfectionis prerogatiua, ut bigamis, uel

uiduæ maritis, uel illiteratis, uel corporis qualibet parte uitiatis denegatur, quibus tamen baptismus uel eucharistia non negatur.

Potest etiam talis cuncta sacramenta administrare, qui istud solum non ualet conferre.

Unde Leo ait: [ad Episcopos Africae, epist. LXXXV. al. LXXXVII. cap. 2].

**C. XLIII.** De episcopis, qui consecrant, qualem consecrare non licet.

Si qui episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo dampnum proprii honoris euaserint, ordinationis tamen ius ulterius non habebunt, nec illi umquam sacramento intererunt, quod inmerito prestiterunt.

Gratian. Ecce cum honoris periculum euadant, ut cetera sacramenta sacerdotaliter administrare permittantur, ab hoc solo non modo pro heresi uel qualibet maiori culpa, sed etiam pro negligentia remouentur.

In quibus omnibus sollicitè notandum est, quod sacramentum sacerdotalis promotionis pre ceteris omnibus magis accurate et digne dandum uel accipiendum est, quia nisi ita collatum fuerit, eo desinet esse ratum, quo non fuerit rite perfectum.

Cetera enim sacramenta unicuique propter se dantur, et unicuique talia fiunt quali corde uel conscientia accipiuntur.

Istud solum non propter se solum, sed propter alias datur, et ideo necesse est, ut uero corde munda que conscientia, quantum ad se, sumatur, quantum ad alios uero non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia, propter fratrum scandalum, ad quorum utilitatem, non solum ut presint, sed etiam ut prosint, sacerdotium datur.

Unde Ieronimus in Michea:

**C. XLIV.** Symoniaci rei sunt infidelitatis eorum, qui scandalizantur.

Hii, quoscumque de asseclis suis ordinantes, et uitam eorum in scandalum populi exponentes, rei sunt infidelitatis eorum, qui scandalizantur.

Gratian. Reuera enim qui ad hoc eliguntur, ut ceteris presint, sicut preordinantur dignitate, sic preminere debent sanctitate.

Alioquin cur ceteris preferuntur, qui nulla meritorum gratia a ceteris assumuntur?

Unde Simacus Laurentio Mediolanensi Episcopo:

**C. XLV.** Sicut honore, ita et scientia quisque precellere debet.

Vilissimus computandus est, nisi precellat scientia et sanctitate, qui est honore prestancior.

## **VII. Pars.**

Gratian. Patet ergo illud Augustini (sacramenta uidelicet Christi per hereticos ministrata suo non carere effectum) non de omnibus intelligi generaliter, sed de sacramento baptismatis.

Unde idem Augustinus ait: [tract. V. in Iohannem]

**C. XLVI.** Baptismus sine per bonum, siue per malum ministretur, reiterari non debet.

Dedit baptismum Iudas, et non est baptizatum post Iudam, dedit Iohannes, et baptizatum est post Iohannem, quia qui datus est a Iuda, baptismus Christi est, qui a Iohanne, Iohannis erat.

Non Iudam Iohanni, sed baptisma Christi, etiam per Iudæ manus datum, Iohannis baptismo recte preponimus.

Item:

§. 1. Quos Iudas, baptizauit et Christus, sic ergo quos baptizat ebrius, homicida, adulter, Christus baptizat.

Item.

§. 2. Sacramentum ecclesiæ tam magnum est, ut nec homicida ministrante polluatur.

**C. XLVII. De eodem.**

Item contra Donatistas. [lib. IV. c. 4].

Sicut urgeri uideor, cum mihi dicitur: ergo hereticus dimittit peccatum?

sic et ego urgeo, cum dico: ergo cum iuste baptizat, auarus, religionis simulator dimittit peccata?

Si per uim sacramenti, sicut ille et ille; si per meritum suum, nec ille nec ille.

Illud enim sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur, in corpore autem unicæ columbæ, immaculatæ nec ille, nec ille inuenitur.

Ut si cuius manus esset arida, uerum quidem esse membrum, quamuis sine sanguine inefficax esset, et mortuum sic et fides cum sit uera, tamen sine operibus mortua est.

Item:

§. 1. Sic in heresi baptizatus in nomine sanctæ Trinitatis non fit tamen templum Dei, si ab heresi non recesserit, quomodo neque in auaritia in eodem nomine baptizatus fit templum Dei, si ab auaritia non recedat, que est ydolorum seruitus.

### **VIII. Pars.**

Gratian. Ex his itaque uerbis apparet, baptisma, quod ab hereticis tribuitur, uirtute sua remissionem conferre peccatorum.

Sed idem Augustinus econtra testatur in libro [VI]. de baptismo [contra Donatistas, c. 1]. dicens:

**C. XLVIII. Baptisma Christi, etsi nulla peruersitate uioletur, apud hereticos tamen caret effectum.**

Etiam corde tardiores intelligunt, baptismum Christi nulla peruersitate dantis uel accipientis posse uiolari.

Sed quia aliud est sacramentum ab effectu sacramenti, cum eos, qui in ipsa unitate ecclesiæ perditæ uiuunt, constet remissionem peccatorum nec dare, nec habere posse, quia non malignis, sed bonis filiis dictum est: “Si cui dimiseritis peccata, dimittentur, cui tenueritis, tenebuntur,” patet ergo hereticos dare tantum uel accipere sacramentum baptismi.

[[**C. XLIX.**]

Item in uerbis Domini de blasphemia Spiritus.

Corporalia sacramenta, que portant et celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, formam habere pietatis possunt.

Virtus uero inuisibilis et spiritualis ita in eis esse non potest, quemadmodum sensus non sequitur membrum, quando amputatur a corpore.

**C. L. De eodem.**

Item Ambrosius in libro de initiandis rudibus.

Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit, quia in diluio aquarum ad Deum non approximabunt, quia, ut per Apostolum dicitur, “quicquid ex fide non est, peccatum est,” et ipsis, qui faciunt, et quibus faciunt non solum non prodest, sed ad iudicium est.

**C. LI.** Per manus inpositionem confirmantur qui ab hereticis baptisma accipiunt.

Item Leo Papa ad Nicetem Episcopum. [epist. LXXVII. al. LXXIX. c. 7].

Hi, qui baptismum ab hereticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola Spiritus sancti inuocatione per inpositionem manus confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis uirtute sumpserunt.

Et hanc regulam, ut scitis, seruandam in omnibus ecclesiis predicamus, ut lauacrum semel initum nulla iteratione uioletur, dicente Apostolo: “Unus Deus, una fides, unum baptisma,” cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed, ut diximus, sola sanctificatio sancti Spiritus inuocanda, ut quod ab hereticis nemo accipit a catholicis sacerdotibus consequatur.

## **IX. Pars.**

Gratian. Sed notandum est, quod heretici, ut Arriani et Sabelliani, quorum alii inequalitatem, alii indiscretionem personarum confitebantur, baptisma non in forma ecclesiae, sed suae peruersitatis ministrabant.

§. 1. De his specialiter Ambrosius locutus est, dicens: “Non sanat baptismus perfidorum, etc.” ut etiam rebaptizentur et reordinentur unde in Niceno Concilio [c. 19]. statutum est:

**C. LII.** Rebaptizentur et ordinentur qui de Paulianistis et Cathafrigis ad ecclesiam redeunt.

Si quis confugerit ad ecclesiam catholicam de Paulianistis et Cathafrigis statutum sit, rebaptizari eos omnino debere.

Si qui uero clerici erant apud eos, siquidem inculpati fuerint et irreprehensibiles, rebaptizandi sunt, rursus etiam ordinentur ab episcopo ecclesiae catholicae.

Si uero examinati minus apti fuerint deprehensi, deponi eos oportet.

Similiter autem et circa diacones et de omnibus, qui in eodem clero inueniuntur, eadem forma seruabitur.

[[**C. LIII.**]

Item Innocentius. [ad Episcopos Macedoniae, epist. XXII. c. 5]

Paulianistae in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti minime baptizant et Nouatiani iisdem nominibus tremendis baptizant, nec apud istos de unitate potestatis diuinae, hoc est Patris, Filii ei Spiritus sancti, questio aliquando commota est etc.

Gratian. Alii formam ecclesiae in baptizando seruant.

Sed dum ab eis baptizantur, qui in heresi uel scismate eis communicant, sacramentum quidem baptismi ab eis accipiunt, uirtutem uero non consecuntur, quam sine fide nullus consequi potest.

Unde de Domino dicitur, quod in patria sua non poterat facere signum propter incredulitatem eorum.

Item Augustinus in omelia LXXX:



**C. LIV.** Dum uerbum accedit ad elementum, fit sacramentum.

Detrahe uerbum, quid est aqua nisi aqua? accedit uerbum ad elementum, et fit sacramentum.

§. 1. Unde ista tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente uerbo?

non quia dicitur, sed quia creditur.

Nam et in ipso uerbo aliud est sonus transiens, aliud uirtus manens.

Gratian. De his etiam, qui in heresi uel scismate baptizantur, scribit Augustinus, ad Petrum Diaconum, [c. 36]. dicens:

**C. LV.** Extra ecclesiam baptizati si ad ecclesiam non redierint perniciem sibi accumulunt.

Firmissime tene et nullatenus dubites, extra ecclesiam baptizatis, si ad ecclesiam non redierint, baptismo cumulari perniciem.

Tantum enim ualet ecclesiasticæ societatis communio ad salutem, ut baptismo non saluetur cui ibi non datur, ubi oportet ut detur.

**C. LVI.** Inutilia sunt dona, que preter ecclesiæ unitatem habentur.

Idem. [tractatu XIII. ad c. 3. Iohannis]

Teneamus, unitatem fratres mei.

Preter unitatem et qui facit miraculum nichil est; in unitate erat populus Israël, et non faciebat miracula; preter unitatem erant magi Pharaonis, et faciebant similia Moysi.

Populus Israël, ut dixi, non faciebat miracula.

Qui erant saluandi apud Deum, qui faciebant miracula, an qui non faciebant?

Petrus apostolus resuscitauit mortuum.

Symon magus fecit multa.

Erant quidam Christiani, qui non poterant facere quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Symon.

Sed inde gaudebant? quia nomina eorum scripta erant in celo.

**C. LVII.** Baptisma semel traditum non est reiterandum.

Item Leo ad Nicetem Episcopum. [epist. LXXVII. al. LXIX. c. 7].

Hanc regulam seruandam in omnibus ecclesiis predicamus, ut lauacrum semel initum nulla iteratione uioletur, dicente Apostolo: “Unus Deus, una fides, unum baptisma,” cuius ablutio nulla reiteratione uiolanda est, sed, sola sanctificatio Spiritus inuocanda, ut quod ab hereticis nemo accipit a catholicis sacerdotibus consequatur.

## **X. Pars.**

Gratian. Nemo in heresi uel scismate constitutus intelligendus est.

Ceterum, si cum fidei integritate et animi puritate de manu hereticorum aliquis in forma ecclesiæ baptisma acceperit, tunc inpletur illud Augustini: “Per lapideum canalem aqua transit ad areolas”.

Et iterum: “Spiritualis uirtus sacramenti, etc.”.

**C. LVIII.** Etiam per malos boni colliguntur.

Item [Augustinus] de blasphemia Spiritus sancti.

Spiritus sanctus in sancta ecclesia etiam isto tempore, quo uelud granum attrituratur cum palea, sic operatur, ut nullius ueram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, ut etiam per illorum ministerium probos colligat.

Gratian. Ecce quando ab hereticis baptismum cum sua uirtute accipitur, cuius tam necessaria administratio est, ut nec etiam a paganis datum possit reiterari.

Unde in ecclesiastica ystoria legitur, quod Alexander episcopus Alexandriae, cum Petri Martiris sollempnia celebraret, post expleta missarum sacramenta uidit super oram maris puerorum ludum, imitantium, ut solet fieri, episcopum, et gerentium ea, que in ecclesia geri mos est.

Mox eos ad se perducere iubet, et quid egissent percunctatur.

Illi rei ordinem pandunt, baptizatos a se esse quosdam cathecuminos confitentur per Athanasium puerum, qui illis fuerat episcopus simulatus.

Ubi ex responsis eorum uidit secundum religionis nostrae ritum cuncta constare, statuit illis, quibus integris interrogationibus et responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea, que sacerdotibus est mos.

Hinc etiam Ysidorus ait:

**C. LIX.** De his, qui per ignorantiam ordinantur antequam baptizentur.

Si quis per ignorantiam ordinatur antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum rebaptizari, et ipse ulterius non ordinetur.

Sed Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam credit baptismi, licet paganus sit, qui baptizat.

[PALEA. C. LX.

Ex Concilio apud Compendium.

Si presbiter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum].

Gratian. Quod autem cetera sacramenta ab hereticis ministrari non possint, testatur Ieronimus in Aggeo Propheta: [cap. 2].

**C. LXI.** Non placent Deo que ab hereticis offeruntur.

Sic populus iste hereticorum omnium est in conspectu meo, dicit Dominus, omne, quod fecerint, quod mihi obtulerint, uel uota, uel pro salute, uel pacifica, uel pro peccato, uel holocaustis siue elemosinas siue ieiunia uel corporis castitatem contaminata erunt in conspectu meo.

Quamuis enim sancta uideantur specie sui que offeruntur, tamen, quia tractata sunt ab illo, qui pollutus est in anima, polluuntur omnia.

**C. LXII.** De eodem.

Item in Amos Propheta. [c. 5].

Odit Deus sacrificia hereticorum et a se proicit, et quotiens in nomine eius congregati fuerint, detestatur fetorem eorum et claudit nares suas.

[[C. LXIII].

Item in Osea. [cap. 6].

Illi offerunt panem sacrilegum, et dant elemosinas, et sectari uidentur humilitatem.

Que ego, si uere fiant, holocausta interpretor.

Cum autem scientiam Dei dereliquerint, frustra truncato capite fidei cetera membra habere se iactant.

**C. LXIV.** Sine fide et karitate nec euangelium habetur, nec prosunt aliqua bona.

Idem in epistola ad Galatos. [c. 1. u. 11].

Marcion et Basilides, et ceteræ hereticorum pestes non habent Dei euangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit euangelium quod docetur.

Nec putemus in uerbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

[[**C. LXV.**

Idem. [ad cap. 5. eiusdem epistolæ u. 14].

Vide, quantum bonum est karitas.

Si ita martirium fecerimus, ut nostras uelimus ab hominibus reliquias honorari, et si opinionem uulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, et substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam premium quam pena debetur, et perfidiæ magis tormenta sunt quam corona uictoriæ.

**C. LXVI.** Hereticorum benedictio maledictio est.

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 32].

Non oportet hereticorum benedictiones accipere, quoniam maledictiones magis sunt quam benedictiones.

**C. LXVII.** Neque cum hereticis, neque cum scismaticis licet orare.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 70].

Non liceat clericis uel laicis ab hereticis eulogias accipere, quia maledictiones sunt magis quam benedictiones, neque liceat aut cum hereticis, aut scismaticis orare.

**C. LXVIII.** Extra ecclesiam non sunt uera sacrificia.

Item Leo ad Anatholium Constantinopolitanum Episcopum. [epist. XLVIII. cap. 2].

In ecclesia Dei, que corpus Christi est, aliter nec rata sunt sacerdotia, nec uera sacrificia, nisi in proprietate suæ naturæ uerus nos pontifex reconciliet.

**C. LXIX.** Impiorum manibus diuina sacramenta se subducunt.

Idem Leoni Augusto. [epist. LXXIII].

Manifestum est, per crudelissimam et insanissimam uesaniem in Alexandrina sede omne celestium sacramentorum lumen exstinctum.

Intercepta est sacrificii oblatio, deficit crismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia sese subtraxere misteria.

**C. LXX.** Sacramenta extra ecclesiam ministrari possunt, salutem uero conferre non possunt.

Item B. Martir Ciprianus in epistola contra hereticos.

Si quis, inquit, de ecclesia heretica presumptione exierit, a semetipso dampnatus est.

Cum huiusmodi secundum Apostolum, nec cibum quidem sumere debemus.

Declaratur hoc in libro Regnorum, ubi, cum homo Dei ad Ieroboam missus esset, qui peccata sua exprobraret atque ultionem futuram predicaret, panem apud illum edere et aquam bibere prohibitus est.

Quod cum non custodisset, diuina sententia inde rediens, morsu leonis in itinere interiit.

§. 1. An debet quisquam dicere, sacramentum salutare, et gratiam celestem communem cum hereticis esse posse, cum quibus nec terrestres cibus, nec secularis potus debet esse communis?

Constat autem oleum, unde baptizati tinguntur, sanctificari, et eucharistiam fieri apud illos omnino non posse, ubi spes nulla est et fides falsa, ubi omnia per mendacium geruntur.

Nam hereticus more symiarum, que cum homines non sint, formam humanam imitantur, uultum ecclesiæ catholicæ et auctoritatem sibi et ueritatem uendicant, cum ipse in ecclesia non sit.

Benedicit cum a Deo sit maledictus, uitam pollicetur cum sit mortuus, Deum inuocat blasphemus, sacerdotium amministrat profanus, ponit altare sacrilegus.

Ad hec omnia accedit et illud malum, ut antistes diaboli audeat eucharistiam facere, cum nec sanctificari oblatio illic possit, ubi Spiritus sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per eius preces et orationes prosit, qui Deum ipse uiolauit.

Si enim qui ecclesiam uiolant ethnici, et publicani habentur, multo magis rebelles et hostes, falsa altaria, et illicita sacerdotia, et sacrificia sacrilega et omnia adulteria fingentes, inter ethnicos et publicanos necesse est ut computentur, quos omnes constat a karitate atque unitate ecclesiæ catholicæ recessisse.

Ergo omnia, quecumque faciunt heretici, carnalia sunt, inania et falsa, ita ut nichil eorum, que illi gesserint, a nobis probari debeat.

Non statim suscipienda sunt et assumenda que iactantur in Christi nomine, sed que geruntur in Christi ueritate.

Quomodo enim perficere que agunt aut inpetrare aliquid illicitis conatibus a Deo possunt, qui contra Deum quod eis non licet moliuntur?

§. 2. Quare, qui hereticis et scismaticis patrocinantur, censura diuina in eorum probantur facinore et penis non solum duces et auctores, sed etiam participes destinari, nisi se a communione malorum separauerint, precipiente Domino per Moysen: “Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, et nolite tangere de omnibus, que sunt in eis, ne simul pereatis in peccatis eorum”.

Et quod comminatus Dominus per Moysen fuerat inpleuit, ut, quisquis se a Chore, et Dathan, et Abiron non separasset, penas statim pro inopia communione solueret.

Sicut etiam per Osee prophetam Spiritus sanctus testatur dicens: “Sacrificia eorum tamquam panis luctus; omnes, qui manducant ea, contaminabuntur;” docens scilicet et ostendens omnes omnino cum auctoribus supplicio coniungi, qui fuerint peccato eorum contaminati.

**C. LXXI.** Vera sacrificia non nisi in fide ecclesiæ celebrantur.

Item Augustinus. [lib. Sententiarum per Prosperum Aquitanicum Episcopum Reg. collectarum c. 15].

Extra catholicam ecclesiam non est locus ueri sacrificii.

Item Gregorius in III. libro Dialogorum [cap. 31]. ait de Erminigildo Rege Leouigildi filio:

**C. LXXII.** De manu hereticorum communio non est recipienda.

Superueniente pascalis festiuitatis die intempestæ noctis silentio ad eum pater perfidus Arrianum episcopum misit, ut ex eius manu consecrationis sacrilegæ communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur.

Sed uir Deo deditus Arriano episcopo ueniens exprobrauit ut debuit, eius que a se perfidiam dignis increpationibus repulit.

**C. LXXIII.** Sacerdotes hereticorum Christi honoribus non habentur digni.

Item Innocentius capitulo VII.

Arrianos preterea ceteras que huiusmodi pestes, quia eorum laicos conuersos ad Dominum sub imagine penitentiae ac Spiritus sanctificatione per manus inpositionem suscipimus non uidentur clerici eorum cum sacerdotii aut cuiuspiam ministerii suscipiendi esse dignitate.

Quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus (quod utique in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti percipitur), nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illis que ministeriis arbitramur, quoniam, cum a catholica fide auctores eorum discederent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt, nec dare eius plenitudinem possunt, que maxime in ordinationibus operatur, qui per impietatis suæ perfidiam fidem domini perdiderunt.

Propter quod fieri non potest, ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad sancti Spiritus percipiendam gratiam cum penitentiae imagine recipimus.

Item:

§. 1. Legitur “Qui tetigerit immundum immundus erit,” quomodo ergo ei tribuetur qui immunditiam et spurcitas consueuit accipere?

Et infra:

§. 2. Qui particeps factus est dampnati, quomodo honorem debeat accipere, inuenire non possumus.

Gratian. Ex eo autem, quod manus inpositio iterari precipitur, sacramentum non esse ostenditur.

Unde Augustinus de baptismo libro III.: [contra Donatistas c. 16].

**C. LXXIV.** Manus positio non est sacramenti iteracio.

Manus inpositio non, sicut baptismus, repeti non potest.

Quid enim est aliud, nisi oratio super hominem?

Gratian. Cum ergo Innocentius solum baptisma hereticis ratum esse permittat; cum Gregorius sacrilegam uocet consecrationem Arrianorum; cum Ciprianus quecumque ab hereticis fiunt carnalia, inania, et falsa iudicet; cum Ieronimus omnia, que ab eis offeruntur, contaminata in conspectu Domini asserat; cum Leo extra ecclesiam nec rata esse sacerdotia, nec uera sacrificia testetur: patet, quod sacramenta ecclesiastica preter baptismum (ut supra dictum est) ac hereticis ministrari non possunt.

Item obicitur illud Ieronimi ad Luciferianum:

**C. LXXV.** Qui in baptismo sanctus est, ad altare peccator non erit.

Sicut Christus est qui baptizat, ita ipse est qui sanctificat.

Unde oro te, ut aut sacrificandi licentiam ei tribuas, cuius baptismum probas, aut reprobas eius baptismum, quem non putes esse sacerdotem.

Neque enim fieri potest, ut qui in baptismo sanctus est sit ad altare peccator.

Gratian. Sed hoc de peccatore tantum catholico, non heretico intelligendum est.

Qui quicquid cum fide pro officio suo facit licet indignus, tamen diuina gratia cooperante ratum esse creditur.

Alioquin si de hereticis dictum intelligitur, ipse sibi contrarius esset, cum dicat in Oseæ: “Sacrificia eorum etc.”.

Et alibi in persona Domini:

**C. LXXVI.** Benedictioibus hereticorum Deus maledicit.

“Maledicam benedictionibus uestris”: hoc est, quicquid a uobis benedicetur per me erit maledictum.

## **XI. Pars.**

Gratian. Hoc igitur intelligendum est de heretico, illud autem ad Luciferianum de peccatore ecclesiastico.

De quo Augustinus ait in libro de corpore Domini.

**C. LXXVII.** Boni et mali sacerdotes eque corpus Christi conficiunt.

Intra ecclesiam catholicam in ministerio corporis et sanguinis Domini nichil a bono maius, nichil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecratis, sed in uerbo perficitur creatoris et uirtute Spiritus sancti.

Si enim in merito sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret.

Nunc autem sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem et transfundit in sanguinem.

Credendum est enim, quod in uerbis Christi sacramenta conficiantur.

Cuius prius creantur inperio, eius utique uerbo recreantur ad melius.

**C. LXXVIII.** De eodem.

Idem in libro II. contra epistolam Parmeniani. [c. 10].

Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne summentibus, sicut et uerbum Dei.

Unde dictum est: “Que dicunt facite, que autem faciunt facere nolite”.

**C. LXXIX.** De his, qui sanctis male utuntur.

Idem tractatu epistolæ Iohannis.

Prophetauit Saul malus rex, cum etiam sanctum Daud persequeretur.

Non ergo se iacent qui forte sine karitate habent munus.

Dei sanctum, sed uideant, qualem rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur.

Ex his erunt, qui dicturi sunt in iudicio: “In nomine tuo prophetauimus”.

Quibus non dicetur: “Mentimini,” sed: “Non noui uos, etc.”.

Gratian. Spiritum ergo prophetiæ dicendi sunt habuisse, non meritum.

**C. LXXX.** Quisque non tam sanctificatur ex hostiis, quam peccato polluitur.

Item Ieronimus in [cap. 2]. Aggeo.

Propheta, qui altari extracto tantum et domo mea diruta hostias mihi offers in altari, et uictimis eius sanctificari te putas, scito, quoniam sanctum est quidem quod offertur in altari, sed non tam sanctificaris ex hostiis, quam ex operibus mortuis pollueris.

**C. LXXXI.** Contra Spiritum sanctum uerbum dicitur, cum ex dispersione numquam reditur.

Item Augustinus in libro de uerbis Domini. [serm. XI. circ. fin.].

Ita fit uerbum contra Spiritum sanctum, cum ex dispersione ad congregationem numquam uenitur, que ad remittenda peccata accipit Spiritum sanctum.

Ad quam congregationem etsi per malum clericum, sed tamen catholicum ministrum, reprobum et fictum, si aliquis accesserit corde non ficto, in ipso Spiritus sanctus operatur remissionem peccatorum, qui in sancta ecclesia ita operatur, ut reprobos fugiat tamen per eorum ministerium probos colligat.

**C. LXXXII.** Non hominum meritis, sed uirtute Spiritus sancti peccata remittuntur.

Idem in sermone de remissione peccatorum.

Ut euidenter ostenderet Dominus, a Spiritu sancto quem donauit suis fidelibus, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait: “Accipite Spiritum sanctum;” et continuo subiecit: “Si cui dimiseritis peccata, remittentur ei.” hoc est, Spiritus dimittit, non uos.

Proinde sicut is, quem sacerdos in ecclesia tollit, est tamen extra ecclesiam, et extra corpus, cuius caput est Christus, si ei ostarius non aderit, ita non extra ecclesiam est, et non est de corpore, si quis pastoris preiudicio compellitur foris esse.

**C. LXXXIII.** Non merita personarum, sed officia sacerdotum dominus considerat.

Item Ambrosius de sacramentis.

Cum scriptura testetur, quod ad preces Ieroboa ignis descendit de celo, et rursus precante Helia ignis missus est, qui sacrificia consumeret, datur intelligi, quod Deus non merita personarum considerat, sed officia sacerdotum.

§. 1. Ille ignis uisibilis mittebatur, ut crederent: nobis inuisibilis operatur, qui credimus.

§. 2. Crede ergo, adesse Dominum Iesum inuocatum precibus sacerdotum, qui ait: “Ubi fuerint duo uel tres ibi sum in medio eorum”.

**C. LXXXIV.** Non merita sacerdotum, sed uirtus diuina sacramenta sanctificat.

Item Gregorius Papa.

Multi secularium hominum, cum plus sacerdotum uitam quam suam discutiunt, in magnum contemptum diuinorum sacramentorum crimen incurrunt.

Magna enim trabe uulneratos habentes oculos, eam que negligentes festucam tenuem in aliorum conspiciunt oculis, quam dum incaute festinant auellere, erroris in foueam dilabuntur, minus quidem considerantes, quod non eos sacerdotum uita lederet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent.

Sed dum ypocritarum more plus illorum famam quam propriam uitam uel uitae negligentias diiudicant, spernunt sancta monita et spiritualia dona.

Unde fit, ut non solum ab eis dicta respuant, sed (quod est deterius) diuina etiam misteria contempnant, ut nec corporis communionem aut sanguinis Domini nostri Iesu Christi eorum ministerio confectam assumant, putantes, hanc minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum uita eorum oculis uidetur ignobilis.

§. 1. Heu in quam magnum laqueum incidunt, ut diuina et occulta misteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant, cum unus idem que Spiritus sanctus in ecclesia diffusa per totum orbem terrarum inconprehensibiliter ea misteria et occulte atque inuisibiliter et operando sanctificet et benedicendo benedicat.

§. 2. Misterium itaque, fratres, ob hoc dicitur, quod secretam et reconditam habeat dispensationem; sacrificium autem, quasi sacrum factum, quia prece mistica consecratur pro nobis in memoriam dominicæ passionis.

§. 3. Sacramentum uero est in aliqua celebratione, cum res gesta ita sit, ut aliquid significare accipiamus, quod sancte accipiendum est.

Sunt autem sacramenta: baptisma, crisma, corpus et sanguis, que ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum diuina uirtus secretius salutem eorundem sacramentorum operatur.

Unde a secretis uirtutibus uel sacris sacramenta dicuntur.

Que ideo fructuose penes ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens Spiritus eundem sacramentorum latenter operatur effectum.

Cuius panis et calicis sacramentum grece eucharistia dicitur, latine bona gratia interpretatur.

Et quid melius corpore et sanguine Christi? §. 4. Siue ergo per bonos, siue per malos ministros intra ecclesiam; dispensetur, sacrum tamen est, quia Spiritus sanctus mystice ille uiuificat, qui quondam apostolico in tempore uisibilibus aparebat operibus.

Nec bonorum meritis dispensatorum ampliuntur, nec malorum attenuantur, quia “neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus”.

Hoc de corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, hoc etiam de baptisate et crismate sentiendum est et tenendum, quia uirtus diuina secretius operatur in eis, et diuinæ solummodo est hec uirtus siue potestas, non humanæ efficacix.

Polluimus itaque panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare et sordidi mundum sanguinem bibimus.

Et infra:

§. 5. Maledicam, inquit, benedictionibus uestris, hoc est, his, que nunc meis benedictionibus possidetis, seu quicquid benedicuntur a uobis, uel quoniam non benedicunt sanctis ex uero corde, uel quia qui inique agunt benedicuntur ab eis, adulantur que peccatoribus, dummodo diuites sunt.

C. LXXXV. Non sacerdotum uitam, sed que docent et ministrant considerare debemus.

Item Fabianus Papa Episcopus Orientalibus. [epist. II].

Significastis insuper plerosque attendere, multos in ipsis honoribus ecclesiasticis non congruenter uiuere sermonibus et sacramentis, que per eos populis ministrantur.

O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliuiscuntur! qui et multo ante predixit, ut legi Dei potius obtemperetur quam imitandi uideantur illi, qui ea, que dicunt, non faciunt, et traditorem suum tolerans usque in finem etiam euangelizaturum cum ceteris misit.

Nam apostoli talem consuetudinem non habuerunt, ne habendam docuerunt.

C. LXXXVI. De eodem.

Item Nicolaus papa Michæli Imperatori. [in epist. que incipit: “Proposueramus”].

Non quales sacerdotes Domini, sed quid de Domino loquantur, est uobis magnopere preuidendum, nec in uicariis B. Petri apostoli uobis est attendendum quid sint, sed quid pro correctione ecclesiarum, quid pro salute uestra satagant.

Nec enim illos inferiores dicetis scribis et phariseis sedentibus super cathedram Moysi, de quibus Dominus precepit, dicens: “Quecumque dixerint uobis facite, secundum opera eorum nolite facere”.



Ergo, inperator, considera, si illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysi sedebant, quanto potius, qui super cathedram Petri resident, esse existimatis obaudiendos?

**C. LXXXVII.** Sacerdotum inmunditia sacramentum non polluit.

Item Augustinus contra Petilianum. [lib. II. c. 22].

Dominus declarauit in uno cetu hominum eadem sacramenta sumentium, non obesse mundis aliquorum inmunditiam.

§. 1. Petilianus dixit: At si quisquam carmina sacerdotis memoriter teneat, numquid inde sacerdos est, quod ore sacrilego carmen publicat sacerdotis?

Augustinus respondit: Ita istud dicis, quasi modo queramus, quis sit uerus sacerdos, et non quid sit uerum baptisma.

Ut enim quisque uerus sit sacerdos, oportet, ut non solum sacramento, sed iustitia quoque induatur, sicut scriptum est: "Sacerdotes tui induantur iustitia".

Qui autem solo sacramento sacerdos est, sicut fuit pontifex Caiphas, persecutor unius et uerissimi sacerdotis, quamuis ipse uerax non est, quod dat tamen uerum est, si non det suum, sed Dei.

Item:

§. 2. "Cretenses, malæ bestię, pigri corde".

Si ergo apostolus nescio cuius alienigenæ testimonium, quia uerum conperit, etiam ipse attestatus est, cur nos, apud quemcumque inuenerimus quod Christi est et uerum est, etiamsi ille, apud quem inuenitur, peruersus et fallax est, non discernimus propter uicium, quod homo habet, ueritatem, quam non suam, sed Christi habet, et dicimus, sacramentum hoc uerum est, sicut ille ait: "Testimonium hoc uerum est?"

Numquid ideo dicimus: etiam ipse homo uerax est, quia dicimus: sacramentum hoc uerum est?

§. 3. Vos autem necesse est ut semper erretis, quamdiu propter hominum uicia Dei sacramenta uiolatis, aut nos propter Dei sacramenta, que in uobis uiolare nolumus, etiam uestri scismatis sacrilegium assumere putatis.

Item:

§. 4. Baptismi ergo puritas a puritate uel inmunditia conscientię siue dantis siue accipientis omnino distincta est.

Item:

§. 5. Memento sacramentis Dei nichil obesse mores malorum hominum, quo illa uel non sint, uel minus sancta sint.

Item:

§. 6. Si non habebat Saul sacramenti sanctitatem, quid in eo Daud uenerabatur?

Si autem habebat innocentiam, quare innocentem persequebatur? Nam eum propter sacramenti unctionem et honorauit uiuum, et uindicauit occisum.

Et quia uel panniculum ex eius ueste abscidit, percusso corde trepidauit.

Ecce Saul non habebat innocentiam, et tamen habebat sanctitatem, non uitæ suæ, (nam hoc sine innocentia non potest), sed sacramenti Dei, quod et in malis hominibus sanctum est.

Item:

§. 7. Nos dicimus tale cuique sacrificium fieri, qualis accedit ut offerat, et qualis accedit ut sumat, et eos de sacrificiis talium manducare, qui ad illud tales accedunt, quales et illi sunt.

Itaque si offerat Deo malus, et accipiat inde bonus, tale cuique est, qualis quisque fuerit, quia et illud scriptum est: "Omnia munda mundis".

Per hanc sententiam ueridicam et catholicam etiam uos Optati sacrificio non estis polluti, si facta eius displicebant uobis.

Nam utique panis illius panis luctus erat, sub cuius iniquitatibus Africa tota lugebat, sed panem luctus omnibus uobis esse communem omnium uestrum malum scismatis facit.

Item:

§. 8. Gratias Deo, quia tandem confessus es, posse ualere inuocatum nomen Christi ad aliorum salutem, etiam si a peccatoribus inuocetur.

Hinc ergo intelligite, cum Christi nomen inuocatur non obesse aliorum saluti aliena peccata.

**C. LXXXVIII.** Etiam per malum ministrum dona Dei ad eos perueniunt, qui cum fide accipiunt.

Idem in libro Psalmorum.

Christus quid fecit uobis, qui tanta patientia traditorem suum pertulit, ut ei primam eucharistiam confectam manibus suis et ore suo commendatam traderet, sicut ceteris apostolis?

Quid uobis fecit Christus, qui eundem traditorem suum, quem diabolum nominauit, qui ante traditionem Domini nec loculis dominicis fidem potuit exhibere, cum ceteris discipulis ad predicandum regnum celorum misit, ut monstraret, dona Dei peruenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiam si talis sit, per quem accipiunt, qualis Iudas fuit?

**C. LXXXIX.** Sacramentis malitia non nocet episcopi.

Item Gregorius.

Non nocet malitia episcopi, neque ad baptismum infantis, neque ad consecrationem ecclesiae, quia baptisma a Deo datur, non ab homine uenit; sic et eucharistia, et alia quecumque in altari ponuntur, non ab homine, sed a Deo sanctificationem accipiunt.

Gratian. Sed obicitur illud Ieronimi in Sophonia: [c. 3].

**C. XC.** Sacerdotis non uerba, sed merita eucharistiam faciunt.

Sacerdotes, qui eucharistiae seruiunt, et sanguinem Domini populis eius diuidunt, in pie agunt in legem Christi, putantes eucharistiam inprecantis facere uerba, non uitam, et necessariam esse tantum solempnem orationem, et non sacerdotum merita, de quibus dicitur: "Sacerdos, in quacumque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino".

**C. XCI.** Tanto facilius sacerdotes exaudiuntur, quanto apud Deum sunt digniores.

Item Alexander. [epist. II].

Ipse sacerdotes pro populo interpellant et peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent atque consumunt; qui, quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.

**C. XCII.** Non adest Spiritus sanctus sacramentis, que per criminosos ministrantur.

Item Gelasius Elphidio Episcopo.

Sacrosancta religio, que catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam uendicat, ut ad eam quilibet nisi pura conscientia non audeat peruenire.

Nam quomodo ad diuini misterii consecrationem celestis Spiritus inuocatus adueniet, si sacerdos, et qui eum adesse deprecatur, plenus actionibus criminosis reprobetur?

**C. CXIII.** Manus immunda tacta coinquinat, non mundat.

Item Gregorius in Registro. [lib. I. epist. 24].

Necesse est, ut munda sit manus, que diluere sordes curat, ne tacta queque deterius inquinet, si sordida sequens lutum tenet: scriptum namque est: “Mundamini, qui fertis uasa Domini”.

Domini etenim uasa ferunt, qui proximorum animas ad interiora perducendas in conuersationis suæ exemplo suscipiunt.

**C. XCIV.** Eque seruandum est uerbum Christi et corpus Christi.

Item Augustinus. [lib. L. homiliarum, homil. 26].

Interrogo uos, fratres uel sorores, dicite mihi, quid uobis plus esse uidetur, corpus Christi an uerbum Christi?

Si uultis uerum respondere, hoc dicere debetis, quod non sit minus uerbum Dei quam corpus Christi.

Et ideo, quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nichil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta sollicitudine obseruemus, ne uerbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro depereat, quia non minus reus erit qui uerbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.

[[**C. XCV.**]

Item. [lib. IV. de Trinitate c. 14].

Neque enim id potest rite offerri nisi per sacerdotem iustum et sanctum, nec nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur, atque id sine uicio sit, ut pro uiciosus mundandis possit offerri.

Hoc certe omnes cupiunt, qui pro se offerri sacrificium Deo uolunt.

Gratian. Cum uita sacerdotum eucharistiæ necessaria esse dicitur, non consecrationi, sed effectui intelligendum est; non enim effectum confert salutis ei, quem merita faciunt indignum; potius conpletur in eo illud Apostoli: “Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit”.

Ergo contra eos, qui crebra oblatione sacrificii se putant posse mundari, non cessantes in pie agere in lege Dei, intelligitur illud esse dictum Ieronimi.

Quod uero sacerdos, etiamsi malus sit, tamen pro offitio suæ dignitatis gratiam transfundat hominibus, testatur Augustinus in libro questionum ueteris testamenti: [c. 11].

**C. XCVI.** Sacerdotes nomen Domini inuocant, Dominus autem benedictionem prestat.

Dictum est a Domino in Numeris ad Aaron: “Vos ponite nomen meum super filios Israël, ego Dominus benedicam eos,” ut gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec uoluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis.

§. 1. Quanta autem dignitas sit sacerdotalis offitii uel ordinis, hinc aduertimus.

Dictum est autem de nequissimo Caïpha, interfectore Saluatoris, inter cetera: “Hoc autem a semetipso non dixit, sed, cum esset pontifex sacerdotum anni illius, prophetauit”.

Per quod ostenditur, Spiritum sanctum gratiarum non personam sequi digni, aut indigni, sed ordinem traditionis ut, quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut officium ministerii exhibeat.

Dei autem est effectum tribuere benedictionis.

Gratian. Quod uero per hereticos sacramenta dignitatis ministrata dicuntur carere effectum, inprobatur auctoritate Anastasii Papæ, qui ordinationem Acacii, quamvis heretici, ita ratam approbat, ut etiam eis, quos post dampnationem suam baptizauit, uel ordinauit, in nullo ream personam nocuisse asserat.

Sed hoc eum illicite, et non canonice, imo contra decreta suorum predecessorum et successorum fecisse, probat Felix et Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excommunicauerunt, et Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Acacium dampnauit.

Unde etiam ab ecclesia Romana repudiatur, et a Deo fuisse percussus legitur in gestis Romanorum Pontificum hoc modo: "Anastasius secundus natione Romanus, etc."

Require retro in tractatu decretalium epistolarum.

Item obicitur illud Augustini ad Parmenianum de hereticis etiam dampnatis:

**C. XCVII.** Qui recedit ab ecclesia, nec baptisma, nec uim dandi amittit.

Quod quidam dicunt, baptisma, quod accepit, non amittit qui recedit ab ecclesia, ius tamen dandi, quod accepit, amittit, multis modis aparet frustra et inaniter dici.

§. 1. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit.

Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione homini datur utrumque, illud, cum baptizatur, illud, cum ordinatur; ideo non licet a catholico utrumque iterari.

§. 2. Nam si quando ex ipsa parte uenientes etiam prepositi pro bono pacis, correcto scismatis errore, suscepti sunt, etsi uisum est opus esse, ut eadem officia gererent, que agebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in precisione fuerat uicium (quod unitate pacis est correctum), non in sacramentis, que ubicumque sunt ipsa sunt.

Et cum ipsi expedire uidetur ecclesiæ, ut prepositi eorum, uenientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur sed manent super eos.

Ideo que non eis manus inponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria.

§. 3. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est; utrumque ad perniciem suam, quamdiu karitatem non habent unitatis; sed tamen aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere.

Quicquid non habetur dandum est, cum opus est dari, quod uero perniciose habetur, per correctionem depulsa pernicie agendum est, ut salubriter habeatur.

Quod si laicus alicui pereunti necessitate compulsus baptisma dederit, quod, cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidit, nescio, an quisquam dixerit pie esse repetendum.

Nulla enim necessitate cogente si fiat, alieni muneris usurpatio est.

Si autem necessitas urgeat aut nullam, aut ueniale delictum est.

Sed si nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cui libet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamuis recte dici possit illicite datum.

Illiciti ergo usurpationem corrigit reminiscentis et penitentis affectus.

Quod si non correxerit, manebit ad penam usurpatoris quod datum est, uel eius, qui illicite dedit, uel eius, qui illicite accepit: non tamen pro non dato habebitur §. 4. Si

enim aliqui furtim et extraordinarie, non in monetis publicis, aurum uel argentum percutiendo signauerint, cum fuerit deprehensum, nonne illis punitis uel indulgentia liberatis cognitum regale signum thesauris regalibus cogere.

Et paulo post:

§. 5. Si forte miliciæ characterem in corpore suo non militans pauidus exhorruerit, et ad clementiam inperatoris confugerit, et inpetrata uenia militare iam ceperit, numquid homine liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur?

An forte minus habent sacramenta Christiana quam corporalis hec nota, cum uideamus, nec apostatas carere baptismo, quibus utique per penitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse iudicatur?

§. 6. De his, qui ab ecclesiæ catholicæ unitate separati sunt, nulla iam questio est, quin habeant, et dare possint, sed perniciose habeant, perniciose que tradant, quia extra uinculum pacis sunt.

§. 7. Neutri sacramento iniuria facienda est.

§. 8. Sicut non recte habet qui ab unitate discedit, sed tamen habet, et ideo redeunti non redditur, sic etiam non recte dat qui ab unitate discedit, sed dat tamen, et ideo quod ab eo accepit uenienti ad unitatem non iteratur.

Infra:

§. 1. Sicut redeunti non redditur quod et foris habebat, sic uenienti repetendum non est quod foris acceperat.

Unde consequenter intelligitur peruersitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem sacramentorum in nullo peruerso esse uiolandam.

Constat enim, eam in peruersis hominibus et sceleratis, siue in eis, qui intus sunt, siue in eis, qui foris, inpollutam atque inuiolabilem permanere, et quod dicuntur eam mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cum illa inpolluta permaneant; sed in bonis permanent ad premium, in malis permanent ad iudicium.

Infra:

§. 10. Quomodo catholici non clarificant Dominum, qui sacramenta eius tam debita ueneratione prosequuntur, ut, etiam si ab indignis tractata fuerint, illi sua peruersitate dampnatis, illa intemerata sanctitate permanere demonstrantur?

## XII. Pars.

Gratian. Ex his uerbis Augustini constat, in omnibus tam apostatis quam hereticis uel dampnatis permanere Christi sacramenta uera, quantum ad se, et sancta, et nisi penitentia uel indulgentia subuentum fuerit, ad dampnationem usurpatoris peruenient, uel habentis, uel dantis, uel accipientis.

Quid ergo prodest, quod uera et sancta sunt, cum usurpatores suos eque perimant, ac si essent mala et noxia?

Crassus aurum sitiuit, aurum bibit; eque periit uero auro, sicut uero ueneno.

§. 1. Item aurum eque uerum est in arca furis, sicut in thesauris regis.

Sed a fure, quia illicite habetur, illicite datur uel accipitur; a rege autem licite habetur, datur et accipitur; ideo ipse fur et communicator furti (nisi forte de conscientia furti se purgauerit), ut perhibet Gelasius ad Anastasium inperatorem, uterque iuste et digne dampnabitur.

§. 2. Opponitur autem huic sententiæ Augustini: potestas dandi baptismum, et ius consecrandi dominicum corpus, et largiendi sacros ordines, plurimum inter se differunt. Suspenso enim uel deposito sacerdote, nulla ei relinquatur potestas sacrificandi.

Sacramentum tamen baptismi non solum a sacerdote deposito uel laico catholico, uerum etiam ab heretico uel pagano si ministratum fuerit, nulla reiteratione uiolabitur; nulla autem ratio sinit, ut inter sacerdotes habeantur, qui de manibus laici uel pagani oleum sacræ (imo execrandæ) unctionis assumunt.

Non ergo consequenter colligitur, ut, si recedentibus a fide ius baptizandi relinquatur, potestas etiam distribuendi sacros ordines eis relinquatur, quamuis utrumque consecratione proueniat.

Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem baptizandi tamen non amisit.

§. 3. Sed ne Augustinum in hac sententia penitus reprobemus, intelligamus aliud esse potestatem distribuendi sacros ordines, aliud esse executionem illius potestatis.

Qui intra unitatem catholica ecclesiæ constituti sacerdotalem uel episcopalem unctionem accipiunt, officium et executionem sui officii ex consecratione adipiscuntur.

Recedentes uero ab integritate fidei, potestatem acceptam sacramento tenus retinent, effectu suæ potestatis penitus priuantur, sicut coniugati ab inuicem discedentes coniugium semel initum non dissoluunt, ab opere tamen coniugali inueniuntur alieni.

§. 4. De his ergo, qui accepta sacerdotali potestate ab unitate catholicæ ecclesiæ recedunt, loquitur Augustinus, non de illis, qui in scismate uel heresi positi sacerdotalem unctionem accipiunt; alioquin esset contrarius Calcedonensi concilio, in quo ordinati a symoniacis in nullo proficere iudicantur, et Innocentio, qui ordinatos a ceteris heretici per prauam manus inpositionem solam dampnationem et uulnus capitis assecutos testatur.

§. 5. Quamuis possit generaliter dici, sacramenta, que apud hereticos non aliter quam in ecclesia Dei celebrantur, uera et rata esse quantum ad se, falsa uero et inania quantum ad effectum, et in his, a quibus male tractantur, et in illis, a quibus male suscipiuntur.

Nec mirum, ipsa enim salus nostra bucellam Iudæ dedit; statim cum bucella non bonus, sed malignus spiritus intrauit: quare?

non quia bonus non daret bonum, sed quia malus male accepit bonum; sic que bonum effectum bonum non habuit, quia ubi illud faceret non inuenit.

§. 6. Item Dominus in patria sua presens et uerus affuit; non per malum ministrum, sed per semet ipsum nichil potuit, quia fidem non inuenit; pro perfidia aliorum non caruit sua ueritate, sed effectus boni uirtute.

§. 7. Quod ut plane in omnibus sacramentis ostenderet, bis est transfiguratus, cum esset in carne.

In una transfiguratione sicut sol aparuit mirabilis ut fides credentium augetur ad contemplandam celestem gloriam super se eleuatam.

In altera ut peregrinus et incognoscibilis de se dubitantibus ire se longius finxit, et, ne agnosceretur, eorum oculos tenuit: ad quid aliud, nisi ut, quia per fidem non erat in cordibus eorum, longius se ab iis recedere ostenderet, et quia ipsum non credebant esse quod erat, uiderent etiam eum alium quam erat?

Ecce in utraque uisione sua erat præsentis et ueritas: sed in una exercebatur fides, ut magis crederent quam credebant, in altera tenebatur incredulitas, ne etiam agnoscerent quod uidebant.

Sacramentum ergo corporis et sanguinis sui aliis est ad salutem, aliis ad iudicium.

Fides etiam, quamuis sit uera, tamen sine operibus mortua est.

Sic et omnes decem uirgines equaliter erant uirgines, sed ex his erant quinque fatuæ et quinque prudentes.

Equa erat uirginitatis ueritas, sed pro eiusdem uirginitatis intentione non omnibus equa meriti identitas.

Sic etiam est es sonans aut cymbalum tinniens martirium uel elemosina, quam nescit karitas.

Si uero cecus ceco lucernæ ministret ueritatem, neuter tamen ideo magis suam illuminat cecitatem.

Sic et malus ministrat malo uera sacramenta, sed non ideo dona spiritualia, quia malis eorum meritis Spiritus sanctus impeditur, ne in eis quod suum est operetur.

Unde Innocentius, cum hereticorum baptisma concedat esse ratum, non tamen ex illo baptisate concedit haberi Spiritum sanctum.

Et Leo hos, qui formam baptismatis acceperunt, non sinit rebaptizari, sed iubet Spiritum sanctum, quem ab hereticis nemo accepit, per eius inuocationem et manus inpositionem a catholicis sacerdotibus consequi.

Sciendum uero est, quod sacramenta hereticorum dicuntur irrita, uel etiam dampnanda, falsa et inania, non quantum ad se, cum sint sancta et uera etiam ab heretico celebrata, sed quia, cum illicite dantibus perfidis sint ad iudicium, illicite ab eis accipientibus non conferunt Spiritum sanctum.

Irrita et non uera dicuntur, quia quod promittunt et conferre creduntur non tribuunt, et ideo dampnanda, ut ea dari uel recipi ab hereticis non approbetur sed interdicitur.

Non enim quantum ad se polluta sunt, quamuis ab hereticis pollui dicantur.

Unde Gregorius communionem Arii uocat execrationem, et Innocentius uocat Bonosi ordinationem dampnationem, non quod ita in se sint, sed quia male dantibus uel accipientibus id efficiunt.

Sic etiam Ieronimus in Osee sacrificia eorum panem luctus uocat non quantum ad se, sed quantum ad effectum, quod ipsemet ostendit, subiungens: “Quicumque comederint ex eo, contaminabuntur, quia sibi ad iudicium sument”.

Hinc etiam Augustinus in libro II. contra epistolam Parmeniani: [cap. 5].

**C. XCVIII.** Sacramenta quamuis obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.

Per Ysaïam dicit Dominus: “Facinorosus, qui sacrificat mihi uitulum, quasi canem occidat, et qui coquit similaginem, quasi sanguinem porcinum, et qui offert thus in memoriam, quasi blasphemus”.

§. 1. Quilibet ubilibet offert sacrificium tali corde uel factis, ut hoc mereatur audire, perniciem sibi infert, non illis bonis, qui accipiunt ab eis eadem sacramenta, qui secundum prophetam Ezechielem gemunt et merent peccata et iniquitates, que fiunt medio eorum, quamuis non se inde corporaliter separent.

Infra:

§. 2. Sacrificia inpiorum eis oberunt, qui offerunt in pie.

Nam unum atque idem sacrificium est propter nomen Domini, quod ibi inuocatur, et semper est sanctum, et tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit.

“Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit;” non aliis sed sibi.

Infra:

§. 3. Hoc pene in omnibus talibus questionibus intelligendum admonemus, quia scilicet omnia sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.

Infra:

§. 4. Spiritus sanctus in ecclesiæ preposito uel ministro sic inest, ut, si fictus non est, operetur per eum, et eius mercedem in salutem sempiternam et eorum regenerationem uel edificationem, qui per eum siue consecrantur siue euangelizantur.

Si autem fictus est, quoniam uerissime scriptum est: “Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum,” desit quidem saluti eius, et auferat se a cogitationibus eius, que sunt sine intellectu, ministerium tamen eius non deserat, quo per eum salutem operatur aliorum.

Gratian. Constat ergo, ut Innocentius ait, de ceteris hereticis, ordinatos a symoniacis per prauam manus inpositionem symoniacis uulneratum habere caput.

§. 1. Sed obicitur, quod in ordinatione symoniacorum hoc solum reprehensibile inueniatur, quod gratia Spiritus sancti sub pretio redigi putetur, aliorum autem in omnibus integra forma sacramentorum seruetur.

Cum ergo illicita sacramenti usurpatio per penitentiam correcta fuerit, ut gratia Spiritus sancti gratuita et non uenalis existimetur, integer debet adesse unctionis effectus; imo etiam, si non sequatur penitentia, licet symoniace, tamen reuera consecratus reputetur, sicut illi, qui quondam nonnisi; pretio dato, ad sacri baptismatis regenerationem nec ad sanctæ communionis participationem admittebantur, licet symoniace, tamen non ideo minus baptizati, uel sacræ communionis participes reputati sunt.

Sed hoc tantum sacris canonibus constitutum est, ne de cetero sacramenta Christi symoniace distribuantur.

Unde Gelasius: [ad Episcopos per Lucaniam, epist. I., cap. 7].

**C. XCIX.** A baptizandis uel consignandis pretia non exigantur.

Baptizandis consignandis que fidelibus sacerdotes pretia nulla prefigant, nec illationibus quibuslibet inpositis exagitare cupiant renascentes, quoniam quod gratis accepimus gratis dare mandamur.

Et ideo nichil a predictis prorsus exigere moliantur, quo uel paupertate cogente deterriti, uel indignatione reuocati redemptionis suæ causas iure despiciant, certum habentes, quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, uel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subeant proprii honoris.

**C. C.** A percipiente gratiam communionis pretium exigi non debet.

Item de Sexta Synodo. [c. 23].

Nullus episcopus, aut presbiter, aut diaconus, qui sacram dispensat communionem, a percipiente gratiam communionis aliquod pretium exigat.

Neque enim uenditur gratia, neque pro pretio Spiritus sancti gratiam damus, sed dignis munere sine defraudatione participare concedimus.

Si quis uero eorum, qui connumerantur in clero, ab eo, cui sacram communionem dispensat, aliquod pretium exegerit, deponatur, sicut imitator symoniacæ fraudis.

**C. CI.** Munera inuisibilis gratiæ questibus non sunt comparanda.

Item ex Concilio Tolletano XI. [c. 8].

Quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, numquam questibus uel quibuslibet premiis uenundari penitus debet, dicente Domino: “Quod gratis accepistis gratis date”.

Et ideo quicumque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus aut pro baptizandis consignandis que fidelibus, crismate, uel promotionibus graduum precia quelibet uel premia (nisi uoluntarie oblata) pro huiusmodi ambitione susceperit, equidem, si sciente loci episcopo tale quicquam a subditis perpetratum fuerit, idem episcopus duobus



mensibus excommunicationi subiaceat pro eo, quod inscientia mala contextit et correctionem necessariam non acquisiuit.

**C. CII** Nichil a sacerdotibus exigatur pro balsamo, quod in crismate ponitur.

Item ex Concilio Bracarense II. [c. 4].

Placuit, ut nullus episcoporum pro balsami modico, benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia singuli tremissem pro ipso exigere solent, aliquid ulterius exigat, ne forte quod pro salute animarum per inuocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Symon magus donum Dei pecunia uoluit emere, ita nos uenundantes dampnabiliter uenundemur.

**C. CIII.** Non est aliquid exigendum ab his, qui infantes suos ad baptizandum adducunt.

Item ex eodem. [cap. 7].

Placuit, ut unusquisque episcopus per ecclesias suas hoc faciat, ut hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid uoluntarie pro uoto suo offerunt, suscipiatur ab eis.

Si uero per necessitatem paupertatis aliquid non habeant quod offerant nullum eis pignus uiolenter tollatur a clericis.

Nam multi pauperes, hoc timentes, filios suos a baptismo retrahunt, qui forte, dum differuntur, si sine gratia baptismi de hac uita recesserint, necesse est, ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes a baptismi gratia se subtraxerunt.

**C. CIV.** Qui baptizantur nullus in concam nummos mittere cogat.

Item ex Concilio Eliberitano. [c. 48].

Emendari placuit, ut qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concam non mittant, ne sacerdos quod gratis accepit precio distrahere uideatur.

Neque pedes eorum lauandi sunt a sacerdotibus uel clericis.

**C. CV.** Pro perceptione crismatis uel baptismi aliquid exigi non debet.

Item ex Concilio Triburiensi.

Dictum est, solere in quibusdam locis pro perceptione crismatis nummos dari, similiter pro baptismo et communione.

Hoc symoniacæ heresis detestata est sancta synodus et anathematizauit, et ut de cetero nec pro ordinatione, nec pro crismate, uel baptismo, uel balsamo nec pro sepultura, uel communione quicquam exigant statuit; sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.

**C. CVI.** Nec pro dedicandis basilicis nec pro ceteris sacramentis conferendis aliquid exigi debet.

Item ex Concilio Cabillonensi. [tempore Caroli M. c. 16].

Statuimus, ut, sicut pro dedicandis basilicis et dandis ordinibus nichil accipiendum est, ita etiam pro balsamo siue pro luminaribus emendis nichil presbiteri crisma accepturi dent.

Episcopi itaque de facultatibus ecclesiæ balsamum emant, et luminaria singuli in ecclesiis suis.

### **XIII. Pars.**

Gratian. Sicut ergo hec sacramenta, licet symoniace ministrentur, tamen effectum benedictionis conferunt accipienti, sic et sacerdotalis unctio, licet symoniace ministretur, suo tamen non debet carere effectu.

Sed, sicut supra dictum est, illa sacramenta sunt necessitatis, hec dignitatis, et ideo priuilegia eorum non possunt generare communem legem istorum.

Habent ergo symoniaci uulneratum caput per symoniacæ manus prauam inpositionem.

Hoc autem de illis intelligitur, quos nec excusat ignorantia, nec attractionis uolentia, qui ab illis ordinantur, quos indubitanter sciunt esse symoniacos, siue symoniace siue non symoniace ordinentur ab eis.

Ut enim Nicolaus Papa distinguit, alii symoniace ordinantur a symoniacis, alii symoniace a non symoniacis, alii non symoniace a symoniacis.

Hanc distinctionem innuit capitulo II. dicens:

**C. CVII. De multiplici genere symoniacorum.**

Statuimus decretum de symoniacis symoniace ordinatoribus uel ordinatis et de symoniacis symoniace a non symoniacis, et symoniacis non symoniace a symoniacis.

§. 1. Symoniaci symoniace ordinati uel ordinatores secundum ecclesiasticos canones a proprio gradu decident.

Symoniaci quoque symoniace a non symoniacis ordinati similiter ab officio male accepto remoueantur.

§. 2. Symoniacos autem non symoniace a symoniacis ordinatos misericorditer per manus inpositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.

Gratian. Sed hoc intelligendum est de his, qui ordinantur a symoniacis, quos ignorabant esse symoniacos.

Hos facit symoniacos non reatus criminis, sed ordinatio symoniaci.

De quibus Urbanus Papa [II. in Concilio Placentino, cap. 3. et 4]. ait:

**C. CVIII. De his, qui non symoniace a symoniacis ordinantur.**

Si qui a symoniacis non symoniace ordinati sunt, siquidem probare potuerint se, cum ordinarentur, nescisse eos symoniacos esse, et tunc pro catholicis habebantur in ecclesia, talium ordinationes sustinemus misericorditer, si tamen eos laudabilis uita commendat.

Qui uero scienter se a symoniacis consecrari (imo execrari) permiserint, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus.

**C. CIX. De eo, qui ordinatur ab illo, quem scit symoniacum esse.**

Item Nicolaus iunior. [Hoc idem Alexander II].

De cetero statuimus, ut, si quis in posterum ab eo, quem symoniacum esse non dubitat, se consecrari permiserit, et consecrator, et consecratus non disparem dampnationis sententiam subeant; sed uterque depositus penitentiam agat, et priuatus propria dignitate persistat.

**C. CX. Symoniacis in dignitate seruanda nulla est inpendenda misericordia.**

Idem. [paulo inferius]

Erga symoniacos nullam misericordiam in dignitate seruanda habendam esse decreuimus, sed iuxta canonum sanctionem et sanctorum Patrum decreta eos omnino dampnamus ac deponendos apostolica auctoritate sancimus.

Gratian. Subaudiendum est, nisi uolenter attractus fuerit.

De his enim et a quibuslibet hereticis uiolenter ordinatis ait Innocentius: [ad Episcopos Macedoniae, epist. XXII. c. 5].

**C. CXI.** De his qui inuiti ad hereticorum ordinationem trahuntur.

Constat multos uim passos atque inuitos attractos, repugnantes que ab hereticis ordinatos; sed huiusmodi aliquis, si post talem ordinationem non interfuit, cum illi conficerent sacramenta, si communioni eorum participatus non est, si statim discedentibus illis pessimo conciliabulo eorum abrenunciauit et ad ecclesiam rediit, iste talis potest habere colorem aliquem excusationis.

Ceterum, qui post mensem aut amplius redierunt, cum se considerent ab hereticis ordinatos, certe qui nichil ab eis acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis.

Gratian. Tales plerumque ex intuitu pietatis reformat catholicæ manus inpositio cum satisfactione et medicina penitentiae; sed dampnationem symoniacorum et eorum, qui eis consenserunt, legimus, medicinam uero autenticam ex hac heresi nominatim non legimus, nisi quod, sicut usurpatum est in Nouacianis uel Donatistis, minoribus utique hereticis, non canonice, sed ex intuitu pietatis, ita etiam ex his posse fieri colligimus, ideo etiam, quia aliorum per omnia orthodoxam habent fidem, nisi quod Spiritum sanctum credunt esse uenalem.

Et, ut ait B. Augustinus heretici cum redierint qua parte se sciderint ab ecclesia, curentur, qua uero parte adhererint, cognoscantur.

Hinc et Leo scribit Ianuario Episcopo: [Aquilegiensi, epist. III].

**C. CXII.** Qui ab heresi ad ecclesiam redeunt, in quo inueniuntur ordine ex beneficio perseuerent.

Omnis cuiuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens unitatem, hereticæ uel scismaticæ coniunctionis contagione se maculauerit, si ad ecclesiam redierit cum legitima satisfactione et erroris sui dampnatione, hoc in magno beneficio habeat, si, adempta spe omnis promotionis, in quo inuenitur ordine permaneat.

Gratian. De his autem, qui ordinantur symoniace a non symoniacis (utpote illi, qui data pecunia archidiacono uel consiliariis episcopi, episcopo ignorante, hoc efficiunt, ut de manu eius sacros ordines accipiant) scribit Gregorius VII.: [lib. 6. Reg. in Synodo Romæ habita, A. D. 1078. die 19. Nou. cap. 5].

**C. CXIII.** Ordinationes, que symoniace fiunt, diiudicantur falsæ.

Ordinationes, que interueniente pretio uel precibus, uel obsequio alicui personæ ea intentione inpenso, uel que non communi consensu cleri et populi secundum canonicas sanctiones fiunt, et ab his, ad quos consecratio pertinet, non conprobantur, falsas esse diiudicamus, quoniam qui taliter ordinantur non per ostium, id est per Christum, intrant, sed, ut ipsa ueritas testatur, fures sunt et latrones.

#### **XIV. Pars.**

Gratian. Quia ergo tripliciter symonia in hoc capitulo notatur, uidendum est, quot modis pretium in hac heresi detur.

Hoc B. Gregorius in euangeliorum tractatu [hom. 4. in fine] euidenter exponit, dicens:

**C. CXIV.** De multiplici genere symoniacorum.

Sunt nonnulli, qui quidem nummorum premia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de ipsa largitate laudis solummodo retributionem querunt.

Hi nimirum quod gratis accipiunt gratis non tribuunt, quia de inpenso officio sanctitatis nummum expetunt fauoris.

Unde bene, cum uirum iustum Propheta describeret, ait: “Qui excutit manus suas ab omni munere”.

Non enim dixit solum a munere, sed: “ab omni munere,” quia aliud est munus ab obsequio, aliud a manu, aliud a lingua.

Munus ab obsequio est seruitus indebite inpensa.

Munus a manu pecunia est; munus a lingua fauor.

Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solum pecuniam nullam, sed nec etiam humanam gratiam requirit.

**C. CXV.** Eternam dampnationem inueniet qui quolibet munere ad sacrum ordinem accedit.

Idem in Registro.

Si quis neque sanctis pollens moribus, uel neque a clero populo que uocatus uel pulsatione coactus, inpudenter Christi sacerdotium, iam quolibet facinore pollutus, iniusto cordis amore, uel sordidis precibus oris, siue comitatu, siue manuali seruitio, siue fraudulento munusculo episcopalem seu sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis gloriæ auaritia fultus, dignitatem acceperit, et in uita sua non sponte reliquerit, eum que insperata mors penitentia non inuenerit, proculdubio in eternum peribit.

Hinc Gregorius scribit Iohanni Corinthiorum Episcopo: [lib. IV. ep. 55].

**C. CXVI.** Pro ordinationibus nichil omnino accipiatur.

De ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione decreuimus.

Oportet ergo, ut neque per donum neque per gratiam, neque per quorundam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentias uel permittas adduci.

**C. CXVII.** Nec pretio, nec gratia, uel supplicatione aliqui ad sacros ordines accedant.

Idem uniuersis Episcopis per Elladam prouinciam constitutis. [eod. lib. epist. 56].

Quibusdam narrantibus agnoui, quod in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat.

Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio, quia, cum sacerdotalis ordo intus ortus occidit, foris quoque diu stare non poterit.

Scimus quippe ex euangelio, quid redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras uendentium columbas euertit.

Columbas enim uendere est de sancto Spiritu (quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per inpositionem manuum hominibus tribuit) commodum temporale percipere.

Ex quo, ut predixi, malo iam euenire creditur, quia, qui in templo Dei columbas uendere presumpserunt, eorum, Deo iudice, cathedræ ceciderunt.

§. 1. Qui uidelicet error in subditis propagatur cum augmento.

Nam ipso quoque, quisque ad sacrum ordinem perducitur, in ipsa iam prouectus sui radice uiciatus, paratior est aliis uenundare quod emit.

Et ubi est quod scriptum est: “Gratis accepistis gratis date?”

Et cum primo contra sanctam ecclesiam symoniaca heresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non uidetur, quia eum, quem cum precio quis ordinat, prouehendo agit, ut hereticus fiat?

Ideo que hortamur, ut uestrum nullus denuo hoc fieri patiatur, sed neque gratia alicuius neque supplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promouere, nisi eum, quem uitæ et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstrauerit.

Nam si aliter factum senserimus denuo, districta et canonica illud noueritis ultione conpesci.

**C. CXVIII.** Ad episcopalem honorem nullus per ambitum accedat.

Item Simacus. [ad Cæsarium, epist. I. c. 5].

Nullus itaque per ambitum ad episcopalem honorem permittatur accedere.

Nam cum hic excessus in laicali conuersatione culpetur, quis dubitat, quin religiosis et Deo seruientibus incutiat obprobrium?

**C. CXIX.** De eodem.

Item Gregorius. [Adeodato Episcopo, lib. II. Indict. XI. epist. 48].

Estote ergo precipue in ordinatione solliciti, et ad sacros ordines nisi prouectiores etate et mundos opere nullatenus admittatis.

Eorum enim, qui in sacro ordine sunt collocandi, prius uitam mores que discutite, et ut dignos huic offitio adhibere possitis, non uobis potentia, aut supplicatio quarumlibet subripiat personarum.

Quando igitur de his tractari necesse est graues expertos que uiros consilii uestri adhibete participes et cum eis communi hoc deliberatione pensate.

**C. CXX.** Neque fauore, neque uenalitate ad sacros ordines quisquam promoueatur.

Idem Columbo Episcopo. [lib. II. Indict. XI. ep. 47].

Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant.

Nulla sit in ordinatione uenalitas; potentia uel supplicatio personarum nichil aduersus hec, que prohibemus, obtineat.

Nam proculdubio Deus offenditur, si ad sacros ordines quisquam non ex merito, sed ex fauore (quod absit) aut uenalitate prouehitur.

Gratian. Econtra idem Gregorius quibusdam supplicantibus unum acolitum, et alterum diaconum legitur ordinasse, sicut ipse scribit [lib. VII. Indict. I. ep. 2]. Petro Episcopo Corsicæ inter cetera:

**C. CXXI.** Episcopo interueniente Papa quemdam acolitum ordinauit.

Latorem presentium per intercessionem uestræ sanctitatis acolitum fecimus, quem ad obsequia tua transmisi, ut, si in lucrandis animabus amplius seruerit, proficere amplius possit.

**C. CXXII.** Quisquis in Romana ecclesia ordinem sacrum acceperit, ab ea ulterius egredi non poterit.

Idem Heliae presbitero et Abbati. [lib. IV. epist. 30].

Filium uestrum Epiphanium mandastis ut ad sacrum ordinem promouere deberemus uobis que transmittere.

Sed in uno uos audiui in altero minime potui audire.

Diaconus quidem factus est; sed quisquis semel in hac ecclesia sacrum ordinem acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet.

Si uero uidere uos non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio uestro requiesco.

Gratian. Non itaque quorumlibet precibus ordinationes factæ falsæ diiudicantur, sed hæc demum, que precibus ordinandi uel eius amici, non spirituali, sed carnali affectu porrectis fiunt, cum alias futuræ non essent; quas non karitas interueniens, sed ambitio supplicans extorquet.

Non solum autem clericos cuiuslibet episcopi summus Pontifex in ecclesia Romana ualet ordinare, uerum etiam oportunitate exigente monachos et quoscumque clericos conuocare potest et inuitare.

Unde Nicolaus papa: [Michæli Imperatori in epist., quæ incipit: “Proposueramus”]

### C. CXXIII. De eodem.

Per principalem beatorum apostolorum Petri et Pauli potestatem ius habemus non solum in monachos, uerum etiam in quoslibet clericos de quacumque diocesi, cum necesse fuerit, ad nos conuocare atque ecclesiasticis exigentibus oportunitatibus inuitare.

## XV. Pars.

Gratian. Quolibet ergo munere interueniente falsa diiudicatur ordinatio.

Sicut autem pretio interueniente sacri ordines non sunt tribuendi, ita nec restituendi.

Ut enim ait B. Ambrosius, sacri ordines nec sunt pretio emendi; nec redimendi.

Hinc etiam Gregorius VII. ait: [lib. VI. Reg. in Concilio habito A. D. 1078. Pontificatus sui VI. c. 9].

### C. CXXIV. Pretio interueniente offitium sacerdotale non restituatur.

Nullus episcopus grauamen seu seruire seruitium ex usu contra ecclesiasticam normam abbatibus seu clericis suis inponat, uel interdictum sacerdotale offitium pretio interueniente restituat.

Quod si fecerit, offitii sui periculum subeat.

Gratian. Qui autem pecuniam accipiunt, ut ordinandis sacros ordines non tribuant, uel ut canonicæ electioni assensum non prebeant, aut ecclesiis edificandis uel consecrandis lapidem benedictum uel consecrationem subtrahant, multis argumentis acceptæ pecuniæ rei et infames esse probantur.

Ait enim Pascalius II:

### C. CXXV. Sacrilegi sunt iudicandi qui ecclesias non permittunt regulariter ordinari.

Sunt quidam, qui uel uolentia, uel fauore non permittunt ecclesias regulariter ordinari.

Hos etiam decernimus ut sacrilegos iudicandos.

### [[C. CXXVI].

Codicis libro IX. ad legem Iuliam repetundarum, Imppp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius.

Iubemus, hortamur, ut, si quis forte honoratorum, decurionum, possessorum, postremo etiam colonorum, a cuiuslibet ordinis iudice fuerit aliqua ratione concussus, si quis scit uenalem de iure fuisse sententiam, si quis penam uel pretio remissam uel uicio cupiditatis ingestam, si quis postremo quacumque de causa inprobum iudicem potuerit

approbare, is uel administrante eo, uel post administrationem depositam in publicum prodeat, crimen deferat, delatum approbet; cum probauerit uictoriam reportaturus, et gloriam.

[[C. CXXVII].

Item in Digestis libro III. titulo de calumpniatoribus, Ulpianus libro X. ad edictum, [I].

1.  
In eum, qui, ut calumpniæ causa negotium faceret uel non faceret, pecuniam accepisse dicitur, intra annum in quadruplum eius pecuniæ, quam accepisse dicitur, post annum simpli in factum actio competit.

[[C. CXXVIII].

Ibidem libro XLVII. titulo [13. 1. 2]. de concussionione, Marcellus libro I. publicorum iudicum.

Concussionis iudicium publicum non est.

Sed si ideo pecuniam quis accepit, quod crimen minatus sit, potest publicum iudicium esse ex senatusconsultis, quibus pena legis Corneliæ teneri iubentur qui in accusationem innocentium coierint, qui ue ob accusandum uel non accusandum, denunciandum uel non denunciandum testimonium pecuniam acceperint.

[[C. CXXIX].

Ibidem libro XLVIII. titulo 11. de lege Iulia repetundarum, [I. 3]. Marcellus libro I. publicorum iudicum.

Lege Iulia repetundarum tenetur, qui, cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob iudicandum uel non iudicandum decernendum ue acceperit, Venuleius Saturninus libro III. publicorum iudiciorum uel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret.

[[C. CXXX].

Idem. [eod. tit. I. 6].

Eadem lege tenentur, qui ob denunciandum uel non denunciandum testimonium pecuniam acceperint.

§. 1. Lege Iulia repetundarum cauetur, ne quis ob militem legendum mittendum ue es accipiat, neue quis ob sententiam in senatu consilio ue publico dicendam pecuniam accipiat, uel ob accusandum uel non accusandum.

§. 2.

Marcellus ibidem.

Lex Iulia de repetundis precipit, ne quis ob iudicem arbitrum ue dandum, mutandum ue, iubendum ue, neue ob non dandum uel non mutandum, non iubendum, neue ob litem estimandam, iudicium ue capitis pecuniæ ue faciendum uel non faciendum aliquid acceperit.

§. 3. Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur, et plerumque uel exilio puniuntur, uel etiam durius, prout admiserint.

§. 4. Hac lege dampnatus testimonium publice dare, aut iudex esse postulare ue prohibetur.

## QUESTIO II.

**GRATIANUS.****I. Pars.**

Sequitur secunda questio, qua queritur, an pro ingressu monasterii pecunia sit exigenda, uel exacta persoluenda?

Hoc utrumque licite fieri, utriusque testamenti serie conprobatur.

Legitur enim in primo libro Regum, quod Anna detulit se cum Samuelem, postquam ablactatus fuerat, in tribus uitulis, et tribus modiis farinae, et amphora uini ad domum Dei in Sylo.

§. 1. In Actibus uero apostolorum legitur, quod “multitudinis credentium erat cor unum et anima una,” nec aliquid eorum, que possidebant, quisquam proprium esse dicebat; sed erant illis omnia communia.

Singuli uendebant predia sua, et ponebant precia eorum ante pedes apostolorum, quorum unus, nomine Ananias, dum partem sibi reseruaret, cum uxore sua Sapphira, sententia maledictionis accepta, ante pedes apostoli cecidit mortuus.

§. 2. Hinc liquido aparet, quod ingressuri monasterium sua debent offerre rectoribus, nec aliter sunt recipiendi, nisi sua obtulerint.

Sed aliud est sua sponte offerre, aliud exacta persoluere.

Anna mater Samuelis non exacta neque petita, sed sponte munera sacerdotibus obtulit.

Credentes sua sponte offerebant apostolis, ut indigentium necessitatibus deseruissent, que instante persecutione infidelium eis possidere non licebat.

Ananias quoque non ideo dampnatus est, quia sua nollet offerre, sed quia, Spiritui sancto mentitus, precia eorum, que apostolis obtulerat, ex parte fraudabat.

Non ergo his auctoritatibus permittitur rectoribus ab ingressuris aliquid exigere, sed sponte oblata suscipere, quia illud dampnabile est, hoc uero minime.

Unde in Bracarensi Concilio II. [cap. 5]. legitur:

**C. I. Pro dedicandis ecclesiis nichil exigatur.**

Placuit, ut, quociens ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopi inuitantur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirant; sed si ipse quidem aliquid ex suo uoto obtulerit, non respuatur, si uero aut paupertas illum aut necessitas retinet, nichil exigantur ab illo.

Hoc tamen unusquisque episcoporum meminerit, ut non prius dedicet ecclesiam, nisi ante dotem basilicæ et obsequium ipsius per donationem cartulæ confirmatum accipiat.

Nam non leuis est ista temeritas ut sine luminariis uel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem seruituri sunt, tamquam domus priuata consecretur ecclesia.

Item Bonifacius urbis Romæ Episcopus scribit uniuersis Caralitanæ ecclesiæ cenobitis:

**C. II. Ab his, qui ad conuersionem accedunt, nichil est exigendum, nec precio aliquis ad conuersionem est inuitandus.**

Quam pio mentis affectu, fratres karissimi, uestræ destitutioni Romana conpatiatur ecclesia, uobis fortassis incognitum, sed cognitori omnium non incognitum habetur.

Dubitationi autem uestræ quod idoneum demus responsum, Deum testificor, ipsa quoque me dubitatio reddit anxium et ineptum.

Numquam enim legimus Domini discipulos uel eorum ministerio conuersos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocasse, nisi forte de pauperum alimento



quis inconcinne proponat, quorum nulli, cuiuscumque professionis esset, uictualia negabantur.

Scimus equidem, quod “omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est,” a quo bonæ uoluntatis donum accipit qui sancto deliberationis arbitrio gratis Deo seruire disponit.

Restat ergo, ut qui pro aliqua ecclesiæ susceptione munus accipit, Dei donum, quod a patre luminum descendere debuit, uendat; munus autem largiens inportunus emat.

Quid autem de diuini doni uenditoribus uel emptoribus consequatur, concludi necesse non est.

§. 1. Cauete ergo, fratres, quam sit ambiguum quod petistis consilium, quod quidem secundum uestræ uoluntatis propositum nulla inuenimus ratione confirmatum.

Verumtamen, si uestræ necessitati adeo est oportunus quem reperistis, dum tamen omnis absit pactio, omnis cesset conuentio, nulla que uestræ ecclesiæ fiat distractio, accedat, gratis Deo seruire incipiat, sui que regiminis deuote gestet obsequium ac, postmodum uos, quasi subsidii gratia, aliqua suæ ecclesiæ munera largiri fratrum solatio Romana permittit ecclesia.

[Unde Urbanus Papa in Concilio apud Melfiam, c. 12.:

#### PALEA. C. III. De eodem.

Nullus abbas precium sumere uel exigere ab eis, qui ad conuersionem ueniunt, aliqua pacti occasione presumat.

Regulam antiquam sequens, nulli umquam de ordinationibus aliquid omnino accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione cartarum, neque ex ea, quam noua per ambitionem simulatio inuenit, appellatione pastelli.

Quia enim ordinando episcopo Pontifex manum inponit, euangelicam lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit].

C. IV. Ab ordinato non debet aliquid exigi, sed nec uoluntarie oblata respui oportet.

Item Gregorius in Registro. [lib. IV. epist. 44. siue cap. 88. in Sinodo Romæ habita].

Sicut episcopum non decet manum, quam inponit, uendere, ita minister uel notarius non debet in ordinatione eius uocem suam uel calamum uenundare.

§. 1. Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus ac petitus, post acceptas cartas et pallium offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causa uoluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, que non ex ambientis petitione processit.

Gratian. Auctoritate Bonifacii patenter ostenditur, quod, sicut nullus precio est inuitandus ad conuersionem, ita nulli pecuniæ interuentu ecclesiæ largiri oportet ingressum.

Auctoritate uero Gregorii datur intelligi, quod pro ingressu ecclesiæ non licet pecuniam exigere, sed spontanee oblatam suscipere licet.

## II. Pars.

Item opponitur illud Apostoli [1]. ad Timotheum: [cap. 5. u. 2].

[[C. V].

“Viduas honora, que uere uiduæ sunt.

Que autem non sunt uere uiduæ, id est que suis uel parentum opibus sustentari possunt, non recipiantur, ut ecclesia sufficiat his que uere uiduæ sunt”.

**C. VI.** Qui sumptibus propriis sustentari possunt, ab ecclesia stipendia non accipiant.

Item Ieronimus ad Damasum Papam.

Clericos autem illos conuenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum et propinquorum nulla suffragantur.

Qui autem bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt, et per abusionem talium iudicium sibi manducant et bibunt.

**C. VII.** Quibus sua sufficiunt alimentis ecclesiæ non sustententur.

Item Prosper in libro de contemplatiua uita capitulo X.

Pastor ecclesiæ his, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quando nichil aliud sit habentibus dare quam perdere.

Nec illi, qui sua possidentes sibi dari aliquid uolunt, sine grandi suo peccato unde pauper uicturus erat accipiunt.

De clericis quidem Spiritus sanctus dicit: “Peccata populi mei comedunt”.

Sed sicut nichil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere uidentur, accipiunt, ita possessores non alimenta, quibus habundant, sed aliena peccata suscipiunt. Gratian. Verum his auctoritatibus prohibentur ab ecclesia suscipi non illi, qui quomdam fuerunt diuites, et omnia reliquerunt, ut Petrus et Mattheus et Paulus, aut pauperibus distribuerunt, ut Zacheus, aut ecclesiæ rebus adiunxerunt, sicut illi, qui predia sua uendentes ponebant precia ante pedes apostolorum, ut essent illis omnia communia: sed illi, qui in domibus parentum residentes uel sua relinquere nolentes ecclesiasticis facultatibus pasci desiderant.

De quibus in eodem libro Prosperi [c. 10]. subinfertur:

**C. VIII.** Qui sua relinquere non uult sumptibus ecclesiæ sustentari non debet.

Si quis propter hoc non uult sua relinquere, ut habeat unde uiuat, ut quid accipit, unde rationem reddat?

ut quid peccatis alienis sua multiplicat?

Idem:

§. 1. Non est meum dicere, quale peccatum cibos pauperum presumendo suscipiant; qui ecclesiam, quam iuuare de propriis facultatibus debuerant, suis expensis insuper grauant, propter hoc fortassis in congregatione uiuentes, ne aliquos pauperes pascant, ne aduenientes excipiant, aut ne suum censum cottidianis expensis inminuant.

§. 2. Quod si aliquid de fructibus suis ecclesiæ uelud pro ipsa sua expensa contulerint, non se preferant inani iactantia illis, quos nichil habentes pascit et uestit ecclesia, quia perfectior est ille, qui se mundi rebus expoliat, aut qui, cum nichil habuerit, nec habere desiderat, quam ille, qui ex multis, que possidet, ecclesiæ aliquid prestiterit, ac se de eo, quod prestiterit, forsitan iactat.

Gratian. Ecce, qui prohibentur suscipi ab ecclesia.

Illi uero, qui omnia sua relinquunt, uel pauperibus distribuunt, uel ecclesiæ rebus adiungunt, et ab ecclesia laudabiliter sunt suscipiendi, et eius opibus sustentandi.

Unde in eodem libro [cap. 11]. legitur:

**C. IX.** Qui sua relinquunt, uel pauperibus distribuunt, uel ecclesiae rebus adiungunt, laudabiliter ecclesiastica dispensant.

Sacerdos, cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit a populo dispensanda, et fideliter dispensat accepta, quia omnia sua aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut ecclesiae rebus adiunxit, et se in numero pauperum paupertatis amore constituit, ut unde pauperibus subministrat, inde et ipse tamquam pauper uoluntarius uiuat.

Clerici quoque, quos pauperes natiuitas fecit, cum perfectione uirtutis uitae necessaria siue in domibus suis, siue in congregatione uiuentes accipiant, quia ad ea accipienda non eos cupiditas ducit, sed uiuendi necessitas cogit.

§. 1. De talibus uidetur dicere Apostolus: “Qui in sacrario operantur que de sacrario sunt edunt, et qui altario deseruiunt cum altario participantur”.

Qui, nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum uellet intelligi, numquam secutus adiungeret: “Ita et Deus ordinauit his, qui euangelium annunciant de euangelio uiuere”.

De euangelio uiuunt qui nichil habere proprium uolunt; qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores.

Quid est aliud de euangelio uiuere, nisi laborantem inde, ubi laborat, necessaria uitae percipere?

Apostolus tamen, qui sic euangelium predicauit, ut necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter loquitur: “Ego autem nullo horum usus sum”.

Et quare dixerit, secutus aperuit, dicens: “Expedit mihi magis mori quam ut gloriam meam quis euacuet”.

Euacuari dicit gloriam suam, si ab eis, quibus predicabat, uoluisset accipere uitae temporalis expensam.

Nolebat quippe in presenti sui laboris fructum, sed in futuro recipere.

**C. X.** Iuxta meritum laboris sacerdotes clericis ecclesiastica stipendia distribuunt.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 36].

Clerici omnes, qui ecclesiae fideliter uigilanter que deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum seruitii sui meritum per ordinationem canonum a sacerdotibus consequantur.

Gratian. Multorum auctoritatibus luce clarius constat, quod ab ingressuris monasterium non licet pecuniam exigere, ne et ille, qui exigit, et ille, qui soluit, symoniae crimen incurrat.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Sed adhuc obicitur, qui ingressuri monasterium pecunias tribuunt, non propositum religionis, sed participationem stipendiorum ecclesiae emunt.

Temporalia ergo non spiritualia ementes, nequaquam symoniaci habendi sunt.

§. 1. His ita respondetur: Non solum qui spiritualia, sed etiam qui temporalia eis annexa precio accipiunt symoniaci iudicantur.

Unde Malachias loquens ex persona Domini: “Quis est,” inquit, “in uobis, qui claudat ostia et incendat altare meum gratuito?”

Non est uoluntas mihi in uobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu uestra”.

Ostia claudere non est sacri muneris officium, sed tantum sibi adiunctum.  
Item Gregorius scribit uniuersis Yspanis Episcopis:

**C. I. De his, qui sacros ordines munerum acceptione dispensant.**

Audiuimus, dilectissimi, quod nos audisse oportuit, sed audisse profecto non libuit, quosdam scilicet esse sacrorum ordinum professores, qui sub munerum datione uel acceptione Dei ecclesias, uel earum beneficia sibi usurpant.

Quod quidem scelus uos iam non dudum acriter correxisse uehementer admiramur; iuste enim uterque corripiendus est et a sanctæ liminibus ecclesiæ submouendus, et qui pro ecclesiæ ambitu munera largitur, et qui ut ecclesiam adeat quicquam presumit accipere. Iste quippe donum Dei emere, hic autem uendere presumit.

A sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod sponte et sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causatur.

Quare, fratres karissimi, que taliter facta sunt curiose refellite, infecta prohibete, uestris que iussionibus resistentes digno anathematis uinculo percutere non dubitate.

**C. II. De his, qui ecclesias uel ecclesiastica beneficia uendunt.**

Idem Rotomagensi Episcopo et Gallicis omnibus.

Si quis dator uel acceptor Dei ecclesias uel ecclesiastica beneficia (que quidam prebendas uocant) sub pecuniæ interuentu susceperit, siue dando emerit, siue accipiendo uendiderit, a Symonis non excluditur perditione.

Sed si perseuerans fuerit, perpetua mulctetur dampnatione.

Nam qui sub religionis obtentu Deo famulari uoluerit, si quid acceperit, et meritum perdit, et beneficio accepto frustratur.

Rationis ergo uigore cogitur quod iniuste recepit restituere, et quicquid turpis lucri gratia receperat non tenere.

**C. III. Ab officio suspendatur episcopus beneficia uel ecclesiastica officia uendens.**

Item Gregorius VII. Papa. [lib. VI. Reg. in Sinodo, cap. 4].

Si quis episcopus prebendas, archidiaconatus, preposituras uel aliqua ecclesiastica officia uendiderit, uel aliter, quam statuta sanctorum Patrum precipiunt, ordinauerit, ab officio suspendatur.

Dignum est enim, ut, sicut gratis episcopatum accepit, ita membra eiusdem episcopatus gratis distribuat.

**C. IV. Nec altaria, nec prebendas episcopis uendere licet.**

Item ex Concilio Urbani Papæ II. habito Aluerniæ.

Quesitum est de episcopis, qui altaria monasteriis data frequenter redimi pecunia compellebant, quia quidam symoniacæ prauitatis usus in Galliarum partibus iam diutius inoleuit, ut ecclesiæ uel decimæ (que uulgari uocabulo

apud eos altaria nuncupantur) monasteriis datæ sepius ab episcopis sub palliata auaritia uenduntur, mortuis nimirum seu mutatis clericis, quos personas uocant.

Nos auctore Deo uenalitatem omnem tam ex rebus quam ex ministeriis ecclesiasticis propellentes hoc ulterius fieri auctoritate apostolica prohibemus, sicut etiam prebendas omnes uenundandas interdiximus.

Porro quecumque altaria uel decimas ab annis triginta et supra sub huiusmodi redemptione monasteria possedissee noscuntur, quiete deinceps et sine molestia qualibet eis possidenda firmamus.

§. 1. Saluo utique episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus soliti sunt habere.

C. V. Quicquid data uel promissa pecunia in sacris ordinibus acquiritur irritum habeatur. Idem. [in Concilio Placenti, c. 1. et 2].

Ea, que a sanctis Patribus de symoniacis statuta sunt nos quoque et iudicio, et apostolica auctoritate firmamus.

Quicquid igitur in sacris ordinibus, uel in ecclesiasticis rebus uel data uel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse et nullas umquam uires obtinere censemus.

C. VI. Quicquid possidetur nomine pecuniæ intelligitur.

Item Augustinus de doctrina Christiano.

Totum, quicquid homines habent in terra, omnia, quorum Domini sunt, pecunia uocatur, seruus, uas, ager, arbor, pecus; quicquid horum est pecunia dicitur.

§. 1. Ideo autem pecunia uocata est, quia antiqui quod habebant, in pecoribus habebant.

C. VII. Qui ecclesiastica beneficia emunt, ecclesias quoque emere probantur.

Item Pascalis Papa.

Si quis obiecerit, non consecrationes emi, sed res, que ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur.

Nam cum corporalis ecclesia, ut episcopus, aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter uiuit, quisquis horum alterum uendit, sine quo nec alterum prouenit neutrum inuenditum derelinquit.

Nullus ergo emat ecclesiam uel prebendam, uel aliquid ecclesiasticum, nec pastellum, nec pastum antea uel postea pro huiusmodi soluat.

C. VIII. Quare euangelio non prohibeatur, inuestitura ecclesiæ a laicis fieri.

Item Urbanus [II]. Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio L. Preposito ecclesiæ sancti Vincentii apud Ticinum, salutem et apostolica benedictionem.

Saluator predicat in euangelio, circa finem seculi pseudochristos et pseudoprophetas surgere et multos seducere, et fideles suos in mundo multas habituros pressuras, sed tamen portas inferi non preualituras.

Proinde (ut ait Apostolus, oportet esse hereses, ut qui probati sunt manifesti fiant) oportet nos cum Propheta ex aduerso consurgere, et murum pro domo Israël opponere, et cum Apostolo per multas tribulationes intrare in regnum Dei, quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, que reuelabitur in nobis.

§. 1. Igitur, quia innotuisti nobis, quod tibi obicitur, utrum uendere ecclesiasticam rem symoniacum sit, hoc symoniacum esse patenter colligitur ex hoc, quod B. apostolus ait Symoni: “Pecunia tua te cum sit in perditione quia existimasti donum Dei pecunia possideri”.

Donum Dei quippe est Spiritus sanctus, et donum Dei est res ipsius ecclesiæ oblata.

Et, si bene animaduertis, Symon magus, qui ad fidem accessit, non Spiritum sanctum quo erat ipse indignus (quoniam, ut scriptum est, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum), sed donum eius emere uoluit, ut ex uenditione signorum, que per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.

Nec Apostolus emptionem Spiritus sancti (quam bene fieri non posse nouerat), sed ambitionem questus talis et auaritiam, que est ydolorum seruitus, in eodem Symone exhorruit et maledictionis iaculo percudit.

Quisquis igitur res ecclesiasticas (que Dei dona a Deo fidelibus, et a fidelibus Deo donantur, queque ab eodem gratis accipiuntur, et ideo gratis dari debent) propter sua lucra uendit uel emit, cum eodem Symone donum Dei pecunia existimat possideri.

Ideo que, qui eas non ad hoc, quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, uel indebiti obsequii, uel pecuniæ largitur uel adipiscitur, symoniacus est, cum principalis intentio fuerit Symonis sola pecuniæ causa, auaritia uidelicet, id est ydolatRIA, ut ait apostolus Paulus.

Alioquin cur sinodus Calcedonensis DCXXX. episcoporum procuratorem uel defensorem ecclesiæ, uel quemquam regulæ subiectum adeo per pecuniam ordinari prohibet, ut interuentores quoque tanti sceleris anathematizet, nisi quod eosdem symoniacos iudicet?

Quod si prefati milites ecclesiæ ob huiusmodi scelus taliter percelluntur, nemo sapiens negabit, non militantes ecclesiæ multo dampnabilius ob hanc causam, id est uenditionis uel emptionis, debere percelli.

Sed beatus predecessor noster Pascalis de consecratione affirmat, quod quisquis eorum alterum uendiderit, sine quo alterum non prouenit, neutrum non uenditum derelinquit, ac per hoc eum, qui rem ecclesiæ uendit uel emit, symoniacum esse intelligit.

§. 2. In nomine uero procuratoris intelligit prefata synodus quemlibet ecclesiasticarum rerum amministratorem, ut, uerbi gratia, prepositum, yconomum, uicedominum; defensoris nomine aduocatatum siue castaldum, et iudicem; in subiecto regulæ archipresbiterum, archidiaconum, canonicum, monachum uel quemlibet mancipatum ecclesiastico offitio.

§. 3. Quod uero Spiritum sanctum, quantum in se est, uendat uel emat qui preposituram uel huiusmodi aliquid uendit uel emit, audi Augustinum super Iohannem: “O quot preposituras secernunt! Alterum prepositum habet Cartagini Primianus, alterum in Mauritania Rogatus, alterum habet in Numidia ille uel ille, quos iam nec nominare sufficimus.

Circuit ergo aliquis emere columbam; unusquisque laudat prepositum suum, quod uendit, etc.”.

Ecce uenerabilis Augustinus, de preposituræ distractione agens, in nomine columbæ sancti Spiritus uenditionem uel emptionem accipit, sicut et omnes huius euangelici capituli tractatores.

§. 4. Pensandum uero est, qua pena mulctentur qui iam Deo et ecclesiæ suæ oblata uendunt uel emunt, si cum flagellis eiecti sunt a templo Dei qui que Deo erant offerenda uendebant uel emebant.

Si de offerendorum uenditoribus uel emptoribus dictum est: “Vos fecistis domum patris mei domum negotiationis et speluncam latronum:” quid dicetur de ecclesiæ iam oblatores uenditoribus uel emptoribus?

§. 5. Et ne quis insanus obiciat, merito hoc Dominum tam acerbe uindicasse, quia tunc illa in Dei templo uendebantur, ecclesiasticæ uero res modo extra templum distrahantur attende superius Augustinum non terminantem locum uenditionis uel emptionis prepositorum sed tantum indefinite dicentem: “Circuit aliquis emere columbam; unusquisque prepositum suum laudat quod uendit;” non adiciens, in templum, uel extra templum.

Hec contra uenditores uel emptores rerum sacrarum sufficiant.

C. IX. Ministri et seruitores ecclesiæ absque ulla uenialitate ab episcopis ordinentur.

Item Alexander [II]. Episcopus, seruus seruorum Dei, Lucensis ecclesiae clero et populo in perpetuum.

Ex multis temporibus hoc detestabile malum intra uestram ecclesiam inoleuisse cognouimus, ut nulli umquam clerico, quamuis religioso, quamuis scientia et moribus predito, ecclesiasticum beneficium concederetur, nisi ei, qui profano pecuniae munere illud emere studisset, fiebat que ecclesia et res eius ita uenalis, uelud quedam terrena et uilis merces negotiatoribus ad uendendum exposita.

Quod malum quam detestabile, quantum Deo sanctis que sit contrarium, et sacri canones docent, et fere omnibus manifestum existit.

Ista sententia inuenitur in II. capitulo Calcedonensis sinodi.

§. 1. Calcedonense concilium namque unum ex principalibus, simili pena condemnat eos, qui ecclesiae beneficium interuentu pecuniae acquirunt, et eos, qui sacram manus inpositionem (per quam Spiritus sanctus confertur) mercari dinoscuntur.

Utrosque enim auctoritate inexpugnabili, illos a beneficio, istos a sacro ordine iubet expelli.

Unde humani generis redemptor omnes ementes et uendentes de templo eiciens cathedras uendentium columbas euertit, nummulariorum effudit es, precepti sui auctoritate denuncians et dicens: “Nolite facere domum patris mei domum negotiationis”.

§. 2. Illud quoque in eodem facto sollicite considerate, quod per totum textum sancti euangelii nusquam reperitur, Dominum tanta seueritate, tam districta censura iustitiae peccantes corripuisse, cum non solum eloquio increpans, uerum etiam facto flagello de funiculis uerberans omnes eliminauit de templo, aperte demonstrans, quod tales negotiatores non sicut ceteri peccatores sunt corripiendi, sed a templo Dei, id est a sancta ecclesia, longius sunt prociendi.

Nam sicut per columbarum uenditores illi denotantur, qui sacram manus inpositionem uendere conantur, sic per nummularios ecclesiastici beneficii uenditores designantur, qui domum Dei euangelio teste speluncam latronum efficiunt.

§. 3. Quapropter ego Alexander, sanctae Romanae ecclesiae et apostolicae sedis episcopus, imo minister indignus, tot et tanta mala in multis ecclesiis et maxime in Lucensi ecclesia ex iniqua concupiscentia fieri conspiciens, ne sanguis iniquorum a districto iudice de manu nostra requiratur, illa extirpare et penitus eradicare decreuimus. Constituimus itaque et presenti decreto firmamus (sicut olim nostri decessores fecisse noscuntur), nullum deinceps episcoporum beneficium ecclesiae (quod quidam canonicam, uel prebendas, uocant seu etiam ordines) pro aliquo precio uel munere clericis audeant umquam conferre, sed omnes ministros et seruitores ecclesiae gratis et absque ulla uenalitate in sancta ecclesia studeant ordinare.

Nec eligant in domo Domini qui maiores sacculos pecuniae conferant, sed eos, qui moribus et scientia diuites pro offitio suo ipsam ualeant sustentare ecclesiam.

Constituimus et eodem modo firmamus, ut nullus cuiuscumque gradus clericus pro ecclesiae beneficio audeat aliquid conferre aut fabricae ecclesiarum uel in donariis ecclesiarum, siue etiam quod pauperibus sit tribuendum, quia (teste scriptura) qui aliquid male accipit, ut dispenset bene, grauatur potius quam iuuatur.

Quod si aliquis, diuinorum preceptorum et animarum salutis inmemor, prefatum beneficium ecclesiae iniqua cupiditate ductus emere uel uendere temerario ausu presumpserit, sicut in Calcedonensi concilio diffinitum est, gradus sui periculo eum subiacere decreuimus, nec ministrare possit ecclesiae quam pecunia uenalem fieri

concupiuit, et insuper terribilis anathematis mucrone perfossus, nisi resipuerit, ab ecclesia Dei, quam lesit, modis omnibus abscidatur.

**C. X.** Qui dona Dei uendunt uel emunt, pariter a Deo dampnantur.

Item Gregorius homelia XIII.

Vendentes et ementes de templo eliminauit Christus, quia uel eos, qui pro munere inpositionem manuum tribuunt, uel eos, qui donum Dei emere nituntur, dampnat.

Item:

§. 1. In templo uendentes sunt, qui hoc, quod quibusdam iure competit, ad premium largiuntur.

Iustitiam enim uendere est hanc pro premii acceptione seruare.

Ementes uero in templo sunt, qui, dum hoc quod iustum est, proximo persoluere nolunt, dum que rem iure debitam facere contempnunt, dato patronis precio emunt peccatum.

**C. XI.** Qui gratiam, quam a Deo accipiunt, non gratis exercent, uenditores sunt columbarum.

Item Beda. [ad cap. 2. Ioannis]

Non solum uenditores sunt columbarum, et domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines, largiendo precium pecuniæ, uel laudis, uel etiam honoris inquirunt; uerum hi quoque, qui gradum uel gratiam in ecclesia spiritualem, quam Domino largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cuiuslibet humanæ causa retributionis exercent contra illud Petri apostoli: “Qui loquitur, quasi sermones Dei; qui ministrat, tamquam ex uirtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus”.

Quicumque ergo tales sunt, si nolunt ueniente Domino de ecclesia auferri, auferant ista de actibus suis, ne faciant domum Dei domum negotiationis.

Gratianus. Res ecclesiæ, que uel ex consecratione proueniunt, in suum ius uel ui, uel aliquo munere aliquem conuertere non debere, docens sanctus Urbanus ait.

**C. XII.** Que ex consecratione proueniunt, nemo in suum ius ui uel munere conuertat.

Quisquis res ecclesiasticas (que dona Dei sunt, quoniam a Deo fidelibus, et a fidelibus Deo donantur, queque ab eodem gratis accipiuntur, et ideo gratis dari debent) propter sua lucra uendit uel emit, cum eodem Symone donum Dei pecunia possideri existimat.

**C. XIII.** Symoniaci sunt episcopi, qui decimas et oblationes laicis, non clericis distribuunt.

Item Gregorius VII.

Peruenit ad nos fama sinistra, quod quidam episcoporum non sacerdotibus propriæ diocesis decimas atque Christianorum oblationes conferant, sed potius laicalibus personis, militum uidelicet siue seruatorum, uel (quod grauius est) consanguineis.

Unde si quis amodo episcopus inuentus fuerit huius diuini precepti transgressor, inter maximos hereticos et antichristos non minimus habeatur, et, sicut Nicena synodus de symoniacis censuit, et qui dat episcopus, et qui recipiunt ab eo laici, siue precio, siue beneficio, eterni incendii ignibus deputentur.

**C. XIV.** Spiritum sanctum uendit, qui decimas pro pecunia tribuit.

Item Pascalis II.

Altare et decimas per pecuniam dare, et Spiritum sanctum uendere symoniacam heresim esse, nullus fidelium ignorat.



**C. XV.** Careat honore male acquisito, qui ecclesiastica beneficia per pecuniam inuenire temptauerit.

Item Innocentius Papa. [II. in Sinodo Romana, cap. 2].

Si quis prebendas, uel prioratum, seu decanatum, aut honorem, uel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, utputa crisma, uel oleum sanctum, consecrationes altarium uel ecclesiarum, interueniente execrabili ardore auariciæ per pecuniam acquisiuit, honore male acquisito careat, et emptor atque uenditor, et interuentor nota infamiæ percellantur, et nec pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante uel post aliquid exigatur, uel ipse dare presumat, quoniam symoniacum est; sed libere absque diminutione aliqua collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur.

Gratian. De secunda questione et tertia quid sacri canones diffiniant, auctoritatibus hinc inde in medium deductis patefactum est.

## QUESTIO IV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Nunc ergo de quarta questione est pertractandum, an paternum crimen huic inputetur, quod eo ignorante constat admissum?

Quod ignorantia hunc excuset, multorum auctoritatibus probatur.

Ait enim Augustinus: [ep. XLVIII. ad Vincentium]

**C. I.** Alienum crimen nescientem non maculat.

Nullius crimen maculat nescientem.

[[C. II].

Item. [in eadem epistola]

Quis locus innocentiae relinquitur, si alienum crimen maculet nescientem?

**C. III.** De infantibus, qui ab hereticis baptizantur.

Item in Affricano Concilio [c. 14]. legitur.

Placuit de infantibus, qui ab hereticis baptizantur, eque suo hoc iudicio fecerunt, cum ad ecclesiam Dei salubri proposito fuerint reuersi, ne parentum error illos inpediat, quo minus promoueantur sacri altaris ministerio.

**C. IV.** De eodem.

Item in eodem. [c. 24].

Qui apud Donatistas paruuli baptizati sunt, nondum scire ualentes erroris interitum, si postquam ad etatem rationis capacem peruenerint, agnita ueritate falsitatem abhorrentes eorum, ab ecclesia ordine antiquo per manus inpositionem recepti sunt, tales ad suscipiendum munus clericatus non debet inpedire nomen erroris.

**C. V.** Consanguineorum maleficia in nullo clericis obsunt, nisi conscii fuerint.

Item Leo IV. Ebruino et Adelfrido.

Quia presulatus nostri (quod bene nostis) magisterium non solum de sacerdotum, uerum etiam secularium utilitatibus debet esse sollicitum, propterea fraternitatem uestram scire uolumus, hunc presentem presbiterum ad sedem apostolicam uenisse, nobis que uiolentiam et excommunicationem suam per ordinem retulisse; quod etiam sine iusto legis tramite illi sua fuisset ablata ecclesia, similiter indicauit, quam alius dato munere sacerdos zelo ductus inuidiæ usurpare presumpsit.

Inde parentes eius magno dolore compulsi presbiterum illum, qui suam tenebat ecclesiam, mox comprehenderunt, et oculos eius eruerunt.

Tamen ipse sepe dictus sacerdos dicit, quod absque sua uoluntate siue consilio hoc sit peractum.

Quod si ita est, ut ipse nobis suo ore testatus est, uobis magnopere prouidendum est, ut, si ipse canonice excommunicatus non est, canonica super eum fiat remissio.

[[C. VI].

[Videas infra in Dicto Gratiani post can. 9].

**C. VII.** Perfidia parentum filiis obesse non debet.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 60].

Iudei baptizati, si postea preuaricantes in Christum qualibet pena dampnati extiterint, a rebus eorum fideles filios excludi non oportebit, quia scriptum est: “Filius non portabit iniquitatem patris”.

**C. VIII.** Non inputantur peccata parentum his, qui ab eis personaliter diuisi probantur.

Item Augustinus ad Bonifatium. [epist. XXIII].

Iam itaque, cum homo in se ipso, ab eo, qui genuit alter est effectus, peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius.

Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo et in illo, a quo traxit, quando quod contraxit admissum est.

Non autem trahit alter ab altero, quando sua unoquoque propria uita uiuente iam est, unde dicatur: “Anima, que peccauerit, ipsa morietur”.

Ut autem possit regenerari per offitium uoluntatis alienæ, cum offertur consecrandus, facit hoc unus spiritus, ex quo regeneratur oblatus.

Hinc etiam Gregorius in libro XXVI. *Moralium*: [c. 8., in cap. 35. *Iob*].

**C. IX.** Ei, qui imitatur, impietas alterius nocet.

“Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua, et filium hominis adiuuabit iustitia tua”.

Humana impietas ei nocet, quem peruertendo inquinat, et rursus eum adiuuat nostra iustitia, quem a prauis actionibus inmutat.

Nocere enim uel adiuuare nesciunt ea, que uel a bono corrumpere, uel a malo permutare non possunt.

Gratian. *Contra Dominus ad Moysen*: “Ego sum Deus zelotes, qui uisito peccata patrum in filios usque tertiam generationem et quartam,” licet non inequalitate iudicii, sed magnitudine clementiæ Augustinus hoc dictum asserit, ita dicens: “In tertia et quarta generatione peccata patrum se Dominus comminatur in lege filiis redditurum, non inequalitate iudicii, ut alii peccent et alii puniantur, sed magnitudine clementiæ, dum semper expectat penitentiam et quod in prima generatione delinquitur non prius corrigit et emendat, nisi tertia et quarta generatio euenerit”.

Digestis titulo de penis: [c. VI]. “Crimen uel pena paterna nullam maculam filio infligere potest.

Namque unusquisque ex suo admissio sorti subicitur, nec alieni criminis successor constituitur.

Id que etiam diui fratres Ierapolitanis rescripserunt”.

Cum ergo de baptizatis ab hereticis Innocentius scribat “Lex est ecclesiæ his, qui ab hereticis baptizati sunt, per manus inpositionem laicam tantum prebere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem uel exiguum subrogare”: patet, quod infantes, qui ab hereticis baptizati sint, sola excusat ignorantia, ut iuxta illud Africani concilii ad suscipiendum clericatus officium non eos impediatur nomen erroris.

Item sicut Augustinus scribit ad Auxilium Episcopum: [epist. 75].

[[C. X].

“Non imputantur filiis peccata parentum, que post eorum natiuitatem a parentibus committuntur; nec pro peccatis parentum spirituali pena filii sunt plectendi”.

[Gratian.] Offitio autem uel beneficio ecclesiæ priuari, spiritualis pena est: non igitur hanc ex patris peccato promeretur filius.

Item si excusatur, qui ignoranter a symoniaco ordinatur, ut supra in capitulo Urbani legitur, et iste excusandus est, qui per ignorantiam symoniace ordinatur.

## II. Pars.

Sed obicitur illud Gregorii:

C. XI. De ecclesia, que pactione consecratur.

Ecclesia, que pactione consecrata fuerit, potius execrata quam consecrata dici debet.

Gratian. Item peccato ciuium thesauri Iericho anathematizati leguntur.

Unde Achor, qui regulam auream et quedam alia pretiosa furatus est, de anathemate dicitur tulisse.

§. 1. Item peccato Amalechitarum animalia eorum iussa sunt interfici, quibus quia Saul pepercit, audiuit a Samuele: “Nescis, quia peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus ydololatriæ nolle acquiescere?”

§. 2. Item peccato Egyptiorum possessiones eorum grandini traditæ, iumenta et primogenita eorum morte consumpta sunt.

§. 3. Item peccato Isrælitarum archa Domini Phylisteis tradita est.

Si ergo que sensu carent, ut ecclesia, altare, archa Domini, lapides Iericho, uel execrantur, uel peccatoribus traduntur, uel anathematizantur, uel grandine deuastantur; si ea, que uim intelligendi non habent, ut animalia Egyptiorum et Amalechitarum, peccatis hominum morte perduntur: patet, quod nullum excusat ignorantia criminis, maxime cum ex eo utilitas deferatur ignoranti; ueluti si quispiam de latrocinio et rapina filio suo ignoranti diuicias congreget, non excusaret filium ignorantia, quin post mortem patris cogatur reddere male conquisita.

§. 4. Item peccato Achor plebs Isrælitica in manibus hostium tradita est.

§. 5. Item peccato filiorum Hely populus in manu Phylistinorum corruit.

§. 6. Peccato quoque plebis electi eorum sepe sunt inpediti, et tandem cum eis prophetæ ducti sunt captiui.

## III. Pars.

§. 7. His ita respondetur.

Insensibilia et irrationabilia peccato hominum uel execrantur, uel anathematizantur, uel morte perduntur, non participatione peccati, sed causa sacramenti, uel detestatione peccati, uel flagello delinquentium.

Causa sacramenti, ut thesauri Iericho et animalia Amalechitarum.

Iericho enim luna interpretatur, et significat istum mundum.

Amalechitæ interpretantur lingentes sanguinem, et significant cupidos, et auaros, et demones.

Isrælitæ interpretantur uiri uidentes Deum, significant multitudinem sanctorum. lapides ergo et thesauri Iericho anathematizantur, animalia Amalechitarum interfici iubentur ad examinandam cupiditatem huius mundi thesauri, qui per lapides et thesauros Iericho designantur, irrationabiles quoque uiciorum motus, qui per animalia Amalechitarum intelliguntur, non debent transire in sortem sanctorum.

Animalia uero Egyptiorum, et possessiones eorum, et primogenita, grandine et morte consumpta sunt, ut in illis punirentur, quorum felicitate letabantur, et ut daretur intelligi, quod mundus peribit et substantia eius.

Sed et terra Isræliitarum in salsuginem uersa est, et segetibus eorum imbres aduersi sunt, animalia eorum sterilitate et morbo confecta sunt, ut auctorem suum, quem per beneficia cognoscere noluerunt, saltem inter supplicia sentirent.

In detestatione uero peccati pecunia Symonis dampnata est, cui dictum est: “Pecunia tua te cum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri”.

In detestatione quoque eiusdem criminis altare et ecclesia, que per symoniam consecrantur, non tam consecrari quam execrari dicuntur, quia qui interuentu pecunie oleum consecrationis effundit non consecrare, sed execrare credendus est.

Hinc est, quod B. Gregorius ecclesias ab Arrianis consecratas iterum consecrari precepit, quia sanctificationem consecrationis non nisi in fide Trinitatis perficitur, prestare non poterant qui fide carebant.

Archa uero et prophetæ peccato suorum ciuium hostibus traditi sunt.

Electi quoque, qui murmure eorum impediti sunt, non in penam criminis, sed in experimentum et exemplum patientiæ hec passi sunt.

§. 8. Item populus, qui peccato Achor et filiorum Hely in manibus hostium traditus est significat, subditos corporaliter flagellari, ut inter ipsa flagella prelatorum peccata feriantur, sicut Achor sorte deprehensus lapidibus obrutus est.

§. 9. Sic et nauicula Ionæ periclitatur, ut fugitiuus sorte deprehensus, fluctibus inmergeretur.

Aliquando pro meritis prelatorum deprauatur uita subditorum, ut prelatis suis subditi fauentes ad malum cum eis simul corruant, sicut filii Isræel, diu portantes peccata sacerdotum, tandem cum eis ceciderunt in manibus hostium.

Item Daudid populum numerauit, quo peccato gladius Domini deseuit in populum.

“Sed in lata gente gloria regis est, in diminutione plebis contricio principis”.

Qui ergo de numerositate suæ gentis superbiuit, iure in eius diminutione punitus est.

§. 10. Item paruulos Sodomitarum non excusauit ignorantia, quin pro paterno scelere celesti igne consumerentur; sed hoc igne pena illis diminuta est, quibus successio paterni sceleris est adempta.

Pariter etiam demonstratum est, peccatis parentum paruulos aliquando corporaliter flagellari.

Illud idem intelligendum est de paruulis, qui peccato Datan et Abiron uiui descenderunt ad inferos.

§. 11. Item Cam peccante filios eius Canaam maledicatur; Iezi delinquente lepra transmittitur ad posteros.

Iudeis clamantibus: “Sanguis eius super nos et super filios nostros,” reliquiæ eorum penæ mortis “Christi” addictæ sunt.

Ahab quoque peccante posteri eius regni solium amiserunt, et qui de eius semine in regno Iudæ nati sunt, usque ad purgatam labem illius familiæ a genealogia Domini exclusi sunt.

Odium quoque Esau (ut Malachias testatur) transiuit ad Ydumeos.

Quibus omnibus colligitur, quod ignorantia peccati non excusat aliquem.

§. 12. Sed his exemplis non probantur teneri peccato aliorum nisi imitatores nequiciæ eorum.

Quicumque enim de semine Esau et ceterorum ad Deum conuersi paternam malitiam detestati sunt, non odium, sed Dei clementiam experti sunt.

Item ut ait Ambrosius: [sermone XI].

[[C. XII].

“Turbatur nauicula Petri, in qua erat Iudas, quia, qui suis meritis erat firmus, turbatus est alienis”.

[Gratian.] Ignorabat autem Petrus peccatum Iudæ.

Non ergo ignorantia excusauit illum, sed turbatio hec non peccati coinquinatio, sed corporalis persecutio intelligitur, quia meritis malorum nonnumquam adeo boni premuntur, ut eorum turbetur infirmitas.

Non itaque his auctoritatibus symoniaci probantur, pro quibus ignorantibus pecunia data est.

Non ergo potest probari iste reus criminis, cuius non habuit conscientiam.

#### IV. Pars.

§. 1. Notandum quoque est, quod non omnis ignorantia aliquem excusat.

Est enim ignorantia alia facti alia iuris.

Facti alia, quod non oportuit eum scire, alia, quod oportuit eum scire.

Quod non oportuit eum scire, sicut ait Apostolus: “Si quis infidelium uocauerit uos ad cenam, quicquid uobis appositum fuerit comedite, nichil interrogantes.

Si quis uobis dixerit, hoc ydolis immolatum est, nolite comedere”.

Ecce quod uocatum ad cenam non oportebat scire, carnes sibi appositas ydolis fuisse immolatas.

Quod oportuit eum scire, sicut ignorantia Iudeorum et reliquorum infidelium, qui ea, que a prophetis de Christo fuerant prenunciata, adhuc ignorant esse completa, unde a Iudeis adhuc expectatur uenturus.

Hec neminem excusat.

§. 2. Item ignorantia iuris alia naturalis, alia ciuilis.

Naturalis omnibus adultis dampnabilis est; ius uero ciuile aliis permittitur ignorare, aliis non.

Iuris ciuilis ignorantia nemini obest in dampno uitando, si negotium inde contigerit, ut, si minor pecuniam dederit filiofamilias, repetit; in maiore uero quasi delictum est.

§. 3. Item si successionem tibi etiam maiori delatam cum alio sine iudice diuidas, putans testamentum iure subnixum, cum non esset, solidam successionem obtinebis; uel si id, quod nullo iure debuisti, aut iure naturali non debuisti, sed ciuili, tamquam ex cyrographo soluas aut promittas, repetis; non ita, si delictum.

Nam si putat rem suam sibi per legem licere rapere, incidit in constitutionem: Si quis in tantam.

[PALEA. C. XIII. Inperator Valentinianus Augustus.

Si quis in tantam furoris audaciam peruenerit, ut possessionem rerum apud fiscum uel apud quoslibet homines constitutarum ante euentum iudicialis arbitrii uiolenter inuaserit, dominus quidem constitutus possessionem, quam abstulit, restituat possessori, et dominium eius rei amittat.

Sin uero alienarum rerum possessionem inuasit, non solum eam possidentibus reddat, uerum etiam estimationem earundem rerum restituere compellatur].

Gratian. In hoc autem non fuit ignorantia iuris, sed facti, et illius, quod non oportuit eum scire.

A reatu ergo criminis excusat eum ignorantia paterni delicti, quod etsi oportuisset eum scire, infirmitate tamen etatis deprehendere non poterat.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero quinto loco queritur, an liceat ei esse in ecclesia, uel fungi ordinatione, quam paterna pecunia est assecutus, auctoritate diffinitur Urbani, qui scribens de symoniacis ait inter cetera: [in Concilio Placentino, c. 5. et sequentibus, item que in Concilio Romano]

C. I. De paruulis, qui cupiditate parentum ecclesias emunt.

Quicumque sane cupiditate parentum, cum adhuc paruuli essent, ecclesias uel ecclesiarum partes per pecunias adepti sunt, postquam eas omnino dimiserint, si canonicè in eis uiuere uoluerint, pro misericordia eos ibidem esse concedimus, neque pro hoc facto a sacris ordinibus illos remouemus, si alias digni inueniantur.

§. 1. Illi uero, qui per se ipsos, cum maioris etatis essent, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, si in aliis ecclesiis canonicè uiuere uoluerint, seruatim propriis ordinibus pro magna misericordia ibi eos ministrare permittimus.

Quod si ad alias fortassis transferri non poterint, et in eis canonicè uiuere promiserint, minoribus ordinibus contenti ad sacros ordines non accedant, salua tamen in omnibus apostolicæ sedis auctoritate.

§. 2. Si qui tamen ante emptionem catholice ordinati sunt, cum ea, que emerunt, dimiserint, et uitam canonicam egerint, in suis gradibus permittantur, nisi forte eiusmodi ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere.

Primum enim, uel singularem, uel preposituræ locum in emptis ecclesiis eos habere non patimur.

#### II. Pars.

Gratian. Hoc autem eum non in preiudicium canonum, sed ex misericordiæ dispensatione dixisse, ex epistola eiusdem colligitur, missa Vitali Presbitero in hec uerba:

**C. II.** In dignitate seruanda symoniacis misericordia potest inpendi, si eos uita commendat.

Eos, qui ecclesiam emerunt, si persona talis fuerit, quam uita commendet, uidelicet ut in monasteriis uel canonicis regulariter uiuat, in sui honoris offitio misericorditer condescendendo ministrare concedimus, absque tamen sanctorum canonum preiudicio.

### **III. Pars.**

Gratian. Ex hac itaque auctoritate colligitur, quod ignorantia tales excusat a reatu criminis, ut supra dictum est, non a fructu emptionis, cum in ecclesiis, quas parentum pecunia adepti sunt, non nisi postquam eas omnino dimiserint et ex misericordia ibidem eis esse conceditur.

In quo patet, quod etsi illis ignorantibus symoniæ peccatum sit admissum fructum tamen paternæ emptionis reportare non possunt.

Quod uero a crimine excusentur, hinc patet, quia pro hoc facto a sacris ordinibus non remouentur.

Si enim illius criminis participes essent, ad sacros ordines conscendere non possent.

Illud idem intelligendum est de eo, qui per pecuniam est adeptus sacerdotii dignitatem, non episcopo, sed cuidam ex principibus eius datam; utroque tamen, ordinatore uidelicet et ordinato, hoc ignorante.

Urbanus II. scribit Alberto Metensi Episcopo:

**C. III.** De quodam, pro quo incuria parentum pecuniam dedit non episcopo, sed uni principum eius.

Presentium portitorem, quem parentum incuria, per pecuniam non episcopo, sed cuidam principum eius datam, inuitum sacerdotii dignitatem obtinuisse significasti, licet sancti canones deponendum esse testentur, quia tamen, culpam istam nesciens et coactus commisit, et quia ab eodem ordine ut deponeretur supplicauit ultroneus, ex consideratione discretionis (que mater est omnium uirtutum) magis quam ex rigore canonum, misericordiæ uiscera adhibendo, ipsum in eodem ordine esse fraternitati tuæ consulimus; ita tamen, ut, si ecclesia illa, cui deseruit, sacerdotum penuriam non patitur, suspensus a sacerdotali offitio permaneat.

Quod si fortasse ecclesiæ utilitas exegerit, ut curam regiminis assumat, liceat ei ex concessione episcopi sui fratrum que obedientia sacerdotali offitio fungi.

## **QUESTIO VI.**

### **GRATIANUS.**

Quid uero de his fieri debeat, qui ignoranter a symoniacis ordinati sunt (quod sexto loco quesitum est), supra, in capitulo uidelicet Urbani, quod sic incipit: “Si qui a symoniacis non symoniace ordinati sunt” requiratur.

Nunc autem de illis queritur, qui non pro ordinatione pecunias offerunt, sed pro electione, ut uel decretum electionis fiat, uel ut subscriptione confirmetur, uel ut electioni non resistatur, aliquibus premia largiuntur, an eorum electio uiciosa sit iudicanda.

Non enim uidentur Spiritus sancti donum emere qui non pro consecratione, sed pro electione munera largiuntur, cum nullius spiritualis gratiæ aliquos faciat electio participes.

Sed sicut ecclesiasticarum rerum emptores symoniaci iudicantur, quia ecclesiasticis offitiis ita adiunctæ sunt, ut alterum sine altero alicui non proueniat, ita, quia per electionem uenitur ad consecrationem, perinde symoniacus habetur, qui pro electione premia largitur, ac si pro consecratione munera dedisset.

Unde Simacus scribit Cesario Episcopo: [epist. I. c. 5].

**C. I.** Nec timore, nec premiis, nec potentum suffragio episcopi subscribatur electioni.

Si quis autem episcopatum desiderat, data pecunia potentes personas minime suffragatrices sibi adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum clericos, uel ciues ad subscribendum adhibito cuiuslibet generis timore compellat, uel premiis quibuslibet exhortetur.

**C. II.** Symoniacus est, qui ut eligatur premia largitur.

Item Gregorius Salonis consistentibus. [lib. V. ep. 26].

Ego autem uestræ dilectioni prouidens, et meæ animæ omnipotentis Dei iudicium pertimescens, eiusdem Maximi causas subtiliter exquiri desidero, si nullis criminibus pressus, que sacro ordini contradicunt, si non per symoniacam heresim, id est premia quibusdam se eligentibus prebendo, ad sacerdotale pertingere conatur offitium.

Tunc enim liber pro uobis apud Dominum intercessor erit, si non obligatus de suis ad locum intercessionis uenerit.

**C. III.** Sicut ordinatio, sic electio uel consensus sine uenalitate debet preferri.

Item Gregorius Siagrius Episcopo Augustudunensi [et aliis Episcopis, lib. VII. epist. 110].

Sicut is, qui inuitatus rennuit, quesitus refugit, sacris altaribus est admouendus, sic qui ultro ambit uel inportunum se ingerit est proculdubio repellendus.

Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit, nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius interius in profundum descendat?

Itaque, frater karissime, in sacerdotibus ordinandis sinceritas uigeat; sit simplex et sine uenalitate consensus; pura preferatur electio, ut ad summam sacerdotii non suffragio uenditorum prouectus, sed Dei credatur iudicio esse.

Gratian. Si autem pecunia promissa fuerit uel soluta, electo uel ordinato penitus ignorante, nec eo modo ad electionem uel ordinationem peruenerit, ei nullatenus obesse uidetur, nec ad reatum criminis pertinet cuius conscientiam non habuit, nec ad electionis uel ordinationis cassationem, ad quam alias non per prauam illorum cupiditatem peruenisse docetur.

## QUESTIO VII.

### GRATIANUS.



**I. Pars.**

Nunc autem de septima tractandum est questione, an renunciatus suæ heresi sit recipiendus in episcopali dignitate uel non?

De his ita scribit Ciprianus ad Stephanum: [lib. II. epist. 1].

**C. I.** Qui redeuntes ab heresi in suis ordinibus recipiantur.

Si qui presbyteri et diaconi in ecclesia catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi et rebelles extiterint contra ecclesiam, uel apud hereticos a pseudoepiscopis et antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sunt, et contra altare atque diuinum uerbum sacrificia foris falsa et sacrilega offerre conati sunt, eos quoque hac conditione suscipi conuenit, cum reuertuntur, ut communicent laicis, et satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint; nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerunt.

**C. II.** De his, qui pro muneribus ordinationem faciunt, et qui redeuntes ab heresi in suis ordinibus recipiuntur.

Item ex VII. Sinodo.

Si quis omnem traditionem ecclesiasticam scriptam uel non scriptam uiolat, anathema sit.

§. 1. Omnis episcopus aut presbyter, aut diaconus, conuictus quod pro muneribus ordinationem dederit uel acceperit, a sacerdotio cadat.

§. 2. Sed dicunt quidam, quia penitentiam agimus pro peccato, et Deus indulget illud; ita et ego dico, quia omnem penitentiam recipit Deus, et indulget per penitentiam peccata, que iam facta sunt.

Noui enim, quod Dauid fornicatorem et homicidam per penitentiam receperit Deus, et dixerit de eo: "Inueni uirum secundum cor meum".

Noui rursum eundem audientem a Deo: "Non edificabis mihi domum, quia uir sanguinum es".

Scio Manasse per confessionem dimissam impietatem suam.

Scio meretrices et telonarios per penitentiam receptos nullum tamen horum, qui ante baptismum peccauit, sacerdotibus connumeratum.

Scio quosdam, dum essent in mundo, in multa fornicatione mansisse, monachos uero factos quasi luminaria mundi resplenduisse; nullum tamen ad sacerdotium ascendisse.

Quod, etsi raro contigit, nulla tamen lex ecclesiæ fuit.

Nouimus primum peccatricem Mariam; post conuersionem, quamuis sancta et casta, tamen inter diaconissas computata non est.

Sed quid hoc dico? Sequens sanctos apostolos et uenerabiles Patres cum omni fiducia clamo: Quod qui per symoniam ordinatus est, siue episcopus, siue presbyter, siue diaconus, alienus est a sacerdotio, neque enim uenalis est gratia Spiritus sancti; Cayphæ traditio et adinuentio Symonis a sancto sacerdotio est aliena.

§. 3. Et si in fornicationem lapsus aliquis post baptismum, in sacerdotium non recipitur; canones enim hoc prohibent.

Si quis uero cum hoc peccato ad sacerdotium prouectus est, cognitus degradetur.

Item:

§. 4. Ipsum, qui per pecuniam ordinatus est, confiteor, quia per penitentiam recipit Deus.

Bonus est in omnibus, et aperta uiscera eius omni homini penitenti.

Sed quoniam iuxta Apostolum oportet episcopum esse inreprehensibilem, quicumque per pecuniam uel ordinauit aliquem uel ordinatus est, ab omni sacerdotio sit alienus.

§. 5. Tarasius patriarcha dixit: Quicumque per pecuniam uel ordinant, uel ordinauerunt, uel ordinantur, uel ordinati sunt episcopi, uel presbiteri, uel diaconi, uel quilibet de numero sacerdotali, repellantur omnino a sacerdotio, sicut Symon magus a Petro.

Quicumque per pecuniam, dispensationem uel curam sortiti sunt monasteriorum uel ecclesiarum, uel religiosarum domorum, ierocomiorum, seniorum, orphanotrophiorum, cum depositione expellantur a dispensatione illa et cura.

Qui post baptismum cadens in fornicationem ordinatus est, si postmodum confessus fuerit, cesset a ministerio; si uero conuictus ab aliquo, deponatur omnino.

§. 6. Percussor episcopus, aut presbiter, aut diaconus per se uel per alium aliquem, quasi timeri per hoc uolens, deponatur.

Item:

§. 7. Qui per seculares potestates ordinatus fuerit aut ecclesiam obtinuerit, deponatur; si uero religiosam domum, expellatur.

[PALEA. C. III. De eodem.

Item ex Concilio Meldensi c. 43.

Cauendum est et summopere studendum, ac per uirtutem Christi sanguinis inter dicendum et episcopis et regibus, et omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus et electoribus quorumcumque atque consensoribus, seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, ut nemo per symoniacam heresim regiminis locum obtineat quacumque factione, calliditate, promissione, seu commoditate aut datione per se aut per submissam personam].

C. IV. Qui redeuntes ab hereticis recipi possunt uel qui non.

Item de eadem Sinodo. [VII., actione 1].

## II. Pars.

Conuenientibus apud Nicenam Bithiniæ, et consedentibus Petro archiepiscopo, et Petro presbitero et abbate monasterii sancti Sabæ, locum tenentibus Adriani Papæ, et Tharasio archiepiscopo Constantinopolitano, et Iohanne et Thoma apocrisariis apostolicarum sedium orientalium, et ceteris episcopis, episcopi Siciliae dixerunt: Dignum est, ut de futuris inquiramus.

§. 1. Item Basilius episcopus Anchiræ dixit.

Constitutio ecclesiastica habet canonice tradita ab antiquo a sanctis apostolis et successoribus eorum, sanctis Patribus nostris et magistris, et sanctis uniuersalibus sex sinodis, et localibus sinodis orthodoxis, ut qui ab aliqua heresi reuertuntur ad orthodoxam fidem et traditionem catholicæ ecclesiæ, scripto negare debeant heresim suam et confiteri catholicam fidem.

§. 2. Item Tharasius patriarcha dixit: Videtur uobis, ut sedes suas recipiant qui ab heresi reuertuntur?

§. 3. Religiosissimi monachi dixerunt: Sicut receperunt uniuersales sinodi sex ab heresi reuertentes, ita et nos recipimus.

§. 4. Sancta sinodus dixit: Placet omnibus nobis.

Et iussi sunt Basilius episcopus Anchiræ, et Theodorus episcopus Mirreæ ciuitatis, et Theodosius sedere in gradibus suis et sedibus.

§. 5. Item Constantinus episcopus Cypri dixit: Non oportet nos, qui episcopi sumus, indigere doctrina, sed aliorum esse doctores.

§. 6. Item Tharasius episcopus dixit: Malorum doctorum mala doctrina.

Ecclesia de malis doctoribus sacerdotes non recipit.

§. 7. Item Iohannes apocrisarius orientalium sedium dixit: Heresis separat omnem hominem ab ecclesia.

§. 8. Item Tharasius episcopus dixit: Ecce multi canonici libri, et sinodici, et paterni lecti sunt, et ab heresi reuertentes docuerunt nos recipere, si alia aliqua causa non est in eis.

§. 9. Item Petrus apocrisarius Papæ dixit: Romæ exiliatus est Macharius hereticus a sancta sexta sinodo, et quadraginta dierum inducias dedit illi pater noster Benedictus Papa, et cottidie mittebat ad eum Bonifatium consiliarium suum, et instruebat eum commonitoriis uerbis ex diuina scriptura, et nullatenus uoluit emendari.

Hoc autem faciebat, ut eum reciperet in suo ordine.

§. 10. Item Tharasius patriarcha dixit: Quid dicitis de Anatholio?

Nonne etiam in quarta sinodo factus est princeps?

et ecce ab inpio Dioscoro ordinatus est.

Et nos igitur recipiamus eos, qui ab hereticis ordinati sunt, sicut Anatholius receptus est.

§. 11.

Item:

Vere uox Dei est, quoniam non moriuntur filii pro patribus, sed unusquisque in suo peccato moritur; et quoniam ordinatio ex Deo est.

§. 12. Item Tharasius patriarcha dixit: Audiuimus mandata paterna.

Quid igitur? oportet recipere ab hereticis ordinatos? §. 13. Sancta sinodus dixit: Audiuimus, domine, et oportet nos recipere.

§. 14. Tharasius patriarcha dixit: Plures eorum, qui in sexta sinodo conuenerunt, a Sergio, Pirro, Petro, Paulo ordinati sunt, qui fuerunt principes hereseos Monoscelitarum, quoniam isti continuatim in Constantinopolitana sede sederunt, et ab ultimo eorum, Petro scilicet, usque ad sextam sinodum non fuerant plus quam duodecim anni.

Thomas uero, et Iohannes, et Constantinus ab hereticis illis archiepiscopi facti sunt, et tamen propter hoc non sunt reprobati.

§. 15. Sancta sinodus dixit: Hoc manifestum est.

§. 16. Constantinus episcopus Cypri dixit: Sufficenter ostensum est, quod ab hereticis uenientes recipiendi sunt.

Si uero quis sponte ad hereticum uadit et accipit ordinationem, non recipiatur.

§. 17. Item Tharasius patriarcha dixit: Et ego refuto eos, qui ob huiusmodi causam ad fidei subuersionem ordinati sunt, et maxime, cum presentes essent orthodoxi episcopi, a quibus poterant ordinari.

Sic est paternus intellectus.

Si uero sinodalis consonantia fuerit, et unitas ecclesiarum de orthodoxis, qui presumpserit ab inmundis hereticis ordinari, depositioni subiaceat.

Sancta sinodus dixit: Hoc est iustum iudicium.

### III. Pars.

Gratian. Ex hac auctoritate datur intelligi, quod qui ab unitate catholicæ fidei in hereticorum societatem transierit, ut de manibus eorum ecclesiasticæ dignitatis sacramenta percipiat, uel qui contemptis orthodoxis ab hereticis ordinari desiderauerit, etsi postea suæ abrenunciatis heresi ad ecclesiam redierit, offitio tamen accepto fungi non poterit.

Auctoritate uero Cipriani prohibentur ab administratione ecclesiastica, qui intra catholicam ecclesiam ordinati ad fidei inpugnationem dilabuntur.

Porro symoniaci nec ab hereticis ordinantur ad fidei subuersionem, nec intra ecclesiam catholicam ordinati aduersus fidem armantur.

Quamuis enim nonnullos per pecuniam ordinent, non tamen fidem inpugnant, nec gratiam Spiritus sancti uenalem predicant.

Unde cum heresim suam ueraci penitentia detestati fuerint, premissis auctoritatibus non prohibentur recipi in suis gradibus.

Verumtamen capitulo illo Nicenæ sinodi: “Si quis per pecuniam etc.” et illo alio septimæ sinodi, “Si quis omnem traditionem etc.” et Innocentii, et aliorum multorum auctoritatibus irreparabiliter dampnari iubentur.

Hinc etiam Leo IV. Episcopis Britannia:

**C. V.** In ordine male accepto symoniaci penitentiam agere non possunt.

Requiritis de his, qui turpissimo lucro columbas in templo Domini uendere non pertimescunt, et sua acta inproba temeritate Symonis heresi coniungunt, utrum possint in ordine penitentiam agere, an tantummodo extra ordinem et sacerdotalem fieri gradum?

Quod nos quidem conuictis et his, qui tam detestabile nefas (quod iam multis est dampnatum conciliis) peregrisse noscuntur, nulla possumus penitentia subuenire, et tot spiritualibus patribus obuiare, sed in illorum Patrum me sententia conuenire omnibus certum sit.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Nisi rigor disciplinæ quandoque relaxetur ex dispensatione misericordiæ.

Multorum enim crimina sunt dampnabilia, que tamen ecclesia tollerat pro tempore, pro persona, intuitu pietatis, uel necessitatis, siue utilitatis, et pro euentu rei.

Pro tempore: sicut Gelasius, qui, cum necessitate temporis uideret Italicam ecclesiam propter belli famis que incursionem fere omnium clericorum offitio destitutam, adeo ut plerisque populis subsidia regendarum deessent animarum, concessit de monachis uel de laicis clericos assumi, ita dicens: [Episcopis per Lucaniam, epist. I. c. 1].

**C. VI.** Pro temporum necessitate apostolicæ sedis decreta temperantur.

Necessaria rerum dispositione constringimur, et apostolicæ sedis moderamine conuenimur sic canonum paternorum decreta librare, ut ea que presentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, diligenti consideratione (quantum potest fieri) temperemus.

Gratian. Item: “Priscis igitur, etc.”.

Require supra in tractatu ordinandorum.

Item Innocentius Papa, cum pro necessitate temporis, ne nimium scandalum esset in ecclesia, ordinatos a Bonoso heretico susciperet, ait in decretis suis: [epist. XXII. ad Episcopos Macedoniæ, c. 5].

**C. VII.** Cessante necessitate, debet cessare, quod urgebat.

Quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est constat primitus non fuisse.

Quod ergo necessitas pro remedio reperit, cessante utique necessitate debet cessare pariter quod urgebat, quia alius est ordo legitimus, aliud, quod usurpatio ad presens fieri tempus inpellit.

Gratian. Similiter ex dispensatione in Niceno Concilio [c. 8]. de Nouatianis statutum est, ut ad ecclesiam redeuntes ordinentur:

**C. VIII.** Iterum ordinentur, qui ex Nouatianis ad ecclesiam redierint.

Si qui uoluerint uenire ad ecclesiam catholicam ex Nouatianis, placuit sancto concilio, ut ordinentur et sic maneant in clero.

Ante omnia autem hanc ab eis confessionem per scripturam exigere oportet, ut fateantur se communi consensu catholicæ ecclesiæ statuta obseruatuos.

**C. IX.** Iuramentum a scismate redeuntium.

Quociens cordis oculus nube erroris obductus supernæ illustracionis lumine fit serenus, magna cautela nitendum est, ne latenter auctor scismatis irruat, et unitatis radice eos, qui ad eam reuersi fuerint, telo iterum erroris abscondat.

Et ideo postquam ego N. ciuitatis episcopus, conperto diuisionis laqueo, quo tenebar, diutina me cum deliberatione pertractans, prona et spontanea uoluntate ad unitatem sedis apostolicæ diuina gratia duce reuersus sum, et ne non pura mente, sed simulate reuersus existimer, spondeo sub ordinis mei casu et anathematis obligatione, atque promitto tibi N. et per te sancto Petro, apostolorum principi, atque eius uicario N. beatissimo uel successoribus eius, me numquam quorumlibet suasionibus uel quocumque alio modo ad scisma, de quo redemptoris nostri gratia liberante ereptus sum, reuersurum; sed semper me in unitate sanctæ ecclesiæ catholicæ et communionem Romani Pontificis per omnia permansurum.

Unde iuratus dico per Deum omnipotentem, et hec sancta quatuor euangelia, que in manibus meis teneo, et salutem N. dominorum nostrorum rempublicam gubernantium, me in unitate, sicut dixi, ecclesiæ, ad quam Deo propitio sum reuersus, et communionem Romani Pontificis semper et sine dubio permanere.

Quod si (quod absit) ab hac me unitate aliqua excusatione uel argumento diuisero, periurii reatum incurrans eternæ penæ obligatus inueniar, et cum auctore scismatis habeam in futuro seculo portionem.

Hanc autem confessionis promissionis que meæ cartulam N. notario meo cum consensu presbiterorum et diaconorum et clericorum, qui me in hac unitate obligantes se in suprascriptis omnibus prona similiter uoluntate secuti atque propriis manibus subscripti sunt, scribendam dictaui, et propria manu subscribens tibi tradidi.

Acta in loco N., die illa, et consulibus suprascriptis.

Subscriptio episcopi.

Ego episcopus ciuitatis N., huic confessioni promissioni que meæ prestito de conseruandis suprascriptis omnibus sacramento subscripsi.

Gratian. Ceterum ex canonum rigore contra scribit Felix Papa [III]. omnibus Episcopis: [epist. I. c. 5].

**C. X.** Qui extra ecclesiam baptizati uel rebaptizati fuerint, ad ecclesiasticam miliciam non admittantur.

Qui in qualibet etate alibi quam in ecclesia catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam miliciam prorsus non permittantur accedere.

Quibus satis debet esse, quod in catholicorum numero sunt recepti.

Quoniam de suo ordine et communione uidebitur ferre iudicium quisquis hoc uiolauerit institutum, uel qui non remouerit eum, quem ex eius cetu ad ministerium clericale obrepsisse cognouerit.

Gratian. Pro persona: sicut B. Gregorius scribens Ianuario Episcopo [lib. VII. Indict. 2. epist. I]. ait:

**C. XI.** Rigor canonum pro persona aliquando relaxatur.

Tanta nequicia ad meas aures de tua senectute peruenit, ut eam, nisi adhuc humanitus pensaremus, fixa iam maledictione feriremus.

§. 1. Et quidem penæ fuerat in te sententia iaculanda; sed quoniam simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus.

Gratian. Pietatis intuitu: sicut de illitteratis et corpore uiciatis Gelasius ait: [Episcopis per Lucaniam, epist. I. c. 18].

**C. XII.** Canonum decreta pietatis intuitu nonnumquam relaxantur.

Si qui uel propria temeritate uel incuria presidentium tales suscepti sunt, nichil ultra promotionis accipiant, satis que habeant, hoc sibi pro nimia miseratione concessum.

Gratian. Necessitatis intuitu: sicut Ylarius Papa, qui, cum de quodam episcopo preter noticiam ordinato metropolitani in utroque graue scandalum fieret, ait in epistola sua: [ad Ascanium et uniuersos Episcopos Tarraconensis prouinciæ]

**C. XIII.** Necessitatis causa quedam in ecclesia tollerantur.

Quoniam quicquid ab alterutra parte est indicatum omni uidemus peruersitate confusum, temporum necessitate perspecta hac ratione decreuimus ad ueniam pertinere quod gestum est, ut deinceps preter noticiam nullus uel consensum metropolitani ordinetur antistes.

Item Innocentius. [Episc. Macedoniae, ep. XXII. c. 6].

Quociens a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem uindicari non potest, inultum solet transire.

Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, et de reliquo maxima sollicitudine precauenda.

**C. XV.** Ex dispensatione quedam tollerantur, que rigor canonum condempnat.

Item ex epistola Cirilli missa Maximo Diacono Antiocono.

Didici a diligendo mihi Paulo monacho, quia recusat pietas tua usque hodie communionem reuerentissimi episcopi Iohannis amplecti, pro eo, quod quidam in Antiocona ecclesia male adhuc cum Nestorio uel sentiant, uel iam senserint quidem, sed forsitan resipuerint.

Probet igitur tua modestia, utrum aliquando colligi nude ac inreuerenter cum Nestorio sentiant et inuicem colloquantur; licet aliquando cauteriatam habuerint conscientiam, colligantur autem nunc acta penitentia super his, in quibus subrepti sunt, quamuis confiteri fortassis reuereantur excessum.

§. 1. Ut autem non existimemur amare contentionem, amplectamur episcopi reuerentissimi Iohannis communionem, indulgentes ei, et causa dispensationis eius negotium non subtilius uel districtius siue uehementius erga se recognoscat agitari. Dispensationis enim gratia (sicut dixi) eget negotium multum.

C. XVI. De eodem.

Idem ad Ianuarium presbiterum et Archimandritam.

Dispensationes rerum nonnumquam cogunt parum quidem a debito quosdam foras exire, ut maius aliquid lucri faciant.

Sicut enim hii, qui mare nauigant, tempestate urgente nauis que periclitante anxianti quedam exonerant, ut cetera salua permaneant, ita et nos, cum non habemus saluandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despiciamus ex his quedam, ne cunctorum patiamur dispendia.

Gratian. Utilitatis intuitu: sicut in Meldensi Concilio [c. 64]. perhibetur de filiis uirginum per uim raptarum et sic ad coniugium raptorum applicatarum:

C. XVII. Utilitatis intuitu quedam in ecclesia tollerantur.

Tali coniugio generati ecclesiasticis ordinibus non applicentur, nisi forte eos aut maxima ecclesie utilitas uel necessitas postulet, uel euidentis meritorum prerogatiua commendet.

Gratian. Huic Petrus concordans ait: “In ueritate conperi, quia non est personarum acceptor Deus, etc.”.

§. 1. Pro euentu etiam rei quam in ecclesia tollerantur, sicut Leo ait in decretis suis de laicis subito contra decreta canonum ordinatis episcopis: [ep. LXXXV. al. LXXXVII. c. 1. Episcopis Africae]

C. XVIII. Laicis, qui contra canonum decreta ad episcopatum promouentur, ex misericordia susceptum offitium relinquitur.

Exigunt causae ut non solum in tales presules, sed etiam in ordinatores eorum competens ultio proferatur.

Sed circumstant nos hinc mansuetudo misericordiae, hinc censura iusticiae, ut credamus quedam delicta utcumque tolleranda, quedam uero penitus amputanda.

Illos ergo quorum prouectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad episcopale offitium electi sunt locum suum tenere permittimus, non preiudicantes apostolicae sedis statutis, nec beatorum Patrum regulas soluentes, quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi fas erit amplius inpune committi, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus iusta post modum ultione plectamus.

C. XIX. Donatistae et Nouatiani, quamuis reprehensibiliter ordinati, tamen ex necessitate tollerantur.

Idem ad Mauros episcopos.

Maximum quoque ex laico, reprehensibiliter licet ordinatum, tamen si Donatista iam non est et a spiritu scismatica prauidet alienus est, ab episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate, ita ut ipse libello ad nos directo catholicum se esse manifestet.

C. XX. De eodem.

Idem. [ibidem initio c. 3].

Donatum autem Seiacensem ex Nouatiano (ut conperimus) cum sua plebe conuersum ita dominico gregi uolumus presidere, ut libellum suæ fidei meminerit ad nos dirigendum, quo et Nouati dogmatis dampnet errorem, et plenissime confiteatur catholicam ueritatem.

Que autem nunc certa remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus iusta post hac ulcione plectamus.

**C. XXI.** Redeuntes ab heresi post publicam professionem in suis ordinibus recipi possunt.

Idem Ianuario Episcopo Aquilegiensi. [epist. III].

Saluberrimum enim et spiritualis medicinæ utilitate plenissimum est, ut siue presbiteri, siue diaconi siue subdiaconi aut cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos uideri uolunt atque ad catholicam fidem, quam pridem amiserant, rursus reuerti ambiunt, prius errores suos et ipsos auctores erroris se dampnatos sine ambiguitate fateantur, et sensibus prauis etiam peremptis nulla desperandi supersit occasio, nec ullum membrum talium possit societate uiolari, cum per omnia illis professio propria ceperit obuiare.

Circa quos etiam canonum illam constitutionem precipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni sepe promotionis in quo inueniuntur ordine stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata unctione non fuerint maculati.

**C. XXII.** Ab heresi redeuntes heresim et eius auctores publice detestentur.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 36].

Si quis episcopus, siue alicuius episcopi presbiter aut diaconus in alicuius heresis opinionem offenderit, et ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus episcopus in communionem eum recipiat, nisi prius in communi concilio porrecto fidei suæ libello satisfaciatur omnibus, et ita liberam teneat suam purgationem.

Hoc idem et de fidelibus laicis sit decretum, si in aliquam heresis opinionem fuerint nominati.

## **V. Pars.**

Gratian. Ecce, quibus de causis quedam in ecclesia tollerantur, que eisdem cessantibus pia seueritate uindicantur.

Quando autem tolleranda sint, quando resecanda, Gelasius papa distinguit, dicens: [Episcopis per Lucaniam, epist. I. c. 11].

**C. XXIII.** Quando in ecclesia aliqua sint tolleranda.

Etsi illa nonnumquam sinenda sunt, que, si ceterorum constat integritas, nocere sola non ualent, illa tamen magnopere precauenda sunt, que recipi sine manifesta decoloratione non possunt.

Et si ea ipsa, que nullo detrimento aliquociens indulgenda creduntur, uel rerum uel temporum cogit intuitus, uel acceleratæ prouisionis excusat respectus, quanto magis illa nullatenus sunt mutilanda, que nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?

Aliquando enim pro necessitate uel ecclesiæ utilitate mutilantur et laxantur precepta canonica.



**VI. Pars.**

Gratian. §. 1. Breuiter ostendimus, qui reuertentes ab heresi in suis ordinibus ualeant recipi, uel qui non.

Nunc autem queritur de his, qui ab hereticis ordinati sunt, si ad unitatem catholicæ matris ecclesiæ ab heresi redierint, utrum in eodem ordine iterum ualeant ordinari?

“Semel enim consecratus” (ut ait B. Gregorius) “iterum consecrari non debet”.

§. 2. Item sacramenta, que ab hereticis in forma ecclesiæ ministrantur (sicut Augustinus testatur) reiterari non debent, ne non homini, sed sacramento uideatur iniuria fieri.

§. 3. Sed illud Gregorii de his intelligitur, qui consecrationem sacerdotalem uel episcopalem acceperunt, qui aut per manus inpositionem, cum ad ecclesiam redeunt, effectum suæ unctionis accipiunt, aut ab eius amministrazione perpetuo cessare iubentur.

Similiter illud Augustini de eadem mistica unctione et de sacramento baptismatis intelligitur.

§. 4. Sunt autem in ecclesia alii ordines, qui sine sacramentali unctione, sola episcopi benedictione, cum quadam uasorum uel indumentorum distributione prestantur; ut sunt Leuitæ et ceteri infra eos constituti.

Hi quamuis ab hereticis ordinentur, tamen ad ecclesiam redeuntes in eodem ordine (si alias digni fuerint) ab ecclesia ordinentur, nec fiet in eis reiteratio muneris, cum nichil ab hereticis eis doceatur fuisse collatum.

Unde Urbanus II. scribit Petro Pistoriensi Episcopo et Rustico Abbati Vallis umbrosæ:

**C. XXIV. Redeuntes ab hereticis sunt reordinandi**

Daibertum a Negzelone, licet symoniaco, non symoniace eiusdem confessione reperimus in diaconum ordinatum; et B. Innocentii Papæ sententia constat declaratum, quod Negzelon, hereticus (quem constat ab hereticis ordinatum) quia nichil habuit dare nichil potuit ei, cui manus inposuit.

Nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati Damasi Papæ testimonio roborati qui ait: “Reiterari oportere quod male actum est”, Daibertum, ab hereticis corpore et spiritu digressum atque utilitati ecclesiæ pro uiribus insudantem, ex integro (ecclesiæ necessitate ingruente) diaconem constituimus.

Quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii dationem, quoniam quidem, ut prediximus, qui nichil habuit nichil dare potuit.

**C. XXV. De eodem.**

Item Damasus Papa. [epist. IV. de chorepiscopis]

Per illicitam manus inpositionem uulneratum caput illi qui uidebantur aliquid accepisse, habebant, et ubi uulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula; id est, reiterari necesse est quod legitime actum aut collatum minime probatur.

Nam quomodo possit honorem retinere qui ab illo accepit, qui potestatem dare non habuit legitime, inuenire non possum.

[[**C. XXVI.**]

Libro 9. Codicis titulo ad legem Iuliam repetundarum. Imp. Theodosius et Valentinianus. [AA. Florentino].

**VII. Pars.**

Sancimus eiusmodi uiros ad prouincias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambitione uel precio, sed probatæ uitæ et amplitudinis tuæ solent testimonio promoueri, ita sane, ut quibus hii honores per sedis tuæ uel nostram fuerint electionem commissi, iurati inter gesta depromant, se pro administrationibus sorciendis neque dedisse quidpiam, neque duros umquam postmodum fore, siue per se, siue per interpositam in fraudem legis sacramenti que personam, aut donationis uenditionis ue titulo, aut alio uelamento cuiuscumque contractus, et ob hoc (exceptis salariis) nichil penitus tam in amministrazione positos quam post depositum offitium pro aliquo prestito beneficio tempore amministraziones, quam gratuito meruerunt accepturos.

Et licet neminem diuini timoris, contempnendo iureiurando, arbitremur inmemorem, ut salutis propriæ ullum commodum anteponat, tamen ut ad salutis timorem ex necessitate periculi subiugetur, si quis ausus fuerit prebita sacramenta negligere, non modo aduersus accipientem, sed etiam aduersus dantem accusandi cunctis tamquam crimen publicum concedimus facultatem, quadrupli pena eo, qui conuictus fuerit, modis omnibus feriendo.

[PALEA. C. XXVII. De eodem.

Item Pascalis Papa.

Patet symoniacos, ueluti primos et precipuos hereticos, ab omnibus fidelibus respuendos, et si commoniti non resipuerint, ab exteris potestatibus obprimendos.

Omnia enim crimina ad comparationem symoniacæ heresis quasi pro nichilo reputantur]. Gratian. His breuiter premissis ad ea ueniamus, que ecclesia seueritate disciplinæ parata est ulcisci, ostendentes, quibus accusantibus uel testificantibus quilibet sint conuincendi; quo iudice quisque debeat dampnari uel absolui; si causa uiciata fuerit, quo remedio possit subleuari; si accusatores defecerint, an reus sit cogendus ad purgationem.

Et ut facilius pateat quod dicturi sumus, exemplum ponatur sub oculis, in quo auctoritates hinc inde controuersantes distinguantur, et quid sanctorum patrum sentiat auctoritas liquido intimetur.

**CAUSA II.****GRATIANUS.**

Quidam episcopus de lapsu carnis a laico inpetitur; duo monachi, unus subdiaconus, et duo Leuitæ aduersus ipsum testimonium ferunt; a metropolitano suo sentit se pregrauari; in ipsa uentilatione causæ tres ex testibus deficiunt, siue promissione decepti, siue canonica examinatione reprobat; expoliatur tamen episcopus, quia crimen eius notorium erat.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an in manifestis iudiciarius ordo sit requirendus?

(Qu. II).

Secundo, an expoliatus ab aliquo sit iudicandus? (Qu. III).

Tertio, qua pena sint feriendi qui in accusatione uel testificatione defecerint?

(Qu. IV).

Quarto, si duorum testimonio sit condempnandus? (Qu. V).

Quinto, si deficientibus accusatoribus sit cogendus ad purgationem?

(Qu. VI).

Sexto, si remedium sit dandum ei, qui causa dilationis uocem appellationis exhibuerit?

(Qu. VII).

Septimo, si laici, monachi uel quilibet inferiorum ordinum in accusatione maiorum sint audiendi?

(Qu. VIII).

Octauo, quomodo fieri debeat accusatio, an in scriptis, an sine scripto?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem nullus sine iudiciario ordine dampnari ualeat, multis auctoritatibus probatur.

De eo namque ait Augustinus: [hom. L. de utilitate penitentiae]

**C. I.** Dampnari non ualet nisi aut conuictus aut sponte confessus.

Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut sponte confessum.

**C. II.** De eodem.

Item Constantinus Imperator.

Iudex criminosum discutiens non ante sententiam proferat, quam aut reum ipse se confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur.

Gratian. Hoc idem testatur Augustinus, et eisdem uerbis:

**C. III.** De eodem.

Item Gregorius. [lib. VIII. epist. 50].

Sicut sine iudicio quemquam nolumus condemnari, ita que iuste diffinita sunt nulla patimur excusatione differri.

**C. IV.** De eodem.

Item Eleuterius Episcopus. [ad Episcopos Galliae]

Nichil contra quemlibet accusatum absque legitimo et idoneo accusatore fiat.

Nam et Dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat; sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus.

**C. V.** De eodem.

Item Felix Papa. [I. ad Paternum Episcopum]

Primates accusatum discutientes episcopum non ante sententiam proferant dampnationis, quam aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes et canonicè examinatos regulariter testes conuincatur.

Aliter irritam esse censemus et iniustam episcoporum dampnationem, et idcirco a sinodo retractandam, ita ut obpressis ab omnibus in cunctis causis subueniatur.

Gratian. Idem decernit Zepherinus Papa:

C. VI. Multi per tollerantiam sustinendi sunt, quamuis sententia diuini iudicii sint condempnati.

Item Augustinus.

Unus ex uobis me traditurus est.

Bene dixit: ex uobis, et non: ex nobis.

Ex uobis enim est, a quibus per iudiciariam potestatem confessus aut conuictus exclusus non est.

A me uero, qui nullis indigeo argumentis, et omnia certissime noui, separatus et diuisus est.

Tale est, ac si diceret: Etsi ego per occulti iudicii sententiam eum dampnatum habeo, uos tamen adhuc illum per tollerantiam sustinete.

C. VII. Nullum reseruetur iudicium, nisi rationabiliter habitum.

Item Gregorius Iohanni Defensori, eunti in Yspaniam. [lib. XI. epist. 50].

Imprimis requirendum est de persona presbiteri, dilectissimi fratris et coepiscopi nostri Ianuarii, et si ita se ueritas habet, sicut eiusdem episcopi peticio continet, in ecclesia atque loco suo idem presbiter modis omnibus reuocetur.

Si autem dictum fuerit, quia contra ipsum causa aliqua mota siue probata est, subtiliter ipso presente et pro se rationem reddente querendum est et genus causæ, et modus probationis, ut ex hoc colligere ualeas, utrum adhuc in exilio demorari, an certe in ecclesia et offitio suo debeat reuocari.

§. 1. De episcopi persona hoc faciendum est, ut, si nulla contra eum criminalis causa, que exilio uel depositione digna est, mota siue probata est, is episcopus qui eo superstite peruerse et contra canones in ecclesia eius ordinari presumpsit, sacerdotio priuatus ab omni ecclesiastico ministerio repellatur.

Qui etiam eidem dilectissimo Ianuario fratri et coepiscopo nostro tradendus est, ut aut ab ipso in custodia habeatur, aut certe ab eo ad nos transmittatur.

Episcopi uero, qui eum ordinauerunt, uel ordinationi eius consentientes interfuerunt, sex mensibus dominici corporis communionem priuati agere penitentiam in monasterio decernantur, et suprascriptus Ianuarius loco et ordini suo modis omnibus reformetur.

Si uero communionem priuatis mortis contigerit inminere periculum, benedictio eis uiatrici non negetur.

Si autem episcopi in preiudicio condempnationis uel depositionis memorati episcopi se metu iudicis consensisse, ac talia fecisse sua sponte confessi fuerint, tempus eis adbreuiandum est, et modus penitentiæ temperandus.

Si uero ille, qui locum eius inuasit, de hac fortasse luce migrauerit et alter est ordinatus, quia leuioris culpæ uidetur, non quasi isti superstiti, sed successisse defuncto, episcopatus illi offitium ab ea tantummodo ecclesia interdicatur, ut in alia ecclesia, que sacerdote uacauerit, si electus fuerit, possit esse episcopus, ad Malachitanam tamen ecclesiam numquam aliquo modo reuersurus.

§. 2. Gloriosus autem comitiolus quicquid predictus episcopus per uiolentiam atque insecutionem ipsius expendisse uel dampnum pertulisse dato sacramento firmauerit, eidem episcopo restituere condempnetur.

Si autem aliter, quam antefati episcopi peticio continet, actum esse forsitan perhibetur, subtiliter querendum est, et cognita ueritate cum Dei timore quod iusticiæ ordo suaserit iudicandum.

§. 3. Quia igitur Stephanus episcopus in odio suo quedam ficta, et de falsis se capitulis accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed iniuste asserit se condempnatum,

diligenter querendum est primo, si iudicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerunt.

Deinde causarum qualitas, si digna exilio uel depositione fuerit; si eo presente, sub iureiurando testimonium contra eum dictum est; si scriptis actum est, si ipse licentiam respondendi ac defendendi se habuerit.

Sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter querendum est, cuius conditionis sint cuius ue opinionis, et ne inopes sint, ne forte aliquas contra prefatum pastorem inimicitias habuissent, utrum testimonium ex auditu dixerint, aut certe specialiter se scire testati sunt; si scriptis iudicatum est, et partibus presentibus sententia recitata est.

Quod si forte hec solempniter acta non sunt, neque causa probata est, que exilio uel depositione digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus reuocetur.

Hii uero, qui contra Dei timorem et statuta canonum eum condempnauerunt, excommunicati in monasterio ad agendam penitentiam sex mensibus sunt mittendi, ita sane, ut, si cuiquam eorum mortis contigerit imminere discrimen, uiatici ei benedictio non negetur.

Ipse autem, qui eo uiuente locum eius temerarie ambiuit, priuatus sacerdotio ab omni ministerio ecclesiastico repellatur, atque eidem dilectissimo fratri et coepiscopo nostro tradatur, ut eum aut ipse ad nos transmittat, aut apud se in custodia habeat.

Episcopi uero, qui eum ordinare presumpserunt, uel peruersæ ordinationi illius consensum prebuere, communionem priuati sex mensibus ad agendam penitentiam in monasterio deputentur

etc. ut supra de causa Ianuarii episcopi et infra.

§. 4. Quod si forte aliqua de obiectis contra memoratum Stephanum episcopum probata sunt, aliqua uero doceri minime potuerunt, cauta omnino consideratione pensandum est, utrum leuiora capitula, an certe grauiora probata sint, ut ex eis qualiter diffinitionem tuam debeas formare possis scire.

§. 5. Gloriosus uero comitiolus, si suprascriptus episcopus innocens esse claruerit, quicquid de rebus eius uel ecclesiæ ipsius tulit ei sine aliqua dilatione restituat etc. ut supra in causa Ianuarii episcopi.

Si autem episcopum talem culpam

etc. et infra in prima causa monachorum.

De persona presbiteri,

etc. et infra in causa: Clericus aduersus clericum.

Et infra. [in eadem epistola 54. undecimi libri]

§. 6. De persona Ianuarii episcopi sciendum est, grauiter omnino et contra leges actum, ut uiolenter de ecclesia traheretur; dum si quamlibet iniuriam a quocumque episcopus passus fuerit in ecclesia, iniuriantem lex capitali pena percutiat, et sicut maiestatis reum omnibus det illum accusandi licentiam, ut huius legis series loquitur codicis libro I. capitulo III. constitutione 11.: §. 7. “Si quis in hoc genus sacrilegii inruperit, ut in ecclesia catholica inruens sacerdotibus et ministris, uel ipsi cultui loco que aliquid inportet iniuriæ, etc.”.

Et infra:

§. 8. De persona episcopi Stephani hoc attendendum est, quia nec inuitus ad iudicium trahi, nec ab episcopis alieni concilii debuit iudicari.

§. 9. Contra hoc si dictum fuerit quia nec metropolitanum habuit, nec patriarcham, dicendum est, quia a sede apostolica (que omnium ecclesiarum caput est) hec causa audienda fuerat ac dirimenda, sicut et predictus episcopus petisse dinoscitur.

Quia ergo episcopus alieni concilii iudices habuit omnino suspectos, sententia non a suo iudice dicta nichil firmitatis obtineat.

§. 10. Quod autem dicitur a seruis suis accusatus, sciendum est, quia audiri minime debuerunt.

§. 11. Si uero de crimine maiestatis accusatus dicitur, nec ipsum de eo credendum fuit, si uita uel opinio eius talis ante non extitit.

§. 12. Quod autem dicit idem episcopus, quia se absente aliqui uilissimi sint testes exhibiti, hoc si uerum est, nullius est momenti.

§. 13. Quales autem testes uel cuius opinionis ad testimonium admittendi sunt, plurimæ leges ostendunt, que pene nulli habentur incognitæ, que etiam illud sanciant, ut uilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat.

§. 14. Quod autem dicitur, quia nichil scriptis iudicatum est, legendum est titulo XLIV. libri VII. codicis constitutio ultima, quia scriptis debuit iudicari.

Nam ibi inter alia precipitur, ut sententia, que sine scripto dicta fuerit, nec nomen sententiæ habere mereatur.

[PALEA. C. VIII. Ultima sententia debet de scripto preferri.

Item Codicis libro VII., titulo de sententiis ex breuiculo recitandis, Imppp. Valentinianus, Valens et Gratianus AAA.

Statutis generalibus iussimus, ut uniuersi iudices, quibus reddendi iuris in prouinciis permisimus facultatem, cognitis causis ultimas diffinitiones de scripti recitatione proferant.

Huic adicimus sanctioni, ut sententia, que dicta fuerit, cum scripta non esset, nec nomen quidem sententiæ habere mereatur, nec ad rescissionem perperam decretorum appellationis solempnitas requiratur].

[PALEA.

Item ex Concilio apud S. Medardum Hincmarus Remorum Archiepiscopus dixit:

C. IX. De eodem.

Legum ecclesiasticarum consuetudo et auctoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant, adeo, ut qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen precipiatur.

Qui ad summum sacerdotium prouehitur, decreto manibus omnium roborato eligitur.

Ordinatus autem a suis ordinatoribus litteras accipere iubetur.

Qui etiam ab ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libelli inscriptione aut recipitur, aut eicitur.

Sed et qui accusatur aut excommunicatur, seu reconciliatur, per scripturam accusari uel reconciliari iubetur.

Et sic in ceteris huiusmodi in tantum scriptum deponitur, ut sicut B. Gregorius in commonitorio ad Iohannem defensorem ex Romanis legibus sumens scribit: “Sententia, que sine scripto profertur, nec nomen sententiæ habere mereatur”].

C. X. Restituendus est, quem neque confessum, neque conuictum constat esse eiectionem.

Item Nicolaus Papa Airardo Turonensi Archiepiscopo.

Notum sit tuæ fraternæ karitati, quod iste presbiter pauper, nomine Christoforus, de sua angustia ad nostram clementiam lacrimabiliter sit conquestus, dicens, se falsis

criminibus inpetitum, et ab ecclesia non conuictum neque confessum inrationabiliter fuisse reiectum.

Nam, ut ipse refert, tua diligentia per tres uices inquisitione facta, nulla in se neque de fornicationis crimine, neque de homicidii consensione potuit culpa reperiri, nisi quia suæ paupertatis causa que petebantur aut consentire noluit, aut adimplere non potuit.

Quod suus tamen emulus ultroneus egit, qui ecclesiam illius iniuste preripuit.

Idcirco magnopere monemus reuerentiam tuam, ut que, forte te ignorante, Gieziaca cupiditate peracta esse uidentur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur, scilicet restituendo ecclesiæ propriæ iam dictum sacerdotem, atque ei reddendo tua pietate, quem perdidit pristinum honorem, et nullatenus canonica instituta alicuius temeritate contempni permittas, quia facientem et consentientem par pena constringit.

**C. XI.** Antequam causa probetur, aliquis excommunicari non debet.

Item de libro constitutionum.

Nemo episcopus, nemo presbiter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent.

Si quis autem excommunicauerit aduersus eam aliquem, ille, qui excommunicatus est, maioris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat; is autem, qui non legitime excommunicauerit, in tantum abstineat tempus, quantum maioris sacerdotis auctoritati uisum fuerit, ut quod iniuste fecit ipse iuste patiat.

**C. XII.** Incerta et dubia iudicari non possunt.

Item Augustinus in epistola [CXXXVII]. ad clerum et uniuersalem plebem Ipponensem. Nomen presbiteri propterea non ausus sum de numero collegarum eius uel subprimere, uel delere, ne diuinæ potestati, sub cuius examine causa adhuc pendet, facere uiderer iniuriam, si illius iudicium meo uellem iudicio preuenire; quod nec in negotiis secularibus iudices faciunt, quando ad maiorem potestatem dubitatio defertur, ut pendente relatione aliquid audeant conmutare.

In episcoporum quoque concilio constitutum est, nullum clericum, qui nondum conuictus est, suspendi a communionem debere, nisi ad causam suam examinandam se non presentauerit.

**C. XIII.** Nec ex suspicionis arbitrio, nec ante uerum et iustum iudicium aliquis condempnetur.

Item Melciades Papa. [Episcopis Hispaniæ]

Primo semper omnia diligenter inquirete, ut cum iustitia et karitate diffiniatis; neminem condempnetis ante iustum et uerum iudicium; nullum iudicetis suspicionis arbitrio; sed primum probate, et postea karitatiuam proferte sententiam, et quod uobis non uultis fieri alteri nolite facere.

**C. XIV.** Qui ab accusatione prohibeantur, et qui recipiantur.

Digestionis libro XLVIII. titulo de accusationibus et inscriptionibus. [l. qui accusare]

Prohibentur accusare alii propter sexum uel etatem, ut mulier et pupillus.

Alii propter sacramentum, ut qui stipendium merentur.

Alii propter magistratum et potestatem in qua agentes sine fraude in ius euocaris non possunt.

Alii propter delictum proprium, ut infames.

Alii propter turpem questum, ut qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habent, nummos ue ob accusandum uel non accusandum acceperint.

Alii propter conditionem suam, ut libertini contra patronos.

Alii propter suspicionem calumpniæ, ut illi, qui falsum testimonium subornati dixerunt.

Nonnulli propter paupertatem, ut sunt qui minus quam quinquaginta aureos habent.

Hi tamen omnes, si suam iniuriam exequantur, mortem ue propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur.

Liberi liberti que non sunt prohibendi suarum rerum defendendarum gratia de facto parentum patronorum ue queri, ueluti si dicant, ui se a possessione ab his expulsos, scilicet non ut crimen uis eis intendant, sed ut possessionem recipiant.

Nam et filius non quidem prohibitus est de facto matris queri, si dicat subpositum ab ea partum, quo magis coheredem habeat; sed eam ream lege Cornelia facere ei permissum non est.

§. 1. Ab alio delatum alius deferre non potest: sed eum, qui abolicione publica uel priuata interueniente, aut desistente accusatore de reis exemptus est, deferre non prohibetur.

§. 2. Mulierem propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audiri a prefecto annonæ deferentem diuus Seuerus et Antoninus rescripserunt.

Famosi quoque accusantes sine ulla dubitatione admittuntur.

Milites quoque, ad hanc accusationem admittendi sunt.

Serui quoque deferentes audiuntur.

## II. Pars.

Gratian. His omnibus auctoritatibus datur intelligi, quod nullus est condempnandus, nisi iudicio ordinabiliter habito aut conuincatur, aut reum se ipse confiteatur.

Verum hec de illis intelligenda sunt, quorum crimina sunt occulta; ceterum que manifesta sunt iudicarium ordinem non requirunt.

Unde Ambrosius.

### C. XV. Sine accusatione manifesta iudicantur.

Manifesta accusatione non indigent.

### C. XVI. De eodem.

Item Nicolaus Papa Karolo Regi. [in epistola, quæ incipit: "Syllabarum"]

Que Lotharius uester nepos rex fecit accusatione non indigent.

Manifesta enim sunt opera eius.

Gratian. In manifestis enim calliditate accusantium reus non opprimitur, nec tergiuersatione propria crimen celatur, cum culpa sua sponte se oculis omnium ingerat, atque ideo in talibus iudicarius ordo non requiritur, qui ideo tantum institutus est, ut nec innocentia insidiis pateret aduersantium, nec culpa delinquentis sententiam effugeret iusti examinis.

Unde Stephanus Papa [V]. Leoni Episcopo Thianensi:

### C. XVII. Ordinem iudicarium manifesta non desiderat causa.

In manifesta et nota plurimis causa non sunt querendi testes, ut S. Ambrosius in epistola ad Corinthios dicit, de fornicacione exponens sententiam Apostoli: "Iudicis," inquam,



“non est sine accusatore dampnare, quia Dominus Iudam cum fuisset fur quia non est accusatus, minime abiecit.

Cognito autem opere isto pellendum illum Apostolus de cetu fraternitatis censuit.

Omnes enim crimen eius sciebant, et non arguebant.

Publice enim nouercam suam loco uxoris habebat, in qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen”.

Et paulo post:

“Absens facie, presens autem auctoritate Spiritus, qui nusquam abest iam iudicauit ut presens eum, qui hoc admisit, tradi satanæ in interitum carnis”.

### III. Pars.

Gratian. Sed sciendum est, quod eorum, que manifesta sunt, alia sunt nota iudici, et incognita aliis; alia sunt occulta iudici et manifesta aliis; quedam uero sunt nota iudici, et aliis.

Que iudici tantum nota sunt, sine examinatione feriri non possunt, quia, dum accusatoris persona assumitur, iudiciaria potestas amittitur.

In una enim eadem que causa nullus simul potest esse accusator et iudex.

Unde Augustinus in omelia de penitentia: [que est L. c. 12].

C. XVIII. Quando aliqui sunt corrigendi, quando tollerandi.

Multi corriguntur ut Petrus; multi tollerantur, ut Iudas; multi nesciuntur, “donec ueniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum”.

Et infra:

§. 1. Nos uero a communione quemquam prohibere non possumus (quamuis hec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue seculari, siue ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum.

Quis enim sibi utrumque audet assumere, ut cuiquam ipse sit et accusator, et iudex?

Huiusmodi regulam etiam Paulus apostolus in epistola ad Corinthios breuiter insinuasse intelligitur, cum quibusdam commemoratis criminibus ecclesiasticis formam ad omnia similia ex quibusdam daret.

Ait enim: “Scripsi uobis in epistola ne commisceamini fornicariis.

Non utique huius mundi fornicariis, aut auaris, aut raptoribus, aut ydolis seruientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exire”.

Non enim possunt homines in hoc mundo manentes nisi cum talibus uiuere, nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium conuictum que uitauerint.

Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus comedens: “Non est, inquit, necessarius sanis medicus, sed male habentibus.

Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores”.

Et ideo sequitur Apostolus, et adiungit: “Nunc autem scripsi uobis non commiseri.

Si quis frater nominatur aut fornicator, aut ydolis seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.

Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare?

Nonne de his, qui intus sunt, uos iudicatis?

De his autem, qui foris sunt, iudicabit Deus.

Auferte malum a uobis ipsis”.

Quibus uerbis satis ostendit, non temere, aut quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab ecclesiæ communione, ut, si per iudicium auferri non possunt, tollerentur

potius, ne peruerse malos euitando ab ecclesia ipse discedens, eos, quos fugere uidetur, uinciat ad gehennam.

Quia et ad hoc nobis in scripturis sunt exempla proposita, uelud in messe ut palea sufferatur usque ad ultimum uentilabrum, uel intra illa retia, ubi pisces boni cum malis usque ad segregationem, que futura est in litore, id est in fine seculi, equo animo tollerentur.

§. 2. Non enim est contrarium huic loco illud, quod dicit Apostolus: “Tu, quis es, qui iudicas seruum alienum? suo domino stat aut cadit”.

Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis uel etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem ecclesiæ, siue ultro confessum, siue accusatum atque conuictum.

Alioquin illud cur dixit: “Si quis frater nominatur aut fornicator, aut ydolis seruiens etc.” nisi quia eam nominationem uult intelligi, que fit in quemquam, cum sententia ordine iudiciario atque integritate profertur?

Nam si nominatio sufficit, multi innocentes dampnandi sunt, quia sepe falso in quoquam crimina nominantur.

§. 3. Non ergo illi, quos monemus agere penitentiam, querant sibi comites ad suplicia, nec gaudeant, quia plures inueniunt sibi similes.

Nam non propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt.

**C. XIX.** Peccatum, quod iudici tantum notum est, ab eo dampnari non ualet.

Idem in eodem.

Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum.

Quare? quia in te peccauit.

Quid est: “In te peccauit?” Tu scis, quia peccauit.

Quia enim secretum fuit, quando peccauit in te, secretum quere, cum corrigis quod peccauit.

Nam si solus nosti quia peccauit in te, et eum uis coram omnibus arguere, non eris corrector, sed proditor.

Adtende, quemadmodum iustus Ioseph tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit, antequam sciret unde illa conceperat, quam grauidam senserat, et se ad illam non accessisse nouerat.

Restabat igitur certa adulterii suspicio, et tamen, quia ipse non nouerat, quod dicit euangelium?

“Ioseph autem, cum esset iustus, et nollet eam diuulgare, uoluit occulte dimittere eam”.

§. 1. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus que peccantur coram omnibus.

Ipsa corripienda sunt secretius que peccantur secretius.

Distribuite tempora, et concordet scriptura.

Sic agamus, et sic agendum est, non solum quando in nos peccatur, sed etiam quando peccatur aliquo, ut ab altero nesciatur.

§. 2. Nescio quem homicidam nouerit episcopus, et nemo alius illum nouit.

Ego uolo illum publice corripere, et tu queris inscribere?

Prorsus nec prodo, nec negligo: corripio in secreto, pono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo penitentiam.

Hac karitate prediti esse debemus.

Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quasi non reprehendamus, aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere si scimus.

Forte quod scis et ego scio: non coram te corripio, quia curare uolo, non accusare.

§. 3. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem querentibus produntur.

Nos non prodimus, sed in secreto arguimus.

Ubi contingit malum ibi moriatur.

Non tamen illud uulnus negligimus, ante omnia ostendentes, homini in tali peccato constituto, sauciatam que conscientiam gerenti, illud uulnus esse mortiferum.

#### IV. Pars.

Gratian. Quando uero crimen est notum aliis, et non iudici, nec tunc sine examinatione ferendum est, quin in crimen sibi occultum iudex sententiam ferre non debet.

Unde Euaristus Papa ait: [epist. II].

C. XX. Sententia non precipitanter ferenda est.

Deus omnipotens, ut nos a precipitandæ sententiæ prolatione conpesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare prius, quam manifeste cognosceret que dicebantur, unde ipse ait: “Descendam, et uidebo, utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint, an non est ita, ut sciam”.

Deus omnipotens, cui nichil est absconditum, sed omnia ei manifesta sunt antequam fiant, non ideo hec et alia multa (que ob prolixitatem capitulo non inseruimus) per se inquirere dignatus est, non quod ea ignoraret, sed ut nobis exemplum daret, ne precipites in discutiendis et iudicandis negotiis essemus, et ne mala proximorum prius quisquam presumat credere quam probare.

Cuius exemplo monemur, ne ad proferendam sententiam umquam precipites simus, aut temere indiligenter que indiscussa quoquo modo iudicemus, dicente ueritatis uoce: “Nolite iudicare, ut non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini,” et reliqua.

Mala uero audita nullum moueant, nec passim dicta absque certa probatione quisquam umquam credat, sed ante audita diligenter inquireat, nec precipitanter quid aliquis agat.

Si enim Deus omnium cognitor Sodomorum mala, quorum clamor ad celum usque peruenerat, omnia sciens prius, nec credere, nec iudicare uoluit, quam ipse ea cum fidelibus testibus diligenter inuestigans, que audierat, opere conprobaret, nos qui sumus homines et peccatores, quibus incognita sunt occulta iudicia Dei, hec precauentes, nullum ante ueram iustam que probationem iudicare aut dampnare debemus, manifeste Paulo apostolo dicente: “Tu, quis es, qui iudicas alienum seruum? suo enim domino stat aut cadit”.

#### V. Pars.

Gratian. Quando autem crimen notum est iudici aliis, aliquando reus inficiatur factum, ueluti si quis negaret se interfecisse eum, quem sub oculis iudicis in conspectu multorum interfecerat.

Hic, quia se reum negat, sine examinatione feriri non potest.

Aliquando ipsa euidencia operis reum testatur, quando opere publico crimen suum confitetur, tunc post secundam et tertiam correctionem sine examinatione dampnandus est, si incorrigibilis extiterit.

In hoc itaque ultimo casu intelligenda est auctoritas illa Ambrosii et Nicolai: “Manifesta accusatione non indigent”.

Fornicator enim ille, in quem sine examinatione sententia apostolica processerat, publice coram omnibus nouercam suam pro uxore habebat.

Lotharius quoque, de quo Nicolaus scribit, similiter uxorem suam publice dimiserat, et aliam superduxerat.

Unde idem Nicolaus scribit Archiepiscopis et Episcopis per Galliam, Italiam, Germaniam constitutis:

**C. XXI.** Sine accusatore manifesta ferienda sunt.

Scelus, quod Lotharius rex (si tamen ueraciter rex dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica eneruatione magis illicitis eius motibus cedit) in duabus feminis, Teberga scilicet et Waldrada commisit, omnibus manifestum est.

Sed et dudum episcopos Teugaldum et Guntarium in tali facto eum habuisse tutores atque fautores, pene totus orbis undique ad limina seu sedem confluens apostolicam referebat.

Igitur decernente nobis cum sancta synodo, in presentia depositi, et ab officio sacerdotali excommunicati, atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Quod autem expoliatus ante iudicem stare non possit, multis auctoritatibus probatur.

Ait enim Iohannes papa: [I. ad Zachariam Archiepisc.].

**C. I.** Ante litem contestatam possessori cuncta sunt restituenda.

Antiquitus decretum est, ut omnes possessiones, et omnia sibi sublata, atque cunctos fructus ante litem contestatam preceptor episcopus uel primas possessori restituat.

**C. II.** De eodem.

Item Nicolaus. [Papa]

Omnes leges tam ecclesiasticæ, quam uulgares et publice precipiunt, ut omnia sibi ablata restituantur ei, qui suis est rebus expoliatus.

**C. III.** Nullus debet accusari, dum suis rebus fuerit expoliatus.

Item Stephanus Papa. [epistola II].

Nullus episcoporum, dum suis fuerit rebus expoliatus debet accusari, priusquam omnia, que ei ablata sunt quocumque ingenio, legibus redintegrentur: ita ut omnes possessiones, atque omnes fructus ante acceptam accusationem primates et synodus episcopo, de quo agitur, funditus restituant.

**C. IV.** Nec conuocari ad synodum, nec in aliquo iudicari debet expoliatus.

Item Eusebius fratribus constitutis per Alexandriam et Egiptum. [epist. II].

In scripturis uestris reperimus, quosdam episcopos uestris in partibus a propriis ouibus accusatos, aliquos uidelicet ex suspitione, et aliquos ex certa ratione, et idcirco quosdam suis esse rebus expoliatos, quosdam uero a propria sede depulsos.

Quos sciatis nec ad sinodum conprouincialem, nec ad generalem posse conuocari nec in aliquo iudicari, antequam cuncta, que eis sublata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur.

**C. V. De eodem.**

Item Iulius Papa. [in epistola ad Orientales, c. 35. et 8].

Nullus potest uocari aut iudicari, antequam omnia sibi ablata et omnia iura ei in integrum restituantur, quia non habet priuilegium, quo possit exui iam nudatus.

**C. VI. De eodem.**

Item Zepherinus. [Papa ad Episcopos Aegypti, ep. II].

Preceptum est ergo in antiquis statutis, eictos atque suis rebus expoliatos ecclesias proprias recipere, et primo sua omnia eis reddi, et demum, si quis eos iuste accusare uoluerit, equo periculo facere; iudices esse decernentes episcopos recta sapientes, et in ecclesia conuenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi uidebantur, nec prius eos respondere, quam omnia sua eis et ecclesiis eorum legibus integerrime restituantur.

### **QUESTIO III.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Qua autem pena feriendi sint qui in accusatione deficiunt, canonum censura diffinit.

Penam enim illati criminis cum dispendio existimationis excipient.

Unde Gaius Papa:

**C. I. De his, qui non probanda obiciunt.**

Si quis circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat se iacturam infamiæ sustinere, ut dampno pudoris et estimationis dispendio discat, sibi alienæ uerecundiæ inpune insidiari saltim de cetero non licere.

**C. II. Si accusator in accusatione defecerit, talionem recipiat.**

Item Damasus Papa. [ad Stephanum Archiepiscopum, epist. III].

Calumpniator, si in accusatione defecerit, talionem recipiat.

**C. III. De eodem.**

Item ex decreto Adriani Papæ. [in capitulis ab ipso collectis, c. 52. in medio]

Qui non probauerit quod obiecerit, penam, quam ipse intulerit, patiat.

**C. IV. De his, qui falsis criminibus aliquem inpetunt.**

Item.

Si quis episcopum, aut presbiterum, aut diaconem falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nec in finem dandam ei communionem censemus.

##### **II. Pars.**

Gratian. Aliud est accusationem non implere, et aliud conuicium non probare.

Illud enim nulli sine abolitione, hoc omnibus licet.  
Unde Fabianus Papa: [ad Hilarium Episcopum, epist. III].

**C. V.** Conuicium non est pro accusatione habendum.

Si quis iratus crimen cuiuslibet temere obiecerit conuicium non est pro accusatione habendum, sed permissio tractandi spatio id, quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur, ut, si forte resipiscens que per iracundiam dixit iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur.

### III. Pars.

Gratian. Sed aliud est crimen illatum non posse probare, aliud est aliqua promissione accusationem deserere.

Huic enim, qui promissione deceptus accusationem deserit, uenia datur; illi uero, qui crimen illatum probare non ualuerit, infamia irrogatur.

Unde B. Gregorius scribit Iohanni Corintiorum Episcopo: [lib. IV. epist. 50].

**C. VI.** De eo, qui promissione illectus ab accusatione desistit.

Paulum itaque diaconum quamuis culpa sua uehementer confundat, quod deceptus promissione ab accusatione sui episcopi destiterit, tamen hanc ei culpam ignoscimus.

[PALEA. Omnis igitur, qui crimen obicit, scribat se probaturum.

Reuera ibi semper causa agitur, ubi crimen admittitur; et qui non probauerit quod obiecit, penam, quam intulerit, ipse patiatur].

**C. VII.** De his, qui accusationem deserunt, ut ecclesiasticos ordines accipiant.

Idem.

Eufemium atque Tomam, qui pro deserenda accusatione episcopi sui sacros ordines acceperunt, eisdem ordinibus priuatos esse, atque ita, sicuti depositi sunt, uolumus permanere.

Gratian. Hinc colligitur autem clericorum infamiam per Romanum pontificem aboleri posse, contra illud Gelasii: “Quamquam animas per penitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere non possumus,” et illud Stephani cum causas enumerasset, ex quibus infamia inrogatur: “Hos omnes,” inquit, “sub nota perpetuæ infamiæ ad penitentiam suscipimus”.

Vel non fiunt infames lege canonum omnes quos leges seculi infames pronunciant, cum Paulus diaconus, qui non inpetrata abolicione ab accusatione destitit, hac auctoritate dignitatem sui offitii recuperauit, quem senatus consultum Turpilianum infamem pronunciat.

Quod etiam de ea fateri cogimur, que intra tempus luctus nubit, cum matrimonia hodie regantur iure poli, non iure fori, et iure poli mortuo uiro mulier soluta est a lege uiri: nubat cui uult.

§. 1. Sed idem Stephanus contra scribit, dicem: “Infames dicimus quoscumque leges seculi infames pronunciant”.

Sed illud Gelasii et Stephani: “Quamquam animas,” etc. et: “Sub nota perpetuæ infamiæ,” etc. de illis intelligitur, quibus per ciuilem iudicem infamia inrogatur, quorum sicut examinatio et castigatio, ita et in integrum restitutio non nisi ad ciuilem iudicem spectat.

De ea uero, que intra tempus luctus nubit, non est contrarium ei, quod Stephanus ait: “Infames dicimus,” etc.

Cum enim leges seculi precipue in matrimoniis sacros canones sequi non dedignentur, non uidentur pronuciare infamem, que apostolica et canonica auctoritate non illicite nubit.

#### IV. Pars.

§. 2. Notandum quoque est, quod aliud est, cum aliquem penituerit criminaliter accusasse et inscriptionem fecisse, si ab innocente fuerit absolutus: aliud, si pecuniam a nocente acceperit, ut a probatione eius, quod obiecerat desistat.

Unde in Libro Capitulorum: [c. 175. legitur]

#### C. VIII. De eo, quem penitet criminaliter accusasse.

Si quem penituerit criminaliter accusasse, et inscriptionem fecisse de eo, quod probare non potuerit, si ei cum accusato innocente conuenerit, inuicem se absoluant.

Si uero iudex eum, qui accusatus est, criminose esse cognouerit, et inter reum et accusatorem per obreptionem conuenerit de colludio, penam excipiat legibus constitutam.

#### V. Pars.

Gratian. Notandum quoque est, quod, sicut in Digestis lege XLVIII. legitur, titulo de abolitione criminum: [l. I]. “Accusatorum temeritas tribus modis detegitur.

Aut enim calumpniantur, aut preuaricantur, aut tergiuersantur.

Calumpniari est falsa crimina intendere; preuaricari uera crimina abscondere; tergiuersari in uniuersum ab accusatione desistere.

§. 1. Sed non utique qui non probat quod intendit protinus calumpniari uidetur.

Nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui, reo absoluto, de accusatoris incipit consilio querere, qua mente ductus ad accusationem processit, et si quidem iustum eius errorem reperit, absoluit eum: si uero in euidenti calumpnia eum deprehenderit, legitimam penam ei inrogat.

Quorum alterutrum ipsis uerbis pronuciationis manifestatur.

Nam si quidem ita pronuciauerit: ‘Non probasti,’ pepercit ei: sin autem pronuciauerit: ‘Calumpniatus es,’ condemnauit eum.

Et quamuis nichil de pena subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebitur.

Nam facti quidem questio in arbitrio est iudicantis: penæ uero persecutio non eius uoluntati mandatur, sed legis auctoritati reseruatur”.

Si autem interloquendo dixerit: Titius temere accusasse uidetur, non calumpniatorem pronunciauit.

Temeritas enim facilitatis ueniam continet, et inconsultus calor calumpniæ uicio caret, et ob hoc nullam penam huic irrogari oportet.

Supra libro XLVII. titulo de preuaricatoribus: [l. 1]. §. 2. “Preuaricator est quasi uaricator qui diuersam partem adiuuat prodita causa sua.

Quod nomen Labeo a uaria concertatione tractum ait.

Nam qui preuaricatur ex utraque parte consistit, quinimo ex altera.

Is autem preuaricator proprie dicitur, qui publico iudicio accusauerit.

Ceterum aduocatus non proprie preuaricator dicitur.

Quid ergo de eo fiet? Siue priuato iudicio, siue publico preuaricatus sit, hoc est prodiderit causam, hic extra ordinem solet puniri.

§. 3. Sciendum, quod hodie his, qui preuaricati sunt, pena iniungitur extraordinaria”.

Et infra: §. 4. “Accusator de preuaricatione conuictus, postea ex lege non accuset”.

Et infra: §. 5. “In omnibus causis (preterquam in sanguine) qui delatorem corrumpit ex Senatusconsulto pro uicto habetur”.

Et infra libro XLVIII. titulo de abolicionibus criminum: §. 6. “Preuaricatorem eum esse ostendimus, qui colludit cum reo, eo quod propria quidem probationes dissimularet, falsas uero accusationes admitteret.

§. 7. Si quis autem ab accusatione citra abolicionem destiterit, punitur.

Abolitio priuatim a presidibus postulari ac inpetrari solet; item pro tribunali, non de plano, nec preses hanc cognitionem alteri demandare potest.

Si plura crimina idem eidem intulit, singulorum debet abolicionem petere, alioquin, prout quid omiserit, eius nomine senatusconsulti penam patietur”.

Et infra titulo eodem: “Destitisse eum accepimus, qui totum animum agendi deposuit, non qui distulit accusationem, sed qui permissu inperatoris ab accusatione destitit, inpunitus est”.

§. 8. Abolicio autem penam remittit, infamiam non tollit.

Unde Inppp. Valens, Valentinianus, et Gracianus IX. libro C. eodem titulo de generali abolicione dixisse leguntur: “Indulgentia, patres conscripti, quos liberat notat, nec infamiam criminis tollit, sed penæ gratiam facit”.

Si autem: restituo te in integrum, princeps dixerit, infamiam tollit.

Unde in eodem libro titulo de sententiam passis et restitutis, cuidam deportato in insulam inperator Antoninus dixisse legitur: “Restituo te in integrum prouinciæ tuæ,” et adiecit: “Ut autem scias, quid sit in integrum restituere, honoribus et ordini tuo, et omnibus ceteris”.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Deficientibus uero accusatoribus reus non uidetur esse cogendus ad purgationem.

Sicut enim possessor deficiente actore titulum suæ possessionis probare non cogitur, ita qui in petitur ad innocentiam suam purgandam cogendus esse non creditur.

Auctoritate quoque Cornelii Papæ, et Triburiensis concilii sacerdotes iurare prohibentur, nisi pro recta fide.

Ait enim Cornelius: [epist. II. ad Rufum, Episcopum orientalem]

C. I. Iuramentum a sacerdotibus non est exigendum.

Sacramentum hactenus a summis sacerdotibus uel reliquis exigi, nisi pro recta fide, minime cognouimus fieri nec sponte eos iurasse reperimus.

[[C. II].



Item.

Nos, sequentes sanctorum iura apostolorum eorum que successorum firmamus, et sacramenta incauta prohibemus.

[[C. III].

Item.

Nos sacramentum ab episcopis nescimus oblatum, nec umquam fieri debet.

**C. IV.** Si quis presbiter contra laicum, uel laicum contra clericum querimoniam habet.

Item ex Concilio Triburiensi. [c. 21].

Si quis presbiter contra laicum, uel laicus contra presbiterum aliquam habet querimoniam controuersiam, episcopo precipiente sine personarum acceptione finiatur, laicus per iuramentum (si necesse sit) se expurget; presbiter uero uice iuramenti per sanctam consecrationem interrogetur, quia sacerdotes ex leui causa iurare non debent.

Manus, per quam corpus et sanguis Christi conficitur, iuramento polluetur?

Absit, cum Dominus in euangelio discipulis suis (quorum uicem nos indigni in sancta gerimus. ecclesia) dicat: “Nolite omnino iurare; sit autem sermo uester: est, est; non, non.

Quod autem his habundantius est a malo est”.

## II. Pars.

Gratian. Verum his auctoritatibus non omnimoda iuramenta prohibentur fieri a sacerdotibus, sed tantum incauta et ea, que pro qualibet causa temporali iudicio offeruntur.

Cum autem populari infamia sacerdotes obprimuntur, tunc ad innocentiam suam assertionem iuramenta debent offerre.

Unde Gregorius Papa ait: [III. ad Bonifacium, ep. I].

**C. V.** Sacerdos a populo accusatus iuramento innocentiam suam affirmet.

Presbiter uel quilibet sacerdos si a populo accusatus fuerit, et certi testes inuenti non fuerint, qui crimini illato ueritatem dicant, iusiurandum in medio faciat, et illum testem proferat de innocentiam suam puritate, cui nuda et aperta sunt omnia.

**C. VI.** De Leone episcopo, quem B. Gregorius fecit purgationem prebere.

Item ex Registro Gregorii, [lib. II. Indict. 10. epist. 23]. ad Iustinum Imperatorem capitulo VII.

Habet hoc proprium antiqui hostis inuidia, ut quos inproborum actuum perpetratione (Deo sibi resistente) deicere non ualeat, opiniones eorum falsas, ad presens simulando, dilaceret.

Quoniam igitur quedam contra sacerdotale propositum de Leone fratre et coepiscopo nostro sinister rumor asperserat, utrum uera essent districta diutius fecimus inquisitione perquiri, et nullam in eo culpam inuenimus de his, que dicta fuerant.

Sed ne quid uideretur omissum, quod nostro potuisset cordi remanere ambiguum, ad B. Petri sacratissimum corpus districta eum ex habundanti fecimus sacramenta prebere.

Quibus prestitis magna fuimus exultatione gauisi, quod huiusmodi innocentia eius euidenter enituit.

Pro qua re gloria uestra predictum uirum cum omni karitate suscipiat, et reuerentiam ei, qualem sacerdotem decet exhibeat, nec aliqua cordibus remaneat de his, que iam sunt purgata, dubietas.

Et ita suprascripto uos episcopo deuotissime oportet in omnibus adherere, ut congrue decenter que Deum in eius persona, cuius minister est, uideamini honorare.

**C. VII. Quod B. Gregorius Mennam episcopum iuramento purgari fecit.**

Item ex eodem ad Brunichildam Reginam Francorum, capitulo CCXXXVII.

Mennam uero reuerentissimum fratrem et coepiscopum nostrum, postquam ea, que de eo dicta fuerant, requirentes, in nullo inuenimus esse culpabilem, qui insuper ad sacratissimum corpus B. Petri apostoli sub iureiurando satisfaciens, ab his, que obiecta fuerant eius opinioni, se demonstraui alienum, reuerti illum purgatum absolutum que permisimus, quia, sicut dignum erat, ut, si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonicè puniremus, ita dignum non fuit, ut eum adiuuante innocentia diutius retinere uel affligere in aliquo deberemus.

§. 1. Purgationem tamen ante te duobus sacerdotibus sibi iunctis, ubi accusator cessauerit, eundem hoc ex se prebere tuo committimus arbitrio.

Vulgarem denique, ac nulla canonica sanctione fultam legem, feruentis scilicet siue frigidæ aquæ, igniti que ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante hec sunt omnino ficta inuidia), nec ipsum exhibere, nec aliquo te modo uolumus postulare, imo apostolica auctoritate prohibemus firmissime.

**C. VIII. De Maximo Salonitano episcopo, ut sacramento semet ipsum expurget.**

Idem Castorio Notario Rauennæ. [lib. VII. Indict. 2. epist. 80].

Quanto a nobis creditur, et necessarias uides causas iniungi, tanto strenuum debes te et sollicitum exhibere.

Proinde, si Maximus Salonitanus prestito sacramento firmauerit se symoniaca heresi non teneri, atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, innoxium se esse responderit, et de inobedientia sua (sicut deputauimus) egerit penitentiam, uolumus, ut ad consolandum illum epistolam, quam ad eum scripsimus, qua ei et gratiam nostram, et communionem reddidisse signauimus), experientia tua dare debeat; quia sicut in contumacia persistentibus seueros esse nos conuenit, sic humiliatis et penitentibus locum ueniæ negare non debemus.

**C. IX. De eodem.**

Idem Mariniano Episcopo Rauennæ. [lib. VII. ep. 79].

Que de causa Maximi sint agenda, ex epistolis, quas ad uos transmisimus, agnouistis.

Sed quia, qualis de hac re fraternitatis uestræ uoluntas sit magis a presentium latore Castorio cartulario nostro renunciante cognouimus, ideo, si idem Maximus coram uobis et predicto cartulario nostro de symoniaca heresi se sacramento purgauerit atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris (ut scripsimus) tantummodo requisitus, liberum se esse responderit, causam ipsius fraternitatis uestræ iudicio, de eo, quod excommunicatus missarum solempnia agere presumpserit, committimus, qua debeat penitentia talis culpa purgari.

Et ideo quicquid uobis secundum Deum placet securiter disponite, nec aliquid de nobis dubium habeatis.

Nam quicquid a uobis hac de causa ordinatum fuerit nos et gratis suscipimus, et libenter admittimus.

**C. X. Qualiter Sixtus semetipsum purgavit.**

Item Sixtus Papa [III]. omnibus Episcopis. [c. 1].

Mandastis, ut scriberem uobis, qualiter instans iurgium contra me suscitatum sit, uel a quo, ut uestro amiculo pelleretur, et causa mea firmaretur.

Scitote me criminari a quodam Basso, et iniuste persequi.

Quod audiens Valentinianus Augustus nostra auctoritate sinodum congregari iussit.

Et facto concilio, cum magna examinatione satisfaciens omnibus, (licet euadere aliter satis potuissem, suspicionem tamen fugiens,) coram omnibus me purgavi, me scilicet a suspicione et emulatione liberans; sed non aliis, qui noluerint aut sponte hoc non elegerint, faciendi formam dans.

**C. XI. De causa Gillandi presbiteri.**

Item Alexander II. Rumaldo Cumano Episcopo.

Super causas Gillandi presbiteri tui de morte episcopi sui, predecessoris tui, infamati, in medium consulimus.

Itaque circumstantium fratrum unanimi assensu tuæ dilectioni referimus, prefatum Gillandum presbiterum ante te representandum, ubi, si certi accusatores defuerint, tunc dictante iusticia sine omni controuersia presbiter quecumque ob hoc iniuste amisit ac sacerdotium accipiat et integra beneficia.

**C. XII. De purgatione clericorum, si conuinci non poterunt.**

Item ex Concilio Agatensi.

Si legitimi accusatores crimina sacerdotis probare non potuerint, et ipse negauerit, cum septem sociis suis eius ordinis (si ualet) a crimine semetipsum expurget.

Diaconus uero si eodem crimine accusatus fuerit, cum tribus semetipsum excuset.

**C. XIII. De eodem.**

Item ex Concilio Ylerdensi.

Presbiter si a plebe sibi commissa mala opinione infamatus fuerit, et episcopus legitimis testibus adprobare non potuerit, suspendatur usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur.

Digna uero satisfactio est (sicut a maioribus constitutum esse docetur), quando siue secundum canones, siue ad arbitrium episcopi septem sibi collegas adiungit, et iurat in sacro euangelio coram posito, quod crimen sibi illatum non perpetravit.

Et hac satisfactione purgatus secure deinceps suum exequatur officium.

**[PALEA. C. XIV. De eodem.**

Item Silvester Papa.

Accusatum symoniacum necesse habuimus summopere per scripturam prohibere, ne missarum solempnia celebrare debuisset, donec quid esset uerius potuissemus cognoscere].

**[PALEA. C. XV.**

Item ex Concilio Triburiensi.

Nobilis homo uel ingenuus si in sinodo accusatur et negauerit, si eum constiterit fidelem esse, cum duodecim ingenuis se expurget; si antea deprehensus fuerit in furto, aut

periurio, aut falso testimonio, ad iuramentum non admittatur, sed (sicut qui ingenuus non est) feruenti aqua uel candenti ferro se expurget].

**C. XVI. De eodem.**

Item Igmarius Remorum Episcopus.

Si mala fama de presbitero exierit, et accusatores ac testes legales defuerint, ne, contra Apostolum, infirmorum corda de mala fama presbiteri percutiantur, et ne uituperetur ministerium nostrum, neue securiores presbiteri existentes licentius in peccatum prolabantur, secundum decreta maiorum cum denominatis sibi uicinis presbiteris, quos scimus se nolle periurare, sacramento famam suam purget.

[**PALEA. C. XVII. De eodem.**

Item Innocentius Aquileiensi Patriarchæ et Mantuano Episcopo.

Quoties frater noster Tridentinus episcopus in nostra presentia de symonia sit inpetitus, prudentiam uestram latere non credimus, cuius causa tandem in nostra presentia uentilata producti sunt aduersus eum accusatores, uiua uoce et scripto asserentes, quod ecclesiam S. Petri de Pado presbitero Paulo dederit pro quatuor modiis frumenti, quos ab eiusdem ecclesiæ laicis acceperit.

Verum quoniam nec accusatores, nec testes secundum formam canonum et sanctorum Patrum statuta in causa ipsa procedere potuerunt, communi fratrum nostrorum concilio iudicamus, ut tertia manu sui ordinis et quatuor abbatum et religiosorum sacerdotum de supradicta symonia in uestra presentia se debeat expurgare.

Porro purgationis tenor erit huiusmodi.

Idem episcopus super sancta euangelia primum iurabit, quod pro ecclesia S. Petri de Pado, presbitero Paulo danda, neque ipse per se, neque per submissam personam, neque alius pro eo, se sciente, pretium receperit.

Deinde uero purgatores super sancta Dei euangelia iurabunt, quod, sicut ipsi credunt, uerum iurauit.

Nos itaque causæ huius seriem committentes prudentiæ uestræ, mandamus uobis, ut congruo loco in unum conuenire curetis, et ita causam ipsam iuxta presentium tenorem prestante Domino restauretis, quatenus et omnis de cetero huius questionis scrupulus auferatur, et utrique parti sua iustitia conseruetur.

Si quis uero de uobis, certa prepediente causa, interesse non poterit, uos, qui adesse poteritis, idem iudicium terminate.

Quod si predictus frater noster A. predictam purgationem fecerit, uos ei auctoritate nostra predictum officium et Tridentinam ecclesiam restituite.

Hanc autem purgationem ante proximam purificationem B. Mariæ uirginis adimplere iubemus].

Gratian. In premissis auctoritatibus subintelligitur, si reus se purgare uoluerit, ut sacri canones modum, non necessitatem purgandi accusato inponant, sicut aparet ex fine capituli Sixti Papæ, et auctoritate Leonis, qui data purgatione ait de se ipso:

**C. XVIII. De Leone qualiter semet ipsum purgauit.**

Auditum est fratres karissimi, qualiter mali homines grauia crimina in me confinxerunt.

Quamobrem ego Leo Pontifex sanctæ Romanæ ecclesiæ purifico me in conspectu uestro coram Deo et angelis eius, quia criminosas istas et sceleratas res, quas illi mihi obiciunt, nec perpetravi, nec perpetrare iussi.

Hoc autem faciens non legem prescribo ceteris, qua id facere cogantur.

Gratian. Ecce uterque summus pontifex semetipsum purgat, nec tamen ceteris purgandi necessitatem prescribit.

Unde datur intelligi, quod satisfactio purgationis in uoluntate consistit accusati, non in arbitrio iudicis.

Sed cum in Ylerdensi concilio presbiter iubeatur suspendi usque ad dignam satisfactionem, cum etiam decreto Leonis in arbitrio ponitur episcopi, quota manu sacerdos se purgare debeat, patet, quod ad purgationem cogendus est, nec in sua uoluntate, sed in arbitrio iudicis consistit.

Item Leo Papa scribens ad Karolum Regem ait:

### C. XIX. Qualiter sacerdotes purgari debeant.

Omnibus uobis uisu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sepiissime suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diuersa obiciantur.

Sed qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio et satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ domni genitoris uestri Pipini, siue priscis temporibus a sanctis Patribus et reliquis bonæ deuotionis hominibus sepiissime uentilatum fuerit, nos tamen pleniter et aliquid inde finitum reperire minime quiuimus.

Nostris quippe temporibus id ipsum a sanctis episcopis, et reliquis sacerdotibus, ac ceteris ecclesiasticæ dignitatis ministris, uestris in regnis, seu in aliis Deo degentibus, nobis que una cum eis agentibus, sepiissime propter multas et nimias reclamaciones, que ex hoc ad nos de diuersis partibus uenerunt, uentilatum est.

Sed qualiter consultu domni et patris nostri Leonis Apostolici, ceterorum que Romanæ ecclesiæ episcoporum, et reliquorum sacerdotum, siue orientalium et grecorum patriarcharum, et multorum sanctorum episcoporum et sacerdotum, nec non etiam nostrorum episcoporum omnium que ceterorum sacerdotum ac Leuitarum auctoritate et consensu, atque reliquorum fidelium et cunctorum consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est, uos omnes utriusque ordinis ministros scire uolumus.

Statutum est namque ratione et necessitate auctoritate predicta consultu omnium, ut quotiescumque cuiquam sacerdoti crimen inponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat, (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant, in canonibus pleniter expressum est;) si autem (ut dictum est) ille accusator, qui canonicè est recipiendus, eum cum legitimo uirorum numero et bonorum testium approbare in conspectu episcoporum poterit, tunc canonicè diiudicetur, et si culpabilis uictus fuerit, canonicè dampnetur.

Si uero eum suprascripto pretextu minime approbare ipse accusator poterit, et hoc canonicè diiudicetur.

Ipsè ergo sacerdos, si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo aut reliquis suis consacerdotibus, siue bonis et iustis de suo populo uel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut predicta suspicione remaneat, cum tribus, aut quinque, uel septem bonis ac uicinis sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ (qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit) uel eo amplius, si suo episcopo uisum fuerit, aut necesse esse propter tumultum populi perspexerit, et cum aliis bonis et iustis hominibus se sacramento coram populo super quatuor euangelia dato purgatum ecclesiæ reddat.

Si quis autem scire desiderat, quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, et quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus reperiri poterit.

### III. Pars.

Gratian. Iuramento uero candentis ferri uel feruentis aquæ purgatio non est addenda. Unde Stephanus V. Luiberto Maguntino Episcopus:

**C. XX.** Feruentis aquæ et candentis ferri iudicium fieri in ecclesia prohibetur.

Consuluisti de infantibus, qui in uno lecto cum parentibus dormientes mortui reperiuntur, utrum ferro candente, aut aqua feruente, seu alio quolibet examine parentes se purificare debeant eos non obpressisse.

Monendi namque sunt et protestandi parentes, ne tam tenellos se cum in uno collocent lecto, ne negligentia qualibet proueniente suffocentur uel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inueniantur.

Nam ferri candentis uel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones, et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est supersticiosa adinuentione non est presumendum.

Spontanea enim confessione uel testium approbatione publicata delicta, habito pre oculis Dei timore, commissa sunt regimini iudicare.

Occulta uero et incognita sunt illi relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.

Hi autem, qui probantur, uel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio, quia si conceptum in utero qui per abortum deleuerit, homicida est, quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam esse se excusare nequibit?

Gratian. Hoc autem utrum ad omnia genera purgationis, an ad hec duo tantum, que hic prohibita uidentur, pertineat, non inmerito dubitatur propter sacrificium zelotipiæ, et illud Gregorii: “Si uir, qui frigidæ naturæ esse dicitur, per uerum iudicium probare potuerit, uxorem suam numquam se cognouisse, separetur ab ea”.

[[**C. XXI.**]

In libro namque Numerorum legitur, Dominus precepisse Moysi, ut loqueretur filiis Israël et diceret eis: “Vir, cuius uxor errauerit, maritum que contempnens dormierit cum altero uiro, et hoc maritus deprehendere nequiuert, sed latet adulterium, et testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro, si spiritus zelotipiæ concitauerit uirum contra uxorem suam, que uel polluta est, uel falsa suspitione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, et offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ ordeaceæ; non fundet super eam oleum, nec inponet thus, quia sacrificium zelotipiæ est et oblatio inuestigans adulterium.

Offeret igitur eam sacerdos, et statuet coram Domino, assumet que aquam sanctam in uase fictili, et pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam.

Cum que steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput eius, et ponet super manus eius sacrificium recordationis et oblationem zelotipiæ.

Ipsa autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congescit, adiurabit que eam, et dicit: Si non dormiuit uir alienus te cum, et si non polluta es deserto mariti thoro, non tenebunt te aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congesi.

Si autem declinasti a uiro tuo, atque polluta es, et concubuisti cum altero uiro, his maledictionibus subiacebis: det te Dominus in maledictionem et exemplum cunctorum in populo suo; putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus dirumpatur; ingrediantur aquæ maledictæ in uentrem tuum, et utero tumescente putrescat femur tuum.

Et respondebit mulier: Amen, Amen.

Scribet que sacerdos in libello ista maledicta, et delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congescit, et dabit ei bibere; quas cum exhausserit, tollet sacerdos de manu

eius sacrificium zelotipiæ, et eleuabit illud coram Domino, inponet que illud super altare, ita dumtaxat, ut prius pugillum sacrificii tollat de eo, quod offertur et incendat super altare, et sic potum det mulieri aquas amarissimas.

Quas cum biberit, si polluta est et contempto uiro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, et inflato uentre computrescet femur, erit que mulier in maledictionem et in exemplum omni populo.

Maritus uero absque culpa erit, et illa recipiet iniquitatem suam.

Quod si polluta non fuerit, innoxia erit et faciet liberos”.

#### **IV. Pars.**

[Gratian.] Sed quelibet huiusmodi purgatio uidetur esse inhibita, cum in premissa auctoritate Stephani Papæ dicatur: “Spontanea confessione, etc.”.

**C. XXII.** In nouo testamento monomachia non recipitur.

Item ex decreto Nicolai Papæ.

Monomachiam uero in lege non assumimus, quam preceptam fuisse non reperimus, quam, licet iniisse quosdam legamus, sicut sanctum Daud et Goliam sacra prodit istoria, nusquam tamen ut pro lege teneatur alicubi diuina sanxit auctoritas, cum hoc et huiusmodi sectantes Deum solummodo temptare uideantur.

#### **V. Pars.**

Gratian. Contra in Concilio Guarmaciensi: [c. 15].

**C. XXIII.** Si furta in monasterio fiant, monachi iudicio se expurgent.

Sepe contingit, ut in monasteriis monachorum furta perpetrentur.

Idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus expurgare se debeant, missa ab abbate celebretur uel ab aliquo ex presentibus fratribus, et sic expleta missa omnes communicent in hec uerba: Corpus Domini sit tibi ad probationem hodie.

**C. XXIV.** Quicumque de adulterio accusatur, probabili se expurget iudicio.

Item. [in Salegustadiensi Concilio, c. 7].

Interrogatum est, si duo de adulterio inculpati fuerint, et unus profitetur, et alter negat, quid inde agendum sit.

Decretum est a sancto concilio, ut ille, qui negauerit, probabili se iudicio expurget, et qui confessus fuerit dignam penitentiam agat.

**C. XXV.** Cum plures de adulterio accusantur, et unus ceteros purgare uoluerit, omnes rei habeantur, si ipse in iudicio ceciderit.

Item. [in eodem, c. 14].

Statuit quoque sancta sinodus, ut, si duo de adulterio accusati fuerint, et ambo negauerint, et orant sibi concedi, ut alter illorum utrosque diuino purget iudicio, si unus in hoc ceciderit, ambo rei habeantur.

**C. XXVI.** Pro singulis missa celebretur, qui de aliquo crimine accusantur.

Item. [in Concilio Wormaciensi c. 10].

Si episcopo aut presbitero aliquod maleficium inputatum fuerit, in singulis missam celebrare debet, et communicare, et de singulis sibi inputatis innocentem se ostendere.

Quod si non fecerit, quinquennio a liminibus ecclesiæ extraneus habeatur.

Gratian. Illud uero, quod Sixtus et Leo in fine suæ purgationis addiderunt, ex eorum exemplo intelligendum est; exemplo enim suæ satisfactionis noluerunt prescribere ceteris legem purgandi.

## QUESTIO IV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero quarto loco querebatur: An duorum testimonio episcopus sit condemnandus?

multorum auctoritate probatur.

Sicut enim in euangelio Iohannis legitur, ait Christus ad Iudeos: “In lege uestra scriptum est, quoniam duorum hominum testimonium uerum est”.

Hinc consequenter argumentatur contra eos, dicens: “Si testimonium duorum hominum uerum est, quare testimonium meum et patris non accipitis?”

Item Paulus in epistola ad Corinthios: “In ore duorum uel trium testium stabit omne uerbum”.

Item in epistola ad Ebreos: “Quis preuaricans legem Moisi, duobus uel tribus testibus conuictus, sine miseratione lapidabatur”.

**C. I.** Quot testibus quisque clericorum conuinci debeat.

Item ex Concilio Bracarense II. [c. 8].

Placuit, ut si quis aliquem clericorum maculatione fornicationis inpetit, secundum preceptum Pauli apostoli duo uel tria testimonia requirantur ab illo.

Quod si non potuerit datis testimoniis approbare quod dixit, excommunicationem accusati accusator accipiat.

#### II. Pars.

Gratian. Ex premissis itaque colligitur, quod duorum uel trium testimonio episcopus potest conuinci et dampnari.

Porro Silvester papa in generali sinodo residens dixit e contra:

**C. II.** Quot testibus episcopus, uel presbiter uel reliqui clerici sint conuincendi.

Presul non dampnetur nisi cum LXXII. testibus.

Presbiter autem cardinalis nisi in LXIV. testibus non deponatur; diaconus cardinalis urbis Romæ nisi in XXVII. testibus non condemnabitur.

Subdiaconus, acolitus, exorcista, lector, hostiarius nisi in septem testibus non condemnabitur.

Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia.

**C. III.** Episcopi non nisi sub LXXII. testibus condemnandi sunt.

Item Leo IV. [in epistola Episcopis Britannia]



Nullam dampnationem episcoporum umquam esse censemus, nisi aut ante legitimum episcoporum numerum (qui fit per duodecim episcopos), aut certe probata sententia per LXXII. idoneos testes, qui tales sint qui et accusare possint.

§. 1. Et prius ad sacra Christi quatuor euangelia sacramenta prestant, quod nil falsum depromant, sicut nobis B. Silvester tradidit, et Romana sancta uidetur ecclesia tenere.

Et si inter eos, quos dampnandos esse dixerint homines, fuerit episcopus, qui suam causam in presentia Romanæ sedis episcopi petierit audiri, nullus super illum finitiuam presumat dare sententiam, sed omnino eum audiri decernimus.

Gratian. Sed hoc uel speciali priuilegio de clericis Romanæ ecclesiæ intelligitur, uel propter improbitatem quorundam, qui, cum non sint spectatæ uitæ et scientiæ, in accusatione ministrorum Dei repente prosiliunt.

Quorum uero uita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda apareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum uel trium testium quilibet iure conuinci et dampnari poterit.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Sequitur sexta questio, qua queritur: Quo remedio causa uiciata subleuetur, et si remedium illud sit dandum ei, qui causa dilationis uocem appellationis exhibuerit?

Causa uero uiciata remedio appellationis subleuari poterit.

Unde Fabianus Papa ait: [ad Hilarium Episcopum, epist. III. c. 3].

C. I. Causæ uiciatæ remedium appellationis subueniat.

Liceat appellatori uiciatam causam appellationis remedio subleuare.

[PALEA. C. II. De eodem.

Idem paulo ante.

Appellantem non debet afflictio ulla, aut detentionis iniuriare custodia].

C. III. De eodem.

Item Anacletus Papa. [epist. I. in fine].

Omnis obpressus libere sacerdotum (si uoluerit) appellet iudicium, et a nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur et liberetur et audiatur.

Si autem difficiles causæ aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem sedem referantur.

Et si illic facile discerni non potuerint aut iuste terminari, ubi fuerit summorum congregatio congregata (que per singulos annos fieri solet et debet), iuste et Deo placite coram patriarcha aut primate ecclesiastica, et coram patricio secularia iudicentur negotia in commune.

Item Sixtus Papa [epist. II]. omnibus rectoribus ecclesiæ scribit, dicens:

C. IV. Quisquis pulsatus fuerit, apostolicam sedem appellet.

Si quis uestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam et apostolicam sedem appellet, et ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens dampnetur, aut ecclesia sua detrimentum patiat.

**C. V.** Episcopi grauioribus causis pulsati apostolicam sedem appellent.

Idem Grato episcopo. [epistola I].

Omnes episcopi, qui in aliquibus pulsantur uel criminantur grauioribus causis, quociens necesse fuerit libere apostolicam sedem appellent, atque ad eam quasi ad matrem confugiant.

**C. VI.** Ad Romanam ecclesiam ab omnibus appelletur.

Item Marcellus Papa. [epist. I. ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ].

Quod omnibus minime conuenit denegari episcopis; sed absque ulla custodia, aut excommunicatione, uel dampnatione, aut expolatione libere ire concedatur.

**C. VII.** Qui a proprio metropolitano se grauari putauerit, maiorem sedem appellet.

Item Victor Episcopus. [ad Theophilum Alexandrinum, epist. I. c. 3].

Si quis putauerit se a proprio metropolitano grauari, apud patriarcham uel primatem dioceseos, aut penes uniuersalis apostolicæ ecclesiæ iudicetur sedem.

**C. VIII.** Ad Romanam ecclesiam appelletur ab omnibus quasi ad matrem.

Item Zepherinus urbis Romæ Archiepiscopus. [epist. I].

Ad Romanam ecclesiam ab omnibus, maxime tamen ab obpressis est appellandum, et concurrendum quasi ad matrem, ut eius uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, suis obpressionibus releuentur, quia non potest nec debet mater obliuisci filium suum.

**C. IX.** Quociens aliquis appellauerit, audientia sibi non denegetur.

Item Iulius Papa. [in decretis, siue in rescripto ad Orientales, c. 22].

Placuit, ut a quibuscumque ecclesiasticis iudicibus ad alios iudices ecclesiasticos (ubi est maior auctoritas) prouocatum fuerit, audientia non negetur.

**C. X.** Iniuste dampnati restitutionem, et obpressi auxilium a Romana debent habere ecclesia.

Idem. [cap. 30].

Ideo huic sanctæ sedi prefata priuilegia specialiter sunt concessa tam de congregandis conciliis et iudiciis ac restitutionibus episcoporum, quam et de summis ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes obpressi auxilium, et iniuste dampnati restitutionem sumant, et talia ab impiis non presumantur absque ultione, nec exercentur absque sua dampnatione.

## **II. Pars.**

Gratian. Cum ergo Zepherinus dicat, ab omnibus esse appellandum, maxime tamen ab obpressis, et Marcellus scribat: “Omnes episcopi, qui uoluerint uel quibus necesse fuerit, appellare debent:” patet, quod accusato (siue grauetur, siue non) appellationis uox non est deneganda.

Quidam tamen ita distinguunt, ut uolentes ad consecrandos, necessitatem patientes ad obpressos referant, ut sit sensus: Omnes, qui uoluerint a Romana ecclesia consecrationem accipere, et ab aliquibus impediuntur, eam debent appellare; quibuscumque in suis obpressionibus necesse fuerit ad eam subfugere, similiter uocem appellationis exhibeant, ut isti tuicionem, et illi consecrationem ab ea accipiant.

Similiter et illud Zepherini distinguitur: “Ab omnibus est appellandum ad Romanam ecclesiam:” intelligendum est, qui ab ea consecrationem uoluerint accipere, uel qui a prelatiis suis aliquam iniuriam passi fuerint, maxime tamen ab obpressis.

Secundum primam interpretationem obpressi intelliguntur aliqua iniuria affecti; iuxta secundam uero obpressi dicuntur a iudice iniuste condempnati.

Secundum hanc distinctionem qui in aliquibus negotiis non ad releuandum, sed ad differendum uocem appellationis exhibuerit, appellandi auctoritatem non habet.

Sed cum Gregorius scribat omnibus per diuersas prouincias:

**C. XI.** De causa appellationis cognoscere non licet nisi ei, ad quem appellatur.

Decreto nostro uestram rogantes karitatem mandamus, ut si aliquis (quod non optamus) suorum emulorum Aldricum Cenomannicæ ecclesiæ episcopum, accusare dampnabiliter attemptauerit, liceat illi post auditionem primatum dioceseos, si necesse fuerit, nos appellare, et nostra auctoritate aut ante nos, aut ante legatos nostros e latere missos iuxta Patrum decreta suas exercere atque diffinire actiones, nullus que illum ante hec iudicet aut iudicare presumat.

Sed si quid (quod absit) graue intolerandum que ei obiectum fuerit, nostra erit expectanda censura, ut nichil prius de eo, qui ad sinum sanctæ Romanæ ecclesiæ confugerit eius que inplorat auxilium, decernatur, quam ab eiusdem ecclesiæ fuerit auctoritate preceptum, que uices suas ita aliis inperituit ecclesiis, ut in partem sint uocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

§. 1. Si autem (quod non arbitramur) a quoquam secus presumptum fuerit, ab offitio cleri submotus apostolicæ auctoritatis reus ab omnibus iudicetur, ne lupi, qui sub specie ouium subintrauerunt, bestiali se uicia quosque audeant lacerare, et quod sibi fieri nolunt aliis inferre presumant.

Item cum Vigilius Papa [in epistola ad Eleutherium, c. ult.] dicat:

**C. XII.** Iudicia appellantium ab eis sunt audienda, ad quos appellatur.

Qui se scit aliis esse prepositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prelatum.

Ipsa namque ecclesia, que prima est, ita reliquis ecclesiis uices suas credit largiendas, ut in partem sint uocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Unde omnium appellantium apostolicam sedem episcoporum iudicia, et cuncta maiorum negotia causarum eidem sanctæ sedi reseruata esse liquet; presertim cum in his omnibus eius semper sit expectandum consultum, cuius tramiti si quis obuiare temptauerit sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo apud eandem sanctam sedem nouerit redditurum.

Gratian. Item cum Nicolaus Episcopus in Remensem Archiepiscopum inuehatur, qui Rothardum episcopum appellansem apostolicam sedem dampnare ausus est, ita dicens:

**C. XIII.** De Remensi archiepiscopo, qui appellansem Romanam sedem iudicare ausus est.

Arguta tua sapientia, utinam in accepto bono fomite, iudicii materiam depositionis aduersus Rothardum assumpsit, et ab itinere apostolicæ sedis remouit, et continuatim apostolicam sedem appellansem dampnauit et carcerali custodiæ mancipauit.

Et infra:

§. 1. Priuilegia tamen apostolicæ sedis uos obliuioni tradere nullatenus debuistis, quibus uenerandi canones iudicia totius ecclesiæ ad hanc deferri iubent.

Et infra:

§. 2. Hec quippe nos in Rothardo idcirco noueris operatos, ut priuilegia sedis apostolicæ, que male a uobis uiolata esse uidebantur, auctoritate apostolica et canonica Patrum deliberatione pristino tandem ingenio et proprio decorentur honore.

C. XIV. Quisque eam obedientiam maioribus exhibeat, quam ab inferioribus desiderat. Item Leo Papa. [ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, epist. LXXII. al. LXXIV].

Qui scit se quibusdam prepositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prelatum, sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat, et sicut non uult grauis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii inportabile pondus inponere.

Discipuli enim sumus humilis et mitis magistri, dicentis: “Discite a me, quia mitis sum et humilis corde”.

Gratian. Patet ergo, quod nulli appellanti induciæ sunt denegandæ.

Ceterum, si causa frustratoriae dilationis appellauerit, a iudice, ad quem prouocatum fuerit, condempnabitur.

Tempus uero appellationis est ante datam sententiam uel post datam.

Quociens enim se pregruari senserit, libere potest appellare.

Unde Sixtus Papa [II. epist. 1. ad Gratum Episc.] ait:

C. XV. Qui grauatur a proprio metropolitano, primatis aut uniuersalis ecclesiæ sedem appellet.

Si quis putauerit se a proprio metropolitano grauari apud primatem dioceseos aut penes uniuersalis apostolicæ ecclesiæ Papam iudicetur.

C. XVI. Romanam sedem appellet qui iudicem suspectum habuerit. [Item Felix II. ad Episcopos in Alexandrina sinodo congregatos, cap. 19].

Quociens episcopi se a suis conprovincialibus uel a metropolitano putauerint pregruari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, atque eis libere ire liceat; et dum predictam Romanam appellauerint sedem, aut ab ea se audiri poposcerint nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes subripere, aut res eorum auferre, aut aliquam uim eis inferre presumat ante, quam amborum causa Romani Pontificis auctoritate finiatur.

Quod si aliter, a quoquam presumptum fuerit nichil erit, sed uiribus carebit.

C. XVII. De eodem.

Item Iulius Papa. [in rescripto ad Episcopos orientales, cap. 30].

Ideo huic sanctæ sedi prefata priuilegia specialiter sunt concessa, ut ab ea omnes obpressi auxilium, et iniuste dampnati restitutionem sumant.

Gratian. Obpressi et se pregruari putantes intelliguntur ante datam sententiam, iniuste dampnati post datam.

Unde Euticianus urbis Romæ Episcopus scribit omnibus Episcopis: [epist. II. c. 1].

C. XVIII. Ante exitum causæ per appellationem recedere licet.

Non ita in ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut in secularibus.

Nam et in secularibus postquam legibus uocatus quisque uenerit et in foro decertare ceperit, non licet ei ante peractam causam recedere.

In ecclesiasticis uero dicta causa recedere licet, si necesse fuerit aut si se uiderit pregruari.

**III. Pars.**

Gratian. Qui uero ex contumacia iudicibus obtemperare noluerint, communione priuentur.

Unde in Mileuitano Concilio: [c. 24].

**C. XIX.** Excommunicetur, qui iudicibus suis obtemperare noluerit.

Quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare iudicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit probatum, det litteras, ut nullus ei communicet episcoporum, donec obtemperet.

Gratian. Item quod post datam sententiam appellari possit, Fabianus Papa testatur, dicens: [Hilario Episcopo ep. III. cap. 2].

**C. XX.** Non denegetur ei appellatio, quem in supplicio sententia destinauit.

Liceat etiam in criminalibus causis appellare, nec uox appellandi denegetur ei, quem in supplicio sententia destinauerit.

Gratian. Quod ante idem affirmat: [eod. cap.].

**C. XXI.** Ante datam sententiam licet alicui appellare.

Si quis iudicem aduersum sibi senserit, uocem appellationis exhibeat.

**IV. Pars.**

Gratian. Post datam uero sententiam qui appellare uoluerit, infra quinque dies appellet et infra eosdem a quo prouocauit dimissorias accipiat et infra eosdem ad quem appellauit iter arripiat.

Unde in Teodosianis legibus sic statutum inuenitur:

**C. XXII.** Post datam sententiam infra quod tempus quisque appellare debeat.

Propter superfluum appellatorum licentiam, ne in retractandis uel reuocandis sententiis liberum habere arbitrium uiderentur et tempora appellationis, et penæ constitutæ sunt, ut quicumque apud iudicem, qui causam eius audiuit, appellare, et ad alium iudicem prouocare uoluerit, infra quinque dies appellet, in his ipsis quinque diebus ad iudicem, ad quem prouocauerit, sine aliqua dissimulatione perueniat, et ipse dies in quo accepit litteras, in his quinque diebus computetur specialiter.

Quod si longius iter sit, exceptis quinque diebus spatium dierum, quo iter agi possit, computetur.

[PALEA. **C. XXIII.**

Habita dinumeratione XX. millium diurnorum per singulos dies computetur].

**C. XXIV.** A quo appellatur ad quem appellatum fuerit dimissoriæ litteræ dirigantur.

Item. [ibidem tit. XXXIV].

Ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, dimissoriæ litteræ dirigantur, que uulgo apostoli appellantur, quarum postulatio et acceptio intra quintum diem finienda est ex officio.

Ista iam superius sub titulo de cautionibus et penis appellationum interpretata sunt.

§. 1. Qui intra statuta tempora dimissorias non postulauerint, uel acceperint, uel reddiderint, prescriptione ab agendo submoueantur et penam appellationis ferre cogantur.

C. XXV. De his, qui causa dilationis appellant.

Item. [ibidem tit. XXXV. c. 2].

Quicumque non confidentia iustæ causæ, sed causa afferendæ moræ, ne contra eum sententia proferatur, appellauerit, uel si de facto suo confessus, ne abdicatur appellare uoluerit, huiusmodi appellationes non recipiantur.

C. XXVI. Cum possessor appellat, dum euentus causæ dubius est, possessionis fructus sequestrentur.

Item. [ibidem, tit. XXXVI. c. 1].

Quociens post auditam causam iudicem possessor appellat, fructus possessionis, de qua agitur, dum sequendæ audientiæ euentus dubius est, merito sequestrantur.

Nam si petitor appellauerit, ab eo hoc non potest postulari, quia non potest sequestrari quod non habet.

§. 1. Si propter predia urbana uel mancipia appellatur, possessiones eorum uel mercedes, uel uectura etiam, si de nauis nauo agatur, deponi solent.

C. XXVII. Iniuste appellans omnimodo puniendus est.

Item. [ibidem, tit. XXXVII. c. 1].

Omnimodo puniendus est, quociens iniusta appellatio pronunciat, sumptus, quos, dum sequeretur, aduersarius inpendit, reddere cogatur non simplos, sed quadruplos.

Gratian. Premissis auctoritatibus infra quinque dies post datam sententiam cuique appellare permittitur.

Quod postea Iustinianus in constitutionibus suis corrigens, infra decem dies appellationis remedium cuique dandum decreuit, dicens:

C. XXVIII. Infra decem dies appellationis remedium conceditur.

Inperator Iustinianus Augustus.

Anteriorum legum acerbitati plurima remedia inponentes, et maxime hec circa appellationes facientes, et in presenti ad huiusmodi beneficium peruenire duximus esse necessarium.

Antiquitati etenim cautum erat, ut si quis per se litem exercuerit et fuerit condempnatus, intra duos dies tantummodo licentiam appellationis haberet; sin autem per procuratorem causa uentilata sit, et in triduum proximum eam extendi.

Ex rerum autem experientia inuenimus hoc satis esse dampnosum; plures enim homines ignaros subtilitatis legum, et putantes in triduum prouocationes esse porrigendas in promptum periculum incidisse, et biduo transacto causas perdidisse.

Unde necessarium duximus huiusmodi rei competenter mederi.

Et omnes appellationes sancimus, siue per se, siue per procuratores, seu per defensores, uel curatores et tutores uentilentur, posse intra decem dierum spatium a recitatione sententiæ numerandum ab his iudicibus, quorum interest, offerri, siue magni siue minores sint (excepta uidelicet sublimissima pretoriana prefectura), ut liceat homini intra id spatium plenissime deliberare, siue appellandum ei sit, siue quiescendum; ne timore instante opus appellatorium frequentetur, sed sit omnibus inspectionis copia, que indiscussos hominum calores potest refrenare.

§. 1. Ad hec sancimus, si quando lis speratur in nostrum inferri consistorium, si forte contigerit inperatoriam maiestatem publicis occupatam causis ex mundanis prouisionibus non posse conuocare patres, quatinus causa agitetur, non ex hoc litem periclitari.

Quod enim uicium est litigantium, si culmen inperatorium occupetur?

uel quis tantæ est auctoritatis, ut nolentem principem possit ad conuocandos patres ceteros que proceres coarctare?

Sed si quid tale euenerit, causa intacta permaneat, donec inperator motus sua sponte et conuocari proceres iusserit, et litem inferri patiat, et omnia secundum morem procedere.

§. 2. Illud etiam in tertio capitulo disponendum est, quod antiquitas bene statuit, nouitas autem neglexit.

Cum enim ueneranda uetustatis auctoritas ita magistratus digessit, ut alii maiores, alii medii, alii minores sint, et appellationes a minoribus iudicibus non solum ad maximos iudices remitterentur, sed ad spectabilium iudicum tribunal, quatinus et ipsi sacro auditorio adhibito litem exercerent, nouitas autem hoc dereliquit, euenit, ut super minimis causis maximi nostri iudices inquietentur, et homines propter minimas causas magnis fatigentur dispendiis, ut forsitan totius litis estimatio ad sumptus iudiciales non sufficeret.

Ideo que sancimus, si quando ex Egiptiaco tractu uel adiuncta ei utraque Libia prouocatio speratur usque ad decem librarum auri quantitatem, non in hanc regiam urbem eam uenire, sed ad prefectum augustalem, qui audiat et causam dirimat uice sacri cognitoris, nulla eis post diffinitiuam sententiam appellatio est porrigenda.

Simili que modo quociens in Asiana diocesi uel Pontica tale aliquid emerit, usque ad predictam quantitatem decem librarum auri appellationes ad uiros spectabiles, comites forte, uel proconsules, uel pretores, uel moderatores, quibus specialiter easdem lites peragendas deputauimus, remittantur, quatinus et hi ad similitudinem prefecti augustalis uice sacri cognitoris intercedant et causas sine spe quidem appellationis, Dei tantum et legum timore perferant decidendas.

Orientales autem tractus causas appellatione suspensas, et usque ad decem librarum auri quantitatem limitatas, ad uirum spectabilem comitem orientis mittere, simili modo audientiam et finem eis inpositurum.

Illo uidelicet obseruando, uti uiri spectabiles uel alii spectabiles iudices non ad alios eadem spectabilitate decoratos iudices suas transmittant appellationes in litibus, quantæcumque sint quantitatis (cum non oporteat ad conpares iudices appellationes referri, sed a minore iudicio in maius tribunal ascendere), sed ad illustrissimam prefecturam illorum appellationes, cuiuscumque sint quantitatis, (ut dictum est) dirigantur, que una cum uiro excelso pro tempore questore eas dirimat utroque offitio subministrante, id est tam ex sacris scriniis more solito quam prefecto pretorio.

Ita tamen hec sancimus, ut nec a ducibus uel ab aliis spectabilibus iudicibus (quibus forte et si priuati sint, inperialis maiestas causas iniunxerit) appellatio ad memoratos iudices spectabiles currat ne causa non gradatim procedere, sed perperam uideatur; sed a presidibus quidem prouinciarum, et iudicibus a nobis datis, si non sint spectabiles iudices, intra memoratam quantitatem referetur.

Si autem uel illustres sint dati a nobis iudices (quibus apices dignitatum super spectabilitatem sunt) uel duces, qui omnimodo spectabilitate sunt decorati, uel hi, qui principe delegati sunt, spectabilem habeant dignitatem, eorum appellationes sub quacumque quantitate in hanc regiam urbem ad competentes antiquo more iudices

referantur, aliis omnibus, que in appellationibus statuta sunt uel antiqua prosapia, uel ab auctoritate anteriorum constitutionum, uel a nostra humanitate, intactis illibatis que custodiendis.

[[C. XXIX].

Digestis titulo Quando appellandum sit, lege 1. [§. Biduum]

Biduum uel triduum appellationis ex die sententiæ latæ computandum erit.

§. 1. Quid ergo, si sententia fuerit sub condicione dicta, utrum ex die sententiæ tempus computamus ad appellandum, an uero ex die, quo condicio sententiæ extitit?

Sane quidem non est sub condicione sententia dicenda; sed si fuerit dicta, quid fiet?

Et est utile statim tempora ad appellandum computari debere.

§. 2. Quod in sententiis preceptum est, ut uel altera die, uel tertia prouocetur, hoc etiam in ceteris obseruandum est, ex quibus sententia quidem non profertur, appellari tamen oportet et potest, ut cum quis ad tutelam uel ad alia ciuilia munera nominatur, eius excusatio non admittitur.

§. 3. Si forte post sententiam statim dictam copiam sui non fecerit is, qui pronunciauit (ut fieri assolet), dicendum est nichil nocere appellationi.

Nam ubi primum copiam eius habuerit, poterit prouocare.

Ergo si statim se subtraxit, similiter subueniendum est.

§. 4. Quid ergo, si condicio horæ efficit, ut se reciperet?

Si forte dicta sit sententia iam suprema hora, utique non uidebitur se subtraxisse.

§. 5. Adeundi autem facultatem semper accipimus, si in publico sui copiam fecerit.

Ceterum, si non fecit, an inputetur alicui quod ad domum eius non uenerit, quodque in hortos non accesserit, et ulterius quod ad uillam suburbanam?

Magis que est ut non debeat inputari.

Quare si in publico eius adeundi facultas non fuit, melius dicetur facultatem non fuisse adeundi.

§. 6. Si quis ipsius quidem, a quo appellauit, adeundi facultatem non habuit, ut ei libellos daret, eius autem, quem appellauit, habeat copiam, uidendum, an ei prescribi possit quod eum non adierit.

Et hoc iure utimur, ut, si alterius adeundi copia fuit, prescriptio locum habeat.

§. 7. Palam est, eam esse propriam causam, cuius emolumentum uel dampnum ad aliquem suo nomine pertinet.

§. 8. Si aduersus absentem fuerit pronunciatum, biduum uel triduum ex quo quis scit computandum est, non ex quo pronunciatum est.

Quod autem dicitur absentem posse prouocare ex quo scit, sic accipimus, si non in causa per procuratorem defensus est.

Nam si ille non prouocauit, difficile est ut hic audiatur.

§. 9. Si quidem in insulam deportandum annotauerit preses prouinciæ, et inperator rescripserit ut deportetur, uideamus quando sit prouocandum, utrum cum inperator rescripserit, an cum ei scribitur?

Et putem, tunc appellandum esse, cum recipi eum preses iubet.

Ceterum uerendum est, ne sero sit, ut tunc prouocetur, cum inperator insulam ei assignauerit; conprobata enim sententia presidis tunc solet insulam assignare.

Rursus illud uerendum est, si mendaciis apud principem honorauit eum, quem deportandum laborat, intercludit uiam prouocandi.

Quid ergo est? Recte dicetur humanitate suggerente ut et hoc illo tempore non frustra prouocaretur, quia non aduersus principem, sed aduersus iudicis calliditatem prouocauit.



§. 10. Illud uideamus, si, cum inperatori scriberetur, exemplum litterarum litigatori editum sit neque is appellauerit, et postea contra eum rescriptum sit, an appellare a litteris pridem sibi editis possit?

quia qui tunc non appellauerit uera esse que scripta sunt consensisse uidetur, nec est audiendus, si dicat euentum rescripti sacri se sustinuisse.

C. XXX.

De appellationibus recipiendis uel non.

V. Pars.

Non solent audiri appellantes, nisi hi, quorum interest, uel quibus mandatum est, uel qui negotium gerunt alienum, quod mox reus ratum haberet.

Sed et si mater, ex pietate prouocauerit, dicendum est et hanc audiri debere, et si litem preparandam curare maluerit, intercedere non uidetur, licet ab initio defendere non potest.

§. 1. Ante sententiam appellari potest, si questionem in ciuili negotio habendam iudex interlocutus sit, uel in criminali, si contra leges hoc faciat.

§. 2. Eius, qui ideo causam agere frustratur, quod dicit se libellum principi dedisse, et sacrum rescriptum expectare, audiri desiderium prohibetur, si ob eam causam prouocauerit, appellatio eius recipi sacris constitutionibus prohibetur.

C. XXXI. De libellis dimissoriis. [Item Marcianus l. 2. De appellationibus, tit. De libellis dimissoriis, l. unica].

Post appellationem interpositam litteræ dandæ sunt ab eo, a quo appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est siue principem, siue quem alium, quas litteras dimissorias siue apostolos appellant.

Sensus autem litterarum est talis: appellasse (puta) Lucium Titium a sententia illius, que inter illum et Meuium dicta fuit.

Sufficit autem petisse intra tempus dimissorias instanter et sepius, et si non accipiat, id ipsum contestetur.

Nam instantiam petentis dimissorias constitutiones desiderant.

Equum est igitur, si per eum steterit, qui debeat dare litteras, quo minus det, ne hoc accipienti noceat.

§. 1.

Titulo: Nichil nouari.

Appellatione interposita, siue ea recepta sit siue non, medio tempore nichil nouari oportet.

§. 2. Si quis ex pluribus facinoribus condempnatus propter quedam appellauerit, propter quedam non, utrum sit differenda pena eius, an non, queritur.

Et si quidem grauiora sunt crimina, ob que appellatio interposita est, leuius autem id, propter quod non appellauit, recipienda est omnino appellatio, et differenda pena.

Si uero grauiorem sententiam meruit ex ea specie, ex qua non est appellatum, omnino pena inponenda est.

Gratian. Forma apostolorum hec est: "Ego En. sanctæ Bononiensis ecclesiæ episcopus, te presbiterum Rolandum, capellanum S. Apollinaris, ad apostolicam sedem, quam appellasti, ab obseruatione mei iudicii his apostolis dimitto".

Forma uero appellationis hec est: “Ego Adelinus S. Reginae ecclesiae minister licet indignus sentiens me pregruari a domino Gualterio S. Rauennatis ecclesiae archiepiscopo Romanam sedem appello, et apostolos peto”.

§. 1. Si uero post datam sententiam appellare uoluerit, hic erit ei modus appellandi: “Ego A. sanctae Reginae ecclesiae minister licet indignus contra sententiam domini Gualterii sanctae Rauennatis ecclesiae archiepiscopi iniuste in me latam pridie Kal. Magi Anno incarnationis Domini MCV. feria quarta, Romanam sedem appello, et apostolos peto”.

§. 2. Si autem unus, uel duo pro pluribus appellare uoluerint, sic appellabunt: “Ego G. et P. sindici canonicorum Sanctae Boloniensis Ecclesiae sentientes nos pregruari uel contra sententiam, etc.

Romanam sedem appellamus, et apostolos postulamus”.

Huiuscemodi appellationes in scriptis fieri debent.

Ad iudicium autem alterius fidei catholico appellare non licet.

Unde in Cartaginensi Concilio IV. [c. 7].

**C. XXXII.** Excommunicetur catholicus, qui causam suam iudicio infidelium committit. Catholicus, qui causam suam, siue iustam siue iniustam, ad iudicium alterius fidei iudicis prouocat, excommunicetur.

## **VI. Pars.**

Gratian. Notandum uero est, quod quidam iudices sunt, a quibus appellari non oportet. Unde in Concilio Mileuitano [c. 24]. legitur:

**C. XXXIII.** A quibus iudicibus prouocari non licet.

A iudicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat prouocari.

Gratian. Quod de arbitris intelligendum est.

Iudicum enim alii sunt arbitrarii, alii sunt ordinarii.

Ordinarii uero sunt, qui ab apostolico, ut ecclesiastici, uel ab imperatore, utpote seculares, legitimam potestatem accipiunt.

Arbitrarii sunt, qui nullam potestatem habentes cum consensu litigantium in iudices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum sententiae stetur.

Horum alii sunt ordinarii et arbitrarii, alii arbitrarii tantum.

Ordinarii et arbitrarii sunt, qui legitimam potestatem habentes ab eis eliguntur ad arbitrandum, qui non sunt suae ditioni subpositi.

Ab his, etsi ut arbitrarii sedeant, et non ut ordinarii, priuilegio tamen ordinariae dignitatis, grauatus aliquis appellare ualebit.

Unde in Cartaginensi Concilio legitur III.: [c. 10].

**C. XXXIV.** A iudicibus, qui eliguntur communi consensu prouocari licet.

Sane, si ex consensu partium iudices electi fuerint, etiam a pauciori numero, quam constitutum est, liceat prouocari.

**C. XXXV.** Qui de episcoporum iudiciis queruntur, a uicinis episcopis audiantur, uel ab aliis ex consensu eorum adhibitis.

Item ex Concilio Mileuitano. [c. 22].

Placuit, ut presbyteri, diaconi, uel ceteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, uicini episcopi eos audiant, et inter eos quicquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum.

Quod si et ab eis prouocandum putauerint, non prouocetur, nisi ad Affricana concilia uel ad primates prouinciarum suarum.

Ad transmarina autem qui putauerint appellandum, a nullo intra Affricam in communione suscipiantur.

Gratian. Nisi forte Romanam sedem appellauerint.

Is autem, qui appellauit, ad eum, a quo appellauit, remitti non debet.

Unde in Sardicensi Concilio: [c. 7].

### C. XXXVI.

Si episcopus accusatus fuerit, et omnes iudicauerint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo deiecerint eum, si appellauerit qui deiectus uidetur et confugerit ad beatissimum Romanæ ecclesiæ episcopum, et uoluerit se audiri, si iustum putauerit ut renouetur examen, scribere episcopis dignetur episcopus Romanus his, qui in finitima et propinqua altera prouincia sunt, ut episcopi diligenter omnia requirant et iuxta fidem ueritatis diffiniant.

Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit episcopum Romanum, ut de latere suo presbiteros mittat, erit in potestate eius quid uelit, et quid estimet.

Et si decreuerit mittendos esse qui presentes cum episcopis iudicent, ut habeant etiam auctoritatem personæ illius, a quo destinati sunt, erit in eius arbitrio.

Si uero crediderit sufficere episcopos prouinciales, ut negotio terminum inponat, faciet quod sapientissime consilio suo iudicauerit.

Gratian. Arbitrarii tantum sunt qui nullam legitimam potestatem acceperunt, a quibus appellari non licet, quia eis inputandum est qui sibi tales elegerunt.

Si uero sententia eorum, a quibus appellatur, soluta fuerit, nichil oberit eis, nisi forte uel inimicitia uel pecunia deprauati iniustam probantur tulisse sententiam.

Unde in eodem Concilio Cartaginensi III. [c. 10]. legitur.

C. XXXVII. Cum per appellationem sententia soluitur, non debet ei obesse, qui iniquo animo non iudicauit.

## VII. Pars.

Hoc etiam placuit, ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos, ubi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint uel inimico animo iudicasse, uel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.

Gratian. Queritur autem de eo, a quo appellatur, an sit deuocandus in testimonium apud eum, ad quem appellatur, super negotio, cuius cognitionem suscepit.

De hoc ita statutum est in Concilio Cartaginensi V.: [c. 1].

C. XXXVIII. Clericus non deuocetur ad testimonium illius causæ, cuius primum cognitionem suscepit.

Statuendum est, ut qui in ecclesia quamlibet causam iure apostolico ecclesiis inposito agere uoluerit, et forsitan decisio clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum in iudicium ad testimonium deuocari eum, qui presens uel cognitor fuit, et nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.

Gratian. Ab eis quoque, ad quos prouocatum fuerit (sicut in Concilio Affricano [c. 63]. legitur) ulterius prouocari non licet:

**C. XXXIX.** Non licet appellari ab eis, ad quos prouocatum fuerit.

Si autem fuerit prouocatum, eligat qui prouocauerit iudices, et cum eo ille, contra quem prouocauerit, ut ab ipsis deinceps nulli liceat prouocare.

Gratian. Post secundam prouocationem intelligendum est: tertio enim in una eadem que causa super hisdem capitulis prouocare non licet.

Unde in VII. libro Codicis, titulo non liceat in una eadem que causa tertio prouocare, [lege unica] inperator Iustinianus scribit: “Si quis in quacumque lite iterum prouocauerit, non liceat ei tertio in eadem lite super hisdem capitulis prouocatione uti, uel sententias excellentissimorum prefectorum pretorio retractare, licentia danda litigatoribus, arbitro dato, ipsius audientiam, qui eum dedit, ante litis contestationem inuocare, et huiusmodi petitione minime prouocationis uim obtinente.

§. 1. Cum autem in causa capitali uel status interpellatum fuerit, non per procuratores, sed per se ipsos appellantes causam suam agere oportet.

Unde Adrianus Papa ait: [in capitulis a se collectis, cap. 44].

**C. XL.** Appellationem in causa capitali uel status interpositam per procuratorem exequi non licet.

Si quando in causa capitali uel causa status interpellatum fuerit, non per exploratores, sed per se ipsos est agendum.

Gratian. Tempus autem exequendæ appellationis annus est, uel, si iusta causa intercesserit, biennium.

Unde in Autenticis constitutione II. collatione V. legitur:

[[**C. XLI.**]

“Si quis appellat, inquiratur annus, intra quem secundum se communiter ue litem exequatur, aut, si iusta intercesserit causa, annus alius indulgetur, quo transacto lite non completa manet sententia.

§. 1. Appellatore cessante, cum unus mensis superest ex biennio, licet uictori ingredi ut reus queratur, quo sine inuento siue non, suas afferat allegationes, ut uel confirmetur uel rescindatur sententia, omni casu absente in expensas condempnando.

Neutro occurrente post secundum fatalem permanet sententia”.

Constitutione secunda, in collatione IV.:

§. 2. “Sed lis, que speratur in consistorium principis inferri, absque dampno moræ manet intacta, donec ipse faciat eam introduci, et a proceribus secundum morem dirimi”.

[Gratian.] Si uero is, qui appellauit, penitentia ductus ab appellatione desistere uoluerit, non prohibetur, sicut in 7. libro Codicis titulo de appellationibus et consultationibus, [l. 28]. Inpp. Arcadius et Honorius statuissent leguntur: “Si quis libellos appellatorios ingesserit, sciat se habere licentiam arbitrium conmutandi et suos libellos recuperandi, ne iustæ penitudinis humanitas amputetur”.

§. 1. Est autem quando appellationem interponi necesse non est.

In eodem namque libro, et eodem titulo [l. 27], idem Inpp. decreuerunt: “Nominaciones libellis uel edictis factæ, citra concilium publicum non ualent a quibus nec appellare necesse est”.

### VIII. Pars.

§. 2. Diffinitiuæ quoque sententiæ, que condemnationem uel absolutionem non continet, pro nulla habetur.

§. 3. Item sententiæ citra solitum ordinem iudiciorum a preside prolata auctoritatem rei iudicatæ non obtinet.

§. 4. Item si sententiæ lata fuerit contra res prius iudicatas, a quibus prouocatum non est, sententiæ auctoritatem non obtinebit, et ideo ab ea appellari non est necesse.

§. 5. Item si sententiæ contra ius scriptum feratur, ueluti dum defunctus et minor XIV. annis fuisse, et testamentum iure fecisse dicitur, nullas uires obtinet, nec contra eam est necessarium prouocationis auxilium.

§. 6. Si uero contra ius litigatoris sententiæ dicatur, ueluti dum minor XIV. annis, annum XIV. inpleuisse, ac per hoc testamentum iure fecisse pronunciat, ad prouocationis remedium oportet confugere.

§. 7. Item si plures iudices dati fuerint, et unus tantum ex his pronunciasse proponitur, non uidetur appellandi necessitas esse, cum sententiæ iure non teneat.

§. 8. Item cum certa ratione et fine mulctare iudices possunt, si aliter contra legis statutum modum mulctam irrogauerint quod contra ius gestum uidetur firmitatem non tenet, et sine appellatione potest rescindi.

§. 9. Venales quoque sententiæ, que in mercede a corruptis iudicibus proferuntur, et citra interpositæ prouocationis auxilium infirmas esse decretum est.

§. 10. Item si propter infirmitatem etatis ad honorem, ad quem nominatus es, inhabilem te esse probaueris, pretermissa appellatione iniqua nominatio remouebitur.

§. 11. Sunt etiam, quorum appellationes non recipiuntur.

Non enim potest recipi eius appellatio, qui per contumaciam absens, cum ad agendam causam negotio prius summatim perscrutato uocatus esset, condemnatus est.

§. 12. Nullus etiam homicidarum, ueneficorum, maleficorum, adulterorum, item que eorum, qui manifestam uiolentiam commiserunt, argumentis conuictus, testibus superatus, uoce etiam propria uicium scelus que confessus audiatur appellans.

Et hoc in notoriis.

§. 13. In occultis autem: Si testibus productis, instrumentis prolatis, aliis que argumentis prestitis sententiæ contra eum lata sit, et ipse, qui condemnatus est, aut minime uoce sua confessus sit, aut formidine tormentorum territus contra se aliquid dixerit, prouocandi licentia ei non denegatur.

§. 14. Nulli quoque officialium a sententiæ proprii iudicis prouocatio tribuatur, nisi in eo tantum negotio, quod ratione ciuili super patrimonio forte apud proprium iudicem inchoauerit.

§. 15. Quociens etiam fiscalis calculi satisfactio postulatur aut tributum exposcitur, aut publici, uel etiam priuati debiti euidentis atque conuicti redibitio flagitatur, appellatione exclusa necessario in contumacem uigor iudiciarius exercetur.

§. 16. Ab executione sententiæ appellari non potest, nisi forte executor sententiæ modum iudicationis excedat.

§. 17. Si quis etiam ausus fuerit prouocare, ne uoluntas defuncti testamento scripta reseretur uel ne hii, quos scriptos patuerit heredes, in possessionem mittantur, et is,

cuius de ea re notio erit, appellationem receperit, et iudex, qui tam ignaue conuiuentiam adhibuerit, et litigator, qui tam inportune appellauerit, uiginti libris argenti mulctetur.

§. 18. De possessione etiam et eius momento si causa dicatur, que sententia interlocutoria appellatur, quamuis prouocatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortiatur effectum.

§. 19. Quandoque unam eandem que condemnationem plures simul reportant, nec diuersitas factorum separationem accipit, quo casu, si omnes appellauerint, et uno ex his agente eorum appellatio iusta pronunciata fuerit, emolumentum uictoriæ etiam ad alios pertinebit.

Si autem unus tantum appellauerit eius que appellatio iusta pronunciata est, ei quoque prodest, qui non appellauit.

§. 20. Quod si etatis auxilio unus contra sententiam restitutionem inpetrauerit maiori, qui suo iure non appellauit, hoc rescriptum non prodest.

§. 21. Iudicibus autem non solum suscipiendæ appellationis necessitas uidetur inposita, uerum etiam XXX. dierum spatia ex die sententiæ diffinita sunt, intra que gesta una cum relatione litigatoribus conuenit prestari.

§. 22. Similiter arbiter appellationem suscipere et relationem dare compellitur, si delegatus fuerit.

§. 23. Litigatoribus uero copia est etiam non conscriptis libellis illico uoce appellare, cum res iudicata poposcerit, tam in ciuilibus quam in criminalibus causis.

§. 24. Ab eo autem, qui de appellatione cognoscit, non potest fieri recursus ad iudicem, a quo fuerit prouocatum.

Quapropter remittendi litigatores ad prouincias remotam sibi occasionem atque exclusam penitus intelligant, cum super omni causa interpositam prouocationem uel iniustam tantum liceat pronunciare, uel iustam.

§. 25. Hec omnia in VII. libro Codicis inuenies, a titulo de appellationibus et consultationibus usque ad titulum ne liceat in una eadem que causa.

## QUESTIO VII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero laici in accusatione episcoporum non sint audiendi, Euaristus papa testatur, dicens: [Episcopis per Aegyptum, epist. II].

C. I. Laici in accusatione episcoporum recipiendi non sunt.

Non est a plebe aut uulgaribus hominibus arguendus uel accusandus episcopus, licet sit inordinatus, quia pro meritis subditorum disponitur a Deo uita rectorum.

Ideo ista dico, quia insidiator bona sepius solet conuertere in malum, et in electis ponit maculam.

C. II. Laicus clericum non accuset.

Item Silvester Papa. [in epilogo Concilii Romani].

Nullus laicus crimen audeat clerico inferre.

C. III. De eodem.

Item Marcellus Papa. [ad Episcopos orientales, ep. II].  
Laico non liceat quemlibet clericum accusare.

**C. IV.** Anathematizatus sacerdotes accusare non potest.

Item Iulius papa. [in decretis, c. 36].

In sancta Nicena synodo statutum est, ut nemo anathematizatus in nostra suscipiatur accusatione, nec illi, qui nos in sua accusatione nolunt recipere, cum nos super illos sciamus a Domino constitutos, non illos super nos, et sicut maior non potest a minore iudicari, ita nec colligari, quia rarum est omne quod magnum est.

Portamus onera omnium, qui grauantur, quin imo hec portat in nobis B. Petrus apostolus, cuius uice fungimur legatione, et cuius regula informamur, quatinus eius fulti auxilio nunc et in perpetuum ab omnibus tueamur aduersis.

**C. V.** De eodem.

Item Eusebius. [ad Episcopos Galliaë, epist. I].

Laicos non accusasse episcopos hactenus obseruatum et constitutum est, quia non sunt eiusdem conuersationis, et oppido eis quidam existunt infesti, quippe cum uita eorum et conuersatio debeat esse secreta et a laicorum actibus remota, nec ab his inpeti debent, qui eorum castitatem et grauitatem nolunt imitari, maxime cum eos in suis nolunt recipere accusationibus.

**C. VI.** Nec clerici in accusatione laicorum, nec laici in accusatione clericorum sunt recipiendi.

Item Fabianus Episcopus urbis Romæ cunctis fidelibus.

Sicut sacerdotes uel reliqui clerici a secularium laicorum excluduntur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludendi et alienandi criminatione, et sicut illi ab istis, ita et isti ab illis non recipiantur, quoniam sicut Domini sacerdotum segregata debet esse conuersatio ab eorum conuersatione, ita et litigatio, quia seruum Dei non oportet litigare.

[PALEA. **C. VII.** De eodem.

Item ex Concilio Maguntino.

Decretum est, ut presbyteri suos plebeios et accusare et attestimari possint.

Si autem neglexerint, sui gradus periculo subiacebunt].

**C. VIII.** Laici clericos accusare non debent.

Item Clemens. [ad Iacobum, epist. I].

Sacerdotes et reliqui ministri ecclesiæ omnis que plebs episcopos suos diligere debent, et eorum preceptis obedire, etiamsi aliter (quod absit) agant, nisi in fide errauerint.

[[**C. IX.**

Idem. Qualis condempnatio eis imineat, qui in patres peccant, diuina scriptura ostendit. Si enim Cham, quia non operuit pudenda patris, maledictus est, multo ampliori condempnatione digni sunt qui patribus legatione Dei fungentibus contumeliam inferunt.

Gratian. Personæ inferiorum ordinum in superiorum accusatione recipiendæ non sunt.

Unde Silvester Papa: [in epilogo Concilii Romani]

**C. X.** Minores non debent accusare maiores.

Clericus aduersus exorcistam, exorcista aduersus acolitum, acolitus aduersus subdiaconum, subdiaconus aduersus diaconum, diaconus aduersus presbiterum, presbiter aduersus episcopum accusationem dare aut testimonium ferre non ualet.

**C. XI. De eodem.**

Item Zepherinus Papa. [ad Episcopos Siciliae, ep. I].

Summorum quispiam minorum accusationibus non inpetatur.

**C. XII. De eodem.**

Item Anacletus Papa. [epist. III].

Sententia Cham filii Noe dampnantur qui suorum doctorum uel prepositorum culpam produnt, ceu Cham, qui uerenda patris non operuit, sed ridenda monstrauit.

**C. XIII. Oues pastorem suum, nisi a fide exorbitauerit, accusare non possunt.**

Item Eusebius Papa. [ad Episcopos Alexandriae ep. II].

Oues, que suo pastori commissae sunt, eum nec reprehendere (nisi a fide exorbitauerit), nec ullatenus accusare possunt, quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quamquam reprehendenda recte uideantur.

## **II. Pars.**

Gratian. His auctoritatibus probatur, quod subditi, siue sint laici sine clerici, prelatos suos accusare non possunt.

Verum de criminosis et de infamibus hoc intelligendum est, qui uitam prelatorum suorum parati sunt reprehendere, non imitari: quod ex uerbis Anacleti datur intelligi, qui ait:

**C. XIV. Quare laici non audiantur in accusatione episcoporum.**

Laici in accusatione episcoporum audiendi non sunt, quia oppido quidam eis infesti sunt, et indignum est ut ab eis accusentur, qui eorum grauitatem nolunt imitari.

**C. XV. Sacerdotes non nisi a uiris idoneis et probatis accusari possunt.**

Item. [Anacletus ad Episcopos Italiae, epist. II].

Accusatio quoque eorum, super qua nos consulere uoluistis, non nisi ab idoneis et probatissimis uiris, qui et suspicionibus et sceleribus careant, fieri debet, quia et Dominus sacri corporis sui tractatores a uilibus et reprobis et non idoneis personis infamari noluit, nec calumpniari, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes a templo eiecit.

Unde liquet, quod summi sacerdotes, id est episcopi, a Deo sunt iudicandi, non ab humanis, aut prauae uitae hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante, quoniam per se ipsum, et non per alium uidentes et ementes eiecit de templo sacerdotes.

§. 1. Nullus enim (ut reor) inuenitur inter nos, qui uelit seruum suum ab alio quam a se iudicari.

Quod si presumptum fuerit, aut multa indignatione ipse irascitur, aut potius uindictam querit super eum.

§. 2. Unde et Dominus ait per Prophetam.

“Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei”.



Et paulo post.

§. 3. Si detractores quorumcumque grauiter iudicantur, et in perditionis laqueum cadunt, multo magis laceratores et detractores atque accusatores famulorum Dei dampnantur, et in baratrum (nisi se correxerint, et per eorum satisfactionem condignam egerint penitentiam) indubitanter uadunt, et uindicibus flammis exuruntur.

§. 4. Hec et alia periculosa considerantes apostoli constituerunt, ne facile commouerentur, aut lacerarentur, uel accusarentur columpnæ sanctæ ecclesiæ Dei, que apostoli et successores eorum non inmerito dicuntur.

Sed si quis aduersus eos uel ecclesias eorum commotus fuerit aut causam habuerit, prius ad eos recurat karitatis studio, ut familiari colloquio ea sanent conmoniti, que sananda sunt, et karitatiue emendent que iuste emendanda agnouerint.

Si autem aliqui eos prius, quam hec egerint, lacerare, accusare uel infestare presumpserint, excommunicentur et minime absoluantur, antequam per satisfactionem (ut iam dictum est) condignam egerint penitentiam, quoniam iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur.

C. XVI. Communione priuetur, qui primati aduersus episcopum conqueritur prius, quam eum familiariter conuenerit.

Item Alexander. [epist. I. c. 3].

Si quis erga episcopum uel auctores ecclesiæ quamlibet querelam iustam se habere crediderit, non prius primates aut alios adeat iudices, quam ipsos, a quibus se lesam existimat familiariter conueniat, non semel, sed sepiissime, ut ab eis aut suam iustitiam accipiat, aut excusationem.

Si autem secus egerit, ab ipsis et ab aliis communionem priuetur tamquam apostolorum Patrum que aliorum contemptor.

C. XVII. Nisi opinione discussa non audiantur accusatores episcoporum.

Item Euaristus papa. [Episcopis per Aegyptum, ep. II].

Si qui sunt uituperatores aut accusatores episcoporum uel reliquorum sacerdotum, non oportet eos a iudicibus ecclesiæ audiri, antequam eorum discutiatur estimationis suspicio uel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua uita, qua conscientia, quo ue merito, si pro Deo, aut pro uana gloria, aut pro inimicitia, uel odio, aut cupiditate ista presumpserint.

C. XVIII. Maiores natu non accusent qui non sunt rectæ fidei et conuersationis.

Item Calixtus Papa. [ad Episcopos Gallia, ep. II].

Querendum est in iudicio, cuius sit conuersationis et fidei is, qui accusat, et is, qui accusatur, quoniam hii, qui non sunt rectæ fidei ac conuersationis, et quorum uita est accusabilis, et quorum fides et libertas nescitur, non permittuntur maiores natu accusare. Neque uiles personæ in eorum recipiantur accusatione.

C. XIX. Absque duobus uel tribus testibus non recipiatur episcoporum accusatio.

Item Sixtus Papa. [II. ad Episcopos Hispania, ep. II].

Accusatio episcoporum non est facile recipienda, dicente Domino: “Non suscipias uocem mendacii”.

Et Apostolus inquit, aduersus presbiterum inscriptionem non recipiendam absque duobus uel tribus idoneis testibus.

Si hec de presbiteris uel ceteris fidelibus sunt precauenda, quanto magis de episcopis?

**C. XX.** Pro sola conuentione episcopi non submoueatur aliquis a communione.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I. c. 8].

Si quis ab episcopo, uel de ecclesiæ uel de proprio iure crediderit aliquid repetendum, si nichil conuicii aut criminationis obiecerit, eum pro sola conuentione a communione ecclesiæ non liceat submoueri.

**C. XXI.** Quare subditi prelatos suos reprehendere non possunt.

Item Euaristus Papa. [epist. II].

Sunt nonnulli, qui prepositos suos peruerse reprehendunt, si uel parum ipsis molesti extiterint.

Gratian. Ex his omnibus datur intelligi, quod illi ab accusatione remouentur, qui non affectione karitatis, sed prauitate suæ actionis uitam eorum diffamare et reprehendere querunt.

§. 1. Quod uero premissis auctoritatibus criminosi prohibeantur ab accusatione prelatorum, testatur Augustinus in libro Soliloquiorum, ita dicens:

**C. XXII.** Non omnes subditi, sed criminosi tantum prohibentur accusare prelatos.

Presumunt prelati non debere se reprehendi uel accusari, pro eo, quod canones non eos passim constituunt accusandos.

Quod tamen negatur solum criminosi, cum de reprehendendo ueritas ipsa constituat: “Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo”.

Gratian. Opponitur huic distinctioni: Ipsi sacri canones distinguunt, in quo casu pastores sint accusandi a subditis, dicentes: “Oues pastores suos non accusent nec reprehendant, nisi a fide exorbitauerint”.

Ecce in quo casu sint accusandi a subditis: in aliis autem minime.

### III. Pars.

§. 1. Huic oppositioni sic respondetur: Distinctio illa canonum de criminosi et infamibus intelligitur.

Oues enim criminosæ et infames pastorem suum accusare uel reprehendere non possunt, nisi a fide exorbitauerit.

Ceterum si a fide exorbitauerit, tanta est labes illius criminis, quod ad eius accusationem et serui aduersus dominum, et quilibet criminosi et infames aduersus quemlibet admittuntur.

Unde Dionisius Papa: [ad Seuerum Episcopum, epist. II].

**C. XXIII.** Infames hereticos accusare non possunt.

Alieni erroris socium, uel a sui uoluntarie propositi tramite recedentem, aut sacris Patrum regulis et constitutionibus non obedientem suscipere non possumus nec debemus, nec inpetere recte credentes uel sanctorum Patrum sanctionibus obtemperantes permittimus, quia infames omnes esse censemus, qui suam aut Christianam legem preuaricantur, aut apostolicam uel regularem postponunt libenter auctoritatem.

**C. XXIV.** Christianos accusare uel in eos testificari non possunt qui fidem acceptam deseruerunt.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 63].

Non potest erga homines esse fidelis qui Deo extiterit infidus.

Iudei ergo, qui dudum Christiani effecti sunt, et nunc in Christi fide preuaricati sunt, ad testimonium dicendum admitti non debent, quamuis esse se Christianos annuncient, quia, sicut in fide Christi suspecti sunt, ita in testimonio humano dubii habentur.

Infirmari oportet eorum testimonium, qui in fide falsi docentur, nec eis est credendum, qui ueritatis a se fidem abiecerunt.

**C. XXV.** Heretici, Iudei uel pagani Christianos accusare non possunt.

Item Gaius Papa. [Felici Episcopo]

Pagani, uel heretici, siue Iudei non possunt Christianos accusare, aut uocem infamationis eis inferre.

Gratian. In hoc capitulo decernitur, ut heretici non inpetant recte credentes.

Unde econtra intelligitur, quod heretici ab hereticis inpeti possunt.

Item a tramite sui propositi uoluntarie recedentes non possunt inpetere seruantes limitem suæ professionis.

Ex hoc datur intelligi, quod recedentes a suo proposito similiter recedentes criminari possunt.

Item non obediens sanctionibus Patrum sanctorum non possunt accusare obtemperantes sacris constitutionibus.

In quo similiter intelligitur, quod inobedientibus inobediens accusare licet.

Unde generaliter colligitur, quod in accusatione equalitas fidei et conuersationis inter accusantem et accusatum semper considerata est, ut is, qui accusat, uel par, uel superior inueniatur.

[PALEA. **C. XXVI.** Hereticus hereticum accusare et contra eum testificari potest.

Item Nouellarum constituta nouella 45. in fine.

Si hereticus contra hereticum litiget, liceat cuiuis eorum hereticum testem adducere.

Sin autem orthodoxus contra hereticum litiget, pro orthodoxo quidem etiam heretici testimonium ualeat: contra orthodoxum autem solius orthodoxi testimonium ualeat.

§. 1. Orthodoxis autem litigantibus ad testimonium nulli heretico pateat aditus].

Gratian. Sed queritur, si flagitiosissimus catholicus possit conuenire hereticum de alio crimine, quam de heresi?

Huic questioni ita respondetur: In quo hereticus inferior est, uidelicet in regula fidei, in eo a malo catholico accusari potest.

In quo autem superior fuerit, uidelicet in conuersatione uitæ, in eo a flagitiosissimo conuenire non potest.

§. 1. Item quod dicitur, pastores pro suis actibus magis sunt tollerandi quam corrigendi, dupliciter intelligitur, uel quia a criminosis tollerandi sunt et non corrigendi, unde ibi subinfertur, quia pro meritis subditorum deprauatur sepe uita rectorum.

Quorum ergo merito (Deo permittente) uita rectorum deprauatur, ab eis potius sunt tollerandi, quam corrigendi.

Vel quia sunt quidam, qui sepe deseruntur publicis documentis, et crimen, quod intendunt, probare non ualent.

De quibus Augustinus ait in omelia de penitentia: [c. 12].

C. XXVII. Que publicis documentis probari non possunt tolleranda sunt.

Plerique boni uiri propterea sufferunt aliorum peccata, et tacent, quia sepe deseruntur publicis documentis, quibus ea, que ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt.

#### IV. Pars.

Gratian. De his etiam illud Anacleti intelligitur: “Sententia Cham filii Noe dampnantur, qui suorum doctorum uel prepositorum culpam produnt ceu Cham, qui patris pudenda non operuit, sed ridenda monstrauit”.

Hac enim auctoritate subditi non prohibentur ab accusatione, sed a proditione.

Aliud enim est prodere, aliud accusare.

Prodit qui non probanda defert: accusat qui reo presente crimen iudici offert, probaturus quod intendit.

Cham solus uidit pudenda patris, et ideo per eum intelliguntur, qui, cum sint soli conscii criminum suorum prelatorum atque ideo eos accusare non possunt, uitam tamen eorum infamando aliis ridendam offerunt.

§. 1. Item obicitur quod subditi et religiosi prelatos suos accusare non possunt.

Legitur enim in Exodo, quod Maria soror Aaron, que prima post transitum maris rubri sumpto tympano ymnum cantare meruit, postea murmurans in Moysen, quod Ethiopissam duxerat in uxorem, a Domino lepra percussa est.

§. 2. Item in libro Regum legitur, quod cum Dauid fugeret a facie Saul, latuit in spelunca, in quam cum Saul diuertisset ad purgandum uentrem, Dauid precipit oram clamidis eius, quod se fecisse postea grauiter doluit et uehementer penituit.

Saul a Domino erat reprobatus, et ex inuidia Dauid persequabatur, ut eum morti traderet. Dauid erat uir humilis et mitis, Sauli a Domino substitutus, per Samuelem unctus in regem, sed tamen, quia precipit oram clamidis Saulis, grauiter fleuit, cum a Saule sola amministrazione unctionis superaretur.

Unde datur intelligi, subditi, quamuis religiosi sint, prelatos suos criminosos accusare non possunt.

Nam per Saulem, qui uentrem purgabat, prelati intelliguntur, qui malitiam corde conceptam in opus producunt.

Item legitur in libro Regum, quod cum archa Domini reduceretur de Gabaa in Hierusalem, bubus recalcitrantibus archa inclinata est, cui dum Oza Leuites manum adhiberet, ut eam erigeret, a Domino percussus interiit.

Per archam intelliguntur prelati, per Ozam subditi, per inclinationem archæ casus prelatorum intelligitur, per illum, qui manum adhibuit, intelliguntur reprehendentes uel accusantes uitam doctorum, qui a Domino percussi intereunt.

§. 3. His ita respondetur: Verum est, per archam significari prelatos, et per Ozam subditos.

Illud uero falsum est, quod per inclinationem archæ significetur casus prelatorum.

Aliud est enim inclinari uel descendere, aliud cadere.

Legitur enim quod saluator noster se inclinauerit, sicut quando digito scribebat in terra et de montibus frequenter descenderit, in quos ascendeat, ut uel pernoctaret in oratione, uel ut discipulos in monte altiora doceret precepta, uel ut turbas fugiens ex altitudine montis eas respicere et libere posset docere.

Inclinatio uel descensio humilitatem significat, qua spirituales nonnumquam carnalibus condescendunt, et eorum infirmitati conpatiuntur, iuxta illud Apostoli: “Quis infirmatur, et ego non infirmor?”

Hos etiam significauerunt angeli, quos Iacob uidit in scala descendentes.

De his etiam per Prophetam dicitur: “inclinauit celos, et descendit”.

Per archam ergo inclinatum intelliguntur, qui subditorum culpas misericorditer portant, et eorum infirmitati humiliter conpatiuntur.

Unde bene dicitur, quod bubus recalcitrantibus archa inclinata est.

Boues quippe recalcitrantes subditos significant suis doctoribus non obedientes, quibus dum prelati conpatiuntur, quasi bubus recalcitrantibus archa inclinatur.

Leuita, qui manum adhibuit, significat illos, qui misericordiæ compassionem in prelati suis reprehendunt, eos que in seueritatis amaritudinem erigere uolunt.

Unde bene Leuita ille Oza dicitur; Oza quippe robustus interpretatur.

Illi enim robusti dicuntur, quia dum de sua iustitia presumunt, misericordiam Peccantibus negandam putant, et inpendentes reprehendunt.

Unde a Domino percussi intereunt, quia sine misericordia iudicium erit illis, qui nolunt fieri misericordiam delinquentibus.

Cui per Salomonem dicitur: “Noli esse nimis iustus, quia est iustus qui perit in iustitia sua”.

Sic et illud Moysi intelligitur.

Per Moysen enim prelati intelliguntur, per Ethiopissam peccatores designantur.

Moyses Ethiopissam uxorem ducit, cum quilibet predicator peccatorem sibi copulat, ut ex eo sobolem bonorum operum Deo gignere ualeat.

Hanc copulam dum Maria, id est subditi, reprehendunt, lepra peccati inficiuntur.

Vel per Mariam synagoga intelligitur, que in Moysen, id est in Christum, murmurauit, quia Ethiopissam, id est ecclesiam, de gentibus sibi copulauit, quos lepra perfidiæ et erroris sordidos fecit.

Non ergo his auctoritatibus subditi prohibentur ab accusatione prelatorum, sed monentur, ne reprehendant misericordem compassionem eorum.

§. 4. Item per Saulem prelati intelliguntur, et per Dauid subditi.

Saul purgans uentrem eos significat, qui malitiam corde conceptam foras in opus producant.

Sed in precisione clamidis non significatur reprehensio peccati.

Per clamidem enim regni potestas intelligitur.

Hanc precidit, qui prelatum sententia dampnationis ferit, quod nulli subditorum licet.

Facta enim pastoris oris gladio, id est sententia dampnationis, a subditis ferienda non sunt.

Hinc est, quod Ieronimus ait super Marcum de pontifice, qui scidit uestimenta sua.

Scissio uestis scissionem significat sacerdotii, quod in proximo erat scindendum, et auferendum Iudeis.

Vel per Dauid significantur, qui, nequiciam suorum prelatorum uidentes, maiora eorum peccata contempnunt, minima uero et leuia, quasi extremam oram clamidis precidentes, reprehendere et lacerare satagunt.

Vel quia Saul solus diuertit in speluncam, in qua Dauid solus latebat.

§. 5. Idem super hoc potest intelligi quod de Cham dictum est, qui solus uidit pudenda patris, que non operuit, sed ridenda monstrauit.

Hac itaque auctoritate non inhibetur subditis accusare prelatos, si accusabiles fuerint.

§. 6. Item probatur, quod subditi prelatos suos accusare non possunt, etiam si religiosi fuerint.

Infames enim sunt eo ipso, quod suorum doctorum uitam reprehendere conantur.

Infames enim sunt (ut canonum tradit auctoritas) omnes, qui in patres armantur, et qui doctorum suorum uitam reprehendunt uel accusant.

Nullus autem infamis in accusatione prelatorum est audiendus, nisi forte a fide exorbitauerit ut supra dictum est.

Cum ergo subditi eo ipso, quod in accusationem prelatorum prosiliunt, infames efficiantur, infamibus autem copia accusandi denegetur, patet, quod subditi prelatos suos accusare non possunt.

§. 7. His ita respondetur: Omnes prelati non pro prelati habentur; nomen enim non facit episcopum, sed uita.

Unde Gregorius Ianuario Episcopo scribit: [lib. VII. Indict. 2. epist. 1].

C. XXVIII. Quem etas, non uita seniore facit, grauiter increpandus est.

Paulus dicit: “Seniorem ne increpaueris”.

Sed hec eius regula in eo est obseruanda, cum culpa senioris suo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum.

Ubi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum prebet, ibi districta increpatione feriendus est.

Nam scriptum est: “Laqueus iuuenum omnes uos,” et rursus, “Maledictus puer centum annorum”.

C. XXIX. Dignitas non facit episcopum, sed uita.

Item Ieronimus ad Eliodorum. [epist. I. de laude uitæ solitariæ].

Non omnes episcopi sunt episcopi.

Attendis Petrum, Iudam considera.

Stephanum suscipis, Nicolaum respice.

§. 1. Non facit ecclesiastica dignitas Christianum.

Cornelius centurio adhuc ethnicus dono sancti Spiritus mundatur, presbiteros Daniel puer iudicat.

§. 2. Non est facile stare in loco Petri, et Pauli tenere locum, iam cum Christo regnantium.

§. 3. Infatuatum sal ad nichilum prodest, nisi ut proiciatur foras et a porcis conculcetur.

C. XXX. Vita episcopi, non nomen reuerentiam meretur.

Item Augustinus in omelia VI.

Non omnis, qui dicit: Pax uobis cum, quasi columba audiendus est.

Corui de morte pascuntur.

Hoc columba non habet; immo de frugibus terræ uiuit, innocens est eius uictus.

C. XXXI. Docti ab indoctis, clerici a laicis quandoque merito reprehenduntur.

Item Beda in II. epistola Petri.

Secuti sunt uiam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem uero habuit suæ uesaniæ.

Subiugale mutum quod hominis uoce loquens prohibuit prophetæ insipientiam.

Plerumque heretici tam stulta dogmata, tam execranda proferunt sacramenta, ut etiam hebetum sensus paganorum, et qui ratione diuinæ agnitionis omnimodis carent, illorum detestentur insaniam, illorum distorta et Deo contraria itinera sanius sapiendo redarguant.

Et (quod peius est) nonnumquam multi catholicorum in tantum mercedem amant iniquitatis, ut etiam docti ab indoctis, clerici a laicis merito redarguantur, qui iure comparantur prophetæ, qui uerbis asinæ contra naturam loquentis corripitur, nec tamen a proposito prauis itineris retardatur.

Quibus etiam aptissime nomen congruit ciuitatis, de qua Balaam uenisse perhibetur.

Bosor namque carneus siue in tribulatione interpretatur.

Neque enim alia magis causa luxuriosis existit, uerbum ueritatis amore pecuniæ uel desideriorum temporalium adulterare, quam quia carnis se concupiscentiis manciparunt. Sed et nomen ipsius Balaam, qui uanus populus, siue precipitans eos, interpretatur, talibus conuenit.

Qui enim agnitam uiam ueritatis sponte deserunt, quid nisi uanus populus sunt?

Quid etiam in precipitium suos mergunt auditores, quibus non salutaria, que corrigant, sed que illos delectent erronea predicant?

De quibus apte subditur: “Hii sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reseruatur”.

Gratian. Quia ergo non omnes episcopi sunt episcopi, presbiteri a Daniele puero indicantur, sal infatuatum a porcis conculcatur, et qui dicit: Pax uobis cum, plerumque non columba, sed coruus reputatur: patet, quod non semper pro offitio uel auctoritate personæ ab accusatione est cessandum, imo contra prauos est agendum, cum omnis persona criminaliter peccans alteretur, et (ut ita dicam) capite minor legibus censeatur.

Qui enim facit peccatum seruus est peccati tam in pena quam in culpa.

Unde Augustinus:

**C. XXXII.** Qui susceptum offitium non administrat, non est episcopus, sed canis inpudicus.

Qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta deterisit, nec filiorum crimen correxit, canis inpudicus dicendus est magis, quam episcopus.

Gratian. Quibus ergo Ieronimus, Augustinus, Gregorius auferunt nomen columbæ, episcopi, senioris, nonne et priuilegium est auferendum dignitatis, ut possint a subditis reprehendi?

Unde scriptura dissimulans priuilegium prauæ senectutis ait: “Maledictus,” non senior, sed “puer centum annorum”.

Aparet ergo, quod illi ex accusatione prelatorum infames fiunt, qui eorum uitam reprehendere et lacerare conantur, qui locum sui regiminis non nomine tantum, sed uita et moribus tenent.

Alii autem potius laudabiles fiunt ex accusatione prelatorum suorum, quam infames.

Item, quod dicitur: “Maiorum quispiam minorum accusationibus non inpetatur,” minores non intelligendi sunt dignitate, sed uita.

Unde Ieronimus ait de Paulo super epistolam ad Galatas:

**C. XXXIII.** Maiores et minores non dignitate, sed uita intelligi oportet.

Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non inparem sciret.

Gratian. Hoc non de offitio ecclesiasticæ dignitatis, sed de puritate uitæ et sanctitate conuersationis intelligitur.

Solus enim Petrus inter apostolos primatum gerebat.

Hinc Augustinus ait ad Ieronimum: [epist. XIX. prope finem]

**C. XXXIV.** Non episcopi nomen, sed uita maiorem facit.

Quamquam secundum uocabula, que usus obtinuit, episcopatus sit presbiterio maior, Augustinus tamen Ieronimo minor est.

**C. XXXV.** Episcopi licet sint pares meritis, gradu tamen dignitatis differunt.

Idem libro II. de unico baptismo. [contra Donatistas, cap. I].

Puto, quod sine ulla sui contumelia Ciprianus episcopus Petro apostolo comparatur, quantum attinet ad martirii coronam.

Ceterum magis uereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam.

Quis enim nescit illum principatum apostolatus cuilibet episcopatuui preferendum?

Sed etiamsi distat cathedrarum gratia, una est tamen martirum gloria.

Item:

Cum Petrus a Paulo posteriore corrigitur, et pacis atque unitatis uinculo custodito ad martirium promouetur, quanto facilius et fortius quod per uniuersæ ecclesiæ statuta firmatum est uel unius episcopi auctoritati, uel unius prouinciæ concilio preferendum est?

**C. XXXVI.** Non in honore, sed in ueritate filius equatur uel preponitur patri.

Idem. [tractatu XXX. in Ioannem, in fine].

Queritur pater de malo filio, queritur filius de duro patre.

Seruamus honorificentiam, patri que debetur a filio.

Non equamus filium patri in honore, sed preponimus filium patri in ueritate, et sic tribuimus honorem debitum, ut non perdat equitas meritum.

**C. XXXVII.** Equales fuerunt meritis, licet gradu differentes, Petrus et Paulus.

Item Ambrosius. [sermone LXVI. de natali Petri et Pauli].

Beati Petrus et Paulus eminent inter uniuersos apostolos, et peculiari quadam prerogatiua precellunt; uerum inter ipsos quis cui preponatur incertum est.

Puto enim illos equales esse meritis, qui equales sunt passione, et simili eos fidei deuotione uixisse, quos simul uidemus ad martirii gloriam peruenisse.

**§. 1.** Non enim sine causa factum putamus, quod una die, uno loco, sub uno persecutore passi sunt.

Una die, ut ad Christum pariter peruenirent; uno in loco, ne alteri Roma deesset; sub uno persecutore, ut equalis crudelitas utrumque constringeret.

Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro uirtute.

Et in quo loco martirium tandem pertulerunt? In urbe Roma, que principatum et caput obtinet nationum, scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, et ubi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morerentur.

## **V. Pars.**

Gratian. Item penitentes, bigami, sacerdotes accusare non possunt.

Unde generaliter colligitur, quod quicumque sacerdotes non sunt uel esse non possunt, in sacerdotes accusationem uel testificationem proferre non possunt.

Unde Fabianus ait: [epist. II. ad Episcopos orientales]

**C. XXXVIII.** Qui sacerdotes esse non possunt, sacerdotes accusare non ualent.

Ipsi apostoli, et eorum successores statuerunt, ut sacerdotes Domini non accusent, nec in eos testificentur, qui sui ordinis non sunt nec esse possunt.



C. XXXIX. Sacerdotes accusare uel in eos testificari non ualent, qui ad sacerdotium eligi prohibentur.

Item Damasus Papa. [ad Stephanum Archiepiscopum, epist. III. c. 3].

Testes absque ulla infamia aut suspicione, uel manifesta macula, et ueræ fidei plenitudine instructi esse debent, et tales, quales ad sacerdotium eligere diuina iubet auctoritas.

Quoniam sacerdotes (ut antiquorum tradit auctoritas) criminari non possunt, neque in eos testificari, qui ad eundem non debent, nec possunt prouehi honorem.

Gratian. Sic et illud Siluestri intelligitur: “Laicus non accuset clericum, etc.” id est, qui in inferiori gradu constituti ad superiorem ascendere non possunt, in superioribus agentes accusare non debent.

§. 1. Ecce, ostensum est, quid respondeatur auctoritatibus et argumentis, quibus subditi ab accusatione prælatorum uidebantur repellendi.

Nunc demonstrandum est, quibus rationibus probentur recipiendi, et quid contra respondeatur a prelatis.

Christus, qui erat pastor pastorum, ouibus suis, de quibus ait: “Non sum missus, nisi ad oues, que perierunt, domus Israël, etc.” inter obprobria et uerbera, que patiebatur ab eis, ait: “Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo”.

Item: “Quis ex uobis arguet me de peccato?”

At quicumque ad testificandum in aliquem uel ad arguendum admittuntur, ad eundem accusandum admitti possunt.

Cum ergo oues, ut aduersus pastorem suum testimonium ferant, et ut ipsum (si possunt) reprehendant, admittantur, patet, quod subditi possunt accusare prelatos suos.

§. 2. His ita respondetur: Christus, quamuis esset pastor suarum ouium, quas uerbo et exemplo pascebat, tamen quantum ad officiorum distributionem (ex qua hodie in ecclesia alii presunt aliis, unde quidam prelati quidam subditi uocantur) in populo illo pastorale officium non gerebat.

Mistica enim et uisibili unctione nec in regem, nec in sacerdotem unctus erat, que solæ in illo populo personæ prelaturæ nomen sibi uendicabant.

Non ergo ex hac auctoritate subditi probantur admittendi in accusatione prælatorum, sed tantum ostenditur, quod auditore eos reprehendere possunt, et in eos testificari, qui cum officia ecclesiastica non habeant, uerbo tamen et exemplo quoscumque ualent lucrari Deo satagunt.

§. 3. Respondetur et aliter.

Aliud est, quod de rigore cogimus seruare disciplinæ, aliud, quod admittitur ex perfectionis consideratione.

Christus Iudeos ad se arguendum admisit perfectione humilitatis, non seueritate iuris.

Si enim legis rigore essent admissi, hac auctoritate criminosi et infames in accusatione religiosorum essent recipiendi, cum essent sceleratissimi, qui, de Christi nece tractantes, innocentem condemnare uolebant.

Hoc ergo exemplo prelati non coguntur recipere subditos in accusatione sui, sed permittuntur.

§. 4. Item Paulus Petrum reprehendit, qui princeps apostolorum erat.

Unde datur intelligi, quod subditi possunt reprehendere prelatos suos, si reprehensibiles fuerint.

Sed hoc facile refellitur, si, unde sit reprehensus, aduertitur.

Petrus cogebat gentes iudaizare et a ueritate euangelii recedere, cum Iudeis gregem faciens, et a cibus gentilium latenter se subtrahens.

Par autem est in se a fide exorbitare, et alios exemplo uel uerbo a fide deicere.

Hoc ergo exemplo non probantur prelati accusandi a subditis, nisi a fide forte exorbitauerint, uel alios exorbitare coegerint.

§. 5. Item cum Petrus intrasset ad Cornelium, conquesti sunt fratres, qui erant in Iudea, et reprehenderunt eum, quia ad gentilem diuertisset.

Ecce, quod prelati iure possunt reprehendi a subditis.

Sed huic oppositioni B. Gregorius respondit, dicens: [Theoctistæ Patriciæ, lib. IX. epist. 39].

C. XL. Petrus a fidelibus interrogatus, cur ad gentes intrasset non ex potestate respondit, sed humiliter rationem reddidit.

Petrus potestatem regni acceperat, et tamen idem apostolorum primus querimonia contra eum a fidelibus factæ, cur ad gentes intrasset, non ex potestate offitii, (qua posset dicere, oues pastorem suum non accusent nec reprehendant,) sed auctoritate diuinæ uirtutis, qua gentiles acceperant Spiritum sanctum, respondit.

Gratian. Cum ergo Petrus potuit ex offitio repellere querelas, sed noluit, non hoc exemplo coguntur prelati suscipere reprehensionem subditorum.

Ex hac etiam humilitatis dispensatione intelligitur illud Leonis IV. Lodowico Augusto:

C. XLI. Inperiali iudicio Apostolicus emendare promittit, si quid erga subditos iniuste commisit.

Nos, si incompetenter aliquid egimus, et in subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus, uestro ac missorum uestrorum cuncta uolumus emendare iudicio, quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus, certe non ueritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus pre ceteris erroris magistri.

Inde magnitudinis uestræ magnopere clementiam inploramus, ut tales ad hec, que diximus, perquirenda missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, et cuncta (quemadmodum si uestra presens fuisset inperialis gloria) diligenter exquirant, et non tantum hec sola, que superius diximus, querimus ut examussim exagitent, sed siue minora, siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatinus in posterum nichil sit, quod ex eis indiscussum uel indiffinitum remaneat.

## VI. Pars.

Gratian. Item, cum Balaam ariolus iret ad maledicendum populum, angelus Domini asinæ, cui insidebat, in uia se obposuit, euaginato que gladio eam ab itinere conpescuit, quam dum ille uerberibus affligeret, in uocem prorupit, et prophetæ uesaniem redarguit. Si ergo animal mutum angelica uirtute prophetæ insipientiam reprehendit, multo magis subditi possunt accusare prelatos suos.

§. 1. His ita respondetur.

Verum est, quod per asinam subditi significantur, et per Balaam prelati; non tamen hoc exemplo probantur prelati accusandi a subditis, sed subditis tantum forma datur humiliter renitendi prelati, si forte eos ad malum cogere uoluerint; Balaam namque asinam urgens, ut ad maledicendum populo Dei eum ueheret, significat eos, qui

uerberibus et cruciatibus a subditis exigunt, ut eis in malo fautores et coadiutores existant.

Sed quia angelus, quilibet uidelicet predicator, euaginato gladio, aperte scilicet predicato timore et horrore futuræ uindictæ, a consensu alienæ maliciæ illos reuocat, licet eis in uocem conquestionis prorumpere et prelati suis dicere: Cur nos uerberibus affligitis?

cur nobis iniuste irascimini? numquid uobis aliquando inobedientes fuimus, nisi nunc, cum ad malum cogimur?

Videte illum, qui prohibet ab incepto.

Non ergo hinc prelati probantur accusandi a subditis.

§. 2. Item cum Dauid adulterium et homicidium commisisset, missus est a Deo Nathan propheta, ut eum redargueret.

Ecce, quod prelati sunt arguendi et reprehendendi a subditis.

§. 3. Sed notandum est, quod duæ sunt personæ, quibus mundus iste regitur, regalis uidelicet et sacerdotalis.

Sicut reges presunt in causis seculi, ita sacerdotes in causis Dei.

Regum est corporalem inrogare penam, sacerdotum spiritualem inferre uindictam.

Dauid ergo, etsi ex regali unctione sacerdotibus et prophetis preerat in causis seculi, tamen suberat eis in causis Dei.

Unde reges a prophetis et sacerdotibus ungebantur et eorum oblatione peccata regum expiabantur.

§. 4. Sicut ergo Achaz a Domino lepra percussus est, qui sacerdotum officia usurpare uoluit, sic sacerdotibus et prophetis regum officia usurpare non licuit.

Nathan ergo propheta, cum regem redarguit, suum executus est officium, in quo erat rege superior, non usurpauit regis officium, in quo erat rege inferior; monuit eum, ut per penitentiam peccata sua expiaret, non tulit in eum sententiam, qua tamquam adulter et homicida morti addiceretur.

§. 5. Sic et B. Ambrosius inperatorem excommunicauit, et ab ecclesiæ ingressu prohibuit.

§. 6. Sicut enim non sine causa iudex gladium portat, ita non sine causa clauis ecclesiæ sacerdotes accipiunt.

Ille portat gladium ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum, isti clauis habent ad exclusionem excommunicandorum et reconciliationem penitentium Hoc ergo exemplo subditi probantur reprehendendi a prelati, non prelati a subditis.

§. 7. Item Daniel nulla legitima potestate functus iudices a populo constitutos de falso testimonio conuicit, et conuictos dampnauit.

Constat ergo, quod nullam potestatem habentes possunt redarguere dignitatibus sublimatos.

§. 8. His ita respondetur.

Miracula (et maxime ueteris testamenti) sunt admiranda, non in exemplum nostræ actionis trahenda.

Multa enim tunc concedebantur, que nunc penitus prohibentur.

Tunc enim Samuel Agag pinguisimum regem Amalech in frustra conscidit; nunc nulli ecclesiasticorum iudicium sanguinis agitare licet.

Tunc Finees Iudeum coeuntem cum Madianita interfecit, et reputatum est ei in iustitiam; hodie sacerdotibus in perniciem sui uerteretur officii.

Exemplo ergo Danielis non solum accusandi uel redarguendi, sed etiam iudicandi potestatem subditi sibi in prelatos uendicarent, si illud in argumentum nostræ actionis liceret assumi, quod nulla umquam auctoritate permittitur.

Magis ergo ex hoc facto datur intelligi, quod in nouissimis temporibus suscitaret Deus spiritum pueri iunioris, illius uidelicet, de quo per prophetam dicitur: “puer natus est nobis,” et iterum: “Ecce puer meus,” qui iudices iniquitatis, scribas scilicet et Phariseos, falsis criminibus Susannam, id est ecclesiam, accusantes et ream adulterii pronunciantes, eo quod Christum sequeretur, conuinceret et condemnaret.

§. 9. Item Ieronimus refert in libro uirorum illustrium, quod Damasus Papa a subditis de adulterio accusatus cum quadraginta duobus episcopis se purgauit.

§. 10. Item Simacus Papa, in Romana sinodo dignitate sua expoliatus, prius statui pristino reddi decernitur, ut tunc ueniret ad causam, et si ita recte uideretur, accusantium propositionibus responderet.

Digna res uisa est maximo numero sacerdotum, atque mereretur effectum, et cum postmodum ordinaretur, quomodo esset accusandus, prefatus Papa, ut causam diceret, occurrebat; sed ab emulis est impeditus.

Item Gregorius Papa ait de se ipso:

**C. XLII.** Redarguendi se licentiam B. Gregorius aliis prestat.

Si quis super his nos redarguere uoluerit, uel extra auctoritatem nos facere contenderit, ueniat ad sedem apostolicam, ut ibi ante confessionem B. Petri me cum iuste decertet, quatinus ibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam.

Gratian. Ex his omnibus colligitur, quod subditi possunt reprehendere et accusare prelatos suos.

Sed sicut de Christo dictum est, quando Iudeis dixit: “Si male locutus sum, etc.” ita de istis intelligendum est, quod suo exemplo prelati dederunt facultatem recipiendi subditos in accusatione sui, sed non coegerunt.

[[**C. XLIII.**]. Item.

Paulus Deaclinæ ciuitatis episcopus accusatur a subditis de lapsu carnis, conuincitur, deponitur, alter loco eius substituitur.

Hoc an ex dispensatione accusati, an ex rigore iuris sit factum, ex registro Gregorii ad Iohannem Episcopum [primæ Iustinianæ] capitulo CCXVII., potest perpendi, ubi ait:

**C. XLIV.** Paulus Deaclinæ ciuitatis episcopus subditorum accusatione conuictus deponitur.

Lator Nemesion ad nos ueniens indicauit, quod Paulus Deaclinæ ciuitatis episcopus, inter alia mala in corporali crimine lapsus, a suis clericis accusatus atque conuictus, episcopali sententia depositus est; postea, cum auxilio secularium ueniens, episcopatum more predonis ingressus est, ablati que rebus ecclesiæ dilectissimum Nemesion latorem presentium sibi substitutum ab eo proiecit, et ad summam iniuriam ac necem pene perduxit.

Fraternitas itaque uestra hec omnia curet addiscere, et quecumque ecclesiæ abstulit omni mora uel excusatione cessante reddere conpellat.

Si uero nichil ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse, (quamuis graue et iniquum fuerit, ut non a uobis, uel a metropolitano eius hoc petierit, sed temerario ausu agere presumpserit,) uerum tamen si quid proprium tulit, sub fraternitatis uestræ debet examine constare si uerum est.

Sed et illud diligenter querendum est, si quid male de rebus dilapidauit ecclesiæ, ut ex eo, quod nunc abstulit, illud reformare ac satisfacere modis omnibus compellatur.

Gratian. Hoc dicto non in accusatores uel depositores ulciscitur, sed in depositum ulterius prosequitur, ut si ultra ad episcopatum aspirare temptauerit, modis omnibus repellatur, et ad agendam penitentiam perennem in monasterio detrudatur.

Quem ergo Gregorius ad episcopatum aspirantem modis omnibus repellit, quem graui penitentiae subicit, patet, non sua dispensatione, sed canonum censura a subditis accusatum et conuictum.

Et ut iam non exemplis, sed legibus agamus, uidentum est, quid Gregorius scribat Innocentio et reliquis Episcopis Sardiniae, [lib. VII. Indict. 2. epist. 8]. ita dicens:

**C. XLV.** Quod subditi prelatos suos accusare possunt.

Metropolitanum uestrum in aliquo postponere non presumatis, excepto si (ut non optamus) contra eundem uos habere aliquid causæ contingat, ut ob hoc sedis apostolicæ iudicium petere debeatis.

**C. XLVI.** Vitam prelatorum subditi nulla simulatione negligant.

Item uniuersis Episcopis Concilii Vizachii. [lib. X. epist. 37].

Sicut (inquit) laudabile discretum que est reuerentiam et honorem exhibere prioribus, ita rectitudinis et Dei timoris est, si qua in eis indigent correctione, nulla dissimulatione postponere, ne totum (quod absit) corpus morbus inuadat, si languor non fuerit curatus in capite.

Quedam enim de primatu uestro Clementio ad nos perlata sunt, que quoniam ita grauiora sunt, ut transire indiscussa nullo modo debeant, fraternitatem uestram hortamur, ut cum omni sollicitudine ac uiuacitate ueritatis indagare multis modis debeatis illata, et si sunt ut audita sunt, ultione canonica resecentur.

§. 1. Ammonemus autem, ut non cuiuscumque personæ gratia, non fauor, non quodlibet blandimentum quemquam uestrum ab his que nunciata sunt nobis molliat, uel a ueritate excutiat, sed sacerdotaliter ad inuestigandam ueritatem uos propter Deum accingite.

Nam si quis in hoc piger aut negligens esse presumpserit, dictis criminibus apud Deum se nouerit esse participem, cuius zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi facinoris causas non mouetur.

Gratian. Hec si quis specialia, et ex his generalem regulam colligi non oportere contendit, audiat, quid Gelasius c. XXVII. dicat, omnibus clericis cuiuscumque ordinis ita scribens:

**C. XLVII.** Clerici excessus sui episcopi auribus deferant Romani Pontificis.

Quapropter nec clericorum quisquam apostolicæ offensæ se confidat futurum immunem, si in his, que salubriter sequenda deprompsit auctoritas apostolica, siue episcopum, siue presbiterum, seu diaconum uiderit excedentem, et non protinus ad aures Romani Pontificis deferre curauerit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat ceteris interdictio delinquendi.

Sin uero, modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris sui elisor, si cui clericorum uel auditui totius ecclesiæ hec putauerit subprimenda.

**C. XLVIII.** De eodem.

Item.

Si quid in ecclesia dampni, aut in his, que sunt preceptionis nostræ prohibita, pontificem uestrum uideritis admittere, mox nostris auribus relatione signate, ut quid fieri debeat censeamus.

**C. XLIX.** Clerici aut laici sine examinatione ad episcoporum accusationem non admittantur.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 21].

Clericos aut laicos passim accusantes et sine probatione episcopos aut clericos ad accusationem non recipiendos decernimus, nisi prius discutiatur eorum estimationis opinio.

**C. L.** Quelibet persona episcopos aut alios accusans, monstranda documentis inferat.

Item ex Sinodo Romana.

Si quis episcopus, aut diaconus, uel quilibet clericus apud episcopos (quia alibi non oportet) a qualibet persona accusati fuerint, quicumque fuerit ille uir, siue sublimis honoris, siue alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, nouerit dicenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre.

**C. LI.** Sacerdotes non accusent qui ad eundem ordinem prouehi non possunt.

Item Damasus Papa Stephano Archiepiscopo. [epist. III. cap. 3].

Sacerdotes (ut antiqua tradit auctoritas) criminari non possunt, nec in eos testificari, qui ad eundem non debent nec possunt prouehi honorem.

**C. LII.** Nisi inreprehensibiles in maiorum accusatione non recipiantur.

Item Yginus Papa. [epist. I].

Criminationes maiorum nati per alios non fiant, nisi per ipsos, qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni et inreprehensibiles aparuerint, et actis publicis docuerint omni suspicione carere et inimicitia, et inreprehensibilem fidem habere ac conuersationem ducere.

Gratian. Colligitur itaque ex his omnibus, quod subditi in accusatione prelatorum sunt admittendi.

Nunc uidendum est, an monachi in accusatione episcoporum sint audiendi?

Adrianus Papa [in capitulis c. 31]. uidetur eos ab accusatione remouere, ita dicens:

**C. LIII.** Monachi sacerdotes accusare uel in eos testificari non possunt.

Placuit eorum accusandi sacerdotes et testificandi in eos uocem obstruere, quos non humanis uocibus, sed diuinis mortuos esse scimus, quia funestam uocem potius interdicti quam audiri oportet.

Gratian. Item in Concilio Calcedonensi [c. 4]. precipitur, ut ecclesiasticas actiones monachi attrectare non presumant.

**C. LIV.** Monachi in accusatione non sunt audiendi.

Item Pelagius Papa. [II. Episcopis Italiæ].

Nullus monachus talia usquam arripiat, nec secularia aut ecclesiastica negotia perturbare presumat, quia mortua est in talibus uox eorum.

Gratian. Sed aliud est, quod ex presumptione assumitur temeritatis: aliud, quod ex necessitate geritur karitatis.

Monachi enim ex presumptione episcopos accusare non possunt: ex karitate possunt.

Unde et in canonibus precipitur, ut cubicularii episcopi sint uel religiosi clerici, uel electi monachi, ut de eius uita testimonium dicere possint.

## VII. Pars.

§. 1. Item illud Eleuterii Papæ [in epist. ad Galliæ prouincias] omnibus generaliter dicitur:

C. LV. Consentire conuincitur, qui cum possit, peruersis negligit obuiare. Negligere, peruersos cum possis perturbare, nichil est aliud quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare. Item Ieronimus tam de se, quam de aliis monachis in primo prologo bibliothecæ scribit, dicens:

C. LVI. Ecclesiæ parum prodesse conuincitur eius uita, qui destruentibus non resistit. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, et quantum ex uitæ merito edificat ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat.

C. LVII Subditi uicia prelatorum reprehendere studeant. Item Gregorius. Ammonendi sunt subditi, ne plus quam expedit sint subiecti, ne, cum student plus quam necesse est hominibus subici, compellantur eorum uicia uenerari. Idem generali Sinodo presidens dixit: [c. 2].

C. LVIII. Clerici siue electi monachi sint cubicularii episcopi. Cum pastoris uita in exemplo debeat esse discipulis, plerumque clerici qualis in secreto sit uita sui pontificis nesciunt, quam tamen, seculares pueri sciunt. De qua re presenti decreto constituimus, ut quidam ex clericis, uel etiam ex monachis electi, in ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is, qui in loco regiminis est, tales habeat testes, qui ueram eius in secreto conuersationem uideant, et ex sedula uisione exemplum profectus sumant. Item Virgilio Episcopo Arelatensi: [lib. IX. ep. 49]

C. LIX. Prauos in sua societate episcopus habere non debet. Peruenit ad nos, fratrem et coepiscopum nostrum Serenum Masiliensem prauos homines omnino in societate sua habere, ita denique, ut presbiterum quemdam, qui post lapsum in suis adhuc dicitur iniquitatibus uolutari familiarem habeat. Quod a uobis subtiliter est requirendum, et si ita constiterit, curæ uobis sit nostra eum sic uice corrigere, ut qui talem recipit non familiaritate fouere, sed discat potius ultione comprimere, et qui receptus est discat lacrimis peccata diluere, non iniquitatem inmundiciis cumulare.

C. LX. Viros boni testimonii episcopi semper se cum habeant. Item Pascalis Papa. Episcopi lectioni et orationi uacent, et semper se cum presbiteros et diaconos, aut alios boni testimonii clericos habeant, ut secundum apostolum et sanctorum Patrum instituta possint inreprehensibiles inueniri.

Gratian. Item Iohannes Baptista, cum heremiticam uitam, duceret, scribas et Phariseos, sacerdotes et Leuitas Iudeorum ad se uenientes aspera increpatione redarguit.

§. 1. Item ex canonibus diffinitur: “Illi sacerdotes accusare possunt, qui ad eundem gradum conscendere ualent”.

Cum ergo monachi ad sacerdotii gradum laudabiliter pertingere ualeant, patet, quod et ipsi sacerdotes libere accusare possunt.

## QUESTIO VIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De accusationibus uero, qualiter fieri debeat in canonibus aperte discernitur.

Ait enim Calixtus Papa: [ad Episcopos Galliaë, ep. II].

C. I. Accusatio semper fiat in scriptis.

Accusatorum personæ sine scripto numquam recipiantur nec absente eo, quem accusare uoluerint, quibuslibet accusare permittatur.

[[C. II].

Codice libro IV. titulo De probationibus. [l. fin.].

Sciant cuncti accusatores, eam rem se deferre debere in publicam notionem, que munita sit testibus idoneis, uel instructa apertissimis documentis, uel indiciis ad probationem indubitatis et luce clarioribus expedita.

C. III. Accusatio semper debet fieri in scriptis.

Item Euticianus Papa. [Episcopis Siciliaë, ep. II].

Quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium ueniat, nomen rei indicet, uinculum inscriptionis arripiat, custodiaë similitudinem (habita tamen dignitatis estimatione) potiatur, nec sibi nouerit licentiam mentiendi, cum calumpniantes ad uindictam poscat similitudo supplicii.

Qui uero ad sortilegos magos que concurrunt, nullatenus ad accusationem sunt admittendi.

C. IV. De eodem.

Item Sixtus Papa. [III. in epist. ad Episcopos orientales, cap. 4].

Qui crimen obicit, scribat se probaturum.

Et qui non probauerit quod obiecit, penam, quam intulerit, ipse patiat.

Sed Stephanus Papa contra uidetur scribere, dicens: [ep. II. c. 4].

C. V. De eodem.

Per scripta nullius accusatio suscipiatur, sed propria uoce (si legitima et condigna accusatoris persona fuerit) presente uidelicet eo, quem accusare desiderat, quia nullum absens accusare potest, nec ab aliquo accusari.

Gratian. Sed Calixtus Papa precepit, ut accusator presente eo, quem accusat, in scriptis accusationem iudici offerat, et propria uoce litteras suæ accusationis legat.

Stephanus autem prohibet, ne absens aliquem per epistolam accusare audeat.



**II. Pars.**

§. 1. Que uero sit forma accusationis, quis modus concipiendorum libellorum, Paulus in Digestis, libro de publicis iudiciis, titulo de accusationibus et inscriptionibus, [lege 3]. ostendit, dicens: §. 2. “Libellorum inscriptionis conceptio talis est: Consul et dies.

Apud illum pretorem uel consulem Lucius Titius professus est, se Meuiam lege Iulia de adulteriis ream deferre quod dicat eam cum Gaio Seio in ciuitate N, domo illius, mense N, consulibus N, commisisse adulterium.

Utique enim et locus designandus est, in quo adulterium commissum est, et persona, cum qua admissum dicitur, et mensis.

Hoc enim lege Iulia publicorum cauetur, et generaliter precipitur omnibus, qui aliquem reum deferunt.

Neque autem diem, neque horam inuitus comprehendant.

Quod si libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerint, rei nomen aboletur, et ex integro repetendi reum potestas fiet.

§. 3. Item subscribere debet is, qui dat libellum, se professum esse, uel alius pro eo, si litteras nesciat.

Sed si aliud crimen obiciat, ueluti quod domum suam prebuit, ut stuprum materfamilias pateretur, quod adulterum deprehensum dimiserit, quod pretium pro conperto stupro acceperit, et si quid simile, id ipsum libello comprehendendum erit.

Si accusator decesserit, alia ue causa eum inpedierit, quo minus accusare possit, et si quid simile, nomen rei aboletur postulante reo, id que et lege Iulia de ui, et senatusconsulto cautum est, ita ut liceat alii ex integro repetere reum.

Sed intra quod tempus, uidebimus; et utique XXX. dies utiles obseruandi sunt”.

**CAUSA III.****GRATIANUS.**

Quidam episcopus a propria sede deiectus est, petit restitui; post restitutionem ducitur in causam, inducias postulat, tandem ad eius accusationem procedit quidam non legitime coniunctus, et duo infames, et tres religiosi; accusatores testes de domo sua producant, et alios sibi inimicos extra suam prouinciam; reus criminoso iudici offertur ab uno tantum audiendus et iudicandus.

Quidam de accusatoribus et testibus absentes per epistolam illum accusare, et in eum testificari contendunt; cum multa capitula ei obicerentur, in primo accusatores deficiunt; demum accusatio in accusatorem uertitur.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an restitutio danda sit quibuslibet expoliatis?

(Qu. II).

Secundo, de induciis, an post restitutionem tantum, an etiam post uocationem ad causam quibuslibet concedendæ sint?

(Qu. III).

Tertio, quo spatio mensium utrique sint concedendæ? (Qu. IV).

Quarto, an infames et non legitime coniuncti ad accusationem sint admittendi.

(Qu. V).

Quinto, an testes de domo accusatorum sint producendi, uel inimicorum uox sit audienda?

(Qu. VI).

Sexto, an extra prouinciam reus sit producendus? (Qu. VII).

Septimo, an sit audienda eius sententia, quem cum reo par inficit malicia?

(Qu. VIII).

Octauo, an ab uno tantum episcopus sit audiendus uel iudicandus?

(Qu. IX).

Nono, an accusatores uel testes in absentem uocem accusationis uel testificationis exhibere ualeant?

(Qu. X).

Decimo, an deficientes in primo capitulo sint admittendi ad sequentia?

(Qu. XI).

Undecimo, an accusato liceat accusationem in accusatorem uertere?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Quod restitutio quibuslibet danda sit, multis auctoritatibus probatur.

Ait enim Gaius papa: [epist. unica ad Felicem Episcopum, cap. 3].

#### C. I. Expoliatis uel eiectis omnia sunt redintegranda.

Episcopis suis rebus expoliatis uel a propriis sedibus eiectis omnia, que eis ablata sunt, legibus sunt redintegranda, quia priusquam factum fuerit hoc, nullum crimen eis obici potest.

#### C. II. De eodem.

Item Fabianus Papa. [ep. II. Episcopis orientalibus].

Episcopi, si a propriis sedibus aut ecclesiis sine auctoritate Romani Pontificis expulsi fuerint, antequam ad sinodum uocentur, proprius locus et sua omnia redintegranda sunt.

Nulla enim ratio permittit, dum ad tempus eorum bona, uel ecclesiæ, atque res ab emulis aut a quibuscumque detinentur, ut aliquid illis obici debeat.

Nec quicquam potest eis quilibet maiorum uel minorum obicere, dum suis ecclesiis, uel rebus, uel potestatibus carent.

Gratian. Sed notandum est, quod restitutionis sententia sola non sufficit, nisi presentialiter omnia iudicis offitio restituantur, ut eiectus uel expoliatus etiam naturalem possessionem recipiat, siue animo suo et corpore alieno, ueluti per procuratorem, siue animo et corpore suo.

Cuncta quoque, que sibi ablata fuerant quacumque conditione, in eodem loco, unde surrepta fuerant, sunt reuocanda.

Unde Iohannes urbis Romæ Episcopus scribit Zachariæ Archiepiscopo: [epist. I].

#### C. III. De eodem.

Redintegranda sunt omnia expoliatis uel eiectis episcopis presentialiter ordinatione pontificum, et in eo loco unde abcesserant, funditus reuocanda, quacumque conditione temporis, aut captiuitate, aut dolo, aut uiolentia malorum, et per quascumque iniustas causas res ecclesiæ, uel proprias, id est suas substantias perdidisse noscuntur.

**C. IV. De eodem.**

Item Eusebius apostolicæ sedis Episcopus, omnibus episcopis.  
Redintegranda sunt omnia expoliatis uel eiectis episcopis, etc.  
usque funditus reuocanda, eodem modo, ut supra.

**C. V. Non est sacerdos, sed scismaticus, qui fratrum se obsequio subtrahit.**

Item Alexander Papa. [epist. II. in princip.].  
Nulli dubium est, quia boni a malis semper persecuntur et tribulantur.  
Propter quod nos oportet humiliari sub potenti manu Dei, ut liberet nos in tempore tribulationis.  
Nam diabolus non cessat circumire, querens quem deuoret, et querere quos ex fidelibus perdat, et maxime illos, quos ardentiores in seruitio saluatoris ei que familiares inuenerit.  
Familiares dico eos, quos sacrari, et in ordine apostolatus constitui uoluit.  
Ipsi enim pro populo interpellant, et peccata populi comedunt, quia suis precibus et oblationibus ea delent atque consumunt.

Et infra:

Qui autem ex uestro fuerit collegio, et ab auxilio uestro se subtraxerit, magis scismaticus quam sacerdos esse probabitur.

“Ecce” (inquit Propheta) “quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum”.

Illi uero non habitant in unum, qui fratrum se solatio subtrahunt, aut (quod deterius est) fratribus insidias aut laqueos ponunt.

Et infra:

Dominum crucifigunt, qui eum in sacerdotibus suis persecuntur, quia crux a cruciatu dicitur.

Magnum uero cruciatum sustinet qui uim patitur.

**C. VI. Excommunicentur qui obprobrium et calumpniam inferunt sacerdotibus.**

Item Fabianus Papa. [ep. II. ad Episcopos orientales]

Deus ergo, fratres, ad hoc preordinauit uos et omnes, qui summo sacerdotio funguntur, ut iniusticias remoueatis, et presumptiones abscidatis, et in sacerdotio laborantibus succurratis, et obprobriis et calamitatibus eorum locum non prebeatis, sed ei, qui calumpniam uel obprobrium patitur, adiutorium feratis; illum uero, qui calumpniam uel obprobrium facit, abscidatis, et Domino in suis sacerdotibus opem feratis.

Gratian. Patet ergo, quod expoliati prius sunt presentialiter restituendi, antequam ad causam sint uocandi.

Sed obicitur, ubi non fuit legitima institutio, ibi non potest esse restitutio.

Non enim probatur destitutus qui prius non fuit institutus, ac per hoc nec restaurationem postulare potest.

Illi ergo, quorum electio uiciosa est, uel qui a clero non sunt electi, uel a populo expetiti, uel qui per symoniam inreperunt, non sunt habendi inter episcopos, et ideo, si a sedibus, quas tenere uidebantur, expulsi fuerint, non possunt restitutionem petere ante, quam uocentur ad causam.

Unde supra in tractatu ordinandorum: “Si quis pecunia uel gratia humana, seu populari uel militari tumultu, etc.”.

Sed hoc in eo tantum casu intelligitur, quo apostolica sedes per uiolentiam occupatur, quo casu iudex non inuenitur, cuius officio ille apostaticus possit excludi.

In aliis autem locum non habet, cum uiolenta possessio, nisi per iudicis sententiam, uiolento detentori detrahi non possit.

Si autem uerus dominus, bello non continuato, sed renouato, ui illum eiecerit de possessione, iudicis auctoritate predoni possessionem restituet.

Si ergo episcopi a sedibus, quas quoquomodo tenere uidebantur, non per iudicem, sed uiolenter eiecti fuerint, post eiectionem restituendi sunt ante regularem ad sinodum uocationem.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De induciis autem post restitutionem prestandis, et quo spatio temporis concedendæ sint, scribit Iohannes Papa, [epist. I. ad Zachariam Archiepiscopum] dicens:

**C. I.** Secundum tempus expoliationis conceduntur induciæ restitutionis.

Quanto expoliati tempore uel expulsi esse uidebantur ante, quam ad sinodum conuocentur, sub eodem spatio temporis eis induciæ indulgeantur.

**C. II.** Dum possessiones uel res episcopi detinentur, aliquid sibi obici non potest.

Item Pelagius Papa. [II. Episcopis Italiæ]

Cum ecclesiæ alicuius episcopi, aut possessiones uel res ab emulis eius uel a quibuscumque aliis non sua sponte detinentur, aliquid illi non debet aut potest a quoquam ante redintegrationem omnium suarum rerum obici.

Sed prius illi legibus redintegranda sunt omnia, et postea tempore a Patribus prefinito prefinita negotia sunt uentilanda.

**C. III.** Ante litem contestatam uiolenter ablata restituantur.

Item Stephanus V. Gerardo Lodicensi.

Oportet, ut primum uos tam de inuasis ciuitatibus, et monasteriis, et mansis, quamque et de reliquis generaliter rebus reinuestire faciatis, quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos debemus obponere.

**C. IV.** Deiciantur a clero et infames fiant, qui loca expulsorum adulterina feditate inuaserunt.

Item Euaristus Papa. [epist. II].

Audiuimus quosdam a uobis infamatos et dilaceratos episcopos a ciuitatibus propriis pulsos (quia alibi constitui episcopi non possunt, nisi in ciuitatibus non minimis), et alios ipsis uiuentibus constitutos.

Ideo hec uobis scribimus, ut sciatis hoc fieri non licere, sed proprios reuocari et integerrime restitui debere.

Illos uero, qui adulterina feditate suas sponsas (quas et uxores eorum prefixo tenore esse intelligimus) tenent, eici, et adulteros atque infames fieri, eos que ab ecclesiasticis honoribus arceri iubemus.

Si autem aduersus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit et auctoritate huius sanctæ sedis terminandum.

**C. V.** Induciæ sex mensium eiectis uel expoliatis prestantur.

Item Gaius. [epist. I. ad Felicem]

Eiectis uel expoliatis post integram restaurationem anniuersariæ induciæ uel sex mensium indulgendæ sunt.

**C. VI.** Post restitutionem induciæ prestandæ sunt.

Item Eusebius. [Papa epist. II].

Prius ergo oportet omnia expoliatis legibus redintegrari, et ecclesias, que sibi sublatae sunt, cum omni priuilegio sibi restitui, et postmodum non sub angusto tempore spatium eis indulgeatur, sed quantum expoliati uel expulsi uidebantur ante, quam ad sinodum conuocentur.

**C. VII.** De eodem.

Item Felix Papa. [II. in rescripto ad Episcopos Egipti, cap. 8].

Tamdiu in sede propria pacifice et potestatiue cuncta acta disponens resideat, quamdiu expulsus uel expoliatus suis carere uisus est rebus.

**C. VIII.** Ante restitutionem aliquis ad causam uocari non debet.

Idem. [Felix Papa I. epist. II. ad Episcopos Galliaë]

Si episcopus suis fuerit aut ecclesiae sibi commissae rebus expoliatus, aut (quod absit, quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus) a sede propria eiectus aut in detentione aliqua a suis ouibus fuerit sequestratus, tunc canonice ante in pristino statu restituatur cum omni priuilegio sui honoris, et sua omnia, que insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerant, legibus redintegrentur.

Non enim conuocari uel preiudicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate (minime tamen iudicandus) aduenire sponte elegerit.

Nullatenus ergo a quoquam cogatur ante, quam integerrime omnia, que per suggestiones suorum inimicorum amiserat, potestati eius ab honorabili concilio legali ordine redintegrentur.

§. 1. Presul uero cum omni honore statui pristino reddatur, et ipse dispositis ordinatis que libere ac secure diu suis, tunc regulariter infra quatuor, uel quinque, uel sex, aut septem menses, iuxta quod possibilitas ei fuerit, et non ante conuocatus, ad tempus in legitimo concilio et canonico conueniat ad causam, et si ita iuste uidetur, accusantium propositionibus respondeat.

## **II. Pars.**

Gratian. Quod si male uiuendo ecclesiae facultates dispersit episcopus, quousque ab eius patrimonio, de dilapidatione rerum ecclesiasticarum cognoscatur, submouendus est, exemplo tutorum et curatorum, qui, dum sunt suspecti, a tutela, uel cura remouentur, donec de suspecto cognoscitur.

Unde Pelagius Papa Petro presbitero.

**C. IX.** Ab administratione remoueat qui res ecclesiae male uiuendo dispergit.

Quia ea, que de fraudibus Maximiliani flebili ad aures nostras suplicum relatione uenerunt, non facile secundum ueritatem agnoscere potuerunt, nisi facultas ecclesiae, quam in usus suos male conuertendo dispersit, ab eius potestate, donec causa cognoscatur,

seponatur: idcirco uos eum a supradictæ ecclesiæ patrimonio uolumus interim submouere, et in uestro discussionis ipsius tempora moderamine detineri.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

##### I. Pars.

Quod uero post uocationem uenienti ad iudicium induciæ negandæ non sint, idem Felix Papa [II. in epistola ad fratres Egipti cap. 8]. testatur, dicens:

**C. I.** Venienti ad iudicium induciæ non negentur.

Cum accusatus ad iudicium uenerit, si uoluerit, induciæ ei petenti a Patribus constitutæ absque impedimento concedantur, et iudices a se electi sibi tribuantur.

**C. II.** Quot mensium induciæ episcopis prestandæ sint.

Item ex epistola Felicis II. fratribus Egiptiorum. [c. 20].

De induciis uero episcoporum, super quibus consuluistis, diuersas a Patribus regulas institutas inuenimus.

Quidam enim ad repellenda machinamenta inpetitorum, et suas preparandas responsiones, et testes confirmandos, et consilia episcoporum atque amicorum querenda, annum et sex menses mandauerunt concedi.

Quidam autem annum, in quo plurimi concordant.

Minus uero quam sex menses non reperi, quia et laicis hec indulta sunt, quanto magis Domini sacerdotibus?

Et infra:

§. 1. Induciæ non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, ut accusati se preparare, et uniuersos communicatores in prouinciis positos conuenire, et testes preparare, atque contra insidiatores se pleniter armare ualeant.

**C. III.** De induciis prestandis.

Item Eleuterius Papa. [in epist. ad Galliæ prouincias]

Induciæ non modicæ ad inquirendum dandæ sunt, ne aliquid prepropere agi a quacumque parte uideatur, quia per subreptionem multa proueniunt.

[PALEA. **C. IV.** De eodem.

Item Damasus Papa epistola III. ad Stephanum Archiepiscopum.

Induciæ accusatis in criminalibus causis sex mensium uel eo amplius, si necesse fuerit, concedendæ sunt].

##### II. Pars.

Gratian. Spatium uero dilationum, sicut in III. libro Codicis titulo [11]. de dilationibus inuenitur, hac ratione moderandum est, ut, si ex ea prouincia, ubi lis agitur, uel persona, uel instrumenta poscentur, non amplius quam tres menses indulgeantur.

Si uero ex continentibus prouinciis, sex menses custodiri iustitia est.

In transmarina autem dilatione nouem menses computari oportebit.

Iudicantes autem hac ratione non sibi concessum intelligant dandæ dilationis arbitrium, sed eandem dilationem (si rerum urgentissima ratio flagitauerit, et necessitas desideratæ instructionis exegerit) non amplius facile quam semel, nec ulla trahendi arte sciant esse tribuendam.

§. 1. Ei autem dilatio penitus est deneganda, qui rescriptum ad extraordinarium iudicem reportauerit.

Illi uero, qui in iudicium uocatur, danda est ad probanda precum mendacia, uel proferenda aliqua instrumenta uel testes, quoniam instructus esse non potuit qui preter spem ad alienum iudicium trahitur.

§. 2. Cum uero ad appellationem siue consultationem a principe rescriptum fuerit siue sit primo iudicio petita dilatio nec tributa, siue nec petita quidem, eam dare cuiquam non licebit eadem ratione, qua nec in iudiciis cognitionum imperialium dilatio tribui solet.

A iudice procedente dilationem postulari non conuenit, etiam si utraque parte presente tribuatur, cum non alias, nisi causa cognita, indulgeri queat, et cognitio causæ non interpellatione plenaria, sed considente magis iudice legitime colligatur, ut si forte dilationis petitio inprobata fuerit, suscepta questio per sententiam iudicis dirimatur.

Constitutione nouella septima, in collatione VIII. §. 4. Libellum uero non alias actor dirigat, nisi prius et in ipsum, quem dicit obnoxium, et in negotii executorem exponat cautionem, se uel intra duos menses litem contestaturum, uel omne dampnum ei, qui conuenitur, contingens restitutum.

In collatione V.: III. Pars. §. 5. Offeratur ei, qui uocatur in iudicium, libellus, et exinde prebitis sportulis, data fideiussione, XX. dierum gaudeat induciis, in quibus deliberet, an cedat, an contendat, atque alium iudici petat sociari, uel recuset eum, nisi sit ille, quem ipse iam alio recusato petiuit.

Denique presens interrogetur, an hoc tempus transierit? Quod non modo ipsius responsione, sed etiam libelli manifestetur subscriptione, quam in initio facere debet.

Litis ergo contestatio contra hoc indultum habita pro nichilo est.

Constitutione nouella VI. in Collatione VI.: §. 6. Quod fieri non debet, nisi actor satisdederit, certam promittens quantitatem se daturum, si non exequatur, aut exequens non uincat causam.

Si ergo post tempus prestitutum intra decem dies reo presente non occurrat, dimittatur reus exacto eo, quod promissum est, et si quid plus circa litem inpendisse cum taxatione iudicis iurauerit. [§. 7.]

Exceptio fori dilatoria est, atque ideo in initio litis debet opponi et probari.

Peremptorias autem exceptiones, ut sunt prescriptiones longi temporis, sufficit in initio litis contestari].

## QUESTIO IV.

### GRATIANUS.

Quod uero infames et non legitime coniuncti ad accusationem admitti non debeant, et qui generaliter ab accusatione remouendi sint, multorum auctoritatibus claret.

Ait enim Iginus Papa: [epist. II].

C. I. Infames eos, qui sunt bonæ famæ, accusare non possunt.

Alieni erroris societatem sectantem, uel a sui propositi tramite recedentem, aut apostolicæ sedis iussionibus inobedientem suscipere non possumus, nec inpedire recte credentes, uel sanctorum Patrum iussionibus obtemperantes permittimus, quia inter fideles et infideles magna debet esse discretio.

**C. II.** Qui legem suam sponte transgreditur, ante suam reuersionem recte agentes accusare non potest.

Item Anacletus in primo decretali.

Beatus predecessor noster Clemens, uir apostolicus et spiritu Dei plenus, una cum reliquis sanctis collegis suis statuit dicens: Accusandi uel testificandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis et nominis dignitatem, et suæ legis uel sui propositi normam aut regulariter prohibita neglexerint.

Transgressores enim sponte legis suæ, eius que uiolatores, apostatæ nominantur.

Omnis enim apostata refutandus est ante reuersionem suam, nec in accusationem recte agentium aut testimonium suscipiendus est.

**C. III.** A suo proposito discedentes fiunt infames.

Item Pius Papa. [epist. I].

Si quis uero a suo proposito retrorsum exorbitauerit, et iussa apostolicæ sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur.

Reprobari ergo oportet eorum redargutiones, qui in recta fide suspecti sunt.

Fides autem et conuersatio primum scrutanda est, et denuo qui inreprehensibiles aparuerint sunt recipiendi, et non prius.

**C. IV.** Incestuosi non legitime coniuncti sacerdotes uel legitime coniunctos accusare non possunt.

Item Calixtus Papa. [ad Episcopos Galliæ, ep. II. c. 4].

Consanguineorum coniunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt, sed sunt repellendæ.

§. 1. Quisquis ergo non legitime coniunctus, uel absque dotali titulo ac benedictione sacerdotis constat copulatus, sacerdotes uel legitime coniunctos criminari, uel in eos testificari minime potest, quoniam omnis incesti macula pollutus infamis est et accusare supradictos non permittitur.

Non solum ergo hii repellendi sunt et infames efficiuntur, sed etiam omnes eis consentientes.

§. 2. Similiter de raptoribus, uel eis, qui seniores inpetunt, fieri censemus.

Hos enim seculi leges interficiunt, sed nos misericordia preeunte sub infamiæ nota ad penitentiam recipimus.

**C. V.** Qui non sunt recipiendi in accusatione.

Idem. [in eadem epistola]

Conspiratores in nullius accusatione sunt recipiendi, nec eorum uel anathematizatorum uox ullum nocere aut ledere potest.

**C. VI.** De eodem.

Item Stephanus Papa. [epist. II].

Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec a quoquam credantur que ab eis dicuntur uel conscribuntur.



Eos dico anathematizatos esse, quos episcopi suis scriptis anathematizauerunt, aut eorum statuta anathematizant.

**C. VII.** Anathematizati fideles accusare non possunt.

Item Fabianus Papa. [ep. I. ad ecclesiæ ministros]

Omnes, quos sanctorum Patrum statuta tam preteritis quamque futuris temporibus anathematizant, submouemus, et ab omni fidelium accusatione alienamus.

**C. VIII.** Clericus, qui episcopum accusauerit, infamis efficitur.

Item Stephanus Papa. [epist. II. c. 8].

Clericus uero, qui episcopum suum accusauerit, aut ei insidiator extiterit, non est recipiendus, quia infamis effectus est, et a gradu debet recedere, ac curiæ tradi seruiturus.

**C. IX.** Infames et exules fiant qui episcopos persecuntur.

Item Alexander Papa. [epist. I. c. 1].

Hii qui episcopos persecuntur et amouere nituntur iniuste contra apostolicam auctoritatem, etsi a morte prohibentur, dicente Domino: “Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur et uiuat,” perpetua tamen procul dubio notantur infamia, et exilio digni iudicantur finitimo; de quibus a temporibus apostolorum et infra tenemus, atque decreta habemus, eorum accusandi episcopos uel testificandi in eos uocem obstruimus, quos non humanis sed diuinis actibus mortuos scimus.

**C. X.** Detractores et inimicorum auctores episcopos non accusent.

Item Zepherinus Papa. [ep. I. ad Episcopos Sicilienses]

Detractores, qui diuina auctoritate eradicandi sunt, et auctores inimicorum ab episcopali submouemus accusatione uel testimonio.

**C. XI.** Infamis uel sacrilegus religiosum Christianum accusare non potest.

Item Euticianus Papa. [ep. II. ad Episc. Siciliae]

Nulli umquam infami aut sacrilego de quocumque negotio liceat aduersus religiosum Christianum (quamuis humilis seruilis que persona sit) testimonium dicere, nec de qualibet ratione uel inscriptione Christianum inpetere.

Gratian. Notandum uero est, quod aliud sit excommunicatio, et aliud anathematizatio.

Unde Iohannes VIII. scribit cuidam Episcopo:

**C. XII.** Aliud est excommunicatio, aliud anathematizatio.

Hengiltrudam uxorem Bosonis noueris non solum excommunicatione, que a fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso corpore Christi (quod est ecclesia) recidit, crebro percussam.

Gratian. Unde datur intelligi, quod anathematizati intelligendi sunt non simpliciter a fraterna societate omnino separati, sed a corpore Christi (quod est ecclesia).

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

Quod uero testes de domo accusatorum producendi non sint, et quod inimicorum uox audienda non sit, multorum auctoritatibus monstratur.

Ait enim Calixtus Papa: [ep. II. ad Episcopos Galliæ]

**C. I.** Consanguinei uel familiares aduersus extraneos testimonium non dicant.

Consanguinei accusatores aduersus extraneos testimonium non dicant, nec familiares, uel de domo prodeuntes, sed, si uoluerint et inuicem consenserint, inter se parentes testificentur, et non in alios.

**C. II.** Nuper inimici accusatores uel testes esse non possunt.

Item Anacletus Papa. [epist. III. c. 5].

Accusatores et testes esse non possunt, qui ante hesternum diem aut nudius tertius inimici fuerint, ne irati nocere cupiant, ne lesi se ulcisci uelint.

Inoffensus igitur accusatorum et testium affectus querendus est, et non suspectus.

**C. III.** De eodem.

Item Simacus Papa. [in V. Sinodo Romana, sub ipso habita]

Accusatoribus uero inimicis, uel de inimici domo prodeuntibus, uel qui cum inimicis morantur, aut suspectis, non credatur, ne irati nocere cupiant, ne lesi ulcisci se uelint.

§. 1. Si quis hec, que hodie in hac sancta synodo prohibita sunt, infringere temptauerit, aut uoluntarie transgredi presumpserit, si clericus est, gradu proprio penitus careat, si uero monachus aut laicus fuerit, communionem priuetur, et si non emendauerit uicium, anathemate feriatur.

Secretas uero insidias uel manifestas pontificibus a quibuscumque illatas, uel ea, que huius sanctæ synodi sententia conplectitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit noticiam, potiat honoris, et hi, qui aduersa eis moluntur, sicut a sanctis Patribus dudum statutum est, et hodie synodali et apostolica auctoritate firmatum, penitus abiciantur, et exilio suis omnibus sublatis perpetuo tradantur.

**C. IV.** Qui non possunt esse accusatores uel testes.

Item Pontianus sanctæ et uniuersalis ecclesiæ Episcopus. [epist. II. omnibus Christianis]

Suspectos, aut inimicos, aut facile litigantes, et eos, qui non sunt bonæ conuersationis, aut quorum uita est accusabilis, et qui rectam non tenent et docent fidem, accusatores esse et testes antecessores nostri apostoli prohibuerunt et nos eorum auctoritate submouemus atque temporibus futuris excludimus.

**C. V.** Ab accusationibus clericorum repellantur, quos leges seculi non admittunt.

Item Eusebius Episcopus Galliarum. [epist. I].

De accusationibus clericorum, super quibus mandastis, scitote, a tempore apostolorum in hac sancta Urbe seruatum esse, accusatores et accusationes, quas exterarum consuetudinum leges non asciscunt, a clericorum accusatione submotas.

Et infra:

Idcirco et nos sequentes Patrum uestigia pro saluatione seruorum Dei quascumque ad accusationem personas leges publicæ non admittunt, his inpugnandi alterum et nos licentiam submouemus, et nullæ accusationes a iudicibus audiantur ecclesiasticis, que legibus seculi prohibentur.

C. VI. Alienigenæ, et quos diuinæ uoces mortuos appellant, episcopos accusare non possunt.

Item Pelagius Papa. [II. Episcopis Italiæ]

Canonica sanctorum Patrum statuta sequentes ac roborantes, omnes infames, cunctos que suspectos, uel inimicos, et eorum, qui non sunt eorum gentis, uel quorum fides, uita et libertas nescitur, et qui non sunt bonæ conuersationis, uel quorum uita est accusabilis, ab omni accusatione episcoporum funditus submouemus.

Similiter et omnes, quos diuinæ leges mortuos appellant, submouendos esse ab eadem accusatione et publicæ penitentia submittendos iudicamus.

C. VII. A clericis repelluntur accusationes, quas leges seculi non adsciscunt.

Item ex Sinodo Romana, sub Adriano Papa habita.

Accusationes et accusatores, atque eorum negotia, que seculares non adsciscunt leges, diuina ac sinodica funditus a clericis repellere auctoritate censemus, quia indignum est superiores pati ab inferioribus que inferiores ab eis pati despiciunt.

C. VIII. Nec seruus, nec libertus, nec infamis episcopos accusare presumant.

Item Stephanus Romanæ ecclesiæ Episcopus omnibus Episcopis. [ep. II. de accusationibus sacerdotum, c. 3].

Accusatores et accusationes, quas leges seculi non admittunt, et antecessores nostri prohibuerunt, et nos submouemus.

Nullus alienigena aut accusator fiat eorum, aut iudex.

Unde et de Loth scriptum est: "Ingressus es ut aduena, numquid ut iudices?"

Accusator autem nostrorum nullus sit seruus aut libertus, nulla que suspecta aut infamis persona.

C. IX. Infames, qui ad sortilegos et diuinos concurrunt, nec accusatores, nec testes esse possunt.

Item Eusebius Papa. [epist. III. ad Episcopos Thusciæ]

Constituimus cum omnibus, qui nobis cum sunt, episcopis, ut homicidæ, fures, malefici, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, uenefici, suspecti, criminosi, domestici, periuri, et qui raptum fecerunt, uel qui falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos diuinos que concurrerint, similes que eorum, nullatenus ad accusationem uel ad testimonium sint admittendi, quia infames sunt et iuste repellendi, quia funesta est eorum uox.

C. X. Suspecti aut gratiosi ad accusationem non admittantur.

Item Iulius Papa. [in rescripto ad Orientales, c. 33].

Similiter in prefixa sinodo est decretum, ne suspecti, aut infames, aut criminosi, aut gratiosi, aut calumpniatores, uel affines, aut scelerati, aut facile litigantes suscipiantur accusatores, sed tales, qui careant omni suspicione.

C. XI. Qui inimicitii studet et facile litigat, nec accusator nec testis esse potest.

Item Felix Papa. [II. epist. I. c. 14].

Nullus seruus, nullus libertus, nullus infidus, nullus criminibus inretitus, nullus calumpniator, nullus, qui inimicitii studet, nullus frequenter litigans, et ad accusandum uel detrahendum facilis, nulla infamis persona, uel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt, permittantur episcopos accusare.

C. XII. Familiares, suspecti, de domo prodeuntes, non recipiantur in accusatione.

Item Calixtus Papa. [epist. II. ad Episcopos Galliae]

Accusatores uel testes suspecti non recipiantur, nec familiares uel de domo prodeuntes, nec etiam consanguinei accusatoris aduersus extraneos testimonium dicant, quia propinquitatis et familiaritatis ac dominationis affectio ueritatem inpedire solet.

Amor carnalis et timor atque auaritia plerumque sensus hebetant humanos, et peruertunt opiniones, ut questum pietatem putent, et pecuniam quasi mercedem prudentiae.

C. XIII. Qui inimici uel suspecti sunt, et qui odio quoslibet insequuntur, ab accusatione remoueantur.

Item Gelasius. [Papa II. epist. VIII. c. 4].

Omnes, qui aduersus Patres armantur, ut patrum inuasores infames esse censemus.

Horum igitur uiciorum auctores uel patratores non sunt in accusatione pontificum recipiendi, sed penitus repellendi, quoniam iubent canonica decreta Patrum, ut accusatio uel testimonium eorum, qui odio quoslibet secuntur, uel qui inimici aut suspecti habentur, nullo modo recipiantur.

[PALEA. C. XIV. De eodem.

Item Pascalis Papa:

Nulli episcoporum ab accusatione sua repellere liceat, quos ante, quam ab eis inpeteretur, a sua communi familiaritate neglexerit separare].

Gratian. Quod uero inimici ab accusatione prohibentur, inde est, quia eorum calliditate innocentia frequenter obprimi solet.

Sed cum Athanasius suae cathedrae reddi precipitur, quia de inimicitia in sui patriarchae conquestus est, patet, quod etsi manifesta sunt crimina alicuius, non tamen accusatione inimici condemnandus est.

Unde Nicolaus scribit Michæli Imperatori: [in epistola, quæ incipit: “Proposueramus”].

C. XV. Qui inimici sunt, iudices esse non possunt.

Quia suspecti et inimici iudices esse non debeant, et ipsa ratio dictat, et plurimis probatur exemplis.

§. 1. Nam quid gratius et amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad inpetendum commiserit, quem ledere forte uoluerit?

Quod prouide Constantinopolitana synodus canonum suorum sexto dinoscitur prohibere capitulo.

§. 2. Veniamus et ad S. Calcedonensem sinodum, et quid nobis de Athanasio Perenorum referat episcopo audiamus.

Is enim antistes tertio euocatus, quia non occurrit, a patriarcha suo canonice condemnatus extiterat, sed solum quia, cum uocaretur ad sinodum, quod inimicus esset ipse, qui iudicabat, clamauit, a S. Calcedonensi sinodo ad causas illatas sibi examinandas reseruatur, et nisi denuo conuinceretur, recipere ecclesiam propriam iudicatur.

Si Athanasius a patriarcha suo depositus, quia de inimicitia eius conquestus est, iterato ad iudicium renouandum dirigitur, etsi manifesta sibi crimina officiant, suae ecclesiae reddi precipitur: quanto magis Ignatius, qui non a patriarcha, sed ipse potius existens patriarcha, minime debuit ecclesia propria priuari et inimicis et suspectis iudicibus decernentibus expoliari?

§. 3. Veniat et facundissimus Papa noster Gelasius, hereticorum expugnator fortissimus, et quod de Constantinopolitanis episcopis more solito tunc egrotantibus dixit, etiam nunc nobis edisserat.

“Quero,” inquit, “iudicium, quod pretendunt, ubinam possit agitari? an apud ipsos, ut idem sint inimici testes et iudices?”

Sed tali iudicio nec humana debent committi negotia”.

Quod si iudicio, ubi idem sunt inimici qui iudices, nec humana debent committi iudicia, quanto minus diuina, id est ecclesiastica?

Qui sapiens est intelligat.

§. 4. Et reuera hinc Iustinianus inperator pius legibus suis promulgasse dinoscitur, dicens: “Liceat ei, qui suspectum sibi iudicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur”.

Nam quodammodo naturale est suspectorum iudicum insidias declinare et inimicorum iudicium uelle refugere.

§. 5. Hinc S. Iohannes, os aureum, concilii contra se congregati renuit intrare collegium. Gratian. Patet quod, etsi manifesta sunt crimina alicuius, non tamen accusatione inimici condemnandus est.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Extra prouinciam autem reus nullatenus est producendus.

Unde Fabianus Papa scribit Ylario Episcopo: [ep. III. cap. 4].

C. I. Ubi crimen admittitur, ibi causa uentiletur.

Ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur, et qui non probauerit quod obicit, penam, quam intulerit, ipse patiat.

C. II. Accusatus nonnisi in foro suo audiatur.

Idem. [eadem epist. c. 2].

Si quis episcoporum super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur, qui sunt in prouincia sua, episcopis, quia non oportet accusatum alibi quam in foro suo audiri.

Gratian. Exceptio fori dilatoria est, atque ideo in inicio litis debet opponi et probari.

Peremptorias autem exceptiones (ut sunt prescriptiones longi temporis) sufficit in inicio litis contestari.

C. III. De eodem.

Idem. [Fabianus ibidem]

Pulsatus ante suum iudicem causam dicat, non ante suum iudicem pulsatus, si uoluerit, taceat.

Pulsatis uero, quociens appellauerint, induciæ dentur.

Gratian. Hoc autem, quod de loco dictum est, tunc intelligendum est, cum ueritas causæ nonnisi in loco admissi criminis deprehendi potest, aut nisi altera pars iudicium maioris personæ interpellauerit, siue declinando iudicium, siue releuando sententiam.

Unde Stephanus, sanctæ et apostolicæ atque uniuersalis ecclesiæ Romanæ Episcopus, scribit omnibus Episcopis: [epist. II. cap. 7].

**C. IV.** Intra prouinciam, et a conprouincialibus tantum causa est audienda.

Ultra prouinciarum terminos accusandi licentia non progrediatur, sed omnis accusatio intra prouinciam audiatur, et a conprouincialibus terminetur, nisi tantum ad apostolicam sedem fuerit appellatum.

**C. V.** A conprouincialibus accusatus uel iudicatus apostolicam sedem appellet.

Item Sixtus Papa. [II. ep. 1. ad Gratum Episcopum]

Accusatus uel iudicatus a conprouincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet, et adeat apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per uicarios suos retractare eius negotium procuret.

Et dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, alius in eius loco non ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam, quamquam conprouincialibus episcopis accusati causam episcopi scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano Pontifice permissum est.

[PALEA. **C. VI.** De eodem.

Item Damasus Papa Stephano Archiepiscopo, epistola II. c. 2.

Discutere episcopos et summas ecclesiasticorum negotiorum causas metropolitano una cum omnibus suis conprouincialibus, ita ut nemo ex eis desit, et omnes in singulorum concordent negotiis, licet; sed diffinire eorum atque ecclesiasticarum summas querelas causarum, uel dampnare episcopos absque huius sanctæ sedis auctoritate minime licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, et eius fulciri auxilio oportet].

**C. VII.** Conprouinciales et metropolitani episcoporum causam audire, sed diffinire non possunt.

Item Eleuterius Papa. [scribens ad Galliæ prouincias, cap. 2].

Quamuis liceat apud prouinciales, et metropolitanos, atque primates episcoporum uentilare accusationes uel criminationes, tamen non licet diffinire sine huius sanctæ sedis auctoritate, sicut ab apostolis eorum que successoribus multorum consensu episcoporum iam diffinitum est.

Nec in eorum ecclesiis alii aut preponantur, aut ordinentur, antequam hic eorum iuste terminentur negotia.

Reliquorum uero clericorum causas apud conprouinciales, et metropolitanos, et primates et uentilare, et iuste finire licet.

**C. VIII.** Ante apostolicam censuram in causis episcoporum non est diffinitua sententia ferenda.

Item Leo Episcopus urbis Romæ Anastasio Episcopo Tessalonicensi. [ep. LXXXII. al. LXXXIV. c. 1].

Multum stupeo, frater karrissime, sed plurimum doleo, quod in eum, de quo nichil amplius iudicaueras, quam quod euocatus adesse differret et excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter et tam uehementer potueris commoueri, presertim cum, etiam si tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberemus.

Sed etiam si quid graue intolerandum que committeret, nostra erat expectanda censura, ut nichil prius ipse decerneres quam quid nobis placeret agnosceres.

Vices enim nostras ita tuæ credidimus karitati, ut in partem sis uocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Unde, sicut multum nos ea, que a te pie sunt curata, letificant, ita nimium ea, que perperam sunt gesta, contristant.

**C. IX.** Preter conscientiam Romani Pontificis nec concilia celebrari, nec episcopum dampnari oportet.

Item Iulius Papa orientalibus Episcopis. [ep. I].

Dudum a sanctis apostolis successoribus que eorum in antiquis decretum est statutis, que hactenus sancta et uniuersalis apostolica tenet ecclesia, non oportere preter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari uel episcopum dampnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatum omnium ecclesiarum esse uoluerunt; et sicut B. Petrus apostolus primus fuit omnium apostolorum, ita et hec ecclesia suo nomine consecrata (Domino instituyente) prima sit et caput ceterarum, et ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes maiores ecclesiæ causæ et iudicia episcoporum recurrant, et iuxta eius sententiam terminum sumant, nec extra Romanum quicquam ex his decerni Pontificem debere.

## **II. Pars.**

Gratian. Aliquando inconsulto Romano Pontifice plerique episcoporum dampnati inueniuntur, et alii in eorum subrogati locum, quorum dampnationem et subrogationem pro bono pacis ex dispensatione tollerasse legitur ecclesia.

Unde Nicolaus Papa Salomoni Regi Brittorum:

**C. X.** Quorumdam depositionem, extra conscientiam Romani Pontificis factam, pro pace tollerauit ecclesia.

Hec quippe est ordinatio Dei patris tui, et hec est lex ecclesiæ matris tuæ, uidelicet ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsius que iudicium postulare non dedigneris.

Ipse enim est metropolitanus, omnes que episcopi tui regni eius suffraganei sunt, sicut conscriptiones predecessorum meorum euidenter ostendunt, qui predecessores tuos, quia illos ab ipsius cura subtraxerant, forti inuentione corripere studuerunt, quamuis nec nostra scripta super hac re missa deesse uideantur.

Cum que coram designato Turonicæ ecclesiæ presule et integro numero collegarum, id est duodecim episcoporum, celebrato conuentu fuerint eiecti episcopi regulariter examinati, aparuerit que quod canonice fuerint eiecti, ipsis in sua deiectione manentibus, qui in locis eorum consecrati sunt poterunt utique episcopatus honore potiri.

Quod si eiecti episcopi insontes fuerint declarati, his amotis, qui illis subrogati sunt, ecclesias suas ipsi recipiant.

Nam cum antecessores mei presules eiectiones eorum episcoporum, qui ab ecclesiis suis expulsi sunt, nec admiserunt, nec approbauerunt, nec ipsos, qui eis subrogati sunt, uiuentibus illis legitimos episcopos dixerunt.

Sane si ad Turonensem forte archiepiscopum mittere prefatos episcopos dedigneris, stude duos episcopos de expulsis et duos de subrogatis una cum ecclesiæ tuæ legato ad apostolicam B. Petri sedem transmittere, ubi, digna examinatione premissa, qui legitimi episcopi sunt pareat, et suas ecclesias irregulariter non amittant.

Nichil enim queo aliud in presenti negotio diffinire.

Quia uero magna quis sit metropolitanus apud Brittanos est contentio, licet nullius memoria teneat uos in uestra regione ullam habuisse metropolitanam ecclesiam, tamen si libet (postquam Deus omnipotens pacem inter uos et dilectum filium nostrum, Karolum regem gloriosum, constituet) facile hoc poteritis aduertere.

Quod si adeo contentiosius agere creditis, ad nostrum apostolatum destinare contendite, quatinus nostro libramine que fuerit apud uos antiquitus archiepiscopalis ecclesia luce clarius innotescat, et deinceps omni ambiguitate recisa quem sequi episcopi uestri debeant incunctanter agnoscant.

Neque enim ecclesias Domini per discordias regum diuisionis aliqua pati dampna necesse est, cum (quantum ex se est) pacem, quam predicant, seruare studeant inuicem et in omnes.

### III. Pars.

Gratian. Alias autem irrita erit episcoporum sententia et a synodo retractanda.

Unde Felix Papa: [I. epist. I. ad Paternum]

#### C. XI. Dampnatio iniusta irrita est et in synodo retractanda.

Inritam esse episcoporum dampnationem et iniustam censemus et idcirco a synodo retractandam, ita ut obpressis ab omnibus in cunctis subueniatur causis.

Gratian. Quod autem metropolitanum suum contempnere, et aliorum iudicium alicui expetere non liceat, Sixtus Papa [III]. testatur [in epist. ad orientales Episcopos, c. 3]. dicens:

#### C. XII. Peregrina iudicia sunt submouenda.

Peregrina iudicia, salua in omnibus apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab extraneis iudicentur qui conprouinciales et a se electos debent habere iudices.

#### C. XIII. De eodem.

Item Anacletus. [Papa epist. I. c. 3].

Leges ecclesiæ apostolica auctoritate firmamus, et peregrina iudicia submouemus.

Unde et Dominus, mentionem faciens Loth, per Moisen loquitur, dicens: "Ingressus es quidem ut aduena, numquid ut iudices?"

#### C. XIV. Nulli liceat aliarum prouinciarum iudicium expetere.

Item Innocentius. [Papa ad Victricium Rothomagensem Episcopum, epist. II. c. 3].

Non liceat cuiquam, sine preiudicio tamen Romanæ ecclesiæ, cui in omnibus causis reuerentia debetur, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias uel aliarum prouinciarum episcoporum iudicia expeti uel pati.

Quod si quis presumpserit, ab offitio cleri submotus et iniuriæ reus ab omnibus iudicetur.

Gratian. Reuerentia autem, que apostolicæ debetur ecclesiæ, et eius auctoritas intelligenda est, cum uel ad ipsam appellatum fuerit, uel ab ea iudices electi conceduntur.



Unde Sixtus Papa, cum diceret: “Conprouinciales et a se electos debent habere iudices,” statim subiungit: “nisi fuerit appellatum”.

**C. XV.** Absque apostolicæ sedis decreto extraneos iudices adire non possumus.

Item Anacletus. [Papa, epist. I. c. 3].

Unaqueque prouincia tam iuxta ecclesiasticas quam iuxta seculi leges suos debet iustos et non iniquos habere iudices, et non extraneos, nisi apostolicæ huius sedis decreuerit auctoritas.

**C. XVI.** Super appellationem alterius prouinciæ iudices adire non oportet.

Item ex Romana Sinodo.

Neminem exhiberi de prouincia ad prouinciam uel de comitatu ad comitatum oportet, nisi ad relationem iudicis, ita ut actor rei forum sequatur.

Et infra:

§. 1. Illa que sunt per unamquamque prouinciam, ipsius prouinciæ sinodus dispenset, sicut in Niceno constat esse decretum concilio.

§. 2. Ultra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur.

Omnis accusatio intra prouinciam audiatur et a conprouincialibus terminetur.

[[C. XVII].

Item.

Si quis clericus super quibuslibet criminibus accusatus fuerit, in prouincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerat actiones, nec estimet eum accusator suus alibi aut longius ad iudicium pertrahendum.

**C. XVIII.** Ubi crimen admittitur, ibi causa uentiletur.

Item ex decreto Adriani Papæ.

Qui crimen obicit sciat se probaturum.

Reuera ibi causa agatur ubi crimen admittitur.

## QUESTIO VII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod iudex esse non possit quem cum reo par aut maior macula inficit, multis auctoritatibus probatur.

Dicit enim sancta Romana Sinodus:

**C. I.** Infames iudices esse non possunt.

Infamis persona nec procurator potest esse, nec cognitor.

Gratian. Tria sunt, quibus aliqui impediuntur ne iudices fiant: Natura, ut surdus, mutus et perpetuo furiosus, et inpubes, quia iudicio carent.

Lege, qui senatu motus est.

Moribus, feminæ et serui, non quia non habent iudicium, sed quia receptum est ut ciuilibus non fungantur offitiis.

Verum, si seruus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit, quamvis postea in seruitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei iudicatæ firmitatem tenet.

[[C. II].

In Digestis titulo de postulando.

Infames non possunt esse procuratores uel patroni causarum.

Sunt autem tres ordines eorum, qui postulare prohibentur.

§. 1. Est autem postulare desiderium suum uel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni preest, exponere, uel alterius desiderio contradicere.

§. 2. Non postulantium, ut premisimus, tres ordines sunt.

Quidam prohibentur omnino postulare uel propter etatem, ut minores decem et septem annis, uel propter casum, ut surdus, qui prorsus non audit.

Alii prohibentur ne pro aliis postulent uel propter sexum, ut feminæ, uel propter casum, ut utroque lumine orbat, uel propter notam turpitudinis, ut hii, qui corpore suo muliebria passi sunt, nisi forte uel pre donum uel hostium stuprati prohibentur.

Similiter qui capitali crimine uel calumpniæ publici iudicii sunt dampnati, uel qui operas suas locauerunt ut cum bestiis depugnarent in arena, pro aliis postulare prohibentur.

His personis pro se allegare permittitur, pro alio prohibetur, nisi forte tutelam inpuerum uel curam adolescentium non affectatam, sed necessariam administrent.

Pro his enim, quorum curam gerunt, eis postulare conceditur.

Alii enim omnes, qui ut infames notantur, nisi pro se et pro certis personis postulare non possunt, nisi in integrum restitutionem acceperint.

§. 3. Permittitur autem eis postulare pro parente, pro patrono, patrona, liberis et parentibus patroni et patronæ; pro liberis etiam suis, fratre, sorore, socero, socru, genero, nuru, uirico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua, surdo, prodigo, et adolescente.

§. 4. Item pro his, quibus propter infirmitatem curatores dari solent, et qui negotiis suis aliquo perpetuo morbo superesse non possunt.

§. 5. Omnes autem, qui non sponte, sed necessario funguntur officio, sine offensa postulare possunt, etiamsi hii sunt, quibus non nisi pro se postulare permittitur.

§. 6. Affinitates uero non eas accipere debemus, que quondam fuerunt, sed presentes.

§. 7. Nurus et generi appellatione et soceri, et socrus, et ulteriores, quibus pro prepositio solet accedere, continentur.

## II. Pars.

§. 8. Arcentur etiam a professione aduocatorum (sicut in secundo libro Codicis, titulo de postulando inuenitur) qui sub nomine honorariorum ex ipsis negotiis, que tuenda susceperint, emolumentum sibi certæ partis cum graui dampno litigatoris et depredatione poscentes inueniuntur.

§. 9. Item, si quis adeo procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ inminutionem patietur.

§. 10. Preterea non licet aduocato ullum contractum inire, ullam pactionem conferre cum eo litigatore, quem in propriam recepit fidem, nec ex industria iurgium protrahere.

§. 11. Apud urbem Romam etiam honoratis, qui hoc putauerint eligendum, eousque liceat orare, quousque maluerint, uidelicet ut non ad turpe compendium et stipem deformem hec arripiatur occasio.

Nam si lucro pecunia que capiantur, ueluti abiecti atque degeneres inter uilissimos numerabuntur.

§. 12. Si uero in uno auditorio duo tantum uel plures pre ceteris fuerint, quorum fama sit hilarior, in iudicantis offitio sit ut par causidicorum distributio fiat et exequetur pro partibus auxilium singulorum.

§. 13. Si quis uero monitus a iudice ea excusatione, que nequeat conprobari cuicumque parti patrociniū denegauerit, careat foro; sciat etiam sibi numquam agendi copiam posse restitui.

§. 14. Si quis autem ex litigatoribus detectus fuerit separatim tractasse cum pluribus, et aduersario suo subtraxisse paris defensionis copiam, ostendet proculdubio iniquam a se litem foueri, et auctoritatem iudicariam a se elusam experietur.

§. 15. Item, quamuis illi, qui causam fisci egissent, prohibeantur aduersus fiscum patrociniū prestare, tamen hodie etiam aduersus fiscum patrociniū possunt exhibere priuatis, dum eam causam declinent suscipere, quam tractauerant, dum fisci aduocati fuerunt.

§. 16. Item, si contra patrem pupilli causam egisti, tutor uel curator datus eandem causam defendere non prohiberis.

§. 17. Cognitores uero ex offitio intelliguntur, non ex arbitrio.

Nichil enim refert, eum, qui arbitrium suscipit, an sit integræ famæ, an ignominiosus.

§. 18. Filius etiam in re patris arbiter esse potest.

Nam et iudicem eum esse posse plerisque placet.

§. 19. Si quis uero iudex sit, arbitrium recipere eiusdem rei, de qua iudex est, et in se compromitti iubere prohibetur, et si sententiam dixerit, non est danda penæ persecutio. Seruus arbiter esse non ualet, libertinus potest.

§. 20. Porro infamia multipliciter irrogatur.

Aliquando enim contrahitur genere delicti declarati per sententiam, ueluti cum iudex pronunciat: iniuriam fecisti, hereditatem expilasti, calumpniatus es.

Aliquando genere penæ, sicut illi, qui dampnantur in opus publicum, qui pristinum quidem statum obtinent, sed dampno infamiæ etiam post inpletum tempus subiciuntur.

Aliquando genere penæ, et delicti declarati per sententiam, ueluti dum fustibus ceso per preconem dicitur: sicophantis, id est: “calumpniator”.

Aliquando ipso genere facti, ut exercentes inprobum fenus et illicite exigentes usuras usurarum, et que intra tempus, quo moris est lugere maritum, matrimonium contrahit, et qui sciens eam uxorem duxit.

[Gratian.] Idem testatur Felix Papa, et eisdem uerbis.

§. 1. Item in euangelio ille qui trabem gestat in oculo probatur non posse educere festucam de oculo fratris sui.

§. 2. Item Daud in libro Psalmorum: “Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iusticias meas? etc.”.

§. 3. Item Gregorius: “Cuius uita despicitur, restat, ut eius predicatio contempnatur”.

C. III. Qui aliorum uicia puniunt sua prius corrigere studeant.

Idem in Moralibus. [lib. XIV., in Iob. cap. 15].

### III. Pars.

“Qui sine peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat”.

Ad aliena quippe peccata punienda ibant, et sua reliquerant.

Reuocentur itaque intus ad conscientiam, ut prius propria corrigant, et tunc aliena reprehendant.

Hinc est, quod cum tribus Benjamin in carnis scelere fuisset obruta, collectus omnis Israël ulcisci iniquitatem uoluit, sed tamen semel et iterum in belli certamine ipse prostratus est.

Consulto enim Domino, si ad ulciscendum ire debuissent, iussum est ut irent, qui iuxta diuinæ uocis inperium perrexit, et semel et secundo perdidit, et tunc demum peccatricem tribum ualde feriens pene funditus extinxit.

Quid est, quod in ultione sceleris inflammatur, et tamen ipse prius prosternitur, nisi quod prius ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, ut ipsi iam mundi per ultionem ueniant, qui aliorum uicia corrigere festinant?

**C. IV.** Ille de uita alterius iudicet, qui non habet in se ipso quod puniat.

Item Ambrosius super: “Beati immaculati”. [sermone XX. ad uers. Miserationes tuæ, Domine]

Iudicet ille de alterius errore, qui non habet quod in se ipso condempnet.

Iudicet ille, qui non agat eadem, que in alio putauerit punienda ne, cum de alio iudicat, in se ferat sententiam.

Iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur.

Et post pauca:

§. 1. Bonus iudex nichil ex arbitrio suo facit et domesticæ proposito uoluntatis, sed iuxta leges et iura pronunciat, scitis iuris obtemperat, non indulget propriæ uoluntati, nichil paratum et mediatum de domo defert, sed sicut audit, ita iudicat, et sicut se habet natura, decernit; obsequitur legibus, non aduersatur, examinat causæ merita, non mutat. Discite iudices seculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem.

Et paulo post:

§. 2. Qui iudicat, non uoluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est.

Et post pauca:

§. 3. In iudicando cordi magis est custodia ueritatis, quam obedientia uoluntatis.

**C. V.** Grauatius criminibus aliena iudicare non ualet.

Item Gregorius. [præfationis in Iob c. 3. al. 6].

In grauibus peccatis quis positus, dum suis premitur, aliena non diluit.

§. 1. Cunctis enim liquet, quia, cum is displicet, qui ad intercedendum mittitur, irati animus proculdubio ad deteriora prouocatur.

§. 2. Scriptum quippe est: “Victimæ inpiorum abhominabiles sunt Deo, uota iustorum placabilia”.

Neque enim in omnipotentis Dei iudicio quid, sed a quo datur, inspicitur.

§. 3. Hinc est enim quod scriptum est: “Respexit Deus ad Abel et ad munera eius, ad Cain uero et ad munera eius non respexit”.

Dicturus quippe, quia Dominus respexit ad munera, premisit sollicite, quia respexit ad Abel.

Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt.

§. 4. “Dona quippe iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus eorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis”.

§. 5.

Item:

“Longe est Dominus ab impiis, et orationes iustorum exaudiet”.

**C. VI.** Primum nosmetipsos, deinde proximos debemus corrigere.

Idem.

Postulatus Dominus de peccatrice iudicare non statim dat iudicium, sed prius se inclinans deorsum digito scribebat in terra, ac sic demum quod obnixe rogatur iudicat, nos uidelicet typice instituens, ut, cum quelibet proximorum errata conspiciamus, non hec antea errata reprehendendo iudicemus, quam ad conscientiam nostram humiliter reuersi digito eam discretionis solerter exculpemus, et quid in ea conditori placeat, quid ue displiceat, examinatione dirimemus, iuxta illud Apostoli: “Fratres, etsi preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto etc.”.

§. 1. “Qui sine peccato est uestrum:” id est primo uos ipsi iustitiam legis inplete, et sic innocentes manibus ad lapidandam ream concurrite.

**C. VII.** Sacerdos prius sua peccata, deinde aliena detergat.

Item Augustinus ad quemdam Comitem.

Sacerdos ut sapiens medicus et perfectus primum sua peccata diluere sciat, et postea aliena detergere et sanare, et non publicare.

Gratian. Item, in euangelio sal infatuatum ad nichilum utile esse dicitur, nisi ut proiciatur foras et ab hominibus conculcetur.

Ex quibus omnibus datur intelligi, quod criminosus alterius criminis iudex esse non potest, et se ipsum condempnat, dum in alterius crimen sententiam profert.

§. 1. Sed obicitur: Saul cum a Domino esset reprobatus, populum Dei iudicabat, et eius iudicium uniuersus populus expetebat.

Item, Daud, cum esset adulter et homicida interrogatus a propheta, sententiam in diuitem dedit, qui ouem pauperis rapuit, dicens: “Iudicium mortis est uiro huic”.

Item, Salomon, cum amore muliercularum deos gentium coleret, tamen uniuersa plebs Isrælitica ad eius iudicium confluebat.

Sic et Achab, quamuis coleret Baal, tamen decem tribus iudicabat.

Multi etiam alii tam in ueteri testamento quam in nouo inueniuntur, quorum uita cum esset blasphemabilis, tamen eorum sententia, quia ex offitio suo seruata iudicariii ordinis integritate processit, inuenitur seruata.

Unde et Dominus ait in euangelio.

“Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisei etc.”.

Hinc liquido constat, quod mali pastores, dum sententia iusti examinis aliorum crimina feriunt, sibi ipsis nocent, dum sine exemplo suæ emendationis aliorum uicia corrigere curant; subditis uero prosunt, si, eorum increpatione correcti uel sententia coerciti uitam suam in melius commutare didicerint.

Ac per hoc, dum ab ecclesia tollerati fuerint, eorum iudicium subterfugere non licet.

## QUESTIO VIII.

### GRATIANUS.

Quod autem episcopus ab uno tantum audiri uel iudicari non debeat, Zepherinus Papa testatur, [epistola I. ad Episcopos Siciliae,] dicens:

**C. I.** Episcopus non nisi a pluribus audiatur et iudicetur.

Accusatores episcoporum omni careant suspicione, quia columpnas suas Dominus firmiter stare uoluit, non a quibuslibet agitari.

§. 1. Nullum namque eorum sententia a suo iudice non dicta constringat, quia et leges seculi idipsum fieri precipiunt.

§. 3. Iudices duodecim quilibet episcopus accusatus (si necesse fuerit) eligat, a quibus eius causa iuste iudicetur.

Nec prius audiatur, aut excommunicetur uel iudicetur, quam ipsi per se eligantur, et regulariter uocato ad suorum primo conuentum episcoporum, per eos eius causa iuste audiatur et rationabiliter discernatur.

Finis uero causæ eius ad sedem apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur.

§. 4. Absens uero nemo iudicetur, “quia et diuinæ et humanæ leges hoc prohibent”.

Item Felix Episcopus dixit in Concilio Cartaginensi III.: [cap. 10].

**C. II.** A quot episcopis audiatur episcopus, qui in reatum incidit.

Suggero secundum statuta ueterum conciliorum, ut, si quis episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incidit, si fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a duodecim audiatur episcopis.

## QUESTIO IX.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De accusatoribus uero uel testibus, quod in absentem uocem accusationis uel testificationis exhibere non ualeant, multorum auctoritatibus liquet.

Ait enim Telesforus Papa: [epistola unica]

**C. I.** Nisi reo presente accusator non audiatur.

Accusatori omnino non credi decernimus, qui absente aduersario causam suggerit, ante utriusque partis iustam discussionem.

**C. II.** Absente aduersario sententiam ferri non licet.

Item Eleuterius Papa. [in epistola ad Episcopos Galliæ]

Caueant iudices ecclesiæ, ne absente eo, cuius causa uentilatur, sententiam proferant quia irrita erit; imo et causam in sinodo pro facto dabunt.

Proditoris uero nec calumpnia, nec uox audiatur.

**C. III.** Absente reo accusator non audiatur.

Item Calixtus Papa. [epist. II. ad Episcopos Galliæ]

Absente eo, quem accusare uoluerit, quicumque accusatori non credatur, qui sine scripto difficile, per scriptum autem numquam recipiatur; quia per scripturam nullus accusari potest, sed propria uoce, et presente eo, quem accusare uoluerit, suam quisque agat accusationem.

**C. IV.** Que in absentes geruntur omnino euacuentur.

Item Cornelius Papa. [ad Rufum, ep. II. c. 2].

Omnia, que aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur aut iudicantur, omnino uacuentur, quoniam absentem nullus addicit nec ulla lex dampnat.

**C. V.** Non iudicetur qui presentialiter non accusatur uel conuincitur.

Item Marcellus Papa. [ad Maxentium, epist. II].

Non oportet quemquam iudicari uel dampnari prius, quam legitimos habeat presentes accusatores, locum que defendendi accipiat ad abluenda crimina.

**C. VI.** De eodem.

Item Damasus Papa. [ad Stephanum Archiepiscopum, ep. III. cap. 8].

Habetur quoque in decretis sanctorum Patrum sancitum, non fore canonicum quemquam sacerdotum iudicare uel dampnare ante, quam accusatores canonicè examinatos presentes habeat locum que defendendi accipiat, id est inducias ecclesiasticas ad abluenda crimina etc.

[PALEA. **C. VII.** Idem Damasus ibidem continenter.

Nec extra propriam fiat prouinciam primo discussionis accusatio, sine apostolica preceptione, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, quoniam et antiqua docet hoc Patrum regula, in qua et imperialiter pariter statuta concinunt.

“Criminum,” inquit, “discussioni ibi agenda est, ubi crimen admissum est.

Nam alibi criminum reus prohibetur audiri”.

Et alibi in canonibus precipitur: “Quecumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda sunt,” et reliqua talia, et his similia, salua tamen in omnibus apostolica auctoritate, ut nichil in his diffiniatur prius, quam ei placere cognoscatur, qua omnes suffultos esse oportet].

**C. VIII.** De eodem.

Idem. [ad Episcopos Italiae, epist. VI].

Qui accusare alium elegerit, presens per se, et non per alium accuset, inscriptione uidelicet premissa.

Neque ullus umquam iudicetur ante, quam legitimos accusatores presentes habeat, locum que defendendi accipiat ad abluenda crimina.

**C. IX.** De eodem.

Item ex Concilio Tolletano VI. [c. 11].

Dignum est, ut uita innocentis nulla maculetur pernicie accusatoris; ideo quisquis a quolibet criminatur, non ante accusatus supplicio detur, quam accusator presentetur, atque legum et canonum sententia exquiratur.

Quod si indigna ad accusandum persona inuenitur, ad eius accusationem non iudicetur.

**C. X.** Sententia feriat qui causae suae negligit adesse.

Item Bonifacius Papa ad Gallos. [epist. II].

Decreuimus uestram debere intra prouinciam esse iudicium, et congregare sinodum ante kalendarum diem nouembrium, ut, si adesse uoluerit, presens, si confidit, ad obiecta respondeat; si uero adesse neglexerit, dilationem sententiae de absentia non lucretur.

Nam manifestum est, confiteri eum de crimine, qui indulto et totiens delegato iudicio purgandi se occasione non utitur.

Nichil enim interest, utrum in presenti examine non omnia, que dicta sunt, conprobentur, cum ipsa quoque professio ex procurata totiens constet absentia.

**C. XI.** Absens nec accusari, nec iudicari potest.

Item Felix Papa [ad Episcopos Galliæ, epist. II].

Absente aduersario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia a iudice dicta ullam obtinebit firmitatem.

**C. XII.** Altera parte absente diffinitiuia sententia non feratur.

Item Nicolaus Papa Gallinoni Senensi Archiepiscopo.

Reuera iustus mediator non est, qui uno litigante et altero absente amborum emergentes lites decidere non formidat.

His ita premissis, uolumus et auctoritate apostolica monemus, ut, si presbiter, de quo agitur, post excommunicationem suam apostolicam sedem adire uoluerit, nullus iter eius impedire presumat.

**C. XIII.** In absentem non est ferenda sententia.

Item Zepherinus Papa. [ad Episcopos Siciliæ, epist. I].

Absens nemo iudicetur, quia et diuinæ et humanæ leges hoc prohibent.

Gratian. Nisi fuerit absens ex contumacia.

Pro presenti namque contumacia eum haberi facit.

**C. XIV.** De eodem.

Item Nicolaus Papa Gallinoni Senensi Archiepiscopo.

Indicas Hermannum episcopum super quibusdam frequenter fuisse accusatum, pro quibus (quia ex parte ipsius persona deest) nos uni parti ad discrimen alterius credere proculdubio non possumus, quamuis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeris, nec utrum sanæ mentis erat idem antistes, nec ne, cum ipsos excessus perpetrabat, euidenter ostenderis, satius que arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad penam peccati, quam ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum et conpatendum sit, quam puniendum uel etiam aliquo modo ferendum.

**C. XV.** Testes non dicant testimonium, nisi de his, que presentialiter nouerunt.

Item Calixtus. [Papa ad Episcopos Galliæ, ep. II].

Testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant, sed presentes de his, que uiderunt et nouerunt, ueraciter testimonium dicant.

Nec de aliis causis uel negotiis testimonium dicant, nisi de his, que sub eorum presentia acta esse noscuntur.

## **II. Pars.**

Gratian. De his etiam, que audierunt, si ad hoc conuocati sunt, in ciuili causa testimonium dicere possunt, unde in collocatione VII. titulo de testibus, legitur: §. 1. "Si debitum scriptum sit, et probatio solutionis proferatur a litigantibus per testes sine scriptura, tunc susceptibilem eam apud iudicem esse uolumus, dum ad hoc ipsum testes assumantur, ut perhibeant testimonium pro facienda solutione, aut pro memoria facta alicui iam solutionis factæ, et pro confessione eius, qui pecunias accepit.



Hec autem testimonia inania et ex transitu perhibita (aut ab eo qui propter aliud opus adueniens audiuit aliquo dicente, se accepisse ab aliquo aurum, aut debere alicui) nulla ratione ualere censemus”.

### III. Pars.

§. 2. Simul autem necesse est, ut uideant.

Quod si alius uno tempore et alius alio uiderit, diuersitas temporum eorum testimonium non admittit.

Unde Leo Papa:

C. XVI. Non admittuntur ad testimonium quos non eidem negotio adfuisse constiterit. Nichilominus quoque puniendi sunt testes, qui ad calumpniam aliquid testificantur, nec eorum uoces tamquam plurium admittuntur, quos temporum quidem diuersitas simul interfuisse prohibuit.

C. XVII. Ad seriem gestorum testis ex suo nichil adiciat.

Item Ambrosius in libro de paradyso. [c. 12].

Pura et simplex testimonii series intimanda est.

Plerumque testis, dum ad seriem gestorum aliquid ex suo adicit, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat.

Nichil igitur, quod bonum uidetur, addendum est.

C. XVIII. Absens nec accusare, nec accusari potest.

Item Felix Papa. [ad Episcopos Galliaë, epist. II].

Absens per alium accusare aut accusari non potest, nec affinis testis admittatur.

### IV. Pars.

Gratian. Nisi in crimine iniuriarum, in quo illustris persona etiam per procuratorem intendere et excipere potest, seruatis ceteris solempnibus, ut Codice titulo de iniuriis, lege ultima.

C. XIX. Reo absente libellus accusationis frustra offertur.

Item Pelagius Papa Sinduæ Magistro militum.

Cartæ, quas dedit nobis Lucidius, si illo tempore aduersarius ipsius illic presens fuisset, ualidæ erant.

Sed quia aduersario absente gesta, que nobis recensuit, facta leguntur, talia leges non recipiunt.

C. XX. Testes corporaliter prestito sacramento testimonium dicant.

Idem Decorato Patricio.

Hortamur, ut, sub timore Domini consuetam conscientiaë uestræ sinceritatem in hoc quoque negotio conseruantes, omnem personis, que ueritatem causæ istius scire possunt, faciatis amputari formidinem, et uestris presentati conspectibus, tactis sacrosanctis euangeliis, prebito etiam legaliter sacramento, que in rerum ueritate norunt professione suæ testificationis aperiant, ut, patefactis omnibus, que secundum leges et iustitiam censenda sint cognoscatis, et conuenientem legibus et ueritati terminum detis.

**C. XXI.** Accusator et accusatus simul debent adesse.

Item Nicolaus Papa Igaro Remorum Archiepiscopo.

Necesse est secundum sacrarum scripturarum documenta ac secundum iustitiæ trutinam, et accusatum et accusatorem simul adesse, et unam partem, quantacumque et qualicumque predita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum preiudicium inrogetur.

## QUESTIO X.

### GRATIANUS.

Quod uero deficientes in primo capitulo non sint admittendi ad sequentia, ex Concilio Cartaginensi VII. confirmatur, in quo sic [cap. 3]. statutum legitur:

**C. I.** Qui in primo capitulo deficit ad cetera non admittatur.

Placuit, ut quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina obiciuntur, et unum ex his, de quo prius egerint, probare non ualuerint, ad cetera iam non admittantur.

Gratian. Probatur illud idem auctoritate Arelatensis Concilii III., in quo sic [c. 24]. diffinitum est:

**C. II.** Qui falsa fratribus obiciunt usque ad exitum non communicent.

Eos, qui falsa fratribus capitula obiecissee conuicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare, (sicut magna synodus ante constituit), nisi digna satisfactione penituerint.

**C. III.** Qui quod obicit probare non ualet, de cetero ad arguendum non admittitur, nisi propriam causam ciuilem dumtaxat asserere uoluerit.

Item Felix in secundo decretali, Episcopis Galliaë.

Si accusatorum personæ in iudicio episcoporum culpabiles aparuerint, ad arguendum de cetero non admittantur, nisi proprias causas asserere (non tamen criminales uel ecclesiasticas) uoluerint.

Gratian. Cum ergo qui falsa fratribus obiciunt usque ad exitum uitæ a communione prohibeantur; cum illi, qui in episcoporum iudicio culpabiles inueniuntur, ad arguendum de cetero admitti prohibeantur: aparet, quod in primo capitulo deficientes tamquam falsorum obiectores ad sequentia procedere non ualent.

## QUESTIO XI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Ab accusato uero accusationem in accusatorem uerti, multorum auctoritate prohibetur.

Ait enim Stephanus Papa: [epist. II. c. 7].

**C. I.** Accusati, nisi prius se purgauerint, alios accusare non possunt.

Neganda est accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint, quia non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus

implicantur, nisi se prius probauerint innocentes, quoniam periculosa est et non debet admitti rei aduersus quemcumque confessio.

[[C. II].

Libro IX. Codicis, titulo I., [l. 19]. Inppp. Valentinus, Valerius et Gratianus.

Neganda est accusatis nisi suas suorum que iniurias persecuntur licentia criminandi in pari uel minori crimine, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint: ita tamen, ut et ipsi inscriptionem contra eos etiam pendente accusatione deponere possint.

**C. III. De eodem.**

Item ex decreto Adriani Papæ. [c. 33].

Non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicantur, nisi se prius probauerint innocentes, quia periculosa est et admitti non debet rei confessio aduersus quemcumque.

Gratian. Hoc autem intelligendum est in pari uel minori crimine.

Ceterum si de maiori crimine eum accusare uoluerit (ueluti, si accusatus de fornicatione, de periurio, uel homicidio, uel symonia, uel alio quolibet huiusmodi crimine accusatorem suum inpetere uoluerit), his auctoritatibus non prohibetur.

§. 1. Aliquando enim criminalis questio preiudicat ciuili, aliquando criminali.

Unde in III. libro Codicis titulo de ordine iudiciorum, [lege, 4]. legitur: “Ciuili questione intermissa sepe fit, ut prius de crimine iudicetur, quod, utpote maius, merito minori preferitur”.

[[C. IV].

Item libro IX., [Cod. tit. de his, qui accus. non possunt].

lege 1.

“Prius est, ut tu respondeas criminibus cedis atque uulnerum que tibi ut grauiora ab aduersario tuo obiciuntur, et tunc ex euentu causæ iudex estimabit, an tibi permittendum sit eundem accusare, tamen etsi prior inscriptionem deposuisti”.

**II. Pars.**

[Gratian.] Aliquando ciuilis preiudicat ciuili, aliquando criminali.

Sicut enim in septimo libro Codicis, titulo de ordine cognitionum, legitur: “Si de hereditate et libertate controuersia est, prius debet agi causa libertatis”.

Item: §. 1. “Si crimen aliquod inferatur ei, qui ingenuus esse dicitur, liberalis causa suo ordine ante debet agi cognitionem suam preside prebente, quoniam si delictum probatum fuerit, ante sciri, necesse est, utrum ut in liberum et ingenuum, an ut in seruum constitui oportet”.

**III. Pars.**

Item: §. 2. “Qui confitetur se pati controuersiam status, frustra postulat dari sibi potestatem accusandi eum, qui se suum dominum esse fatetur.

Causa uero liberali terminata, si seruus pronuntiatus fuerit, dominum suum accusare non poterit”.

§. 3. “Si quis enim ex familiaribus uel seruis cuiuslibet domus cuiuscumque criminis delator atque accusator emerit, eius existimationem, caput atque fortunas petiturus,

cuius familiaritati inheserit uel dominio, ante exhibitionem testium, ante examinationem iudicii in ipsa expositione criminum atque accusationis exordio ultore gladio feriatur.

Vocem enim funestam intercidi oportet potius quam audiri.

Maiestatis autem crimen excipimus”.

Similiter: §. 4. “Si liberti accusatores manumissorum heredum ue esse presumpserint, eodem quo serui suplicio tenebuntur, luituri penas ante prohibitæ delationis exordium”.

#### CAUSA IV.

#### GRATIANUS.

Quidam in excommunicatione constitutus episcopum accusare disponit; adolescentem infra decimum et quartum etatis suæ annum ad assertionem suæ causæ adducit; prohibitus ab accusatione adolescentem accusatorem et se testem facit; adolescens personam accusatoris et testis gerere cupit; die statuta ad electorum iudicium iudicium episcopus minime occurrit; a communione suspenditur; tandem renouato iudicio accusator culpabilis in accusatione inuenitur; demum ad assertionem propriæ causæ procedit.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an in excommunicatione constitutus alium accusare ualeat?

(Qu. II).

Secundo, an infra decimum quartum annum in criminali causa testari quis possit?

(Qu. III).

Tertio, utrum ab accusatione prohibitus personam testificantis possit assumere?

(Qu. IV).

Quarto, an idem possit esse accusator et testis?

(Qu. V).

Quinto, an die constituta non occurrens a communione ait remouendus?

(Qu. VI).

Sexto, si in episcoporum iudicio accusatoris persona culpabilis inuenta fuerit, an ad assertionem propriæ causæ de cetero sit admittenda?

#### QUESTIO I.

#### GRATIANUS.

De prima questione sic statutum legitur in Concilio Cartaginensi VII., cui interfuit Faustinus Romanæ ecclesiæ legatus:

C. I. Ad accusandum non admittitur qui in excommunicatione perseuerat.

Diffinimus, eum rite ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, siue sit clericus siue laicus, accusare uoluerit.

§. 1. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est histriones aut turpitudinibus subiectæ personæ, heretici etiam, siue pagani siue Iudei, ab accusatione prohibentur.

C. II. Heretici probantur qui scismate uel excommunicatione ab ecclesia sunt separati.

Item Nicolaus Papa. [in epistola ad Michælem Imperatorem, cuius initium est: “Proposueramus”].

Quod autem hi, qui iam a fato fratre et conministro nostro Ignatio depositi uel excommunicati, uel anathematizati fuerant, nullam aduersus eum intorquere dampnationem potuerunt, ex prolato secundæ uniuersalis sinodi capitulo declaratur, cum dicitur: “Si uero ecclesiasticum fuerit crimen, quod episcopo illatum fuerit, tunc probari oportet accusantium personas, ut primo quidem hereticis non liceat accusationes contra orthodoxos facere episcopos pro ecclesiasticis negotiis”.

Sed ne hos hereticos esse denegemus, audite sequentia: “Hereticos autem (inquiunt) dicimus tam eos, qui olim ab ecclesia proiecti sunt, quam qui post hec a nobis anathematizati sunt”.

Porro, si adhuc nec sic creditis, audite quod subditur: “Preter hos autem (aiunt) et eos, qui fidem simulant sanam confiteri, scismaticos esse etiam eos qui seorsum a communicantibus nobis episcopis collectas faciunt.

Deinde uero, et si quidam ab ecclesia super causis quibusdam reprehensi sunt, et proiecti aut excommunicati, siue ex clero siue ex laicali ordine, nec his licere accusare episcopum ante, quam crimine proprio exuantur primitus.

Similiter autem et eos, qui sub accusatione priori existunt, non ante esse acceptabiles in episcopi accusatione aut aliorum clericorum, quam innoxios semetipsos illatorum sibi ostenderint criminum”.

Quid autem periculi regulæ huius contemptoribus imineat, non ignoratis.

## QUESTIO II. et III.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Secunda autem et tertia questio eodem Concilio [Cartaginensi VII]. uno eodem que capitulo terminatur.

Illud uero est huiusmodi:

**C. I.** Qui ab accusatione repelluntur, aut ad annum XIV. nondum peruenerunt, testes esse non possunt.

Testes autem ad testimonium non admittendos esse censemus, qui nec ad accusationem admitti iussi sunt, uel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit.

Ad testimonium autem intra annos quatuordecim etatis suæ constituti non admittantur.

[PALEA. C. II. De eodem.

Item ex Concilio Maticensi, c. 6.

Placuit sancto conuentui, ut testes ad testimonium dicendum precio non conducantur, et ut quique optimi et fideiores in testimonium assumantur, ut is, contra quem testimonium ferre debent, nullam eis possit afferre calumpniam, et ut nullus testimonium dicat nisi ieiunus].

#### II. Pars.

Gratian. Item in criminali causa: “produci testis non potest, qui ante in eum reum testimonium dixit,” sicut in 22. libro Digestionis titulo de testibus [lege 23]. inuenitur. Item titulo eodem: [l. Ob. carmen. §. Si testes:]

[[C. III].

Si testes omnes eiusdem honestatis et existimationis sint, et negotii qualitas, ac iudicis motus cum his concurrat, sequenda sunt omnia testimonia.

Si uero ex his quidam eorum aliud dixerunt, licet in pari numero, credendum est, quod naturæ negotii conuenit, et quod inimicitiae aut gratiae suspicione caret, confirmabit que iudex motum animi sui ex argumentis et testimoniis, que rei aptiora esse conpererit.

Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et testimonia, quibus potius lux ueritatis assistit.

Item:

[lege 2., ff. eod]. §. 1. In testibus fides, dignitas, mores, grauitas moderanda est, et ideo testes, qui aduersus fidem suæ testationis uacillant, audiendi non sunt.

Item:

[lege 3]. §. 2. Testium fides diligenter examinanda est, ideo que in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiusque, utrum quis decurio, an plebeius sit, et an honestæ et inculpatae uitæ, an uero notatus quis et reprehensibilis, an locuples, an egenus sit, ut lucri causa quid facile admittat, uel an ei inimicus sit, aduersus quem testimonium fert, uel amicus ei sit, pro quo testimonium dat.

Nam si careat suspicione testimonium, uel propter personam, a qua profertur, quod honesta sit, uel propter causam, quod neque lucri, neque gratiae, neque inimicitiae causa sit admittendum est.

Item: [eadem lege paulo inferius:]

### III. Pars.

§. 3. Lege Iulia de ui cauetur, ne hac lege in reum testimonium dicere liceret qui se ab eo parente ue eius liberauerit, qui ue impuberes erunt, qui ue iudicio publico dampnatus erit, qui eorum in integrum restitutus non erit, qui ue eorum in uinculis custodia ue publica erit, qui ue ad bestias, ut depugnaret, se locauerit, qui ue palam questum faciet fecerit ue, qui ue ob testimonium dicendum uel non dicendum pecuniam accepisse iudicatus uel conuictus erit.

Item:

[l. 4]. §. 4. Lege Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denunciatur, ut testimonium dicat aduersus socerum, generum, uirtricum, priuignum, sobrinum, sobrinam, sobrinum natum, eos ue, qui priore gradu sunt.

§. 5. Item ne liberto ipsius, liberorum ue eius, parentum uiri uxoris.

§. 6. Item patroni patronæ et ut ne patroni patronæ aduersus liberos, neque liberti aduersus patronum cogantur testimonium dicere.

§. 7. Cum autem excipitur, ne gener aut socer inuitus testimonium dicere cogatur, generi appellatione sponsum quoque filiae contineri placet.

Item soceri sponsæ patrem.

Item:

[lege 6]. §. 8. Idonei non uidentur esse testes, quibus inperari potest ut testes fiant.

Item:

[lege 7]. §. 9. Serui responso tunc credendum est, cum alia probatio ad eruendam ueritatem non est.

Item:

[lege 8]. §. 10. Inuiti testimonium dicere non cogantur senes, ualitudinarij, uel milites, uel illi, qui cum magistratu reipublicæ causa absunt, uel quibus uenire non licet.

Item:

[lege 19]. §. 11. Publicani etiam non dicunt testimonium inuiti.

§. 12. Item is, qui non detractandi testimonii causa aberit.

§. 13. Item is, qui exercitui prebendam conduxerit.

Sed nec pupillis testimonium denunciari potest.

Item: [l. 20].

§. 14. In testimonium accusator citare non debet eum, qui publico iudicio reus erit, aut qui minor uiginti annis erit. [l. 21]. §. 15. Ob carmen famosum dampnatus intestabilis erit.

Item: §. 16.

Si res exigit non tantum priuati, sed etiam magistratus, si in presenti sint, testimonium dicant.

Pretor quoque testimonium dare debet in iudicio de adulterii causa.

§. 17. Si autem ea conditio rei sit, ubi arenarium testem uel similem personam admittere cogimur, sine tormento testimonio eius credendum non est.

Item:

[l. 24]. §. 18. Testes, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit. [l. 25].

§. 19. Patroni quoque in causa, cui patrocinium prestant, testimonium non dicant, quod etiam in executoribus negotiorum obseruandum est.

Item:

[lege 16]. IV. Pars. §. 20. Qui falso uel uarie dixerunt, testimonia uel utrique parti prodiderunt a iudicibus competenter puniuntur.

Item:

[l. 17]. §. 21. Pater et filius, qui in potestate eius est item duo fratres qui in eiusdem potestate sunt, utrique in eodem testamento, uel eodem negotio testes possunt fieri, quoniam nichil nocet ex una domo plures testes adhiberi alieno negotio.

Item:

[l. 15]. §. 22. Hermafroditus an ad testamentum adhiberi possit, qualitas sexus incalescentis ostendit.

Item:

[l. 9]. §. 23. Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est. [l. 10]. §. 24. Nullus idoneus testis in re sua intelligitur.

Item: [l. 11]. §. 25. Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur.

Item:

[l. 12]. §. 26. Ubi numerus testium non adicitur, etiam duo sufficient.

Pluralis enim elocutio duorum numero contenta est.

Item:

[l. 3]. §. 27. In testibus considerandum est, qui simpliciter testimonium dicant, utrum unum, eundem que mediatum sermonem afferant, an ad ea, que interrogantur, ex tempore uerisimilia respondeant.

Item:

§. 28. Sepe sine publicis monumentis cuiuscumque rei ueritas deprehenditur; alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias ueluti consentiens fama confirmat rei, de qua queritur, fidem.

Non ergo ad unam probationis speciem cognitionem suam iudex alligare debet, sed ex sententia animi sui estimare, quid aut credat, aut parum sibi probatum opinetur.

Item §. 29. Alia est auctoritas presentium testium, alia testimoniorum, que recitari solent.

Item Codicis libro IV. titulo de testibus.

[l. 2]. §. 30. Soli testes ad probationem ingenuitatis non sufficiunt, nisi instrumentis et argumentis adiuuentur.

Item:

[l. 3]. §. 31. Etiam iure ciuili domestici fides inprobatur.

Item:

[l. 4]. §. 32. Solam testatione prolatam, nec aliis legitimis amminiculis causa approbata nullius esse momenti certum est.

Item:

[l. 5]. §. 33. Eos testes ad adiuuandam ueritatem adhiberi oportet, qui omni gratiæ et potentatui fidem religioni iudiciariæ debitam possunt preponere.

Item:

[l. 6]. §. 34. Parentes et liberi inuicem aduersus se nec uolentes ad testimonium admittendi sunt.

Item:

[l. 7]. §. 35. Qui intendit, suæ intentioni proprias debet afferre probationes, non petere aduersarium cogi ad exhibitionem eorum, per quos sibi negotium fiat.

Item:

[l. 8]. §. 36. Serui neque pro domino, neque aduersus dominum, sed pro facto suo interrogari possunt.

Item:

[l. 9]. §. 37. Iurisiurandi religione testes prius, quam perhibeant testimonium, cohercentur, et honestioribus potius testibus fides adhibeatur.

§. 38. Unius uero testimonium nemo iudicum in quacumque causa facile patiatu admitti; imo unius testis responsio omnino non audiatur, etiamsi presidiali curiæ honore prefulgeat.

Item:

[l. 10]. §. 39. Omnibus in re propria dicendi testimonia facultatem iura submouerunt.

Item:

[l. 11]. §. 40. Liberi testes ad causas postulentur alienas, si socii et participes criminis non dicantur, sed fides ab hiis notitiæ postuletur.

Venturis autem ad iudicium per accusatorem, aut ab his, per quos fuerant postulati, sumptus competentes ministrentur, etiamsi in pecuniaria causa ab alterutra parte testes sint producendi.

Item:

[l. 12]. §. 41. Liberti aduersus patronos sponte prodire non audeant, sed nec uocati quidem in iudicio uenire cogantur.

Item: [l. 17].

§. 42. Si quis testibus usus fuerit, iidemque testes aduersus eum in alia lite producantur, non licebit ei eorum personas excipere, nisi ostenderit, inimicitias inter se et illos postea



emersas fuisse, ex quibus testes repelli leges precipiunt, non adimenda scilicet ei licentia ex ipsis depositionibus testimonium eorum arguere.

§. 43. Sed et si liquidis probationibus datione uel promissione pecuniarum eos corruptos esse ostenderit, eam etiam allegationem integram ei seruari oportet.

[Gratian.] Sed obicitur illud beati Bricii, qui uoce pueri triginta dies ab ortu habentis innocens probatus est.

Sed miracula diuina sunt admiranda, non in exemplum humanæ actionis trahenda.

## QUESTIO IV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De quarta uero questione Fabianus Papa [epist. II. ad Episcopos orientales] constituit, dicens:

C. I. Accusator, testis uel iudex aliquis simul esse non potest.

Nullus umquam presumat accusator simul esse et iudex uel testis, quoniam in omni iudicio quatuor personas semper esse necesse est, id est iudices electos, et idoneos accusatores, defensores congruos atque legitimos testes.

Iudices autem debent uti equitate, testes ueritate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam.

C. II. Quilibet in causa duas personas gerere non ualet.

Item Damasus Papa. [epist. IV. c. 7].

Nullus introducatur personaliter ad causam, sed accusatores et accusati equa audiantur ratione, iuxta quod ordo exigit.

Accusatores uero et iudices non iidem sint, sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordine.

#### II. Pars.

§. 1. Inscriptio semper fiat ut talionem calumpniator recipiat, quia ante inscriptionem nemo debet indicari uel dampnari, cum et seculi leges hec eadem retineant.

Gratian. Codice libro IX. titulo de accusationibus. [l. 7]. Codice libro de adulteriis, [l. 6]. titulo de abigeis. [l. unica] §. 1. Aliquando etiam sine inscriptione accusatio fieri potest.

“Ea enim, que per officiales presidibus nunciantur, et citra solempnia accusationum posse perpendi incognitum non est”.

§. 2.

Item:

[Codice de adulteriis, l. 6]. Si maritus iure mariti, hoc est infra sexaginta dies utiles, adulterium uxoris suæ accusare uoluerit, quam ex suspicione sola ream facere ualet, non continetur uinculo inscriptionis.

§. 3.

Item:

[Cod. de abigeis, l. unica] Abacti animalis accusatio non solum cum inscriptionibus, sed etiam sine ea obseruatione proponitur.

§. 4.

Item:

[Cod. de accusat. l. 8]. Si quis se iniuriam ab aliquo passum putauerit, et querelam deferre uoluerit, non ad stationarios decurrat, sed presidialem adeat potestatem, aut libellos offerens, aut querelas suas apud acta deponens.

§. 5. In aliis autem criminalibus causis dignum est, ut inscriptiones preponantur, que magnitudinem uidelicet criminis tempus que designent, ut alterutram partem digna legum possit terrere auctoritas.

### III. Pars.

Gratian. De domo etiam iudicis accusator uel testis produci non debet, ne in causam suspicionis incidat iudex.

Unde Nicolaus Papa: [ad Michælem Inp., epistola, cuius initium est: "Proposueramus"].

C. III. Suspicionis incidet in crimen iudex, de cuius domo uel accusator uel testis producitur.

Contra ritum ecclesiasticum, contra que uenerandas leges producitur accusator de inperialibus edibus, et cui inperari potest ad falsum dicendum testimonium adhibetur.

### QUESTIO V.

#### GRATIANUS.

De quinta uero questione in Concilio Cartaginensi III. [c. 7]. sic inuenitur diffinitum:

C. I. Non est a communione suspendendus, qui die statuta ad causam peruenire non potuit.

Quisquis episcoporum accusatur, ad primates prouinciæ ipsius causam deferat accusator.

Nec a communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicium, die statuta, litteris euocatus minime occurrerit, hoc est infra spatium mens ex ea die, qua eum litteras accepisse constiterit.

Quod aliquas ueras necessitatis causas probauerit, quibus occurrere non potuisse manifestum sit, suæ causæ dicendæ intra alterum mensem integram habeat facultatem.

Verum tamdiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur.

Si autem ad uniuersale concilium occurrere noluerit, ut uel ibi causa eius terminetur, ipse in se dampnationis sententiam dixisse iudicetur.

Tempore sane, quo non communicat, nec in sua ecclesia uel parrochia communicet.

Accusator autem eius, si numquam diebus causæ dicendæ defuerit subtrahens se, a communione non remoueat.

Si uero aliquando defuerit subtrahens se, restituto in communione episcopo, remoueat a communione accusator, ita tamen, ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem constitutam occurrere non uoluisse, sed non potuisse probauerit.

### QUESTIO VI.

**GRATIANUS.**

Sexta uera questio eodem capitulo terminatur, in quo sequitur:

**C. I.** In ciuili et proprio dumtaxat negotio ad arguendum admittitur, qui in episcopi accusatione culpabilis inuenitur.

Illud uero placuit, ut cum agere ceperit in episcoporum iudicio, si fuerit accusatoris persona dampnabilis de cetero ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen ecclesiasticas uel criminales, asserere uoluerit.

**C. II.** Propriam causam agere ualet cui accusare non licet.

Item ex Concilio Cartaginensi VII. [c. 2. prope finem]

Omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non est neganda.

**C. III.** In accusatione episcoporum deficiens ciuiliter tantum experiri poterit.

Item Felix Episcopus omnibus Episcopis. [per Galliāe prouincias constitutis, epistola II].

Si accusatorum personæ in episcoporum iudicio culpabiles aparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere, non tamen criminales uel ecclesiasticas, uoluerint.

[[**C. IV.**]

Item Adrianus Papa. [in capitulis, c. 5].

Quod si accusatorum personæ in iudicio episcoporum etc.  
ut supra eisdem uerbis.

**CAUSA V.****GRATIANUS.**

In infamiam cuiusdam episcopi cartula accusationis occulte conscribitur; tandem accusator procedit in publicum.

Episcopus semel litteris euocatus, causæ suæ die statuta adesse non ualens, per procuratorem iudici se representauit; absque sinodali audientia dampnatur.

Demum iudicio per appellationem renouato, de accusatoris inimicitia episcopus conqueritur; tandem in probatione deficit accusator.

(Qu. I).

(Qu. II).

Secundo, quotiens sit uocandus ad causam ante, quam sententiam dampnationis excipiat?

(Qu. III).

Tertio, an per procuratorem causam suam agere ualeat qui per se ipsum causæ suæ adesse non potest?

(Qu. IV).

Quarto, an absque sinodali audientia sit dampnandus? (Qu. V).

Quinto, an ideo aliquis sit habendus inimicus, quia crimen alterius indicat?

(Qu. VI).

Sexto, qua pena sit plectendus, qui quod intulit probare non ualet?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

De prima questione Adrianus Papa scribit, [in capitulis, cap. 49. al. 50]. dicens:

**C. I.** Flagelletur qui scripta in alterius famam probare neglexerit.

Qui in alterius famam publice scripturam aut uerba contumeliosa confinxerit, et repertus scripta non probauerit, flagelletur, et qui eam prius inuenerit rumpat, si non uult auctoris facti causam incurrere.

**C. II.** De eodem.

Item Gregorius. [l. V. epist. 30].

Quidam maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium notarium ac responsalem nostrum nocturno silentio in ciuitatis loco contestationem posuit in eius crimine loquentem, mihi que etiam asserebat eum de facienda pace callide contradicentem.

Qui si non exierit, neque publice confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere presumpserit, uel consensum tantæ iniquitatis consilio prebuit, ex Dei et Domini nostri Iesu Christi spiritu diffinimus, ut sancti eius corporis ac sanguinis participatione priuatus sit.

Sin uero, quia latet, et quoniam nescitur, teneri ad disciplinam non ualet, tanti mali conscius, et prohibitus, corpus et sanguinem Domini percipere presumit, anathematis ultione percutiatur, ut fallax ac pestifer a sanctæ ecclesiæ corpore sit diuisus.

Sin autem in eandem ciuitatem ingressus publice potuerit docere que dixit, uel certe sciens se non posse que scripsit ostendere, errorem suum fuerit aperte confessus, dominici corporis et sanguinis participatione non sit priuatus, neque a sanctæ ecclesiæ corpore alienus existat.

**C. III.** Anathematizentur qui famosos libellos in ecclesia ponunt.

Item ex Concilio Eliberitano. [c. 52].

Hii qui inuenti fuerint libellos famosos in ecclesia ponere, anathematizentur.

[Gratian.] Codice libro IX. titulo de famosis libellis, Inpp. Valentinianus et Valens: Si quis famosum libellum siue domi, siue in publico, siue quocumque loco ignarus repererit, aut corrumpat prius, quam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum.

Sin uero non statim easdem cartulas uel corruerit, uel igni consumpserit, sed uim earum manifestauerit, sciat, se quasi auctorem huiusmodi delicti capitali sententiæ subiugandum.

Huiusmodi autem libellus alterius opinionem non ledat.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Vocatio autem eius, qui inpetitur, non semel, sed bis et tertia per congruum spatium rationabilibus scriptis fieri debet.

Unde Damasus papa [Stephano Archiepiscopo epist. III]. scribit, dicens:

**C. I.** Vocatio ad sinodum eius, qui inpetitur, in scriptis, et per spatium fiat congruum. Vocatio ad sinodum iuxta decreta Patrum canonica eius, qui inpetitur, rationabilibus scriptis per spatium debet fieri congruum atque canonicum, quia, nisi canonicè uocatus fuerit suo tempore et canonica ordinatione, licet uenerit ad conuentum quacumque necessitate, nisi sponte uoluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus.

**C. II.** Quibus temporum spatiis reus uocetur ad causam.

Item Silvester Papa.

Presenti decreto censemus, ut inprimis paternaliter uocentur, et per septem dies expectentur, nullius ecclesiasticæ rei interdicta licentia.

Huic uero expectationi iterum addantur dies septem, interdicta licentia ecclesiam intrandi et omnia diuina officia audiendi.

Post uero adiciantur duo dies, quibus a pace et communionem sanctæ ecclesiæ sint suspensi.

Deinde uero iterum aliis duobus diebus sub eadem expectatione deportentur.

Quibus uno die superaddito, omni expectatione ueluti iam desperata, reus mox anathematis gladio feriatur.

**C. III.** Nullius accusatio per scripta suscipiatur.

Item Damasus Papa. [ad Episcopos Italiæ, epist. VI].

Relatum est ad sedem apostolicam, uos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore.

Quod deinceps in omni terrarum orbe fieri apostolica auctoritate prohibemus, et quod nuper factum est absque ulla retardatione corrigere curamus, nec umquam prius per scripta eorum, qui accusantur, causas discutere quam per querelantium institutionem uocati canonicè ad sinodum ueniant, et presens per presentem agnoscat ueraciter et intelligat que ei obiciuntur.

§. 1. Leges enim seculi accusatores presentes exigunt, et non per scripta absentes.

Unde canonica Patrum constituta non semel, sed sepiissime clamant, nec accusationes, nec testimonia ullum per scripta proferre posse, nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his, que sub eorum presentia acta esse noscuntur.

Similiter et qui accusare alium elegerit presens per se, et non per alium accuset, inscriptione uidelicet premissa.

Neque ullus umquam iudicetur ante, quam accusatores legitimos presentes habeat, locum que defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Curandum quoque est, ne ira cuiquam subripiat, faciat que citius omne quod non licet.

**C. IV.** Vi aut timore eiecti, aut suis rebus expoliati, ad sinodum non euocentur.

Item Felix Papa [II]. Athanasio, et omnibus orientalibus Episcopis. [epist. I. c. 3].

Si primates accusatores episcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad sinodum canonicè conuocatam non infra angusta tempora canonicè conuocent, et non prius, quam eis per scripta significant quid eis opponitur, ut ad responsionem preparati adueniant.

Nam si aut ui, aut timore eiecti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè uocari ad sinodum possunt, nec respondere emulis debent ante, quam canonicè restituantur, et sua omnia eis legaliter reddantur.

Gratian. His auctoritatibus eidentissime datur intelligi, quod nisi quis canonicè uocatus fuerit, etiãsi aliqua occasione ad sinodum ueniat, suis nullatenus cogitur respondere insidiatoribus.

Canonica autem uocatio est, quando seruato dierum interstitio, secundum auctoritatem B. Siluestri, causæ suæ litteris adesse iubetur, quibus quid ei obiciatur auctoritate Felicis Papæ significari oportet.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Quod autem per procuratorem causam suam agere ualeat qui inpeditus causæ suæ adesse non ualet, auctoritate Romanæ Sinodi, que tempore Adriani Papæ celebrata est, probari uidetur, in qua [c. 5]. sic statutum legitur:

**C. I.** Pro se legatum ad sinodum mittat quem grauis necessitas premit.

Si egrotans fuerit episcopus, aut aliqua eum grauis necessitas detinuerit, pro se legatum ad sinodum mittat, nec a communionem suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, electorum iudicium die statuta litteris euocatus, minime occurrerit, hoc est (nisi aliena preoccupauerit necessitas) infra spatium duorum uel trium mensium, uel eo amplius, prout causa dictauerit.

[Gratian.] Codicis libro IX. titulo de accusationibus et inscriptionibus [l. 3]. Inp. Alexander: Reos capitalium criminum absentes etiam per procuratores defendi leges publicorum iudiciorum permittunt.

Gratian. §. 1. Ecce episcopus si inpeditus et causæ suæ adesse non ualens, legatum pro se iubetur mittere ad sinodum.

Sed legatus iste non ad causam agendam, sed ad necessitatem sinodo exponendam mittitur, qua inpeditus episcopus sinodo presentiam suam exhibere non ualuit.

Causam autem (maxime criminalem) nulli nisi per se agere licet.

Unde Adrianus Papa [c. 38]. ait:

**C. II.** Criminaliter accusans uel accusatus per se experiatur.

In criminalibus causis nec accusator, nisi per se, aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur.

**C. III.** In omnibus causis, preterquam in criminalibus, episcopi et sacerdotes pro se aduocatum habeant.

Item Anacletus Papa.

Quia episcopus uniuersi que sacerdotes ad solam laudem Dei bonorum que operum actionem a constituuntur, debet unusquisque eorum tam pro ecclesiasticis, quam etiam pro suis actionibus (excepto publico uidelicet crimine) habere aduocatum, non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis et laudabilis artis inuentum, ne, dum humana lucra attendunt, eterna premia perdant.

### QUESTIO IV.

#### GRATIANUS.

Quod autem absque sinodali audientia dampnari non debeat auctoritate Iulii Papæ probatur, qui [epist. I]. ait:

**C. I.** Nisi in legitima sinodo episcopus iudicari uel audiri non debet.

Nullus episcopus, nisi in legitima sinodo et suo tempore apostolica auctoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, uel iudicetur uel dampnetur.

Sin aliter presumptum a quibusdam fuerit, in uanum deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica statuta ullo modo reputetur.

**C. II.** Episcopus accusatus a duodecim audiatur, finis uero causæ ad apostolicam sedem deferatur.

Item Zepherinus Urbis Romæ Episcopus [epist. I]. omnibus Episcopis.

Duodecim iudices quilibet episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat, a quibus eius causa iudicetur, nec prius audiatur, aut excommunicetur uel iudicetur, quam ipsi per se eligantur, et regulariter uocatus ad suorum conuentum primo episcoporum, per eos eius causa iuste audiatur, et rationabiliter discernatur.

Finis uero eius causæ ad sedem apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur, nec ante finiatur, quam eius auctoritate fulciatur.

Gratian. Quod uero absque sinodali audientia episcopus dampnari prohibetur, sine preiudicio Romanæ sedis intelligi oportet, que sua auctoritate quosque ualet dampnare uel dampnatos absolueret.

Unde Gelasius: “Ipsi sunt canones etc.” infra causa: “Sententia excommunicationis notatus”.

§. 1. Item Adrianus: [c. 8]. “Saluo Romanæ ecclesiæ in omnibus primatu, manifestum est, quod illa, que sunt per unamquamque prouinciam ipsius prouinciæ sinodus dispenset, sicut Niceno constat esse decretum concilio”.

Cum uero accusatus ad concilium uenerit, quicquid considentium consultationibus agitur, aut ab accusantium parte proponitur, non contentiosis uocibus, sed mitissima uerborum relatione proferatur.

Unde in Tolletano Concilio XI. [c. I]. legitur:

**C. III.** In cognitione causarum contentiosi locum non habeant.

In loco benedictionis considentes Domini sacerdotes nullus debet aut indiscretis uocibus perstreperet, aut quibuslibet tumultibus perturbare, nullus etiam uana fabulis uel risibus agi, et (quod est deterius) obstinatis disceptationibus tumultuosas uoces effundere.

“Si quis enim (ut Apostolus ait) putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius uana est religio”.

Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicii obstrepentium turbo confundit, dicente Propheta: “Erit cultus iustitiæ silentium”.

Debet ergo quicquid aut considentium consultationibus agitur, aut ab accusantium parte proponitur, sic mitissima uerborum relatione proferri, ut nec contentiosis uocibus sensus audientium turbent, nec iudicii uigorem de tumultu eneruent.

Quicumque ergo in conuentu concilii hec, que premissa sunt, uiolanda crediderit, et contra hec interdicta aut tumultu, aut contumeliis uel risibus concilium perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, que precipit: “Eice derisorem, et exhibit cum eo iurgium,” cum omni dedecore de consessione abstractus a communi cetu secedat, et trium dierum excommunicationis sententiam ferat.

**QUESTIO V.****GRATIANUS.**

Nunc autem queritur, an sit aliquis iudicandus maliuolus, quia crimen alterius indicat. De hoc ita scribit Augustinus: [serm. III. de communi uita clericorum, seu regula 3., dicens]

**C. I.** Magis nocet qui crimen celat quam qui amicabiliter indicat.

Non uos iudicetis maliuolos, quoniam crimen alterius indicatis.

Magis quippe nocentes estis, quam si fratres uestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis.

Si enim frater tuus uulnus habet in corpore, quod uelit occultari, cum timet secari, nonne crudeliter a te siletur et misericorditer iudicatur?

quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?

**C. II.** Nec qui parcit est amicus, nec qui uerberat inimicus.

Idem ad Vincentium Donatistam et Rogatistam. [epist. XLVIII].

Non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis, qui uerberat, inimicus.

“Meliora sunt uulnera amici quam uoluntaria oscula inimici”.

Melius est cum seueritate diligere quam cum lenitate decipere.

§. 1. Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quam esurienti panis frangitur, ut iniustitiæ seductus acquiescat.

§. 2. Et qui freneticum ligat, et qui lethargicum excitat, ambobus molestus ambos amat.

§. 3. Quis nos potest amplius amare quam Deus?

Et tamen nos non solum docere suauiter, uerum etiam salubriter terrere non cessat.

Fomentis lenibus, quibus consolatur, sepe etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adiungit, exercet fame patriarchas, etiam pios et religiosos; populum contumacem penis grauioribus agit; non aufert ab Apostolo stimulum carnis tertio rogatus, ut uirtutem in infirmitate perficiat.

Et infra:

§. 4. Noueris aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere, et pastorem aliquando flagello ad gregem pecora errantia reuocare.

**C. III.** Non odio habetur, sed diligitur, qui castigatur et corripitur.

Item ex sermone [LXXXIV]. Ambrosii, “Amarior fortasse”.

Non osculatur pater filium semper sed aliquando castigat.

Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur.

Habet enim et amor plagas suas, que dulciores sunt, cum amarius inferuntur.

Dulcior est enim castigatio religiosa quam blanda remissio.

Unde ait Propheta: “Dulciora sunt uulnera amici quam uoluntaria oscula inimici”.

Gratian. Ex his uerbis datur intelligi, quod magis contulerit utilitati fraternæ, qui crimen accusando uel iudicando persequitur, quam qui celando fouere nititur.

Eusebius autem contra statuere uidetur, dum aliorum crimina sponte confitentes in episcoporum accusatione recipi prohibet dicens: [epist. I. ad Episcopos Galliæ]

**C. IV.** Ad accusationem non admittantur aliorum crimina sponte confitentes.



Illi, qui aut in fide catholica, aut inimicitia suspecti sunt, ad pulsationem episcoporum non admittantur.

Nec illi, qui aliorum sponte crimina confitentur.

Et ideo replicanda sollicite est ueritas, quam sponte prolata in illis habere uox non potest.

Hanc diuersis cruciatibus e latebris suis religiosus tortor exigere debet, ut dum penis corpora subiciuntur, que gesta sunt fideliter et ueraciter exquirantur.

### C. V. De eodem.

Item in Prouerbiis. [c. 11].

Qui ambulat fraudulenter, reuelat archana; qui autem fidelis est, celat animi commissum.

Et infra: [c. 25]. §. 1.

Que uiderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum.

Gratian. Sed aliud est ex karitate aliorum crimina deferre, ut quos secreta ammonitione corrigere non possumus conuictos iudicis sententia corripiat, atque aliud insidiando falsa obicere, uel insultando uera facile exprobrare.

Illud autem karitatis, hoc uero impietatis est offitium.

§. 1. Unde in eisdem prouerbiis [cap. 12]. dicitur: “Verba inpiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos”.

Et infra: “Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus”.

Item: “Labium ueritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii”.

Item: [c. 13]. “Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Verbum mendax iustus detestabitur: inpius autem confundit et confundetur”.

§. 2. Item Augustinus in Psalmo 34.: “Si aliquando humana infirmitate pedes nostri in aliquod peccatum mouentur, insurgunt linguæ iniquissimæ inimicorum; cum fuisset miserendum, irrident inpii, unde dolent pii”.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Qui autem quod intulit probare non ualet, puniendus est.

Unde Adrianus Papa ait: [in capitulis, c. 41].

C. I. Puniatur qui aliis falsa intulerit.

Omnis, qui aliis a falsa intulerit, puniatur, et pro falsitate ferat infamiam.

C. II. De eodem.

Item Gregorius.

Qui calumpniam illatam non probat, penam debet incurrere, quam, si probasset, reus utique sustineret.

**C. III.** Qua pena feriat qui crimen illatum non probat.

Idem in Registro.

Quia iuxta canonicas Patrium sententias qui calumpniam illatam non probat penam debet incurrere, ac per hoc, quia subdiaconus crimen diacono probare non potuit, quoniam inpositionem manus (qua carere potuisset) non habuit, non solum sacerdotio, sed officio caruit, et tamquam reuera infamis meruit uerberibus castigari.

Nam cui cum tribus testibus ueluti laico crimen quodlibet approbatur, non est mirum, quod obiecit dum probare non sufficit, si corporali infamiae quemadmodum laicus ex iuris similitudine subiugatur.

Quod enim esset diacono gradum amittere, hoc fuit subdiacono famae plenitudine caruisse.

Codice libro I., titulo de episcopis et clericis, [l. 8]. Imperator Theodosius:

## **II. Pars.**

§. 1. Presbiteri citra iniuriam questionum testimonium dicant, ita tamen, ut falsa non simulent.

Ceteri uero clerici, qui eorundem gradum uel ordinem secuntur, si ad testimonium dicendum petiti fuerint, prout leges precipiunt, audiantur.

Salua tamen sit litigatoribus falsi actio, si forte presbiteri, qui suo nomine superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem iniuriam sunt precepti, hoc ipso, quod nichil metuunt, uera suppresserint.

Multo magis etenim pena sunt digni, quibus cum plurimum honoris per nostram iussionem delatum est occulto inueniuntur in crimine.

Eadem IX. in collatione IX.:

§. 2. Presbiteri, diaconi, si falsum testimonium dixerint, si quidem in re pecuniaria, diuino ministerio dumtaxat per XII. annos separati monasterio tradantur: si in criminali, clericatus honore nudati legitimis penis subiciantur.

Ceteri clerici sine delectu causae legitime coherceantur.

**C. IV.** Ad sanctae communionis ministerium non accedat qui crimen illatum non probat.

Idem Ianuario Episcopo. [lib. III. ep. 24].

## **III. Pars.**

Epiphanium presbiterum quorundam sacerdotum litteris criminaliter accusatum, cuius nos, ut ualuimus, causam discutientes, nichil que in eo obiectorum reperientes, ut ad locum suum reuerteretur absoluimus.

Criminis ergo eius auctores uolumus te perscrutari, et nisi qui eandem transmisit epistolam paratus fuerit hoc, quod obiecit, canonicis atque districtissimis probationibus edocere, nullatenus ad sanctae communionis ministerium accedat.

**C. V.** Qua pena feriendus sit delator.

Item ex decreto Adriani Papae. [cap. 49].

Delatori autem lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur.

§. 1. Delatores autem sunt qui inuidia produnt alios.

[PALEA. C. VI. De eodem.

Item ex Concilio Eliberitano.

Delator si quis extiterit fidelis, et per delationem eius aliquis fuerit proscriptus uel interfectus, placuit, non nisi in fine accipere communionem.

Si leuior causa fuerit, infra quinquennium accipere poterit communionem.

Si catecuminus fuerit, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum].

C. VII. De eodem.

Item ex VIII. Sinodo.

Si quis falsum dixerit, uel personam innocentis falso crimine maculauerit, iuxta sacerdotis arbitrium diuturna penitentia expurgetur.

C. VIII. A communione coherceatur secularis, uel laicus qui ecclesiam uel clericum per calumpniam fatigauerit.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 32].

Si quis uero secularium per calumpniam ecclesiam aut clericum fatigare presumpserit et conuictus fuerit, ab ecclesiæ liminibus et catholicorum communione, nisi digne penituerit, coherceatur.

## CAUSA VI.

### GRATIANUS.

Duo fornicatores et infamia notati quendam religiosum episcopum de symonia accusare nituntur; reus alterius prouinciæ archiepiscopi iudicium expetit; tandem in probatione deficit accusator; reus cogitur ad innocentia suæ assertionem.

(Qu. I).

Primo queritur, an crimine irretiti uel infamia notati ad huiusmodi accusationem sint admittendi?

(Qu. II).

Secundo, si episcopus in eos accusationem uertere uoluerit, an simplici assertioni suæ sit fides habenda?

(Qu. III).

Tertio, si liceat sibi expetere iudicium archiepiscopi alterius prouinciæ?

(Qu. IV).

Quarto, cuius iudicium sibi sit expetendum, si circa suam sententiam episcopus suæ prouinciæ discordare contigerit?

(Qu. V).

Quinto, si in probatione deficit accusator, an reus sit cogendus ad probationem innocentia suæ?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem crimine irretiti alios accusare non possunt, Anacletus Papa testatur, [epistola II., Episcopis Italiæ] dicens:

**C. I.** A criminosis sacerdos accusari non permittitur.

Si sacerdos sine crimine eligi precipitur, nullatenus a criminosis accusari aut calumpniari permittitur, nec ab aliis, quam ab his, qui sine crimine sunt, et iusta electione sacerdotes ordinari possunt, et tales per omnia inueniuntur, quales eligi sacerdotes iubentur.

**C. II.** Infames et qui culpis exigentibus ad sacerdotium prouehi non possunt sacerdotes non accusent.

Item Adrianus Papa. [in capitulis, cap. 21].

Omnes uero infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant, et omnes, qui culpis exigentibus ad sacerdotium non possunt prouehi.

Indignum enim est, ut illi eos accusent, qui esse non possunt quod ipsi sunt, quoniam sicut maiores a minoribus non iudicantur, ita nec criminari possunt.

**C. III.** Infames sunt qui regnum Dei consequi non ualent.

Item Fabianus Papa. [epist. II. Episcopis orientalibus]

Illi, qui illa peccata perpetrant, de quibus Apostolus ait: “Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consecuntur,” ualde cauendi sunt, et ad emendationem, si uoluntarie noluerint, compellendi, quia infamiæ maculis sunt aspersi, et in barathrum dilabuntur, nisi eis sacerdotali auctoritate subuentum fuerit.

§. 1. Similiter et illi, de quibus ipse ait: “Cum huiusmodi nec cibum sumere,” quia infamia sunt notati, antequam sacerdotali auctoritate sanentur, et gremio sanctæ matris ecclesiæ redintegrentur, quia qui extra nos sunt nobis cum communicare non possunt.

**C. IV.** Ante satisfactionem excommunicati ad accusationem non admittantur.

Item Fabianus Papa. [epist. II].

Omnes illi sunt ab accusatione repellendi, quos Apostolus commemorat, dicens: “Cum his nec cibum sumere,” et ante satisfactionem ecclesiæ non sunt suscipiendi.

**C. V.** Sacerdotes non nisi a coequalibus accusari debent.

Item Clemens Iacobo, Ierosolimorum Episcopo. [epist. I].

Beatus Petrus homicidas et adulteros, ac cunctos criminalibus nexibus obligatos, et qui eis coequales non erant, ab episcoporum uexatione et accusatione, docente Domino, prohibebat, et non nisi a coequalibus aliquid sibi inferre debere docebat.

§. 1. Infames etiam omnes, et quos primates et leges seculi non suscipiunt, sed et laicos ab eorum accusatione et uexatione semper repellere debere rogabat, et cunctos sibi subditos esse precipiebat, cunctorum sacerdotum uitam superiorem sanctiorem que, ac discretam a secularibus et laicis hominibus esse, et spirituales atque sacerdotes super carnales ac laicos semper constituere et fore debere docebat, quoniam pro minimo nobis esse debet, ut a talibus arguamur et iudicemur uel ab humano die.

Maiores uero a minoribus nec accusari, uel iudicari nullatenus posse dicebat, quoniam non solum hoc diuinas, sed et lege seculi inhibere docebat.

**C. VI.** Qui criminosis fuerit sacerdotes accusare non potest.

Item Adrianus Papa. [in capitulis c. 68].

Qui crimen intendit, agnoscendum est, si ipse ante non fuit criminosus, quia periculosum est et admitti non debet rei aduersus quemcumque professio. [c. 72.:] §. 1. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores habentes et filios, omnino Christum predicantes.

Gratian. Non solum autem criminosi, sed etiam quilibet alii ab accusatione episcoporum repelluntur.

Unde Anacletus Papa [epist. I]. ait:

**C. VII.** Deo non placet qui suos seruos accusat.

Si omnia in hoc seculo uindicata essent, locum diuina iudicia non haberent.

Superuacuis laborat inpendiis, qui solem certat facibus adiuuare.

Ideo si aliquis putat se Deo in hoc placere, quod seruos suos accusat, et ut meliores fiant dicit se hoc agere, in uanum laborat, et plus inuidiæ stimulis agitatur quam karitatis, quoniam gratiæ plenitudo adiectione non indiget, nec ulla requirit commendationis augmenta.

**C. VIII.** Populus sacerdotes arguere uel increpare non ualet.

Item Telesphorus Papa. [epistola unica, c. 3].

Sacerdotes, qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus sunt obediendi et timendi, non dilacerandi aut detrahendi, quia a quibus se Domini populus benedici, saluari et instrui cupit, nullatenus eos debet arguere, nec uulgius in eorum accusatione suscipi.

Populus enim ab eis docendus est et corripiendus, non ipsi ab eo, quia non est discipulus super magistrum.

§. 1. Dei ergo ordinationem accusat, qui eos, qui ab eo constituuntur sacerdotes, accusat uel dampnare cupit.

Idem:

§. 2. Hi, qui non sunt idonei, non suscipiantur ad accusationem; et omnes, qui aduersus Patres id est sacerdotes armantur, infames esse censemus.

Patres enim omnes id est sacerdotes uenerandi sunt, non respuendi aut accusandi uel insidiandi.

**C. IX.** De eodem.

Item Pius Papa. [epist. I].

Oues pastorem suum non reprehendant; plebs episcopum non accuset, nec uulgius eum arguat, quia non est discipulus super magistrum.

Episcopi enim a Deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit.

Nam a subditis aut prauæ uitæ hominibus non sunt accusandi aut arguendi aut lacerandi.

Et infra:

§. 1. Nemo bonum faciens alteri uerbo aut facto nocere uult; quanto minus in suspicionem debet uenire fidelis homo, ut dicat aut faciat ea, que pati non uult?

quia omnis suspicio potius est repellenda quam approbanda uel recipienda.

Gratian. Ipsa autem detractio, licet ex uicio detrahentium, tamen iusto Dei iudicio nonnumquam aduersus bonos excitatur, ut quos uel domestica presumptio, uel aliorum fauor in altum extulerat, detractio humiliet.

Unde Ambrosius: [ad c. 22. Lucæ]

**C. X.** Ne quis de se presumat, linguæ malorum ex Dei precepto contra eum excitantur. Imitare Petrum tertio dicentem: “Domine, tu scis, quia amo te”. Etenim, quia tertio negauerat, tertio confitetur; sed negauit in nocte, confitetur in die. Hec autem ideo dicta sunt, ut sciamus, neminem iactare se debere. Nam et si Petrus lapsus est, quia dixit: “Et si alii scandalizati fuerint, sed non ego,” quis alius iure de se presumat? Denique et Daudid quia dixerat: “Ego dixi in habundantia mea, non mouebor in eternum,” eam sibi iactantiam obfuisse confitetur, dicens: “Auertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus”.

**C. XI.** Ut boni salubriter humiliantur, linguæ malorum contra eos insurgunt. Item Gregorius. [lib. IX. epist. 39. ad Theoctistam Patriciam] Sunt plurimi, qui uitam bonorum fortasse amplius quam debent laudant, et ne qua elatio de laude subripiat permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem et obiurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore uituperantium suffocetur. Hinc est, quod doctor gentium se in predicatione currere testatur inter infamiam et bonam famam, qui etiam dicit: “Ut seductores et ueraces”. Gratian. Verum hac auctoritate prohibentur spirituales a carnalibus accusari, non carnales a spiritualibus. Quod ex uerbis eiusdem datur intelligi, quibus in eodem capitulo subiunxit, dicens: “Capite languescente facilius reliqua corporis membra inficiuntur, sicut scriptum est: Omne caput languidum, et omne cor merens; a planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas”. Quapropter manifestum est, diabolus (qui sicut leo rugiens circuit, querens quem deuoret) cordibus plebium suadere, ut doctoribus atque pastoribus suis detractiones irrogent, uel accusent, ut plebes languescentes (non tenentibus pastoribus frena eorum) lasciuiant, atque in ima ruant, ut saltim sic periclitari possint. Multum uero distant dampna morum a dampnis rerum temporalium, cum ista extra nos sint, illa in nobis. Et infra: “Peius malum fore non existimo, quam Christianos suis inuidere sacerdotibus”. Hinc etiam Felix II. ait: [Episcopis in Alexandrina Sinodo congregatis]

**C. XII.** Deo recte famulantes persequi non licet. Quiescite, inquit sancta synodus Nicena, et nolite persequi eos, qui recte Deo famulantur, et sincera uoluntate superna Dei mandata custodiunt, et nostris legibus subiugantur; quia non decet, ut carnales spirituales persequantur.

**C. XIII.** Subditi prelatos suos accusare non debent. Item Anterius Papa. [epistola unica] Ex merito plebis nonnumquam episcopi deprauantur, quatinus procliuius cadant qui secuntur. Capite languescente cetera corporis membra inficiuntur. Deteriores sunt, qui uitam mores que bonorum corrumpunt, his, qui substantias aliorum predia que diripiunt. Caueat unusquisque, ne aut linguam, aut aures habeat prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahat, aut alios detrahentes audiat.

“Sedens,” inquit, “aduersus fratrem tuum loquebaris” detrahendo, “et aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum,” etc.

Parcant singuli detractio[n]i linguæ, custodiant que sermones suos, et sciant, quia cuncta que de aliis loquuntur, sua sententia iudicabuntur.

Nemo inuito auditori libenter refert.

Offitium singulorum sit, dilectissimi, non solum oculos castos seruare, sed et linguam, nec quid in cuiusquam domo agatur alia domus umquam per eos nouerit.

Habeant omnes simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinentur dolos et serpentis astutiam, ne aliorum subplantentur insidiis.

Item Lucius Papa: [epist. unica, Episcopis Galliæ et Hispaniæ scribens]

**C. XIV.** Bonus nocere non cupit.

Sapiens non est omnis qui nocet.

**C. XV.** Raptoribus deteriores episcoporum sunt detractores.

Item Anacletus Papa. [epist. III].

Deteriores sunt, qui doctorum uitam mores que corrumpunt, his, qui substantias aliorum predia que diripiunt.

Ipsi enim ea, que extra nos, licet nostra sint, auferunt; nostri quoque detractores, et morum corruptores nostrorum, siue qui aduersus nos armantur, proprie nos ipsos decipiunt, et ideo iuste infames sunt, et merito ab ecclesia extorres fiunt.

Pro meritis ergo plebis sepe pastores deprauantur ecclesiæ, ut procliuius corruant qui secuntur.

**C. XVI.** De eodem.

Item Alexander. [epist. III].

Summa iniquitas est fratres detrahere et accusare.

Unde scriptum est: “Omnis, qui detrahit fratri suo, homicida est, et omnis homicida non habet partem in regno Dei”.

Gratian. Patet ergo, ut premissum est, quod carnales prohibentur ab accusatione spiritualium, non spirituales ab accusatione carnalium.

## **II. Pars.**

§. 1. Cum itaque criminosi et infames ab accusationibus prohibeantur, uidendum est, quos canonum sacra auctoritas infames appellet.

De his Stephanus Romanæ Ecclesiæ Episcopus scribit Ylario, [ep. I. c. 1]. dicens:

**C. XVII.** Que personæ infames habeantur.

Infames esse eas personas dicimus, que pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes, qui Christianæ legis normam abiciunt, et statuta ecclesiastica contempnunt; similiter fures, sacrilegos et omnibus capitalibus criminibus irretitos; sepulcrorum quoque uiolatores, et omnes, qui aduersus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur; similiter et incestuosos, homicidas, periuros, raptos, maleficos, ueneficos, adulteros, de bellis publicis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates ecclesiæ auferunt iniuste, et qui fratres calumpniantur, aut accusant et non probant, et qui contra innocentes principum animum ad iracundiam prouocant, et omnes anathematizatos uel

pro suis sceleribus ab ecclesia repulsos, et omnes, quos ecclesiasticæ uel seculi leges infames pronunciant.

Hii nimirum omnes, nec serui ante legitimam libertatem, nec penitentes, nec bigami, nec illi, qui curiæ deseruiunt, uel non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem uel intellectum, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur, hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent prouehi, nec isti, nec liberti neque suspecti, neque rectam fidem uel dignam conuersationem non habentes, summos sacerdotes possunt accusare, nec ad accusationem seu ad testimonium ullatenus iuste recipi possunt.

**C. XVIII.** Infamis efficitur qui sciens deierare presumit.

Item Fabianus Papa.

### **III. Pars.**

Quicumque sciens se periurauerit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos peniteat, et numquam sit sine penitentia, et numquam in testimonium recipiatur; communionem tamen post hec percipiat.

**C. XIX.** Accusatores et personas, quas leges seculi non admittunt, ecclesiasticæ quoque repellunt.

Item Eusebius Papa. [epist. I. ad Episcopos Galliæ]

Nos sequentes Patrum uestigia pro saluatione seruorum Dei, quascumque ad accusationem personas leges publicæ non admittunt, his inpugnandi alterum nos licentiam submouemus, et nullæ accusationes a iudicibus audiantur ecclesiasticis, que legibus seculi prohibentur.

Gratian. Sed licet infames ab accusatione episcoporum prohibeantur, non tamen isti ab huius accusatione prohibendi sunt.

Hereticos namque accusare infamibus non prohibetur, ut supra patuit in ea causa, ubi de accusatione minorum aduersus maiores disputatum est.

[[**C. XX**].

Item.

Cum maiores scientia et moribus a minoribus accusari prohibeantur, non equales ab equalibus, uel minores a maioribus, ab huius accusationibus non sunt hii prohibendi, cum hereticus catholico minor sit.

Sed hoc an generaliter accipiendum sit, Augustinus non diffinit, [lib. IV. de Baptismo contra Donatistas, c. 5]. dicens:

**C. XXI.** Dubium est, an sciens auarus, an nesciens hereticus grauius peccet.

Quero ergo, quis peccet grauius, qui nesciens heresim incurrerit, an qui sciens ab auaritia, id est ab ydolatria non recesserit?

Secundum illam regulam, qua peccata scientium peccatis ignorantia preponuntur, auarum conscientia uincit in scelere.

Sed si, forte hoc faciat in heresi ipsius sceleris magnitudo, quod facit in auaritia scientis admissio hereticus nesciens auaro scienti coequatur.

Item: [c. 20. eiusdem libri]



§. 1. Utrum catholicum pessimis moribus alicui heretico, in cuius uita, preter id, quod hereticus est, non inueniunt homines quod reprehendant, preponere debeamus, non audeo precipitare sententiam.

#### IV. Pars.

Gratian. Verum hoc Augustini, et illud de infamium accusatione, de his intelligendum est, quos constat esse hereticos, non de his, qui se negant in heresim lapsos.

Hic autem in omnibus religiosus aprensus, dum se negat hereticæ communionis aliquando macula infectum, infames atque alios huiusmodi a sua accusatione ipse repellit.

§. 1. Hec licet ratione niti uideantur, exemplo tamen lesæ maiestatis uana intelliguntur, ad cuius accusationem dum socius initæ factionis admittitur, non queritur, an cogitare contra animam principis sit maiestatem ledere, sed an aliquis de nece eius tractauerit.

Unde Inpp. Honorius et Arcadius in nono libro Codicis, titulo ad legem Iuliam maiestatis, [leg. 5.,] scripsisse leguntur:

[XXII].

“Si quis cum militibus uel primatis, barbaris etiam, scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum uel dederit, de nece etiam uirorum illustrium, qui consiliis et consistorio nostro intersunt, senatorum etiam (nam et ipsi pars nostri corporis sunt) uel cuiuslibet postremo, qui nobis militat, cogitauerit, (eadem enim seueritate uoluntatem sceleris, qua effectum, puniri iura uoluerunt), ipse quidem, utpote maiestatis reus, gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis.

Filii uero eius, quibus uitam inperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire suplicio, in quibus paterni, hoc est hereditarii, criminis exempla metuuntur), a successione omnium proximorum habeantur alieni, testamentis extraneorum nichil capiunt, sint perpetuo egentes et pauperes, infamia eos semper paterna comitetur, ad nullos umquam honores, nulla prorsus sacramenta perueniant, sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus et sit mors solatium et uita suplicium.

Denique iubemus etiam notabiles esse infamia sine uenia, qui pro talibus umquam apud nos interuenire temptauerint.

§. 1. Sane, si quis ex his in exordio initæ factionis, studio ueræ laudis accensus, ipse prodiderit factionem, et premio a nobis et honore donabitur.

Is uero, qui usus fuerit factione, si sero, tamen incognita adhuc consiliorum archana patefecerit, absolute tantum ac uenia dignus habebitur”.

[Gratian.] Porro symoniæ accusatio ad instar lesæ maiestatis procedere debet, sicut Leo inperator in I. libro Codicis decreuisse legitur, titulo de episcopis et clericis, 1. Si quenquam procedere debet.

Quod de accusatione, non de pena intelligi oportet.

Unde Inppp. Valentinianus, Valens et Gratianus libro IX. Codicis titulo ad legem Iuliam maiestatis: [I. Nullus]

[[C. XXIII].

“Nullus omnino, cui inconsultis ac nescientibus nobis fidicularum tormenta offeruntur, militiæ, uel generis, aut dignitatis defensione uti prohibeatur, excepta tantum maiestatis causa, in qua sola equa omnibus conditio est”.

Gratian. Sed cum omnes illi assumuntur in accusatione symoniæ, qui possunt accusare de crimine maiestatis, constat, quod sicut ibi non dubitatur de crimine maiestatis, sed an reus commiserit illud, sic et hic non negatur heresis, sed inpetitur accusatus, an commiserit heresim.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Quod autem queritur, si episcopus accusationem in accusatorem uertere uoluerit, an suæ simplici assertioni fides sit habendam?

facile soluitur, si sanctorum Patrum auctoritas diligenter inspiciatur.

Ut enim sancti patres diffiniunt, nullius personæ, quantumlibet exercitatae, confessioni fides est adhibenda, nisi competentes probationes adhibeat.

Unde in IV. Cartaginensi Concilio [c. 29]. legitur:

**C. I.** Episcopus, crimen alicui obiciens, in sinodo probet quod obicit.

Episcopus, si clerico uel laico crimen inposuerit, deducatur ad probationem in sinodum.

Gratian. Sed obicitur: Si se solum alieni sceleris conscium nouerit, probare illud testibus non ualet; quid ergo tunc sibi faciendum sit, ex Concilio Vasensi [I. c. 8]. sic diffinitur:

**C. II.** Episcopus non proferat quod probare non potest.

Si tantum episcopus alieni sceleris se conscium nouit, quamdiu probare non potest, nichil proferat, sed cum ipso ad conpunctionem eius secretis correctionibus elaboret.

Quod si forte correptus pertinacior fuerit, et se communioni publicæ ingesserit, etiam si episcopus in redarguendo illum, quem reum iudicat, probatione deficiat, indempnatus (licet his qui nichil sciunt, secedere ad tempus pro personæ maioris auctoritate iubeatur) ille tamen, quamdiu nichil probare potest, in communionem omnium, preterquam eius, qui eum reum iudicat, permanebit.

**C. III.** De episcopo, qui sibi soli dicit aliquem suum crimen fuisse confessum.

Placuit, ut si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet ad iniuriam suam episcopus pertinere, quod illi soli non creditur.

Et si scrupulo propriæ conscientiae se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicauerit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caueat episcopus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis conuincere non potest.

## QUESTIO III.

### GRATIANUS.

Iudicium uero archiepiscopi alterius prouinciæ alicui expetere non licet.

Unde Gregorius ait: [respons. IX. ad Augustinum Anglorum Episcopum]

**C. I.** Alterius parrochianum alicui iudicare non licet.

Scriptum est in lege: “Per alienam messem transiens falcem mittere non debes, sed manu spicas contere et manducare”.

Falcem enim iudicii mittere non debes in ea segete, que alteri uidetur esse conmissa, sed per affectum boni operis frumenta dominica uiciorum suorum paleis expolia, et in ecclesiæ corpus admonendo et persuadendo, quasi mandendo, conuertere.

**C. II. Quot ciuitates unaqueque prouincia habeat.**

Item Pelagius Papa [II. ep. VIII]. omnibus Episcopis.

Scitote certam esse prouinciam, que habet X. aut XI. ciuitates, et unum regem, et totidem minores potestates sub se, et unum metropolitanum, alios que suffraganeos X. uel XI. episcopos iudices, ad quorum iudicium omnes causæ episcoporum, et reliquorum sacerdotum, ac ciuitatum referantur, ut ab his omnibus iuste consona uoce discernatur, nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his, qui iudicandi sunt, appellatum.

Unde non oportet, ut degradetur uel dehonoretur unaqueque prouincia; sed apud semetipsam habeat iudices, sacerdotes et episcopos, singulos uidelicet secundum ordines suos, et quicumque causam habuerit a suis iudicibus iudicetur, et non ab alienis, id est a suæ iustis iudicibus prouinciæ, et non ab extraneis, nisi (ut iam est prelibatum) a iudicandis fuerit appellatum.

**C. III. Non aliorum, sed primatis sui iudicio quisque se subiciat episcopus.**

Item Nicolaus Papa.

Denique si Suffredus, tale in se crimen nouerat, quo recte posset episcopatu priuari, uel infirmitate se sentiebat forsitan pregruari, qua inpeditus nullis posset proximis sua prelatione prodesse, primatis sui debuerat et non aliorum dioceseon antistitum prestolari iudicium.

Quod si quelibet ambiguitas, uel aliqua fortasse super eius examinatione, uel episcopatus abrenunciatione oborta fuisset contentio, ex more ad apostolicam sedem referri conuenerat, et nostra in his omnibus debuerant cuncti decreta penitus expectare.

Quod quia omissum hactenus dolemus, dilectissimam mihi gloriam uestram uehementer efflagito, ut iam dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio, et si quid reprehensione dignum gessit, postea uel correctione, uel digna animaduersione diffiniatur.

Gratian. Est tamen casus, in quo episcopus alterius parrochianum excommunicare ualet. Unde in Concilio apud Compendium: [c. 5].

**C. IV. Quando episcopus parrochianum alterius excommunicare ualet.**

Placuit pro communi utilitate, ut nullus episcoporum grauiter ferat, si eius parrochianum pro depredationis causa alter episcopus excommunicauerit.

**[PALEA. C. V. De eodem.**

Item ex Concilio Meldensi, c. 2.

De illis autem, qui intra parrochiam beneficium aut hereditatem habent, et alterius episcopi parrochiani sunt, et de loco ad locum iter faciunt, et rapinam et depredationes peragunt, placuit, ut excommunicentur, nec ante ex parecia exeant, quam que perpetrarunt digne emendent.

Quorum excommunicatio seniori eorum et proprio episcopo significanda est, ne eos recipiat ante, quam illuc redeant, ubi rapinam fecerunt, et ibi omnia pleniter emendent].

**QUESTIO IV.****GRATIANUS.**

Porro cuius iudicium sibi expetendum sit, si iudices electi inter se discordare ceperint, in Laudicensi Concilio [c. 14]. sic inuenitur diffinitum:

**C. I.** A quo sit ferenda sententia, quando conprouinciales episcopi discordant.

Si quis episcopus criminaliter in iudicio episcoporum fuerit accusatus, contingat autem episcopos prouinciæ, qui conuenerint, diuersas habere sententias, et alios quidem innocentem eum pronunciare, alios reum, propter huiusmodi controuersiam amputandam placuit sanctæ synodo metropolitanum episcopum alterius uicinæ prouinciæ aduocari, et aliquantos cum eo episcopos alios, qui pariter residentes quecumque fuerit dirimant questionem, propter hoc, ut sit firmum iudicium, quod ab unius prouinciæ episcopis fuerit promulgatum.

**C. II.** Quando electi iudices inter se de sententia discordes extiterint, de uicina prouincia archiepiscopus aduocetur.

Item ex Concilio Martini Papæ.

Si quis episcopus in aliquibus iudicatur, et uiderit ipsos episcopos, qui in prouincia sua sunt, inter se iudicio discrepare, ut alii uideantur eum, qui iudicatur, iustificare, alii condemnare, pro diffinitione huius dissensionis hoc placuit sanctæ synodo, ut de prouincia uicina alter metropolitanus conuocetur episcopus, ut per eum confirmetur quod secundum rectum placuerit canonem.

Gratian. Nisi eadem prouincia primatem habuerit, ad quem negotia, que per metropolitanum terminari non ualent, referenda sunt.

Unde Bonifatius Papa Episcopis Galliæ:

**C. III.** Primati deferantur negotia, que metropolitanus explicare non ualeat.

Si inter episcopos eiusdem concilii dubitatio emerit de ecclesiastico iure uel de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in concilio considerans rem diiudicet, et si non adquiescat utraque pars iudicatis, tunc primas regionis inter ipsos audiat, et quod ecclesiasticis canonibus et legibus nostris consentaneum sit, hoc diffiniat, et nulla pars calculo eius ualeat contradicere.

[**PALEA. C. IV.** De eodem.

Item Alexander Papa.

Si metropolitanus a quocumque conprouinciali episcopo in causa propria appellatus eum audire distulerit, in proxima synodo negotii sui habeat licentiam exercendi, et quicquid per iustitiam a conprouincialibus suis fuerit statutum debet custodiri].

Gratian. Sed si omnium conprouincialium concordia sententia fuerit dampnatus, manebit erga eum immobilis censura.

Unde in Laudicensi Concilio [cap. 15]. legitur:

**C. V.** Episcopus, qui ab episcopis suæ prouinciæ consonam sententiam reportauerit, ab aliis iudicari non poterit.

Si quis episcopus criminaliter accusatus ab omnibus, qui sunt intra prouinciam, episcopis exceperit unam consonam que sententiam, ab aliis ulterius iudicari non

poterit, sed manere circa eum oportet tamquam conuenientem, que ab omnibus prolata est, firmam ratam que sententiam.

Gratian. Subintelligendum uero est, nisi ad iudicem maioris auctoritatis fuerit prouocatum.

Tunc enim per appellationem soluta sententia firmitatem non obtinet.

Unde Nicolaus Papa ait: [in epist. ad Carolum Regem, cuius initium: “Numquam dolorem generat”].

**C. VI.** Semel difinitum retractari non licet, nisi ubi maior auctoritas fuerit.

Quod bene semel diffinitum est et interpositis iuramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis ubi fuerit maior auctoritas, retractari.

**C. VII.** In renouatione iudicii memoria B. Petri est habenda.

Item ex Concilio Sardicensi. [c. 4].

Osius episcopus dixit: “Quod si aliquis episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, alterum iudicium renouetur, si uobis placet, S. Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur uel ab his, qui examinauerunt, uel etiam ab aliis episcopis, qui in prouincia proxima morantur, Romano episcopo.

Et si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur et det iudices.

Si autem probauerit talem causam ut ea non refricentur, que acta sunt, que decreuerit Romanus episcopus confirmata erunt.

Si hoc ergo omnibus placet, statuatur”.

Sinodus respondit: Placet.

Codicis libro IV. titulo de probationibus: Actor, quod asseuerat profitendo se probare non posse, reum necessitate monstrandi contrarium non astringit, cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

Quod autem deficiente accusatore reus non sit cogendus ad probationem, auctoritate Gregorii probatur, qui [lib. V. epist. 25]. scribens Maximo ait:

**C. I.** Onus probationis reo non incumbit.

Quod autem postulas, ut illuc personam dirigere debeamus, qua de his, que dicuntur, possit esse probatio, esset utcumque excusabile, si umquam ratio ei, qui accusatur, necessitatem probationis inponeret.

At postquam non tibi, sed accusantibus hoc onus incumbit, ad nos, sicut prefati sumus, dilatione cessante uenire non desinas.

Gratian. Accusatus non negationem, sed exceptionem probare debet:

[[**C. II.**].

[Gratian.] Hoc autem seruandum est, quando reum publica fama non uexat.

Tunc enim auctoritate eiusdem Gregorii propter scandalum remouendum, famam suam reum purgare oportet.

### CAUSA VII.

**GRATIANUS.**

Quidam longa inualetudinem grauatus episcopus alium sibi substitui rogauit, cuius precibus summus Pontifex annuit, et quod rogauerat ei concessit.

Postea uero conualuit idem episcopus, et quod prius fecerat cupit rescindi; aduersus eum, qui sibi accesserat, questionem mouet, suam cathedram tamquam sibi debitam reposcit.

(Qu. I).

Hic primum queritur, utrum uiuente episcopo alius possit in ecclesia eadem ordinari?

(Qu. II).

Secundo, an iste ualeat reposcere cathedram, quam sua intercessione alter accepit?

**QUESTIO I.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod uiuente episcopo alius superponi aut superordinari non possit, ex concilio apud Aluerniam celebrato diffinitum est, in quo legitur: “ut nullus uiuente episcopo alius superponatur aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in eius locum, quem capitalis culpa deiecerit”.

**C. I.** Pro molesti corporis suo honore non priuetur episcopus.

Item ex Registro Gregorii Papæ, [lib. IX. epist. 41]. ad Anatolium Constantinopolitanum Diaconem.

Scripsit mihi dilectio tua, me reuerentissimo fratri meo Iohanni primæ Iustinianæ episcopo pro egritudine capitis, quam patitur, episcopum precipere succedi, ne fortasse, dum episcopi iura eadem ciuitas non habeat, (quod absit) ab hoste depereat.

Et quod nusquam canones precipiunt, ut pro egritudine episcopi episcopus succedat, et ideo iniustum est, ut, si molestia corporis irruit, honore suo priuetur egrotus.

Sed suggerendum est, ut si quis, in regimine, egrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit eius curam omnem agere, et locum illius in regimine ecclesiæ (ipso non deposito) conseruare, ut neque Deus omnipotens offendatur, neque ciuitas neglecta esse inueniatur.

**C. II.** Flagellatis a Domino afflictio addi non debet.

Idem [lib. II]. in epistola [5]. ad Candidum.

Cum percussio corporalis inminet, utrum pro purgatione, an pro uindicta contingat, Dei in hoc iudicium ignoratur, et ideo non debet a nobis flagellatis addi afflictio, ne nos culpæ (quod absit) offensa respiciat.

**C. III.** Infirmitatis causa loco suo quis priuari non debet.

Item Gregorius Clementio Episcopo Primati Vizanzeno.

Presentium latoris Adeodati querelam, qui se sui presbiteratus loco incongrue dicit expulsum, licet subditæ tibi textus explanet petitionis, tamen paulo iudicauimus apertius retexendam.

Asserit namque a Quinciano fratre et coepiscopo nostro in loco suo quibusdam se suis ordinandis negotiis relaxatum, egritudinis que causa per duorum mensium spatium suæ se ecclesiæ defuisse; cuius rei occasionem captantem predictum fratrem nostrum alium loco eius presbiterum illic ordinasse.

Hortamur itaque fraternitatem tuam, ut causam eius sollicite districte que perquiras, et, si manifestæ egritudinis causa, sicut dicitur, ecclesiæ suæ eum defuisse repereris, nullum ei ex ordinatione alterius presbiteri permittas preiudicium generari, sed in loco suo eum fac sine aliqua dubietate restitui.

Et infra:

§. 1. Illud autem karitatem tuam specialiter ammonemus, ut, si uera fuerit huius suggestio, atque in suo ordine fuerit restitutus, de presbitero, qui in loco eius ordinatus est, subtiliter districte que esse sollicitus debeas.

Et si quidem sine datione aliqua ad eundem ordinem uenit, ut in symoniacam heresim non potuisset incidere, in aliam quamcumque ecclesiam uacantem eum uolumus ordinari.

Sin autem in eum quippiam (quod auertat Dominus) tale fuerit repertum, ipso etiam presbiteratus priuetur ordine, quem non causa replendæ necessitatis ecclesiæ, sed sola conprobatur ambitione suscepisse.

**C. IV.** Pro infirmitate uel egritudine pontifices non sunt abiciendi, nec in eorum loco alii substituendi.

Item Nicolaus Aluino Iouaiensi Archiepiscopo.

Pontifices, qui aliqua occupantur infirmitate uel egritudine, abiciendi non sunt, nec alios in eorum loco consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtracti.

Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, que licita sunt sacerdotes expleant.

In his uero, que his presumere non licet, uicinorum usque ad recipiendam sanitatem episcoporum auxilia subrogentur, et hoc cum cautelæ studio peragant, ne per necessitatis occasionem presumptionis pullulet ambitio.

Episcopus uero, qui dominici gregis suscipiunt curam atque sollicitudinem, ab amministrazione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulcritudo non deleatur, sed certamine eorum salubriter augeatur et triplicetur.

**C. V.** Viuente episcopo alius sibi succedere non ualet.

Item ex epistola Cipriani Episcopi et Martiris.

Factus est Cornelius episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, que tunc affuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum uirorum consensu cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis uacaret, quo occupato et de Dei uoluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam episcopus fieri uoluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesiæ non tenet unitatem.

Quisquis ille fuerit, licet de se multum iactans et plurimum sibi uendicans, profanus est, alienus est, foris est.

Et cum post primum esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debet factus est, iam non secundus ille, sed nullus est.

**C. VI.** Non est episcopus qui in locum irrepserit uiuentis.

Item eiusdem.

Nouatianus episcopus non est, qui Cornelio episcopo in ecclesia a sedecim coepiscopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur, et cum sit a Christo una ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa, item episcopatus unus, multorum episcoporum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique coniunctam catholicæ ecclesiæ unitatem, humanam conatur ecclesiam facere, et per plurimas ciuitates novos suos apostolos mittit, ut quedam recentia institutionis suæ fundamenta constituat; cum que iampridem per omnes prouincias et per urbes singulas ordinati sint episcopi in etate antiqui, in fide integri in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoepiscopos audet, quasi possit aut totum orbem noui conatus obstinatione peragrare, aut ecclesiastici ordinis compaginem discordiæ suæ seminatione rescindere, nesciens scismaticos semper inter initia feruere, incrementa uero habere non posse, nec augere quod illicite ceperint, sed statim cum praua sua emulatione deficere.

Et infra:

§. 1. Qui ergo nec unitatem Spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, et se ab ecclesiæ uinculo atque a sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui episcopatus nec unitatem uoluit habere, nec pacem.

C. VII. Non est in ecclesia qui cum episcopo pacem non habet.

Idem ad Pappianum. [eodem lib. IV. epist. 6].

Scire debes episcopum in ecclesia esse, et ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando ecclesia, que catholica una est, scissa non sit neque diuisa.

C. VIII. Suo iure quis cedere non debet.

Idem. [ad Iubaianum]

Quam periculosum sit in diuinis rebus ut quis cedat iure suo et potestate, scriptura sancta declarat, cum Esau primatus suos inde perdidit, nec recipere postmodum potuit, quod semel cessit.

C. IX. Perditionem sibi adquireunt qui ab episcopis recedentes unitatem ecclesiæ scindunt.

Idem. [lib. I. epist. 6. ad Magnum]

Denique quam sit inseparabile unitatis sacramentum, et quam sine spe sint, et perditionem sibi maximam de indignatione Dei adquirent qui scisma faciunt et relicto episcopo alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt, declarat scriptura diuina in libris Regnorum, ubi a tribu Iuda et Benjamin decem tribus scissæ sunt, et relicto rege suo alterum sibi foris constituerunt.

“Et indignatus est,” inquit, “Dominus semini omni Israël, et demoliuit eos, et dedit eos in direptionem, donec abiceret eos a facie sua, quia dissipatus est Israël a domo Daud, et constituerunt sibi regem Ieroboam, filium Nabath”.

Indignatum esse Deum dixit, et eos in perditionem dedisse, quia ab unitate dissipati alterum sibi regem constituissent.

Et tanta indignatio Domini extitit aduersus illos, qui scisma fecerunt, ut etiam cum homo Dei ad Ieroboam missus esse, qui ei peccata sua exprobraret atque ultionem futuram predicaret, panem apud illos edere et aquam bibere uetaretur.



Quod cum non custodisset et contra preceptum Domini prandisset, statim diuina censura percussus est, ut inde regrediens inpetu ac morsu leonis in itinere necaretur.

§. 1. Sed adhuc in euangelio suo Dominus, maiorem suæ intelligentiæ lucem manifestat, quod idem, qui tunc se a tribu Iuda et Benjamin sciderant, et Ierosolimis relictis Samariam secesserant, inter pseudopphetas et gentiles computarentur.

Nam cum primum discipulos in ministerium salutis mitteret, mandauit et dixit: “In uiam gentium ne abieritis, et in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis”.

Ad Iudeos prius mittens gentiles adhuc preteriri iubet.

Addendo autem et ciuitatem Samaritanorum debere omitti, ubi erant scismatici, ostendit scismaticos gentibus adequari.

Et post pauca:

§. 2. Quod uero eundem, quem nos Deum Patrem, eundem Filium eundem Spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adiuuare tales potest.

Nam et Chore, et Dathan, et Abiron cum sacerdote Aaron et Moyse eundem Deum nouerant, pari lege et religione uiuentes unum et uerum Deum, qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocabant: tamen quia loci sui ministerium transgressi et contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perceperat, sacrificandi sibi licentiam uendicauerunt, diuinitus percussi penas statim pro illicitis conatibus penderunt, nec potuerunt rata esse et proficere sacrificia irreligiose et illicite contra ius diuinæ dispositionis oblata.

Thuribula quoque ipsa, in quibus incensum illicite fuerat oblatum, ne in usu de cetero essent sacerdotibus, sed potius indignationis et ultionis diuinæ memoriam corrigendi posteris exhiberent, iussu Domini conflata atque igne purgata, in laminas ductiles producuntur, et affiguntur altari, secundum quod loquitur diuina scriptura: “Memoriale,” inquit, “filiis Israël, ut non accedat quisquam alienigena, qui non est ex semine Aaron, inponere incensum ante Dominum ut non sit sicut Chore”.

Et tamen illi scisma non fecerant, nec foras egressi contra Domini sacerdotes impudenter atque hostiliter rebellauerant, quod nunc hi ecclesiam scindentes, et contra pacem atque unitatem Christi rebelles, cathedram sibi constituere, et primatum assumere, et baptizandi atque offerendi licentiam uendicare conantur etc.

**C. X.** Non est defendendus qui uiuentis locum inuadit.

Item Leo IV. Nomenio, Duci Britanniaë.

Non furem, et latronem, qualem Gislardum esse sentimus in Nannetica sede, qui uiuentis (quod non licuit) non timuit locum usurpare, pro cuiuscumque muneris donis ultra debes defensare.

**C. XI.** Non licet episcopo ecclesiam suam dimittere.

Item Euaristus Papa. [epist. II]. omnibus Episcopis.

Sicut uir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, id est ut illam dimittat, ad quam consecratus est.

Et sicut uxori non licet dimittere uirum suum, ut alteri se uiuente eo matrimonio societ ut eum adulteret, licet fornicatus sit eius uir, sed iuxta Apostolum aut uiro suo debet reconciliari, aut manere innupta, ita ecclesiae non licet dimittere episcopum suum, aut se ab eo segregare, ut alterum uiuente eo accipiat; sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est alterum episcopum suo uiuente non accipiat, ne aut fornicationis aut adulterii crimen incurrat.

Si uero adulterata fuerit, id est si se alteri iunxerit, aut super se alterum episcopum adduxerit, aut esse fecerit uel desiderauerit, per acerrimam penitentiam aut suo reconcilietur episcopo, aut inuupta permaneat.

§. 1. Episcopo uero oportet oportune et inopportune, atque sine intermissione ecclesiam suam docere, eam que prudenter regere et amare, ut a uiciis se absteineat et salutem consequi possit eternam.

Et illa cum tanta reuerentia eius doctrinam debet suscipere, eum que amare et diligere ut legatum Dei et preconem ueritatis.

Gratian. Ecce his auctoritatibus patenter ostenditur, quod episcopo uiuente alius superordinari non potest, nec etiam pro eius egritudine.

Sed illud Gregorii intelligendum est, quando ille, qui egrotat, alium sibi substitui non rogat.

Ceterum, quando aliquis uel senectute, uel infirmitate grauatus susceptum officium amministrare non uolet, si alium sibi substitui petierit, rationabiliter fieri potest.

Unde in eodem capitulo sequitur: “Si uero idem Iohannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab episcopi honore debeat uacare, eo petitionem dante scripto, concedendum est; aliter id facere non ualemus”.

Hinc etiam B. Augustinus episcopo suo nondum defuncto, sed senectute grauato, cathedram episcopalem suscepit.

Unde in epistola Paulini [unica] ad Romanum legitur:

**C. XII.** Augustinus non tam successit quam accessit.

Non autem hoc tantum scripsimus gratulandum, quod episcopatum Augustinus acceperit, sed quod hanc curam Dei gratia meruerit Africanæ ecclesiæ ut uerba celestia Augustini ore perciperet, qui ad maiorem dominici muneris gratiam nouo more prouectus ita consecratus est, ut non succederet in cathedra episcopo, sed accederet.

Nam incolumi Valerio Ipponensis ecclesiæ episcopo coepiscopus Augustinus est.

Gratian. Hoc idem probatur auctoritate B. Gregorii, qui Ariminensi episcopo, dolore capitis laboranti, alterum subrogauit, ita scribens in [VII. libr.].

Registro suo, [Indict. 2., ep. 49]. capitulo 238.:

**C. XIII.** Episcopo grauato infirmitate alius subrogari potest.

Qualiter ordinati a nobis sacerdotis, corporis, quia notum est, impediendo molestia, Ariminensis ecclesia pastoralis hactenus ac sacerdotali sit regimine destituta, dudum fraternitas uestra cognouit.

Quem dudum habitatorum illius loci precibus permoti sepius hortati sumus, ut si de eadem capitis, qua detinebatur, molestia, melioratum esse se sentiret, ad suam auxiliante Deo reuerteretur ecclesiam.

Qui datis induciis in hoc quadriennio expectatur.

Quem, dum cleri, uel ciuium huc uenientium, nos que precibus arguentium instantius hortaremur, ut, si ualeret, cum eis auxiliante Domino remearet, datis scriptis supplicatione nos petit, ut quia ad eiusdem ecclesiæ regimen uel susceptum officium pro eadem, qua detinetur, molestia assurgere nullatenus posset, ecclesiæ Christi episcopum ordinare deberemus.

Unde, quia cunctarum ecclesiarum iniuncta cura sollicitudinis nos constringit, ne diutius gregi fidelium desit pastoralis custodia, illorum precibus huius ex sui impossibilitate renunciatione compulsi, uisum est nobis eidem Ariminensi ecclesiæ debere episcopum

ordinari, et datis ex more preceptis, clerum plebem que eiusdem ecclesiæ non destitimus ammonere, quatinus ad eligendum sibi antistitem concordi prouisione concurrant.

Hortamur ergo, ut fraternitas uestra eum, quem uno consensu omnes elegerint, sicut et ipsi a nobis poposcisse noscuntur, ad se faciat euocari, quem cauta ex omnibus examinatione discutite, et si, in eo, que in textu Eptatici continentur, minime Domino opitulante fuerint reperta, atque fidelium personarum relatione eius quoque uita uobis placuerit, ad nos eum cum decreti uestri pagina, addita quoque testificationis epistola destinate, quatinus eiusdem a nobis ecclesiæ Domino disponente consecretur antistes.

#### C. XIV. De eodem.

Item ex eodem capitulo 232. ad Eleutherium Episcopum.

Quamuis triste nobis sit ualde quod loquimur, atque fraterna nos compassione potius arguat, quam aliquid de auditis diffinire permittat, suscepti tamen sollicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos ecclesiis cura prospicere, ne qua earum possit utilitas deperire.

Peruenit igitur ad nos quibusdam referentibus, quemdam episcopum ita passionem capitis incurrisse, ut quod mente alienata agere soleat gemitus et fletus audire sit.

Ne ergo languente pastore grex (quod absit) insidiatoris laniandus dentibus exponatur, uel ecclesiæ ipsius utilitates depereant, cauta nos necesse est prouisione tractare.

Et ideo, quia uiuentem episcopum ab offitio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco eius (nisi recusante eo) nulla sinit ratio ordinari; sed si interualla egritudinis habere est solitus, ipse data petitione non se ulterius ad hoc ministerium subuertente infirmitate posse fateatur assurgere, et alium loco suo expetat ordinandum.

Quo facto omnium solempniter electione alter, qui dignus fuerit, episcopus ordinetur, sic tamen, ut quousque eundem episcopum in hoc seculo uita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem ecclesia ministrentur.

Enimuero si nullo tempore ad sanæ mentis redit offitium, persona fidelis ac uitæ probabilis est eligenda, que ad regimen ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum utilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ uinculo constringere, ecclesiasticarum rerum curam gerere, et maturum atque efficacem in omnibus se exhibere, qui etiam episcopo, qui nunc egrotat, superstes, loco eius debeat consecrari.

## II. Pars.

Gratian. Ne autem huiuscemodi passionibus sacerdotibus subito occupatis ceptum offitium inexpletum remaneat, institutum est, ut sacerdos, siue psallens siue sacrificans, alios se cum habeat, qui, si huiusmodi casus interuenerit, inchoata misteria perficere ualeant.

Unde in Tolletano Concilio XI. [c. 14].

C. XV. Quisque sacrificans sacerdotem sibi uicinum habeat, qui cepta sacramenta expleat, si ei aliqua necessitas ingruerit.

Illud diuini oraculi mente singuli precauentes, quo scribitur: "Væ soli, quia, cum ceciderit, non habet subleuantem," summopere nobis uerendum est et cauendum, ne horis illis atque temporibus, quibus Domino psallitur uel sacrificatur, unicuique diuinis offitiis singulariter insistenti perniciosa passio uel quelibet corporis ualitudo occurrat, que aut corpus subito obrui faciat, aut mentem alienatione uel terrore confundat.

Huiusmodi ergo casibus precauentes necessarium duximus instituere, ut ubi temporis, uel loci, siue clerici copia suffragatur habeat quisquis ille canens Deo atque sacrificans post se uicini solaminis adiutorem, ut si aliquo casu ille, qui officia inpleturus accedit, turbatus fuerit uel ad terram elisus, a tergo semper habeat qui eius uicem exequatur intrepidus.

**C. XVI.** Si sacerdos necessitate preoccupatus fuerit, cepta sacramenta per alium expleantur.

Item ex Concilio Tolletano VIII. [c. 2].

Nichil contra ordinis statutum temeritatis ausu presumatur, neque illa, que summa ueneratione censentur, ulla presumptione soluantur, cum ad hoc tantum fieri iussa sunt, ne interrupta noscantur, ne languoris prouentu robore salutis natura priuetur.

Non ergo solum fragilitati consulitur humanæ, sed sacris etiam ministeriorum Dei prouidetur sollicitudine.

Censuimus ergo conuenire, ut cum a sacerdotibus missarum tempore sancta misteria consecrantur, si egritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo ceptum nequeat consecrationis explere ministerium, sit liberum episcopo uel presbitero alteri consecrationem exequi cepti officii.

Non enim aliud ad supplementum initiatis misteriis competit, quam aut incipientis aut subsequenter benedictione completa sint sacerdotis, quia nec perfecta uideri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur.

Cum enim simus omnes in Christo unum, nichil contrarium diuersitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei representat.

Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici indiuiduum sibi esse non ambigant, sed, ut premissum est, precedentibus alii libenter pro complemento succedant.

Nec tamen quod naturæ languoris causa consulitur in presumptionis perniciem conuertatur, nullus post cibum potum que quemlibet minimum sumptum missas facere, nullus absque patenti prouentu molestiæ minister uel sacerdos, cum ceperit, imperfecta officia presumat relinquere omnino.

Si quis hoc temerarie presumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

### **III. Pars.**

Gratian. Ecce, quod episcopo petente, precibus etiam populi, infirmitate grauato alius possit subrogari, patenter monstratur.

Senectute autem grauato non successor, sed coadiutor dari debet, qui ei decedenti in locum regiminis succedat.

Sic Augustinus dicitur accessisse, non successisse Ypponensium episcopo.

Hinc etiam Zacharias Papa scribit Bonifatio Maguntino Archiepiscopo:

**C. XVII.** Senectute grauato coadiutor est dandus, qui morienti succedat.

Petisti, ut cum nostro consultu pro superueniente tibi senectute atque corporis inbecillitate, si inuenire poteris alium in eandem sedem, in qua prees, pro tua persona debeas collocare.

Nos uero adiutore Deo consilium prebemus tuæ sanctitati, ut pro salute animarum rationabilium fautore Christo sedem, quam obtines, Maguntinæ ecclesiæ nequaquam relinquis.

Sin uero Dominus dederit iuxta tuam petitionem hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere, et curam pro salute animarum pro tui persona ordinabis illum episcopum, erit que in euangelio tibi credito et ministerio Christi portando in omni loco requirens et confortans ecclesiam Dei.

Item:

§. 1. Si eundem uoluerit diuina clementia post diem tui transitus superesse, si eum aptum cognoueris, et in tua uoluntate fuerit diffinitum, ea hora, qua te de presenti seculo migraturum cognoueris, presentibus cunctis tibi successorem designa, ut huc ueniat ordinandus.

Hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi karitate cogente largiri censuimus.

Item:

§. 2. De eo autem, quem tibi successorem constituere dixisti, ut te iubente in tuo loco eligatur episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem ecclesiasticam regulam uel instituta Patrum esse monstratur; sed uolumus, ut tibi ministret, et sit in euangelio Christi adiutor.

§. 3. Nimis enim reprehensibile esse manifestum est, ut te uiuente alium tibi substituamus; sed hoc commonemus, ut orare non cesses, ut tibi Deus illum successorem concedat, qui ei possit esse placabilis, et populum irreprehensibiliter regere ualeat.

**C. XVIII. Non successor, sed coadiutor uiuenti episcopo datur.**

Item Pelagius Papa Clero Narniensi.

Quia frater et coepiscopus noster Iohannes, ecclesiasticæ utilitatis studio suadente, et naturæ suæ simplicitate laudabili consideratione tractata, ob hoc, quod se in gerenda patrimonii gubernandi cura uel in disciplina ecclesiastica conseruanda minime fatetur idoneum, Constituti presbiteri ad hec explenda sibi poposcit adhiberi personam, ut ea, que sunt necessaria, competenti disponente sollicitudine, nichil indecens uel inutile fieri permittatur.

Ideo que presenti uobis iussione precipimus, ut seruata primo in loco memorato episcopo reuerentia, quam nos conuenit inculpabiliter exhibere, in omnibus, que ad diuini cultus obsequium pertinent, uel ecclesiasticæ utilitatis cura peragere suaserit, prebeatis obedientiam competentem, ut in nullo dispositionibus eius spiritu contumaci resultantes, imo competenti uigilantiæ uestræ studio, que pro ecclesiastica utilitate gerenda monuerit, adimplentes, ut his ita dispositis et consueta uobis stipendia ministrentur, et quecumque in prefato ecclesiæ patrimonio uel de rebus ad eam pertinentibus repetendis sunt necessaria, compleantur.

Gratian. Illud uero Cipriani de hereticis intelligendum est, qui catholicorum ecclesias sibi usurpare contendunt.

§. 1. Illud uero Euaristi Papæ tunc intelligendum est, quando nec ineuitabilis necessitas (persecutorum uidelicet) nec apostolica aut regularis mutacio, sed sola ambicio episcopum de ecclesia ad ecclesiam transire cogit.

§. 2. Unde cum in principio sui capituli diceret: “Episcopus non debet dimittere ecclesiam suam,” subsequenter adiunxit: “Absque ineuitabili necessitate, aut apostolica uel regulari mutacione, et alteri se ambitus causa coniungere”.

#### **IV. Pars.**

§. 3. Ambicionis enim causa quicumque ecclesiæ suæ mediocritate despecta ad maiorem ecclesiam transire uoluerit, debet reuocari ad propriam.

Quod si redire contempserit, careat aliena et propria.

Unde in Niceno Concilio [cap. 15]. legitur:

XIX.

Episcopus uel quilibet clericus relicta sua ecclesia non debet ad aliam transire.

Non oportet episcopum uel reliquos ordines de ciuitate ad ciuitatem migrare; non episcopus, non presbiter, non diaconus transeat.

Si quis autem post diffinitionem sancti et magni concilii tale quid agere temptauerit, et se huiusmodi negotio mancipauerit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, et restituatur ecclesiæ, cuius fuit episcopus, aut presbiter, aut diaconus ordinatus.

**C. XX.** In monasterio deputetur episcopus, qui in ecclesia sua residere contempnit.

Item Gregorius Anthemio Subdiacono. [lib. V. epist. 23].

Peruenit ad nos, Pimenium Amalfitanæ ciuitatis episcopum in ecclesia residere non esse contentum, sed foris per diuersa loca uagari.

Idcirco hac tibi auctoritate precipimus, quatinus hoc de cetero facere non presumat, sed in ecclesia sua sacerdotali more resideat.

Quem si forte non emendare post tuam interminationem cognoueris, in monasterium eum deputare, et nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas nostra iterum preceptione cognoscas.

**C. XXI.** Episcoporum nulli conceditur principalem cathedram relinquere, et ad alium ecclesiam se conferre.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. c.].

Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra ad aliquam ecclesiam in diocesi constitutam se conferre, uel in re propria diucius, quam oportet, constitutum curam uel frequentationem propriæ cathedræ negligere.

**C. XXII.** Intercessori cathedram, cui datus est, tenere non licet.

Item ex eodem. [Cartaginensi V. c. 8].

Constitutum est, ut nulli intercessori sit licitum, cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis uel seditionibus retinere, sed dare operam, ut intra annum eisdem episcopum prouideat.

Quod si neglexerit, anno exempto interuentor alius tribuatur.

**C. XXIII.** Excommunicentur clerici, qui relicta sua ecclesia ad eam redire noluerint.

Item ex eodem.

Si qui uero sine respectu Dei agentes, et timorem Dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab ecclesia sua, siue presbiter siue diaconus, uel in quocumque ecclesiastico ordine positi fuerint, non debent suscipi in ecclesia, sed omni necessitate cogantur, ut redeant ad ecclesiam suam.

Quod si permanserint, excommunicare eos oportet.

**C. XXIV.** De eodem.

Item ex Concilio Antioceno. [c. 3].

Si quis presbiter, uel diaconus, uel quilibet clericus, deserta sua ecclesia, ad aliam transeundum esse crediderit, et ibi paullatim temptet, quo migravit, perpetuo permanere, ulterius ministrare non debet, presertim si ab episcopo suo ad reuertendum fuerit exhortatus.

Quod si post euocationem sui episcopi non obedierit, sed inobediens perseuerauerit, omnimodis ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere.

Si uero propter hanc culpam depositum alius episcopus susceperit, et ipse a communi sinodo penam merebitur increpationis tamquam ecclesiastica iura dissoluens.

**C. XXV.** Non licet episcopo ecclesiam suam relinquere et ad aliam transire.

Item ex eodem. [Antioceno, c. 21].

Episcopum de diocesi ad diocesim non debere transire, neque si se ipsum ingesserit, neque si a populis fuerit uiolenter attractus, neque si etiam hoc ei ab episcopis suadeatur; manere autem eum debere in ecclesia Dei, quam ab initio sortitus est, et non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim a Patribus constitutam.

**C. XXVI.** De eodem.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 5].

Propter eos episcopos siue clericos, qui de ciuitate ad ciuitatem transeunt, placuit diffinitiones datas a sanctis Patribus habere propriam firmitatem.

**C. XXVII.** Alienæ plebes ab episcopo non usurpentur.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 20].

Placuit, ut a nullo episcopo usurpentur plebes alienæ, nec aliquis episcoporum supergrediatur in diocesim collegam suum.

**C. XXVIII.** Alienos clericos ordinare uel altaria consecrare episcopo non licet.

Item Anacletus.

Episcopus in diocesi aliena ad alienos clericos ordinandos uel altaria consecranda intrare non debet.

Quod si fecerit, amotis his, quos ordinauit, altaris tantum consecratione manente, transgressor canonum anno a missarum celebritate cessabit.

**C. XXIX.** Diebus solempnibus clericus ecclesiæ suæ deesse non debet.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 64].

Si quis in clero constitutus ab ecclesia sua diebus solempnibus defuerit, id est Natiuitate Domini, Epiphania, Pasca, uel Pentecoste dum potius secularibus lucris studet quam seruitio Dei parere, conuenit, ut triennio a communione suspendatur.

§. 1. Similiter diaconus uel presbiter, si per tres ebdomadas ab ecclesia sua defuerit, huic dampnationi succumbant.

**C. XXX.** Remouendus est episcopus ab ecclesia, cui inrepserit et ad suam redire cogendus.

Item Ylarius Papa. [Episcopis Tarracon. c. 3].

Remoto ab ecclesia Barchinonensi atque ad suam remisso Yreneo episcopo, sedatis per sacerdotalem modestiam uoluntatibus, que per ecclesiasticarum legum ignorantiam desiderant quod non licet obtinere, talis protinus de clero proprio Barchinonensibus ordinetur episcopus, qualem te precipue, frater Ascani, oporteat eligere et deceat consecrare, ne si aliter forte factum sit non sine obiurgatione maxime tui nominis retundat nostra preceptio, quod in iniuriam Dei (a quo specialiter sacerdotalium est gratia dignitatum) didicerimus admissum.

**C. XXXI.** Qui alienam cathedram appetit, ab ea expulsus etiam propria careat.  
Item Leo Episcopus urbis Romæ Anastasio, Thessalonicensi Episcopo. [ep. LXXXII. al. LXXXIV. c. 8].

Si quis episcopus suæ ciuitatis mediocritate despecta amministrationem celebrioris loci ambierit, et ad maiorem se plebem quacumque ratione transtulerit, a cathedra quidem pellatur aliena, carebit etiam propria, ut nec illis presideat, quos per auariciam concupiuit, nec illis, quos per superbiam spreuit.

Suis igitur terminis quisque contentus sit, nec supra mensuras iuris sui affectet augeri.

**C. XXXII.** Qui contemptu minoris ad maiorem aspirat utraque careat ecclesia.

Item ex Concilio Meldensi. [c. 30].

Si quis de ordine sacerdotali contemptu minoris ecclesiæ ambitiose et inprobe ad potioem aspirauerit, canonica erga eum diffinitio conseruetur, hoc est ut utraque careat. Gratian. Qui uero precio ecclesiam uacantem ingressus fuerit, ab offitio suo deponendus est, sicut in Rotomagensi Concilio legitur:

**C. XXXIII.** Deiciatur a clero qui muneribus ecclesiam adquirere temptat.

Sancitum est atque omnibus modis prohibitum, ut si quis presbiter inuentus fuerit alicui clerico uel laico munera dare uel dedisse, aut aliam pecuniam tribuere, ut alterius presbiteri ecclesiam uacantem precio turpis lucri gratia, deiciatur a clero et alienus existat a regula.

## **V. Pars.**

Gratian. Quod uero communi consilio atque aliorum utilitate mutationes episcoporum fieri possint et in ecclesiis, a quibus recesserint, eis uiuentibus alii substitui ualeant, Anterius Papa demonstrat, [epistola VII]. scribens omnibus Episcopis:

**C. XXXIV.** Necessitatis uel utilitatis causa episcoporum mutationes fieri possunt.

Mutationes episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non propria cuiusquam uoluntate aut dominacione.

Petrus sanctus magister noster et princeps apostolorum de Antiochia ciuitate utilitatis causa est translatus Romam, ut ibidem proficere potius posset.

Eusebius quoque de quadam ciuitate parua apostolica auctoritate mutatus est in Alexandriam.

Similiter Felix de ciuitate, in qua ordinatus erat, electione ciuium propter doctrinam et bonam uitam, quam habebat, auctoritate huius sanctæ sedis et communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio translatus est Ephesum.

Non enim transit de ciuitate ad ciuitatem, nec transfertur de minori ad maiorem, qui hoc non ambitu, nec propria uoluntate facit, sed aut ui a propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci uel populi, non superbe, sed humiliter ab aliis translatus est.

§. 1. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos et reliquos sacerdotes, sic quociens utilitas aut necessitas exegerit supradicto modo et mutare et intronizare potestatem habent, non tamen sine sacrosanctæ Romanæ sedis auctoritate et licentia.

§. 2. Alia etenim causa est utilitatis, alia auariciæ et presumptionis atque propriæ uoluntatis.



C. XXXV. Causa necessitatis mutationes episcoporum fieri possunt.

Item Pelagius Papa [II]. Benigno Archiepiscopo. [epist. II].

Scias, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis et utilitatis, aliud presumptionis ac propriæ uoluntatis.

Non ergo mutat sedem qui non mutat mentem, id est qui non auariciæ causa, aut dominacionis, aut propriæ uoluntatis uel dilectionis suæ migrat de ciuitate ad ciuitatem, sed causa necessitatis et utilitatis mutatur.

Nam et plurimorum utilitas unius utilitati uel uoluntati preferenda est.

Aliud est enim mutare, et aliud mutari.

§. 1. Nam aliud est sponte transire, et aliud coacte aut necessitate uenire.

Unde non isti mutant ciuitatem, sed mutantur, quia non sponte, sed coacte hoc agunt.

§. 2. Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa utilitatis uel necessitatis fieri posse, quociens communis necessitas aut utilitas persuaserit.

C. XXXVI. Christum negare conuincitur qui necessitatem patientibus misericordiam non inpendit.

Idem ad eundem.

Omnis, qui gemebat et qui uexabatur a Saul, fugiebat et ueniebat ad Dauid.

Si rex piissimus atque iustissimus Dauid sciret peccatum esse, persecutionem fugientes et transeuntes de loco ad locum et de ciuitate ad ciuitatem recipere, tales nequaquam reciperet, nec se cum teneret, neque in aliis ciuitatibus eos collocaret.

Qui enim persecuntur Domini episcopos, eos que de ciuitatibus ad ciuitates transire compellunt, non eos tantum persecuntur, quantum Dominum nostrum Iesum Christum, cuius legatione funguntur.

Nec ipsi in hoc peccant episcopi, quoniam non sponte, sed coacte hoc agunt, sed ipsi, qui eos persecuntur, nec ipsis episcopis hoc inputari potest, sed illis, qui hoc agere eos cogunt.

§. 1. Qui autem negant misericordiam faciendam fugientibus et necessitatem patientibus, ipsum Christum negant, qui est misericordia et ueritas.

§. 2. Negant misericordiam necessitatem patientibus, qui populis indigentibus diuinis ministeriis, et non habentibus proprium episcopum, qui eos instruat, causa utilitatis atque necessitatis ut ex alia ciuitate, licet minor sit, in ea, que non habet episcopum doctiorem uel utiliorem, meliori consilio, non sponte transeuntem, sed maiorum exhortacione mutare, aut episcopum eiectum et persecutionem patientem causa utilitatis aut necessitatis intronizare nolunt.

C. XXXVII. Non ambitione, sed sinodali auctoritate de ecclesia ad ecclesiam episcopus transeat.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 27].

Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus.

Sane si utilitas ecclesiæ poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto, in presentiam synodi transferatur, nichilominus alio in loco eius episcopo subrogato.

Inferioris uero gradus sacerdotes uel alii clerici concessione suorum episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare.

C. XXXVIII.

Item ex eodem. [Cartaginensi IV. c. 33].

Episcopi uel presbiteri si causa uisitandi ad ecclesiam alterius episcopi uenerint, in gradu suo suscipiantur, et tam ad uerbum faciendum quam ad oblationem consecrandam inuitentur.

**C. XXXIX.** Ecclesia unius episcopi ab alio disponi non debet.

Item Calixtus Papa omnibus Episcopis. [epist. II. c. 3].

Sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo, uel iudicari, aut disponi, nisi a proprio uiro eo uiuente permittitur, sic nec uxor episcopi, que eius ecclesia uel parochia indubitanter intelligitur, eo uiuente absque consilio eius et uoluntate alteri iudicare, uel disponere, aut eius concubitu, id est ordinatione, frui, non conceditur.

Unde ait Apostolus: "Alligata est uxor legi uiri, quamdiu uir eius uiuit, eo uero defuncto soluta est a lege uiri".

Similiter sponsa episcopi (quia sponsa uxor que eius dicitur ecclesia) illo uiuente ei alligata, eo defuncto soluta est.

"Et cui uoluerit nubat, tantum in Domino," id est regulariter.

Si enim eo uiuente alteri nupserit, adultera iudicabitur.

Similiter et ille, si aliam sponte duxerit, adulter estimabitur, et communionem priuabitur.

Si autem persecutus in sua fuerit ecclesia, fugiendum est illi ad alteram, ei que sociandum, dicente Domino: "Si persecuti uos fuerint in una ciuitate fugite in aliam".

Si autem utilitatis causa fuerit mutandus non per se hoc agat, sed fratribus inuitantibus cum auctoritate huius sanctæ sedis faciat, non tamen ambitus causa, sed aut utilitate aut necessitate, ut dictum est.

## **VI. Pars.**

Gratian. Hoc non solum de episcopis uerum etiam de quibuslibet ecclesiæ ministris intelligitur, ne uidelicet in locum uiuentis alter obrepat.

Unde B. Gregorius scribit Salonitano Episcopo, de eo, qui in archidiaconatum alterius se promoueri consenserat: [lib. II. Indict. 10. epist. XIV. et XVI].

**C. XL.** Deponatur qui locum alterius inuadere non timet.

Eum, qui contra iustitiæ regulam in archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem archidiaconatus honore deponimus.

Qui si ulterius in loco eodem ministrare presumpserit, se participatione sacræ communionis nouerit esse priuatum.

**C. XLI.** In una ecclesia duo prelati esse non debent.

Idem ad Rusticum Monachum. [ep. IV].

In apibus princeps unus est; grues unam secuntur ordine litterato; imperator unus, iudex unus prouinciæ.

Roma condita duos fratres simul habere reges non potuit et parricidio dedicatur.

In Rebeccæ utero Esau et Iacob bella gesserunt; singuli ecclesiarum episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur.

## **VII. Pars.**

Gratian. Ecce in quibus casibus episcopo uiuente alius potest ei substitui, quamquam secundum rei ueritatem non uiuente episcopo talis probetur succedere.

Translatus enim ab una ciuitate ad aliam desinit esse episcopus illius ciuitatis, a qua transfertur, atque ideo qui huic succedit non uiuenti, sed defuncto quodammodo episcopo probatur substitui.

Sed inter eum, qui hostilitatis necessitate, et eum, qui utilitatis causa transfertur, hoc interest, quod ille, qui metu hostilitatis ad aliam transit, si priorem contigerit aliquando ab hostibus liberam fieri, ad eandem illum redire oportet.

Unde Gregorius Papa scribit Iacobo Episcopo Squillatino capitulo 25.:

**C. XLII.** Qui metu hostilitatis ad alium locum transierit postea ad suam ecclesiam redire oportet.

Pastoralis officii cura nos ammonet, destitutis ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem dominicum pastorali sollicitudine gubernare debeant.

Propterea te Iohannem ab hostibus captiuatum Lesimanæ ciuitatis episcopum in Squillitana ecclesia cardinalem necesse duximus statuere sacerdotem, ut et susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis inpleas.

Et licet tua sis hoste imminente depulsus, aliam, que a pastore uacat, debes ecclesiam gubernare, ita tamen, ut si ciuitatem illam hostibus liberam effici et Domino protegente ad priorem statum contigerit reuocari, in eam, in qua prius ordinatus es, ecclesiam reuertaris; sin autem predicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac, in qua es incardinatus a nobis, debeas ecclesia permanere.

Gratian. Qui uero causa utilitatis transfertur nequaquam ad priorem redire cogitur.

Est etiam alius casus, in quo episcopus uiuente episcopo substituitur.

Cum enim aliquis relicta priori cathedra sua auctoritate ad aliam transierit, si alius ei substitutus fuerit, licet ille prioris ecclesiæ episcopus esse non desierit, substitutus tamen episcopatum habebit.

Unde Damasus, urbis Romæ Episcopus, scribit omnibus episcopis:

**C. XLIII.** De sacerdotibus, qui relictis ecclesiis suis ad alias migrarunt.

Eos sacerdotes, qui de ecclesiis ad ecclesias migrauerunt, tamdiu a communionem habuimus alienos, quamdiu ad eas redierint ciuitates, in quibus sunt constituti.

Quod si alius alio transmigrante in locum uiuentis est ordinatus, tamdiu uacet a sacerdotii dignitate qui suam deseruit ciuitatem, quam diu successor eius quiescat in Domino.

Gratian. Episcopalium etiam sedium mutationes metu hostilitatis interueniente nonnumquam fieri solent.

Unde Gregorius scribit Iohanni, Episcopo Belitrano: [lib. II. epist. 11].

**C. XLIV.** Necessitate temporis episcopalium sedium mutationes fieri possunt.

Temporis qualitas nos ammonet episcoporum sedes, constitutas antiquitus certis ciuitatibus, ad alia, que securiora putamus, eiusdem diocesis loca transponere, quo et habitatores securi ualeant degere, et barbaricum possit periculum facilius declinari.

Propterea te Iohannem fratrem et coepiscopum nostrum Belitrensis ciuitatis, sedem que tuam in loco quondam Arenata ad S. Andream apostolum precipimus transmigrare, quatinus ab hostilitatis incursu liberior existere ualeas, et illic consuetudinem solemniū festiue disponas.

**VIII. Pars.**

Gratian. Item cum aliquis causa humilitatis apostolica concessione de episcopali sede ad monachalem descenderit subiectionem, alius loco eius subrogari poterit; ille uero ad pontificatum resurgere nequaquam ualebit.

Unde in quinta actione Constantinopolitanæ Sinodi, CCCLXXXIII. Patrum, sub VIII. Iohanne Papa, cui prefuit Petrus presbiter cardinalis, et Paulus Anthonitanus episcopus, et Eugenius Hostiensis episcopus, apocrisarii Papæ dixerunt:

**C. XLV.** Episcopus, qui causa humilitatis monachus efficitur, ad pontificatum redire non ualet.

Hoc nequaquam apud nos habetur, ut quicumque de pontificali ordine ad monachorum descenderit uitam, ulterius possit ad pontificatum reuerti.

Item:

§. 1. Precepit sancta sinodus, ut quicumque de pontificali dignitate ad monachorum uitam et penitentiam descenderit locum, nequaquam ad pontificatum resurgat.

Monachorum enim uita subiectionis uerbum habet et disciplinatus, non docendi, uel presidendi, uel pascendi alios.

Gratian. Hoc ad penitentiam agendam, non ad quietem seruandam quibusdam conceditur.

Unde Liberius Papa scribit omnibus Episcopis: [ep. II].

**C. XLVI.** Pro infestationibus malorum non licet episcopo susceptum gregem relinquere. Suggestum nobis est, quod pro preteritis laboribus et infestationibus nonnulli uestrum assignatas sibimet et a Deo commissas relinquunt plebes et in futurum plures relinquere uelint ecclesias eas, quas tueri debent, et pro ouibus sibi commissis laborare negligant, et monasteriorum se quieti tradere festinent, et uacationem ab episcopatus laboribus eligere, et silentio atque otio uitam ducere magis appetant, quam in his, que sibi commissa sunt, permanere, dicente Domino: “Beatus qui perseuerauerit usque in finem”.

Unde namque est beata perseuerantia, nisi de uirtute patientiam? quoniam secundum apostolicam predicationem, “omnes, qui uolunt pie in Christo uiuere, persecutionem patiuntur”.

Ideo fratres karissimi, non uos afflictionum amaritudo a pio mentis uestræ proposito coartet recedere.

Considerantes, quanta pro absolutione nostri et liberatione creator noster dominus ac redemptor pertulerit, quibus ue se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a uinculis potestatis dyabolicæ liberaret.

Attendite itaque uobis et omni gregi, in quo uos Spiritus sanctus constituit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine, ut non sit qui uos decipiat aut seducat in subtilitate sermonis, ut plebes uobis commissas relinquatis, et alicui propter obprobrium malorum hominum quieti uos tradatis, ut uos solummodo saluetis, et filios orphanos relinquatis.

**C. XLVII.** In persecutionibus episcopus ecclesiam suam non deserat.

Item Nicolaus Unifredo Moriensis ecclesiæ Episcopo.

Sciscitaris itaque per Galdagarium presbiterum, utrum, cum a Normannis episcopo depelleris, debeas de cetero in monasterio conuersari.

In quo scias, frater karissime, quia, si perniciosum est proretam in tranquillitate nauim deserere, quanto magis in fluctibus?

Ubi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus (maxime que paganorum) insidias, cum ad tempus seuiunt, et ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem diuinitus assecuntur, presertim cum eis prodire ultro non debeamus, et multos prophetas, et apostolos, ipsum quoque Dominum huiusmodi fugisse insecutores luce clarius constet, sed quod precipue nos, qui tamquam arietes ducatum gregibus prebemus, imo qui et horum pastores sumus, Deo auctore cum eis in periculis pro uiribus persistere pro certo conueniat, et cum tranquillitas reddita diuina fuerit pietate, sopita que furentium infestatio mox gregem requirere, in unum colligere, et eius animos celestis patriæ pace ac potissimum securitate predicata sursum erigere debemus.

Et tamdiu super eorum cautela oportet nos esse sollicitos, ut, si Dei iudicio presentis temporibus commoda fortassis amittunt, futuræ uitæ sperent se gaudia absque ambiguitate percipere sempiterna.

**C. XLVIII.** Non est reprobatio, sed uirtutis probatio bonorum aduersitas.

Item Gregorius. [lib. VII. epist. 126. ad Recaredum Regem].

Aduersitas, que bonis uotis obicitur, probatio uirtutis est, non iudicium reprobationis.

Quis enim nesciat, quam prosperum fuit quod B. Paulus apostolus predicaturus ad Italiam ueniebat, et tamen ueniens naufragium pertulit?

Sed tamen nauis cordis in maris fluctibus integra stetit.

## **IX. Pars.**

Gratian. Hoc tunc seruandum intelligitur, quando inter subditos aliqui inueniuntur, quibus prelatorum uita proficiat, quando nec specialiter prelatus queritur, nec per alios tuta potest esse ecclesiæ salus, ne, si deserere incipiat quibus prodesse potest, dicatur de eo: “Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, et dimittit oues et fugit”.

Cum uero specialiter queritur, fugiat exemplo Christi, qui a facie Herodis fugit in Egiptum; fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum submissus est in sporta.

Unde Augustinus ait: “Fugiat minister Christi, sicut Christus in Egiptum fugit; fugiat quis specialiter queritur, dum per alios firmatur ecclesiæ salus”.

Hinc etiam ait discipulis: “Si uos persecuti fuerint in unam ciuitatem, fugite in aliam”.

Hinc etiam idem abscondit se, et exiuit de templo, quando Iudei tulerunt lapides, ut iacerent in eum.

Hinc etiam Augustinus ait de eodem in Psalmo 54.: “Ecce elongaui fugiens illud tangit, quod uitabat persequentes, ut occasionem iræ demeret, et manebat in desertis orans, in quo docebat nos in secreto conscientie quiescere, cum a malis premimur”.

Cum uero non prelatorum tantum, sed totius ecclesiæ salus queritur, fides inpugnatur, necesse est, ut ex aduerso ascendant, et in die belli se ipsos murum obponant pro domo Domini, animas suas ponant pro ouibus suis, ut exemplo suæ passionis accendant quos sermone doctrinæ diutius confirmare non ualent.

Et hoc quidem de manifestis persecutionibus.

§. 1. Est et aliud genus persecutionis quo Apostolus laborabat, dicens: “Quis infirmatur, et ego non infirmor?

quis scandalizatur, et ego non uror? etc.”.

Hinc etiam Augustinus in Psalmo 101.: “Ossa, id est fortes, quorum frixorium sunt qui scandalizantur; tantum frigitur bonus quantum amat”.

Hinc idem in Psalmo 30.: “Irascitur iustus peccatis palearum, non tamen odit, in quo exstingueretur oculus; et uenter pro interioribus, que turbantur, quando nec corripiri possunt inpii, quibus non clamat, quia defecit in dolore uita, uidens non proficere quod predicat”.

§. 2. Hinc idem in Psalmo 69. utrumque genus persecutionis distinguens: “Vox contribulorum Christo, id est martirum, inter passiones periclitantium, sed de capite presumentium.

Cum illis uox omnis iusti, cui ex karitate habundans iniquitas Christianorum est passio, ut Loth corporalem persecutionem a nullo in Sodomis sustinuit, sed a malis eorum, cum quibus habitabat.

Est ergo persecutio iusti, uel a leone in inpetu, uel a dracone in insidiis, unde omnes clament: Deus in adiutorium meum intende”.

§. 3. Cum autem a uiciis subditorum prelati affligitur, aliquando omnium est una et insanabilis obstinatio, aliquando inueniuntur mali bonis admixti.

Quando boni simul cum malis habitant, non sunt deserendi boni propter malos, ne peruerse malos euitando uincamus quos fugimus ad gehennam, sed potius mali tollerentur propter bonos.

Unde Gregorius: “Abel esse renuit quem Cain malicia non exercet;” ferrum quippe nostræ mentis ad acumen non potest peruenire ueritatis, nisi hoc alterius eraserit lima prauitatis.

Hinc etiam Augustinus: “Tu bonus tollera malum etc.” infra, de tollerandis malis, in prima causa hereticorum.

Hinc idem ait: “Maius malum in separatione bonorum committimus, quam in coniunctione malorum fugimus.

§. 4. Tali non inputat Deus peccata sua, quia non fecit; aliena, quia non approbavit; negligentiam, quia non tacuit; superbiam, quia in unitate permansit”.

Hinc idem in Psalmo 54.: “Quis dabit michi pennas sicut columbæ? non sicut coruo.

Columba a molestiis querit auolare, sed non dilectionem amittit, et semper gemit.

Sic bonus uult se separare corpore, non amore, ab his, quibus non potest prodesse.

§. 5. Sed aliquando ligatur non uisco cupiditatis, sed cura et offitio, ut deserere non possit.

Tunc dicat: ‘Cupio dissolui, et esse cum Christo: Sed manere necesse est propter uos:’ et sic est meritum ex desiderio.

§. 6. ‘Ecce elongaui fugiens,’ non loco, ne rumpatur karitas bonorum, ne perdat exercitium malorum, quos Deus admiscet, ut Iudam apostolis,” quem quamuis sciret furem esse, tamen ad predicandum misit, et ei eucharistiam dedit, docens, in ecclesia tollerari malos, nec obesse bonis consortia malorum.

Quando uero omnium subditorum est obstinata malicia, nec prodest eis prelatorum presentia, tunc etiam corpore licet ab eis recedere, ne et illorum nequicia semper in deterius proficiat, et isti quidem fructum amittant, quem de aliorum profectu possent inuenire.

Sic B. Benedictus deseruisse legitur quos in necem suam unanimiter uiderat conspirasse.

Hinc etiam B. Gregorius Petro Diacono interroganti, an liceat prelo gregem semel susceptum deserere?

in libro II. Dialogorum c. 3. respondit, dicens:

**C. XLIX.** Quando liceat prelati subditos deserere, uel non.

Ibi adunati equanimiter portandi sunt mali, ubi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur boni. Nam ubi omnimodo fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor superuacuus, maxime si e uicino causæ suppetant, que fructum Deo ualeant ferre meliorem.

§. 1. Sepe agitur in animo perfectorum quod silentio pretereundum non est, quia, cum laborem suum sine fructu esse considerant in loco alio cum fructu ad laborem migrant.

Unde ille quoque egregius predicator, qui dissolui cupit et esse cum Christo, cui Christus est uiuere et mori lucrum, qui certamina passionum non solum ipse appetiit, sed ad tolleranda hec etiam alios accendit, Damasci persecutionem passus, ut potuisset euadere, murum, funem sportam que quesiiuit, se que latenter deponi uoluit.

Num quidnam Paulum mortem timuisse dicimus, quam se ipse pro Iesu amore testatur appetere?

Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, grauem ad laborem se alibi cum fructu seruauit; fortis enim Dei preliator teneri intra claustra noluit, certaminis campum quesiiuit.

Gratian. Multorum auctoritatibus apparet, quando uiuentibus episcopis alii possint substitui, et quando non.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Quod autem iste ualetudine recepta suam repetit cathedram, nulla auctoritate ratum habetur.

Celebrationem uero sacrificiorum, si causa infirmitatis dimiserit, ualetudine recuperata exequi non prohibetur.

Unde Alexander II. scribit Gebonardo Iuuaiensi Archiepiscopo:

**C. I.** De quodam presbitero, qui caduco morbo laborabat.

In litteris tuis continebatur sic: Hic clericus ordinem habet presbiteri; sed quia caduco morbo laborat, et ipsi hoc in presentiarum agnouimus, non ausi fuimus sibi concedere ut offerret uel missam celebraret.

Quia uero languor non in culpa est, super hac re auctoritatis nostræ decreto consulendum deliberauimus.

Consulimus itaque, ut, si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione et missarum celebratione omnimodis prohibeatur.

Indecens enim est et periculosum, ut in consecratione eucharistiæ morbo uictus epileptico cadat.

Si uero Dei misericordia conualuerit, quandoquidem non culpa, sed infirmitas est in causa, eum sacrificare iam non interdiciamus.

**C. II.** A regimine ecclesiæ suspendatur qui in terram frequenter eliditur.

Item Gelasius Papa Rustico et Fortunato Episcopo.

Nuper Foropopulensis ecclesiæ clerici una cum Sabino et Pelagio laicis, propria suggestione reserarunt, presulem suum graui quadam necessitate uexari, cuius eum dicerent incursione frequenter elisum.

Quod ne scandalum fidelibus uideretur ingerere, et ecclesiam Dei ubique positam hac offensione turbare, precipue cum eodem ipso uolente huc se perrexisset firmarent, ad dilectionem uestram scripta direximus, ut ecclesiæ, cuius rector tali casu tenetur astrictus, uisitationem congruam redderetis.

Verum, quia nunc idem ipse uenit huc pontifex, falsa que omnia de se iactata disseminat, sub diuini contemplatione iudicii, uestræ que conscientiæ estimationis que respectu, rerum fide sollertissime perquisita, scilicet si aliquando, uel in domo, uel in processione, uel in alio quocumque loco probatur repente collapsus, uoces que dedisse confusas, et spumas ore iactasse, quanta fieri potest examinatione queratur.

Quod tamen siue non possit aliquorum factum testificatione firmari siue numquam contigisse dicatur, non putandum est posse sufficere, sed certum manifestum que documentum, quia de tanta re non segnus agendum est.

Faciat rem tua dilectio, frater Rustice, sui moris, et aptam magno pontifici, ut eum uel triginta diebus te cum esse constituas, eum que carnibus indifferenter uti necessaria probatione conpellas.

## CAUSA VIII.

### GRATIANUS.

In extremis agens quidam episcopus successorem sibi ex testamento instituit; inde suorum amicorum patrocínio in eundem episcopatum eligitur; post electionem pro indemnitatem ecclesiæ canonicis iuramentum prebuit; accusatur de symonia, tamquam munus ab obsequio prestiterit; ante tempus sententiæ a clericis suis derelinquitur; sine litteris apostolici ad ecclesiam suam episcopus reuertitur.

(Qu. I).

Hic primo queritur, an liceat episcopo successorem sibi instituere?

(Qu. II).

Secundo, an amicorum patrocínia in electione debeant conualescere?

(Qu. III).

Tertio, an habendus sit symoniacus qui post electionem huiusmodi iuramentum canonicis prestat?

(Qu. IV).

Quarto, an liceat clericis ante sententiæ tempus ab episcopo suo discedere?

(Qu. V).

Quinto, an sine litteris apostolici debeat redire ad propriam ecclesiam?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem episcopo successorem sibi instituere liceat, ex uerbis Zachariæ Papæ conicitur, quibus Maguntino archiepiscopo permisit adiutorem sibi statuere, qui ei defuncto in plenitudinem succederet potestatis.



§. 1. Item ex uerbis Symachi Papæ dicentis: “Si transitus Papæ inopinatus euenerit, ut de sui electione successoris non possit ante decernere” apparet, quod episcopi successores sibi instituere possunt.

§. 2. Item exemplo B. Petri illud idem probatur, qui B. Clementem sibi successorem instituit.

Unde Iohannes III. scribit Episcopis Germaniæ et Galliæ: [epistola unica, c. 2].

#### C. I. Quod Petrus sibi adiutores asciiuit Linum et Cletum.

Si Petrus princeps apostolorum adiutores sibi asciiuit Linum et Cletum, non tamen potestatem pontificii, aut ligandi aut soluendi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi, qui sedem apostolicam post eum et potestatem pontificalem tradente sibi B. Petro tenere promeruit.

Linus uero et Cletus ministrabant exteriora; princeps autem apostolorum Petrus uerbo et orationi instabat.

#### [PALEA. C. II.

Unde ipse Clemens in epistola ad Iacobum Ierosolomitano missa inter cetera scribit, quod Petrus adhuc uiuens Clementem in episcopum elegit:

“Simon Petrus in ipsis diebus, quibus uitæ finem sibi presensit, apprehensa manu mea repente consurgens, in auribus totius ecclesiæ hec protulit uerba: Clementem hunc episcopum uobis ordino, cui soli meæ predicationis et doctrinæ cathedram trado, quem pre ceteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, et scientem ferre nonnullorum etiam ex his, qui in uerbo Dei instituuntur, iniurias”].

Gratian. Sed in Antiocono Concilio hoc omnino fieri prohibetur, in quo [c. 23]. sic statutum legitur:

#### C. III. Episcopus successorem sibi constituere non debet.

Episcopo non licere decernimus pro se alterum sibi successorem constituere, licet ad exitum uitæ perueniat.

Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum sit huiusmodi constitutum.

Seruetur autem ius ecclesiasticum, id continens, non aliter oportere fieri, nisi cum synodo et iudicio episcoporum et electione clericorum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum, qui dignus extiterit, eligere et promouere.

#### C. IV. De eodem.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 8].

Episcopo non liceat ante finem uitæ alium in loco suo constituere successorem.

Si quis autem hoc usurpare temptauerit talis constitutio irrita erit.

Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio et iudicatu episcoporum qui post exitum predecessoris potestatem habent dignum eligere.

#### C. V. De eodem.

Item Ylarius Papa. [in Synodo Romana, c. 5].

Plerique sacerdotes in mortis confinio constituti in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, scilicet ut non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu.

Quod quam graue sit estimate.

Ab uniuersis acclamatum est: Hec presumptio numquam fiat.  
Que Dei sunt ab homine dari non possunt.

**C. VI. De eodem.**

Item Ieronimus. [ad Titum, c. 1].

Moises amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Deus, potuit utique successores principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem; sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, ut sciremus, principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed uitæ.

Ac nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non querant eos in ecclesia columpnas erigere, quos plus cognoscant ecclesiæ prodesse, sed quos uel ipsi amant, uel quorum sunt obsequiis deliniti, uel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, et (ut deteriora taceam) qui ut clerici fierent muneribus inpetrarunt.

**C. VII. De eodem.**

Item Innocentius Papa II. [in Concilio Romano, c. 16].

Apostolica auctoritate prohibemus, ne quis ecclesias et prebendas, preposituras, capellanas, aut aliqua ecclesiastica offitia hereditario iure ualeat uendicare aut expostulare presumat.

Quod si quis improbus aut ambitionis reus attemptare presumpserit, debita pena mulctabitur et postulatis carebit.

Gratian. His omnibus auctoritatibus prohibentur episcopi successores sibi instituere.

Sed aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare, et aliud est ex testamento tamquam suæ dignitatis heredem sibi querere.

Illud fieri permittitur: hoc autem penitus prohibetur.

Illud autem B. Petri ab illis ualet in argumentum assumi, qui tales sibi substituunt, qualem sibi successorem B. Petrus quesiiuit.

Verum, quia offitium non uitæ, sed sanguini cepit deferri, atque ad episcopatum tales quisque successores sibi querere cepit, qui uel odiosi populis uel a plebe docendi inuenirentur, sacris canonibus constitutum est ne quisquam sibi sui offitii querat successorem, sed populi electione queratur qui eorum utilitati digne deseruiat, qui illorum utilitatem, non sua lucra querat, qui Christo semen uelit suscitare, non sibi diuitias congregare.

Quod qui facere contempserit iure ab ecclesia repudiatur.

Unde Augustinus in libro contra Manicheos: [lib. XXXII. c. 10].

**C. VIII. Qui sibi et ecclesiæ prodest utroque pede calciatus intelligitur.**

**II. Pars.**

Olim iussus est frater premortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi suscicaret sobolem, eius que nomine uocaret quod inde nasceretur.

Quod si recusaret, discalciatus uno pede conspui solebat in facie.

Nunc euangelii quisque predicator ita debet in ecclesia laborare, ut defuncto fratri, id est Christo, suscitaret semen, qui pro nobis mortuus est, et quod suscitatum fuerit eius nomen accipiat.

At uero qui electus ab ecclesia ministerium euangelizandi rennuerit, ab ipsa ecclesia digne merito que contempnitur.

Qui enim et sibi prodest, et ecclesiae, bene intelligitur utroque pede calciatus. Unde illud: “Quam speciosi pedes euangelizantium bona”.

Qui autem lucratorum curam refugit aliorum, discalciati illius non figuratum significauit, sed in se inpletum portauit obprobrium.

**C. IX.** Locus regiminis sicut desiderantibus est negandus, ita fugientibus est offerendus. Item Gregorius in Registro. [lib. VI. epist. 5. Cyriaco Episcopo].

In scriptis uestris uos magnopere requiem quesisse narratis, sed per hoc ad pastorem sollicitudinem uos congrue uenisse ostenditis, quia, sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus.

Et sicut scriptum est: “Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui uocatur a Domino tamquam Aaron,” et rursus idem egregius predicator dicit: “Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus Christus mortuus est, superest ut qui uiuunt non iam sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit,” et pastori sanctae dicitur ecclesiae: “Simon Iohannis amas me? Pasce oues meas”.

Ex quibus uerbis colligitur, quia si is, qui ualet, omnipotentis Dei oues pascere rennuit, ostendit se pastorem summum minime amare.

Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Patris ad publicum nostrum egressus est, nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum preponimus utilitati proximorum?

§. 1. Quies itaque nobis et ex corde appetenda est, et tamen pro multorum lucro aliquando postponenda.

Nam, sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui predicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire.

Quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorum unus predicationis offitium uitare conatus est, et alter appetiit.

Nam mittenti se Domino Ieremias respondit, dicens: “A, a, a, Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum”.

Et cum omnipotens Deus personam ad predicandum quereret, dicens: “Quem mittam, et quis ibit nobis?”

ultro se ysaias obtulit, dicens: “Ecce ego, mitte me”.

En ab utrisque exterius diuersa uox prodiit, sed non a diuerso fonte dilectionis emanauit. Duo quippe sunt precepta karitatis, amor Dei et proximi.

Per actiuam igitur uitam prodesse proximis cupiens Ysaias offitium predicationis appetit.

Per contemplatiuam uero Ieremias amori conditoris sedule inherere desiderans, ne mitti ad predicandum debeat, contradicit.

Quod laudabiliter ergo unus appetiit, hoc laudabiliter alter expauit; iste, ne tacitae contemplationis lucra loquendo perderet, ille, ne dampna studiosi operis tacendo sentiret.

Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia et is, qui recusauit, plene non restitit, et is, qui mitti uoluit, ante se per altaris calculum purgatum uidit, ne aut non purgatus adire quisque sacra misteria audeat, aut quem superna gratia eligit sub humilitatis specie superbe contradicat.

**C. X.** Locus deiectionis in uoto, dignitatis semper fit in necessitate. Idem in Moralibus. [lib. XXXV. c. 13. ad c. 42. Iob].

Sciendum est summopere, quod obedientia aliquando, si de suo aliquid habuerit, nulla est; aliquando, si de suo aliquid non habuerit, minima.

Nam cum huius mundi successus precipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hec obedit, obedientiæ sibi uirtutem euacuat, si ad hec ex proprio anhelat.

Neque enim se sub obedientia dirigit qui ad percipienda huius uitæ prospera libidini propriæ ambitionis seruit.

Rursum, cum mundi despectus precipitur, cum probra adipisci et contumeliæ iubentur, nisi ex semet ipso animus appetat, obedientia sibi meritum minuit, qui ad ea, que in hac uita sunt despecta, inuitus nolens que descendit.

Et paulo superius:

§. 1. Obedientia uictimis iure preponitur, quia per uictimas aliena caro, per obedientiam uero uoluntas propria mactatur Quo contra ariolandi peccatum inobedientia esse monstratur.

Ex aduerso ergo melius ostenditur quid de eius laude sentiatur.

Si enim “quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus ydolatriæ, nolle adquiescere,” sola est, que fidei meritum possidet obedientia sine qua quisque infidelis esse conuincitur, etiamsi fidelis esse uideatur.

**C. XI.** Qui preesse, non prodesse desiderat, non debet episcopari.

Item Augustinus. [lib. XIX. de ciuit. Dei, c. 19].

“Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat”.

Exponere uoluit quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris.

Grecum est enim, atque inde ductum uocabulum, quod ille, qui preficitur, illis, quibus preficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens; (*Graece*) skopos quippe intentio est.

Ergo episcopos, si uelimus, latine superintendentes possumus dicere, ut intelligat non se esse episcopum qui preesse dilexerit, non prodesse.

Itaque a studio cognoscendæ ueritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium.

Locus uero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.

Quamobrem otium sanctum querit karitas ueritatis, negotium iustum suscipit necessitas karitatis, quam sarcinam si nullus inponit, percipiendæ atque intuendæ uacandum est ueritati; si autem inponitur, suscipienda est propter necessitatem karitatis.

**C. XII.** Pro ingenio discentium doctor moderetur uerba doctrinæ.

Item Petrus.

### **III. Pars.**

Oportet eum, qui docet et instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discentium semet ipsum possit aptare, et uerbi ordinem pro audientis capacitate dirigere.

Debet ergo adprime esse eruditus et doctus, inreprehensibilis, maturus, pauidus, sicut ipsi probastis fore Clementem hunc post me.

**C. XIII.** Qui omnibus preest singulos releuare contendat.

Item eiusdem.

Clemens tamquam omnibus preesse uolueris singulos, prout potueris, iuua, et singulos releua, qui et singulorum onus ac sollicitudinem portas.

**C. XIV.** Contra Christum faciunt qui gratiæ, non meritis gradum ecclesiasticum tribuunt.

Item Ieronimus. [ad Titum, c. 1].

Qui uos spernit me spernit.

Ex quo manifestum est, quod, qui Apostoli lege contempta ecclesiasticum gradum non meritis uoluerint alicuius deferre, sed gratiæ, contra Christum facere, qui qualis in ecclesia presbiter constituendus sit per Apostolum suum in sequentibus executus est.

**C. XV.** Ad sacerdotium non eligatur, nisi qui ceteris et sanctior et doctior habeatur.

Item Ieronimus in libro Leuitici.

Licet ergo Dominus de constituendo principe precepisset, et Dominus elegisset, tamen conuocatur et sinagoga.

Requiratur enim in ordinando sacerdote et populi presentia, ut sciant omnes et certi sint, quia qui prestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni uirtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et hoc astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret.

Hoc autem est, quod et Apostolus precipit in ordinatione sacerdotis, dicens: “Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt”.

Ego tamen et amplius aliquid uideo in eo, quod dicit: “quia conuocauit Moyses omnem sinagogam,” hoc sit, colligere omnes animi uires et in unum congregare uirtutes, ut cum sermo de sacerdotalibus habetur sacramentis, uigilent omnes animi uirtutes, et intentæ sint, nichil in eis sapientiæ, nichil scientiæ, nichil desit industriæ, sed adsit omnis multitudo sensuum, adsit omnis congregatio sanctarum cogitationum, ut quid sit pontifex, quid unctio, quid indumenta eius, conferens intra sacrarium cordis sui possit aduertere.

**C. XVI.** Populi gubernatio diuina electione prestetur.

Item ex libro Numerorum.

Si ergo tantus ille ac talis Moyses non permittit iudicio suo de eligendo populi principe, de constituendo successore, quis erit qui audeat, uel ex plebe, que sepe clamoribus ad gratiam aut ad precium fortasse excitata moueri solet, uel ex ipsis etiam sacerdotibus quis erit, qui se ydoneum ad hoc iudicet, nisi si cui oranti et petenti a Domino reueletur? Sicut et Deus dicit ad Moysen: “Assume ad te ipsum Iesum filium Naue, hominem qui habet Spiritum Dei in semetipso, et inpones manus tuas super eum, et statues eum coram Eleazaro sacerdote et precepta dato ei in conspectu totius sinagogæ, et precipe de ipso coram eis, et dabis claritatem tuam super illum, ut audiant illum filii Israël”.

Audis euidenter ordinationem principis populi tam manifeste descriptam, ut pene expositione non egeat.

Nulla hic populi adclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est.

Propinquus agrorum et prediorum relinquatur hereditas.

Gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit, homini scilicet tali, qui habet (sicut scriptum audistis) in semetipso spiritum Dei, et precepta Dei in conspectu eius sunt, et qui Moysi ualde notus et familiaris sit, id est in quo sit claritas legis et scientia, ut possint eum audire filii Israël.

**C. XVII.** Non ex fauore, sed ex iudicio debet uenire electio.

Item Gregorius ciuibus Neapolim, [lib. VIII. ep. 40].

Nec nouum, nec reprehensibile est in eligendo episcopo populi se uota in duas partes diuidere, sed graue est quando in huiusmodi causis non ex iudicio, sed ex solo fauore uenit electio.

Gratian. Cum autem gubernatio populi ei tradi iubetur, quem Deus eligit, datur intelligi, quod aliquando quibusdam traditur, quos Deus non elegit.

Unde Ieronimus:

**C. XVIII.** Non ex arbitrio Dei aliquando datur princeps ecclesiæ.

#### **IV. Pars.**

Audacter fortasse aliquid dicimus, tamen quod scriptum est dicimus.

Non semper princeps populi et iudex ecclesiæ per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt.

Si mali sunt actus nostri et operamur maligna in conspectu Dei, dantur nobis principes secundum cor nostrum.

Et hoc tibi de scripturis probabo.

Audi namque quid dicat Dominus: “Fecerunt sibi regem, et non per me; principem, et non per consilium meum”.

Et hoc dictum uidetur de Saule illo quem utique ipse Dominus elegerat, et regem fieri iusserat.

Sed quoniam non secundum Dei uoluntatem, sed secundum peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum cum sua uoluntate uel consilio constitutum.

Tale ergo aliquid intelligamus etiam in ecclesiis fieri, quod pro meritis, aut in uerbo aut in opere potens a Deo tribuitur rector ecclesiæ, aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, talis ecclesiæ iudex datur, sub quo famem et sitim populus patiat, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi uerbum Dei.

**C. XIX.** Non sunt filii, sed mercenarii, qui honores ab hominibus appetunt.

Item Augustinus. [tractatu XLVI. ad c. 10. Ioannis]

Sunt quidam in ecclesia prepositi, de quibus apostolus Paulus dicit: “Sua querentes, non que Iesu Christi”.

Quid est: “sua querentes?” non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum querentes, temporalia commoda consequentes lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes.

Hec quando amantur a preposito, et propter hoc seruitur Deo, quisque talis est, mercenarius est, inter filios se non computet.

Gratian. Non ergo qui preficiuntur semper ceteris meliores intelliguntur.

Unde Ieronimus: [ad Titum, c. 1].

**C. XX.** Ex electione non preficiuntur episcopi, sed conprobantur.

Illud inferendum est aduersus eos, qui de episcopatu intumescunt, et putant, se non dispensationem Christi, sed imperium consecutos, quia non statim omnibus his meliores sint, quicumque episcopi non fuerint ordinati, et ex eo, quod ipsi electi sunt, se magis existiment conprobatos; si autem peccata filiorum ab episcopatu iustum prohibent

quanto magis se unusquisque considerans, et sciens, quia potentes potenter tormenta patientur, retrahet se ab hoc, non tam honore quam onere, et aliorum locum, qui magis digni sunt, non ambiget occupare.

**C. XXI.** Pro gradu sui officii quemque meliorem esse oportet.

Item eiusdem. [ad Titum, c. 2].

Qualis enim edificatio erit discipuli, si intelligat se esse maiorem magistro?

Unde non solum episcopi, presbiteri et diacones magnopere debent providere, ut cunctum populum, cui president, conuersatione et sermone preeant, uerum etiam inferior gradus, exorcistæ, lectores, editui, acoliti, et omnes omnino, qui domui Dei deseruiunt, quia uehementer ecclesiam Christi destruit meliores laicos esse quam clericos.

**C. XXII.** Populus iudicabit episcopum sua officia non agentem.

Idem. [ad Titum, c. I].

Vereor, quomodo regina austri, ueniens a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, iudicatura est homines sui temporis, et uiri Niniuitæ acta penitentia ad predicationem Ionæ condempnabunt eos, qui maiorem etiam Iona saluatorem contempserunt, sic plurimi in populis episcopos iudicent subtrahentes se ab ecclesiastico gradu, et ea, que episcopo conueniunt, non exercentes.

**C. XXIII.** Qui clericos suos non corrigit populum corrigere non ualet.

Item Ambrosius in increpatione ad populum. [serm. 83].

Quid autem ego uos arguo, cum possitis uno sermone me conuincere?

conuincor enim, cum in hac parte clericos uobis magis uideo negligentes.

Quomodo enim possum corrigere filios, cum fratres emendare non possim?

aut qua fiducia succenseam laicis, cum a consortibus pudoris uerecundia conticescam?

Ego autem, fratres, non de omnibus loquor, sunt certe qui deuoti sunt, sunt et alii negligentes.

Ego autem neminem nomino: conscientia sua unumquemque conueniat.

**C. XXIV.** Episcopo ad salutem non sufficit moribus et uita populo adequari.

Item Beda super Mattheum.

Nec sufficere ad salutem nobis arbitremur, si turbis negligentium uel quorumlibet indoctorum fide uel actibus adequemur, quibus sacris litteris unica est credendi pariter et uiuendi regula prescripta.

Gratian. Ne ergo, ut supra dictum est, tales sui officii successores sibi aliquis quereret, prohibentur episcopi alterum pro se successorem sibi statuere, ac designatis nominibus in locum suum alium subrogare.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Quod autem amicorum patrocina in aliquorum electione conualescere non debeant, auctoritate B. Gregorii Papæ probatur, qui in tertio libro Registri [Indict. 11. ep. 22]. scribit Antonio Subdiacono, dicens:

**C. I.** In electione episcopi nec munerum datio, nec aliquorum patrocina conualescant. Illud quidem pre omnibus curæ tibi sit, ut in hac electione nec datio quibuscumque modis interueniat premiorum, nec quarumlibet personarum patrocina conualescant. Nam si quorumdam patrocino quisquam fuerit electus, uoluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, reuerentia exigente obedire compellitur, sic que fit, ut res illius minuantur ecclesiæ, et ordo ecclesiasticus non seruetur. Talem ergo te admonente debent personam eligere que nullius incongruæ uoluntati deseruiat, sed uita et moribus decorata tanto ordine ualeat digna inueniri.

**C. II.** In electione antistitis communi utilitati, non suo lucro quisque prospiciat. Idem ad Clerum Mediolanensem. [lib. II. Indict. 11. ep. 29]. Dilectissimi filii, offitii nostri censura conmoniti suademus, ut in suscipiendi antistitis causa nullus uestrum neglecta utilitate communi suo lucro prospiciat, ne, si quisquam propria commoda appetit, friuola estimatione fallatur, quia nec libero iudicio preferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat. Pensantes ergo que cunctis expediunt, ei, quem uobis diuina gratia pretulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam prebete. Iudicari namque a uobis ultra non debet semel prelatus, sed tanto nunc subtiliter iudicandus est, quanto postmodum iudicandus non est.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Quod autem symoniacus habendus non sit qui post electionem pro indemnitatem ecclesiæ iuramentum prestitit, facile probatur.

Aliud est enim ante electionem iuramentum facere, uel se facturum pacisci ad hoc, ut eligatur: aliud est nulla precedenti conuentione post electionem huiusmodi iuramentum offerre.

Illud ab offitio tamquam munus impensum deicit: hoc autem consecrando nullum impedimentum generat.

De priori casu scribit Pelagius Clero Catinensi:

**C. I.** Qui in episcopum eligitur de rebus ecclesiasticis aliquam securitatem nulli facit. Talia quidem iam dudum ad fratrem et coepiscopum nostrum Eucarpum de uisitatione Catinensis ecclesiæ scripta direximus, ut in eis iudicium nostrum potuissetis agnoscere. Verumtamen, quia quosdam ibi non sana intentione, sed prauis studiis dissensiones suscitare uestra etiam relatione cognouimus, qui scientes se ad episcopatum nec etate, nec scientia, nec uitæ meritis posse perducere, ad hoc tantummodo inquietare ecclesiam uolunt, ut sibi de his, que ex ipsa presumpta sunt, impunitatem futurus promittat episcopus, et fiat rapinæ securitas, episcopatus ambicio: hec etiam uos duximus conmonendos, ut decretum in Elpidium diaconum factum, et subscriptum ab omnibus, quos uestra relatio designauit, ad nos cum predicti uisitatoris epistola, et cum eodem diacono maturetis Deo propitiante perducere.

Et post pauca:

Cum hic filius noster, uir magnificus, Leo pretor uenisset, retulit nobis de singulis, que illic mota sunt, et quomodo prope uota totius ciuitatis in Elpidio diacone concordarent.



Unde, quia de memorati uiri testimonio dubitare omnino non possumus, idcirco, Elpidium sicut dictum est, diaconem ad nos facite properare, nec expectetis ulterius, ut ammonitio ad eum debeat nostra destinari.

Quem tamen per uestram dilectionem presenti iussione specialiter ammonemus, ne cui se aliquid dare uel daturum esse promittat, sed neque de ecclesiasticis preteritis causis aliquam securitatem cuiquam facere audeat siue promittere, aut quasi factus episcopus ea, que direpta sunt, permanere libere patiat, sciens quod si tale aliquid fecerit uel fecit, nec a nobis omni permittitur ipsa ualere promissio, et cum iudicii nostri, quod de ipso habuimus, dampno pastoralis consecrationis ordinem promereri non poterit.

Gratian. De secundo uero casu in gestis Urbani II. legitur:

**C. II.** Post electionem pro indemnitatem ecclesie licet electo iuramentum prestare.

Artaldus Arelatensis episcopus, Narbonensis ecclesie suffraganeus, Romam consecrandus ad dominum Papam Urbanum uenit; suus quippe archiepiscopus eum consecrare nolebat, quoniam post electionem suam propter bona ecclesie conseruanda canonicis iurauit.

Consecratus itaque est a domino Papa Urbano, ante purgatus huiusmodi iuramento: "De iuramento, quod canonicis feci nostrae ecclesie post electionem, nullam conuentionem ante ut eligerer feci.

Narbonensis uero archiepiscopus nullius preter id criminis causa consecrationem nostram omisit, me sciente, neque michi criminis conscius sum, propter quod a sacerdotio me repellat".

#### QUESTIO IV.

##### GRATIANUS.

Quod autem ante clericis tempus sententiae ab episcopo suo discedere non liceat, probatur auctoritate Simaci Papae, dicentis:

**C. I.** Ante tempus sententiae non licet clericis ab episcopo suo discedere.

Nonne directa sunt uerba canonum: "Qui clericorum ab episcopo suo ante tempus sententiae pro dubia suspitione discesserit, manifestam in eum manere censuram?"

§. 1. Lex enim ecclesiastica pontificem ab aliis accusatum prius, quam sub luce obiecta constiterint exigit non relinqui.

#### QUESTIO V.

##### GRATIANUS.

Sine litteris apostolici episcopus accusatus, et a sancta sede uocatus ad suam non reuertatur ecclesiam.

Unde Sixtus Papa [I]. ait: [epist. II. c. 2].

**C. I.** A sede sancta apostolica uocatus episcopus ad domum non reuertatur, nisi purgatus et apostolicis litteris instructus.

Quilibet fratrum pulsatus, atque ab hac sancta sede uocatus, cum se nobis representauerit non prius reuertatur, quam hinc litteris apostolicis uel formatis pleniter

instructus atque purgatus sit, si fuerit unde, et, postquam domum reuersus fuerit, cognoscant uicini sui qualiter suam aliorum que causam hic finierit, quatinus illam absque ulla ambiguitate nunciare et predicare omnibus possit.

Ab hac enim sancta sede a sanctis apostolis tueri, defendi et liberari episcopi iussi sunt, sicut eorum dispositione ordinante Domino primitus constituti sunt, sic huius sanctæ sedis (cuius dispositioni eorum causas et iudicia seruauerunt) protectione futuris temporibus sint ab omnibus peruersitatibus semper liberi.

Unde culpantur hii, qui circa fratres aliter egerint, quam huius sedis rectoribus placere cognouerint.

## CAUSA IX.

### GRATIANUS.

Sententia excommunicationis notatus quidam archiepiscopus aliquot clericos alterius metropolitani ordinauit; quendam capellanum sui suffraganei illo inconsulto deposuit, atque alium in loco eius ordinauit.

(Qu. I).

Queritur, an ordinatio, que ab excommunicatis facta est, aliquo modo possit rata haberi?

(Qu. II).

Secundo, an liceat episcopo, archiepiscopo, primati uel patriarchæ clericos alterius sine litteris propriis ordinare?

Tertio, an archiepiscopus clericos suffraganei sui illo inconsulto dampnare ualeat, uel dampnatos absoluere?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Quod ordinatio, que ab excommunicatis celebratur, nullas omnino uires obtineat, nec etiam consecratio appellanda sit, testatur Gregorius, [lib. III. epist. 20]. dicens:

**C. I.** Non potest appellari consecratio, que fit ab excommunicatis.

Nos consecrationem nullo modo dicere possumus, que ab excommunicatis hominibus est celebrata.

[PALEA. C. II.

Excommunicati illicite manus inponunt, quia potestatem ordinandi non habent.

Ubi autem illicita est manus inpositio, uulnus infigitur.

Unde reiterari necesse est quod minime probatur esse collatum].

[PALEA. C. III.

Unde Damasus Papa epistola IV. ait.

Per illicitam manus inpositionem uulneratum caput illi, qui uidebantur aliquid accepisse, habebant, et ubi uulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixam sanetur macula, id est, reiterari necesse est quod legitime actum aut collatum minime probatur, si perfectum esse debet.

Nam quomodo honorem possit retinere qui ab illo acceperit, qui potestatem dare legitime non habuit, inuenire non possum].

Gratian. Sed excommunicati hic intelligendi sunt, qui in ipsa sua ordinatione penam excommunicationis contraxerunt, qui numquam in numero catholicorum fuerunt.

Ceterum, qui inter catholicos prius deputati sunt, si postea excommunicationis sententia notati fuerint, ordinationes tamen eorum ab ecclesia misericorditer tollerantur.

Unde Urbanus II. scribit, dicens:

**C. IV.** Ordinationes ab excommunicatis non symoniace factæ ex misericordia tollerantur.

Ab excommunicatis quondam tamen catholicis episcopis ordinos, si quidem non symoniace ordines ipsos acceperunt, et si ipsos episcopos symoniacos non fuisse constiterit, ad hoc, si eorum religiosior uita et doctrinæ prerogatiua uisa fuerit promerer, penitentia indicta, quam congruam duxeris, in ipsis, quos acceperunt, ordinibus permanere permittas.

Ad superiores autem conscendere non concedimus, nisi necessitas et utilitas maxima flagitauerit, et ipsorum sancta conuersatio promeruerit.

Gratian. Sed et illud Gregorii de nominatim excommunicatis intelligitur, quorum ordinationes sunt irritæ, si eorum dampnatio non erat ordinandis incognita.

Unde idem Urbanus ait: [in Sinodo Placentina, cap. 9. et sequentibus]

**C. V.** Qui nominatim excommunicati sunt, et qui aliorum sedes inuadunt, alios ordinare non possunt.

Ordinationes, que ab heresiarchis factæ sunt nominatim excommunicatis, et ab eis, qui catholicorum adhuc uiuentium episcoporum sedes inuaserunt, irritas esse iudicamus nisi probare ualuerint, se, cum ordinarentur, eos nescisse dampnatos.

§. 1. Qui uero ab episcopis quondam quidem catholice ordinatis, sed in scismate a Romana ecclesia separatis consecrati sunt, eos, nimirum cum ad ecclesiæ unitatem redierint, seruatim propriis ordinibus misericorditer suscipi iubemus, si uita et scientia eos commendat.

§. 2. Amodo uero quicumque a predictis scismaticis sanctæ Romanæ ecclesiæ aduersariis se ordinari permiserit, nullatenus hac uenia dignus habeatur.

§. 3. Quamuis autem misericordiæ intuitu magna que necessitate cogente hanc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen preiudicium sacris canonibus fieri uolumus, sed obtineant proprium robur, et cessante necessitate illud quoque cesset, quod factum est pro necessitate.

Ubi enim multorum strages iacet, subtrahendum est aliquid seueritati.

Gratian. Electio quoque, nisi a catholicis facta fuerit, irrita esse probatur.

Unde Gregorius scribit Mediolanensibus: [lib. VIII. epist. 65].

**C. VI.** Irrita sit electio, quæ non a catholicis facta probatur.

Nos in hominem, qui non a catholicis eligitur, nulla prebemus ratione consensum, nec, si alicuius usurpatione factum fuerit, in locum uel ordinem illum sacerdotis suscipimus.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

**I. Pars.**

Quod autem episcopus uel quilibet superiorum clericos alterius sine propriis litteris ordinare non debeat, Calixtus papa scribit, [ep. II. ad Episcopos Galliaë,] dicens:

**C. I.** Alterius ecclesiae parrochianum nullus iudicare presumat uel excommunicare. Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius parrochianum iudicare, uel ordinare aut excommunicare presumat, quia talis iudicatio, uel ordinatio, aut excommunicatio uel dampnatio nec rata erit, nec uires ullas habebit, quoniam nullus alterius iudicis, nisi sui, sententia tenebitur aut dampnabitur.

Unde et Dominus in Euangelio, loquitur dicens: “Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui”.

**[PALEA. C. II.**

Unde Urbanus Papa:

Placuit, ut deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti recipere ad penitentiam sine eius consensu cui prius se commisit, nisi per ignorantiam illius cui penitens prius confessus est.

Qui uero contra hec statuta facere presumpserit, gradus sui periculo iacebit].

**C. III.** In alterius ecclesia, nisi eo uocante, nulli aliquid agere licet.

Idem. [Calixtus epist. II].

Nullus primas, nullus metropolitanus, nullus que reliquorum episcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad possessionem accedat, que ad eum non pertinet, et alterius episcopi parrochiam, super eius dispositionem nisi uocatus ab eo, cuius iuris esse cognoscitur, ut quicquam ibi disponat, uel ordinet, aut iudicet, si sui gradus honore potiri uoluerit.

Sin aliter presumpserit, dampnabitur, et non solum ille, sed cooperantes et consentientes ei, quia sicut ordinatio, ita eis et iudicatio et aliarum rerum dispositio prohibetur.

Nam qui ordinare non poterit quo modo iudicabit?

nullatenus proculdubio iudicabit aut iudicare poterit.

**[PALEA. C. IV. De eodem.**

Item ex Concilio Nannetensi, c. 1.

In dominicis uel festis diebus presbiteri ante, quam missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parrochianus in ecclesia sit, qui proprio contempto presbitero ibi missam uelit audire.

Quem si inuenerint, statim ab ecclesia abiciant, et ad suam parrochiam redire compellant].

**[PALEA. C. V. De eodem.**

Item ex eodem Concilio Nannetensi, c. 2.

Nullus presbiter aut diaconus alterius plebanum (nisi in itinere fuerit, uel placitum ibi habuerit) ad missam recipere audeat].

**C. VI.** Ad ordinationem clericorum uel ecclesiarum alterius episcopi, nisi ab eodem inuitatus, non accedat episcopus.

Item ex Concilio Antiocono. [c. 13].

Nullum episcopum audere debere ex alia prouincia ad aliam transitum facere, et ordinare aliquos in ecclesiis aut proferre ad sacrum ministerium.

Nec ab aliis illuc trahatur episcopus, nisi forte per litteras rogatus abierit non solum a metropolitano, sed ab his, qui cum eo sunt, omnibus ipsius prouinciæ episcopis.

Quod si nullo inuitante inordinate superueniat, et aliquos uel ordinare presumpserit, uel quoslibet illi ecclesiæ competentes, qui ad se minime pertinent, usurpare temptauerit, uacua quidem et inania erunt omnia, que gesserit, ipse uero huius indisciplinati ausus et irrationabilis cepti dignas causas expendat, tamquam depositus a sancta synodo et propter huiusmodi presumptionem iam dampnatus.

**C. VII.** Ad ordinationem ecclesiæ, que sibi comissa non fuerit, minime accedat episcopus.

Item ex eodem. [c. 22].

Episcopum non debere irruere in alienam ciuitatem, que illi probatur non esse subiecta, neque in regionem, que ad eius curam minime noscitur pertinere, ad aliquid ordinandum, neque presbiteros aut diaconos constituere ad alios episcopos pertinentes, nisi forte cum uoluntate et testimonio propriæ regionis episcopi.

Quod si quispiam horum tale facere uoluerit, irrita quidem erit huiusmodi ordinatio, et que male usurpauerit a synodo arguantur.

Nam si ordinare non potuerit, nullatenus ad alios pertinentem iudicare presumat.

**C. VIII.** Non accedant episcopi ad ecclesias, que sunt extra earum diocesim.

Item ex Synodo Constantinopolitana. [I., c. 2].

Episcopi, qui extra diocesim sunt, ad ecclesias, que extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant et permisceant ecclesias.

Secundum regulas constitutas Alexandria quidem episcopi ea, que sunt in Egipto, tantum gubernent; orientis autem episcopi solius orientis curam gerant, seruatis honoribus primatus ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicenæ synodi continentur.

Sed et Asianæ diocesis episcopi ea, que sunt in Asia et que ad Asianam tantummodo diocesim pertinent, gubernent.

Ponti autem episcopi Ponticæ tantum diocesis habeant curam.

Traciæ uero ipsius tantummodo Traciæ.

**C. IX.** De eodem.

Item.

Non inuitati episcopi ultra diocesim accedere non debent super ordinandis aliquibus, uel quibuscumque disponendis ecclesiasticis causis, seruata regula, que supra scripta de unaquaque diocesi est.

Manifestum est namque, quod per singulas quasque prouincias prouincialis synodus administrare et gubernare omnia debeat, secundum ea, que sunt in Nicena synodo diffinita.

## **II. Pars.**

Gratian. His auctoritatibus prohibentur quilibet episcopi clericos alterius ordinare.

Sed queritur, si contingat eos aliquibus sacros ordines distribuere, an ordinati ab episcopis suis in propriis ordinibus recipi possint?

De his ita scribit Urbanus Papa Hugoni, Lugdunensi Archiepiscopo:

**C. X.** Clerici ab episcopo alterius parrochiæ ordinati a proprio in suis ordinibus recipi possunt.

Lugdunensis parrochiæ clericos, quos contra statuta canonum ab alterius parrochiæ episcopis ordinatos litterarum tuarum significatione monstrasti, cum graduum suorum honore recipere prudentia religionis tuæ poterit, si eos alias canonicè et sine prauitate aliqua ordinatos constiterit, si tamen eorum uitam probabilem id indulgentiæ perspexeris promereri.

Legimus quippe, S. Epiphanium episcopum ex diocesi S. Iohannis Crisostomi quosdam clericos ordinasse, quod sanctus uir omnino non fecisset, si eis detrimentum fore perpenderet.

Quos igitur recipiendos moderatio tua arbitrata fuerit iniuncta satisfactionis gratia propter ecclesiam, quam offenderunt, cognita penitentia, miserationis intuitu in suo quoque honore recipies, salua in omnibus sanctorum canonum disciplina.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Quod archiepiscopus clericos sui suffraganei illo inconsulto dampnare ualeat uel absoluere, sic uidetur posse probari.

Sicut totius episcopatus ecclesiæ in potestate sunt episcopi, sic et ecclesiæ totius archiepiscopatus ad diocesim pertinent archiepiscopi.

Vocantur enim episcopi a metropolitano in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Sic quippe uices suas eis inperit, ut potestatem suam sibi non adimat.

Unde et sine eius consilio nichil eis agere licet, sicut in Concilio Martini Papæ legitur: [c. 4].

**C. I.** Nec episcopi sine metropolitani consensu, nec ille sine eorum consensu aliquid agere debet.

Per singulas prouincias oportet episcopos cognoscere metropolitanum suum, et ipsum primatus curam suscipere, nichil autem agere reliquos episcopos preter eum, secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in canone.

Propter quod et metropolitanus nichil presumptiue assumat absque consilio ceterorum.

**C. II.** Sine metropolitani conscientia extra suam diocesim nichil agat episcopus.

Item ex Concilio Antioceno. [c. 9].

Per singulas prouincias episcopos singulos scire oportet, episcopum metropolitanum, qui preest, curam et sollicitudinem totius prouinciæ suscepisse.

Propter quod ad metropolitanam ciuitatem ab his, qui causas habent, concurratur.

Quapropter placuit eum et honore precellere, et nichil ultra sine ipso reliquos episcopos agere secundum antiquum Patrum nostrorum canonem, nisi hoc tantum, quod uniuscuiusque ecclesiæ per suam diocesim competit.

Unumquemque enim episcopum oportet habere suæ diocesis potestatem, ut regat et gubernet secundum competentem singulis reuerentiam, et prouidentiam gerat omnis regionis, que sub ipsius est ciuitate, ita ut etiam ordinare ei presbiteros et diaconos

probabili iudicio liceat, et de singulis ipsius regionis causis cum moderatione et pondere disceptare.

Ultra autem nichil agere permittitur citra metropolitani episcopi conscientiam, nec metropolitanus sine ceterorum aliquid gerat consilio sacerdotum.

Gratian. Nisi forte episcopi yconomos in ecclesia sua ordinare contempserint.

Unde in VII. Sinodo [c. 11]. legitur:

**C. III.** Metropolitanus constituat yconomos, quos episcopus habere neglexerit.

Cum simus debitores omnes sacras regulas custodire, et eam, que dicit in unaquaque ecclesia yconomos esse debere, modis omnibus inuiolabilem conseruare debemus.

Et si quidem unusquisque metropolitanus in sua ecclesia constituerit yconomum, bene utique.

Sin autem, ex auctoritate propria Constantinopoleos episcopis licentia est preponendi yconomos in eius ecclesia.

Similiter et metropolitanis, si episcopi, qui sub eis sunt, non sategerint yconomos statuere in suis ecclesiis.

Id ipsum autem seruandum est etiam in monasteriis.

Gratian. Probatur illud idem exemplo Apostoli, qui fornicatorem Corinthium satanæ inpenitentem tradidit, postea penitentem ecclesiæ reconciliauit, hoc tantum scribens Corinthiis in prima et secunda epistola, ut excommunicato non communicarent, et reconciliato socia karitate copularentur.

Sed contra probatur auctoritate multorum.

Ait enim Iginus Papa: [epist. I. c. 2].

**C. IV.** Metropolitanus sine episcoporum presentia alicuius eorum non audiat causas.

Saluo in omnibus Romanæ ecclesiæ priuilegio nullus metropolitanus absque ceterorum omnium conprouincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorum, quia irritæ erunt aliter actæ, quam in conspectu omnium eorum uentilatæ, et ipse, si fecerit, coherceatur a fratribus.

**C. V.** De eodem.

Item Anicius Papa [Episcopis Galliæ c. 1].

Archiepiscopus nichil de episcoporum causis aut aliis communibus causis iuxta statuta apostolorum absque cunctorum illorum agat consilio, nec illi assumant, nisi quantum ad suas pertinet parrochias, sine suo consensu, quoniam tali gaudet concordia Altissimus, et gloriatur in membris suis.

**C. VI.** De eodem.

Idem. [in eadem epist. c. 3].

Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit et sine omnium conprouincialium presentia uel consilio episcoporum aut causas eorum, aut alias causas (nisi eas tantum, que ad propriam suam pertinent parrochiam) agere, aut eos grauare uoluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps presumere audeat.

Si uero incorrigibilis eis que inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui omnia episcoporum iudicia referri precepta sunt, eius contumacia referatur, ut uindicta de eo fiat, et ceteri timorem habeant.

**C. VII.** De eodem.

Item Calixtus Papa. [Episcopis Galliaë, epist. II. c. 3].

Nullus primas, nullus metropolitanus diocesiani ecclesiam uel parrochiam, aut aliquem de eius parrochia presumat excommunicare uel iudicare, aliquid ue agere absque eius consilio uel iudicio; sed hoc obseruet, quod ab apostolis, ac patribus et decessoribus nostris est statutum, et a nobis confirmatum; id est: si quis metropolitanus episcopus (nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam) sine consilio et uoluntate omnium conprouincialium episcoporum extra aliquid agere temptauerit, gradus sui periculo subiacebit, et quod egerit irritum erit et uacuum.

Sed quicquid de conprouincialium episcoporum causis, eorum que ecclesiarum, et clericorum, atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu conprouincialium agatur pontificum non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi administratione, sicut Dominus ait: “Non ueni ministrari, sed ministrare,” et alibi: “Qui maior est uestrum erit minister uester”.

Similiter et ipsi conprouinciales episcopi cuncta cum eius consilio (nisi quantum ad proprias pertinet parrochias) agant iuxta sanctorum constituta Patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur Trinitas in secula.

**C. VIII.** In suffraganei parrochia nichil absque eius consilio metropolitanus agat.

Item Nicolaus Rodulfo, Bituricensi Archiepiscopo.

Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo inuito ad iudicium tuum uenire conpellas, et de rebus ad ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto quasi iure patriarchatus tui disponas, cum hoc nec antiquitas (cui Patres sanxere reuerentiam) habeat, et auctoritas sacrorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis, que apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum prouocauerint per appellationes, uel si episcopus suus decesserit, res ecclesiæ suæ tuo iudicio dispensare uoluerint.

Primates enim uel patriarchas nichil priuilegii habere pre ceteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita ut secundum Nicenas regulas sua priuilegia seruentur ecclesiis, preterquam si apostolica sedes aliquam ecclesiam uel rectorem ipsius quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare.

**C. IX.** De eodem.

Item Beda super Apocalipsin: “Et angelo ecclesiæ Ephesi scribe”.

Episcopo scribit, de cuius manu peccata requirit subditorum, nec sine eius consilio subditos iudicare debeat.

Gratian. Sola enim Romana ecclesia sua auctoritate ualet de omnibus iudicare; de ea uero nulli iudicare permittitur.

Unde Nicolaus Papa: [ad Michælem Imperatorem in epistola, cuius initium: “Proposueramus”]

**C. X.** Apostolicæ sedis iudicium a nemine est retractandum.

Patet profecto sedis apostolicæ (cuius auctoritate maius non est) iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, iuxta quod Innocentius Papa Rufo et ceteris episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait: “Nemo umquam apostolico culmini (de cuius iudicio non licet retractari manus obuias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se uoluit iudicari,” et B. Papa Gelasius: “Nec de eius (id est Romanæ ecclesiæ) canones umquam preceperunt iudicari iudicio,



sententiam que illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt”.

**C. XI.** Ab aliis dampnatos uel excommunicatos apostolica soluit auctoritas.

Item Anastasius Patriarcha Felici Papæ. [II].

Fuit semper uestræ apostolicæ sedis licentia iniuste dampnatos uel excommunicatos potestatiue sua auctoritate restituere, et sua eis omnia reddere, et illos, qui eos condempnauerunt aut excommunicauerunt, apostolico punire priuilegio, sicut etiam nostris et anterioribus nouimus factum temporibus.

**C. XII.** De eodem.

Item. [ibidem paulo inferius]

Antiquis regulis censitum est, ut quicquid (quamuis in remotis aut in longinquo positis prouinciis) super eorum querelis aut accusationibus ageretur, non prius tractandum uel accipiendum esset, quam ad notitiam almæ sedis uestræ esset deductum, ut huius auctoritate, iuxta quod fuisset pronuntiatio infirmaretur aut firmaretur.

**C. XIII.** Prima sedes nullius iudicio subiaceat.

Item Innocentius Papa.

Nemo iudicabit primam sedem, iustitiam temperare desiderantem.

Neque enim ab augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo iudex iudicabitur.

**C. XIV.** De eodem.

Item Symacus.

Aliorum hominum causas Deus uoluit terminare per homines, sedis istius presulem suo sine questione reseruauit arbitrio.

Voluit B. Petri apostoli successore celo tantum debere innocentiam, et subtilissimi discussoris indagini inuiolatam habere conscientiam.

Nolite existimare eas animas inquisitoris non habere formidinem, quas Deus pre ceteris suo reseruauit examini.

Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipsorum factorum utitur teste quo iudice.

Dicas forsitan, talis erit conditio animarum omnium in illa disceptatione; replicabo, uni dictum: “Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et quecumque solueris super terram erunt soluta et in celis”.

Et rursus sanctorum uoce, pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe uenerabilem, dum illi quicquid fidelium est ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.

De hac mihi per Prophetam dictum uidetur: “Si hec humiliatur, ad cuius fugietis auxilium?

et ubi relinquetis gloriam uestram?”

**C. XV.** De eodem.

Item Anteros Papa. [ad Episcopos prouinciarum Beticæ et Toletanæ]

Facta subditorum iudicantur a nobis: nostra uero a Domino iudicantur.

§. 1. Deteriores sunt qui uitam mores que bonorum corrumpunt his, qui substantias aliorum predia que diripiunt.

**C. XVI. De eodem.**

Item Gelasius. [ad Faustum legatum]

Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiae ad huius sedis examen uoluerunt deferre.

Ab ipsa uero numquam prorsus appellare debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius conmeare iudicium, nec de eius umquam preceperunt iudicari iudicio, sententiam que eius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt.

**C. XVII. De eodem.**

Idem omnibus Episcopis.

Cuncta per mundum nouit ecclesia, quod sacrosancta Romana ecclesia fas de omnibus habet iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.

Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo est appellare permissus.

§. 1. Sed nec illa preterimus, quod apostolica sedes sine ulla precedente sinodo et soluendi quos sinodus iniqua dampnauerat, et dampnandi, nulla existente sinodo, quos oportuit habuerit facultatem, et hoc nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus apostolus Domini uoce et tenuit semper et tenebit.

[[C. XVIII].

Idem Episcopis per Dardaniam constitutis.

Cuncta per mundum nouit ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes B. Petri apostoli ius habeat resoluendi, utpote que de omni ecclesia fas habeat iudicandi etc.

**C. XIX. De eodem.**

Item Sixtus Papa [II]. Hispaniorum Episcopis. [epist. II. cap. 4].

Fratres quos timore terreno iniuste dampnastis, scitote a nobis iuste esse restitutos, quibus ex auctoritate omnia, que eis ablata sunt, integerrime reddi precipimus, si non uultis et uos et principes uestri a collegio nostro et membris ecclesiae separari.

**C. XX. Cuiuslibet ecclesiae clericos Papa ualet ordinare.**

Item Stephanus Episcopus Walberto patriarchae.

Nunc uero iterato scribimus tibi, nolentes alicuius ecclesiae priuilegium infringere, licet apostolica prerogatiua possimus de qualibet ecclesia clericum ordinare: desine iam cuiuspiam zelo Cumensis ecclesiae antistitem protelare, quia, si protelaueris et eum consecrare iam tociens monitus non maturaueris, proculdubio consecratus abibit.

**C. XXI. De eodem.**

Item Nicolaus Papa Michæli Inperatori: [in epistola, cuius initium: "Proposuerainus"]

Per principalem igitur beatorum Petri et Pauli, de qua supra exposuimus, potestatem et ius habemus non solum in monachos, uerum etiam in quoslibet clericos de quacumque diocesi, cum necesse fuerit, ad nos conuocare, atque ecclesiasticis exigentibus oportunitatibus inuitare.

Gratian. Sed aliud est quod ex temeritate assumitur presumptionis, aliud quod ex necessitate geritur karitatis.

Cum suffraganei archiepiscoporum subditis suis ad malum fauere ceperint, atque circa eorum correctionem negligentes extiterint, tunc licet metropolitanis preter illorum uoluntatem et ligandos dampnare, et reconciliandos absoluere.

Cum uero episcopi zelo diuinæ karitatis accensi bonos uerbo et exemplo edificant, malorum uicia aspera increpatione redarguunt, absque talium consilio non licet metropolitanis in eorum parrochia aliquid agere uel disponere.

Unde in fine capituli Martini Papæ non simpliciter dictum est: “nichil agat,” sed cum determinatione “nichil presumptiue assumat absque eorum consilio,” ut uicium presumptionis uideatur improbatum, non offitium karitatis.

Sic et Apostolus, quia Corinthios uidit negligentes circa correctionem fornicatoris, sua auctoritate illum dampnauit.

Iohannes uero, quia episcopum Ephesiorum uidit paratum ad corrigenda uicia subditorum, sine eius auctoritate illos corrigere noluit, sed illum tantum de eorum correctione admonuit.

## CAUSA X.

### GRATIANUS.

Quidam laicus basilicam a se factam a diocesiana lege segregare querit; episcopus ecclesiam cum omni dote sua ad suam dispositionem pertinere contendit; tandem euincit episcopus, per parrochias militibus comitatus crudeliter deseuit; que ecclesiarum sunt tamquam sibi debita usurpare contendit.

(Qu. I).

Modo primum queritur, an basilica cum omni dote sua ad episcopi ordinationem pertineat?

(Qu. II).

Secundo, an res ecclesiarum episcopis usurpare liceat? (Qu. III).

Tertio, quid nomine cathedratici a suis sacerdotibus exigere ualeat?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De prima questione sic diffinitur in Concilio Ylerdensi: [cap. 3].

**C. I.** Basilica, que consecratur, a diocesiana lege non segregetur.

Si ex laicis quisquam se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam eam sub monasterii specie, ubi congregatio non colligitur, a diocesiana lege audeat segregare.

**C. II.** Ecclesiæ cum dotibus suis in episcopi potestate consistent.

Item ex Concilio Tolletano III. [c. 19].

Sic quidam contra omnem auctoritatem ecclesias, quas edificauerint, postulant consecrari, ut dotem, quam eidem ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere.

Quod factum taliter in preterito corrigatur, ut et in futuro ne fiat prohibeatur, et omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem et potestatem pertineant.

**C. III.** Ecclesiæ et omnia iura earum ad episcopi ordinationem pertinent.

Item ex Concilio II. Cabillonensi.

Decretum est ut omnes ecclesiæ cum dotibus suis, et decimis, et omnibus suis, in episcopi potestate consistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant.

**C. IV.** Unaqueque parrochia episcopi prouisione regatur.

Item Leo IV. [in epistola ad Episc. Britannia, c. 2].

Regenda est unaquaque parrochia sub prouisione ac tuitione episcopi per sacerdotes uel ceteros clericos, quos ipse cum Dei timore preuiderit cui iure pertinere uidetur, et circuire, ut sibi necessarium uisum fuerit ecclesiastica utilitate cogente.

**C. V.** Iudicio et potestate episcopi res ecclesiasticæ gubernentur.

Item ex Concilio Antioceno. [c. 24].

Quecumque res ecclesiasticæ sunt conuenit cum omni diligentia et bona fide, que Deo debetur, qui omnia preuidet et cuncta iudicat, gubernari et dispensari cum iudicio et potestate episcopi, cui totius plebis animæ uidentur esse commissæ.

**C. VI.** Basilicarum conditores in rebus ecclesiarum nullam se potestatem habere cognoscant.

Nouerint conditores basilicarum, in rebus, quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere, sed iuxta canonum instituta sicut ecclesiam, ita et dotem eius ad ordinationem episcopi pertinere.

**C. VII.** De eodem.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I. c. 17].

De his, que parrochiis in terris, uineis, mancipiis atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta seruentur, ut in episcoporum potestate consistant.

De his tamen, que altario accesserint, tertia pars fideliter episcopis deferatur.

**C. VIII.** De his, que altario offeruntur, medietatem sibi episcopus uendicet.

Item ex eodem. [c. 16].

Antiquos canones relegentes priora statuta credimus renouanda, ut de his, que in altario oblationes fidelium conferuntur, medietatem sibi episcopus uendicet, et medietatem sibi dispensandam secundi gradus clerus accipiat tam de propriis prediis, quam de omni commoditate in episcoporum potestate durantibus.

**C. IX.** De episcopis, qui diocesim suam uisitare contempnunt et ad redimendas mansiones, que uisitantibus debentur, clericos cogunt.

Item ex Concilio Tolletano.

Relata est coram sancta synodo querimonia plebium, quod sint quidam episcopi nolentes ad predicandum uel ad confirmandum suas per annum parrochias circuire, qui tamen exigunt, ut mansiones, quibus in profectioe uti debuerant, alio precio redimant qui parare debent.

Que duplex infamia, negligentia et auaritia sanctæ synodo magno fuit horrore.

Statuerunt itaque, ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium, et ut soliciores sint episcopi de suis gregibus uisitandis.

**C. X.** Annuis uicibus ecclesiæ ab episcopis uisitentur.

Item ex Concilio Terraconensi. [c. 8].

Decreuimus, ut antiquæ consuetudinis ordo seruetur, et annuis uicibus ab episcopo dioceses uisitentur, et si qua forte basilica fuerit reperta destituta, ordinatori eius reparari precipiatur, ab episcopis autem tertia pars ex omnibus accipiatur sicuti antiqua traditione nouimus esse statutum.

## **II. Pars.**

Gratian. Si autem episcopus inualitudine inpeditus dioceses suas per semetipsum uisitare non poterit uisitationis offitium aliis committat.

Unde in Tolletano Concilio IV. [c. 35]. legitur:

**C. XI.** Inualitudine grauatus episcopus uisitationis offitium aliis committat.

Episcopum per cunctas dioceses parrochias que suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat, quo unaqueque basilica in reparatione sui indigeat.

Quod si ipse aut languore detentus aut aliis occupationibus implicatus adimplere nequierit, presbiteros probabiles aut diacones mittat, qui et redditus basilicarum, et reparationes, et uitam ministrantium inquirent.

## **III. Pars.**

Gratian. Visitantes autem episcopi quid a clericis suis exquirere debeant, et quid eos docere, in Concilio Bracarense II. [cap. I]. sic statutum legitur:

**C. XII.** Que uisitantes episcopi a clericis suis exquirere debent.

Placuit omnibus episcopis, ut per singulas ecclesias episcopi et per dioceses ambulantes primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant uel missarum, et qualiter quecumque offitia in ecclesia peragant.

Et si recte quidem inuenerint, Deo gratias; sin autem minime, docere debent ignaros, et hoc modis omnibus precipere, sicut antiqui canones iubent, ut ante dies uiginti baptismi ad purgationem exorcismi catechumini currant, in quibus uiginti diebus omnino catechumini symbolum, quod est "Credo in Deum Patrem omnipotentem," specialiter doceantur.

Postquam ergo hoc suos clericos discussierint uel docuerint episcopi, alia die, conuocata plebe ipsius ecclesiæ, doceant illos, ut errores fugiant ydolorum, uel diuersa crimina, id est homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium et reliqua peccata mortifera, et quod nolunt sibi fieri alteri ne faciant, et ut credant resurrectionem omnium et diem iudicii, in quo unusquisque secundum opera sua recepturus sit.

Et sic postea episcopus de ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

Item Ieronimus ad Damasum Papam: [de oblationibus altaris]

**C. XIII.** Oblationes ecclesiæ laicis usurpare non licet.

## **IV. Pars.**

Quia sacerdotes pro omnibus orare solent, quorum elemosinas et oblationes accipiunt, qua fronte presumunt laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, uel ipsi comedere, uel aliis concedere, cum ipsi non debeant ex officio pro populo orare?

Ob hoc, Papa gloriose, mittere oportet illos presumptores in excommunicationem perpetuam, ut ceteri metum habeant, et amplius hec in ecclesia non fiant.

**C. XIV.** Minime auferantur a laicis oblationes altaribus uel crucibus factæ.

Item Calixtus Papa. [II].

Sanctorum Patrum canonibus consona sancientes oblationes de sacratissimo et reuerentissimo altari B. Petri, et Saluatoris, et S. Mariæ rotundæ, aut de aliis ecclesiarum altaribus siue crucibus, a laicis auferri penitus interdiximus et sub districtione anathematis prohibemus, et ecclesias a laicis incastellari aut in seruitutem redigi auctoritate apostolica prohibemus.

**C. XV.** Ecclesiarum oblationes sub laicorum dominio non detineantur.

Item Damasus Papa.

Hanc consuetudinem, que contra sanctam ecclesiam catholicam augeri uidetur, omnino interdiximus, ut nullo modo umquam ullo tempore oblationes, que intra sanctam ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur.

Sed tantummodo sacerdotibus, qui cottidie Domino seruire uidentur, illis solis licet comedere et bibere, quia in ueteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israël, nisi tantummodo Aaron et filiis eius, qui longe erant ab istis panibus, qui nunc in sancta ecclesia offeruntur, quia illi sub umbra legis erant, qui uero modo sub gratia Spiritus sancti toto mundo euangelio coruscante lucidiores esse uidentur.

Qua fronte aut qua consciencia oblationes uultis accipere, qui uix ualetis pro uobis, nedum pro aliis Deo preces offerre?

quia prauum est et contra preceptum dominicum detrimentum suæ animæ infert qui illud agere conatur, quod ei nulla ratione conceditur.

Quia omnibus sanctis Patribus nostris que prioribus placuit hanc sanctionem fieri, et nos similiter in eisdem persistere uolumus, ut nullus audeat irritum facere hoc, quod constitutum est, si in perpetua dampnatione noluerit persistere.

Si quis uero contra hanc regulam nostram et contra regulam sanctorum Patrum CCC., qui in Niceno concilio hoc constituerunt, temerarius presumptor fuerit, et ulterius oblationes de sacris ecclesiis molitus auferre fuerit, sub anathematis uinculo sit colligatus et condemnatus.

Responderunt omnes: Fiat, fiat.

Gratian. Premissis auctoritatibus ecclesiæ cum omnibus rebus suis ad episcopi ordinationem pertinere monstrantur, et tam ecclesiæ quam oblationes et facultates earum a laicorum dispositione probantur esse inmunes.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Sed cum in episcoporum potestate facultates ecclesiæ constitutæ esse dicantur, potestas dispensandi intelligenda est, non distrahendi uel dilapidandi.

Unde in Agatensi Concilio [c. 7]. legitur:

**C. I.** Res ecclesiæ aliquo modo alienare episcopis non licet.

Casellas uel mancipiola ecclesiæ episcopi, sicut prisca canonum precepit auctoritas, uel uasa monasterii quasi commendata fidei preposito, integro ecclesiæ iure possideant, id est ut neque uendere, neque per quoscumque contractus res, unde pauperes uiuunt, alienare presumant.

Quod si necessitas compulerit, ut pro ecclesiæ necessitate aut utilitate uel in usufructu, uel indirecta uenditione aliquid distrahatur, apud duos uel tres conprovinciales aut uicinos episcopos causa, que necesse sit uendendi primitus conprobetur, ut, habita discussione sacerdotali, eorum subscriptione que facta fuerit uenditio uel transactio roboretur.

Aliter facta uenditio uel transactio non ualebit.

Minus uero utiles possessiones peregrinis uel clericis saluo iure ecclesiæ in usum prestare permittimus.

[Gratian.] Codicis libro I. de sacrosanctis ecclesiis, Inp. Iustinianus: excepta uidelicet causa captiuitatis.

[[C. II].

Inp. Leo.

Ea enim, que ad beatissimæ ecclesiæ iura pertinent, tamquam ipsam sacrosanctam et religiosam ecclesiam intacta uenerabiliter conuenit custodiri.

Constitutio noua.

Hoc ius porrectum est ad omnem locum uenerabilem omne que collegium, quod actio pia constituit, ut nec pignorentur, et perpetuo seruentur in his immobilibus, que ab imperiali domo predictis locis applicantur.

§. 1. Et habet superflua uasa, nec aliunde soluere ualet, ne quid immobile alienetur uel distrahatur, ea, gestis habitis coram eo, cuius est loci ordinatio, aliis scilicet locis uenerabilibus, uel conflata cuilibet uendantur.

Qui autem hec accipit citra hanc obseruationem, hisdem penis subiaceat, que in rebus immobilibus proditæ sunt.

Si autem debitum ex mobilibus solui non ualet, primo res immobiles speciali dentur pignori, cuius fructus creditor sibi reputet tam in sortem quam in usuras usque ad quartam centesimæ.

Quod si nolit, tunc ordinator domus apud eum, a quo ordinatur, habitis absque dispendio gestis iuret, maiore parte ibidem seruientium consentiente, et debitum urgere, nec ex mobilibus solui posse.

Quo subsecuto, per uiginti dies rem ecclesiæ esse uenalem sit publice notum, ut plus offerenti detur, precio modis omnibus pro debito dando.

Aliter enim res emptori non conceditur, et hoc inscribatur nil esse factum in ea re ad dampnum diuinæ domus.

Emptore non inuento, res estimata districte creditori detur in solutum, addita in precio decima parte uniuersæ estimationis et accedente consensu ordinatoris et maioris partis ibidem seruientium.

Sit tamen ea res mediocris inter ceteras, inspecta ipsius qualitate, et quantitate, et onere.

Et is creditor hic intelligatur, qui quod credidit probat in utilitates religiosæ domus processisse.

§. 2. Sicut autem alienatio rerum ecclesiæ interdicitur, ita prohibetur, ne qua sterilis ei detur possessio aut alias onerosa, ueluti nomine fiscalium.

§. 3. Item predium propter onus fiscalium inutile alienatur gestis ut supra conficiendis, et eodem iuramento prestito, id est quod alia de causa non alienatur, nisi ut inmunitas eiusdem uenerandæ domus seruetur.

§. 4. Sed et permutare principi possunt pro re maiori, uel equali, si respublica hoc exposcit, pragmatica forma super hoc precedente.

§. 5. Item sibi inuicem recte permutant cum utriusque indemnitatem, eorum scilicet consensu, qui et supra referuntur.

## II. Pars.

§. 6. Perpetua quoque emphyteosis in his rebus permittitur, si res in eorum geritur presentia, quibus hoc assignatur lege, iurantibus his, quorum interest, ex eo contractu nichil ad lesionem diuinæ domus effici, solito reddito ipsius rei, qui fuit, cum diuino iuri dedicaretur, non inminuendo nisi in sextam partem, aut si ob cladem diminuta fuerit, tunc constante nunc pensione in emphyteosim detur.

Quod si res preciosa quidem est, parum tamen aut nichil prestat pensionis res subtiliter estimanda est, ut ex hoc iusta pensio constituatur.

Ea tamen sola dantur in emphyteosim, que ad hoc congrua uidentur yconomis et aliis gubernatoribus.

§. 7. Qui rem huiusmodi conductam uel in emphyteosim acceptam fecerit deteriore, aut canonem per biennium non soluerit, repelli potest, ut tamen soluat totius temporis pensionem, et id, in quo rem lesit, resarciat non repetiturus si quid impendit nomine meliorationis.

§. 8. Si quas uero ruinas habent memoratæ domus, quas reedificare non ualent in emphyteosim dentur perpetuam, emphyteota usuro materia depositæ habitationis domus, ut pensio minuatur in tertiam partem ab ea, que stantibus adhuc habitationibus colligebatur, aut, prius eo edificante, ex additis illic per estimationem pensionibus medietas detur religiosæ domui.

§. 9. Qui uero res iam dictas non gratuito alienationis titulo citra formam legis accipit, rem quidem cum omni incremento medii temporis restituat: eius autem, quod dedit, nullam aduersus uenerabilem locum, sed aduersus eum, qui alienauit, actionem habeat.

Donatarius autem et rem cum omni causa restituat, et aliud tantum.

Creditor quoque, restituta re pignorat, crediti actionem non habet.

Emphyteosis acceptor ab ea cadat nec quod dedit repetat, imo statim soluat quod soluturus esset, si iure contraxisset.

§. 10. Sed melius dicitur omnino denegandas esse actiones huiusmodi acceptori.

Codice libro I. de sacrosancta ecclesia Inp. Leo:

§. 11. Si yconomus ecclesiæ prospexerit expedire, ut cuiquam desideranti certarum possessionum atque prediorum (urbanorum uel rusticorum) ad ius ecclesiasticum pertinentium temporalis ususfructus possessio prestat, eius tempus, quod inter utrosque conuenerit, siue in diem uitæ suæ ab eo, qui desiderat, postuletur, pacta cum eo, qui hoc elegerit, ineat yconomus, atque conscribat, per que et tempus, intra quod hoc prestari placuerit, statuatur, et manifestum sit quod quisque acceperit adinuicem.



**[PALEA. C. III.**

Huiusmodi beneficii gratia prestando quidem ecclesiastici predii pro tempore usum fructum, post statutum autem tempus et placitum ipsorum redditum proprietate ad dominium et ius ecclesiasticum recurrente firmiter].

Completo uero spatio, quod inter eos fuerit constitutum, seu mortis suæ tempore (si hoc quoque conuenerit) is, qui possessionem ecclesiasticam et ceterorum reddituum usumfructum habendi gratia pacto interueniente suscepit, non minus quam alterius tantæ quantitatis, quantæ acceperat, redditus, cum ipsorum prediorum dominio, et rebus immobilibus, eorum que colonis et mancipiis ecclesiæ derelinquat.

Nisi enim hac conditione pacta inita fuerint, ea quoque non decernimus ualere.

§. 1. N. C. Hec usus prestatio locum habet in omni domo religiosa.

Quo finito res utraque pleno iure perueniat in domum iam dictam, nec tributis quidem sit grauata maioribus ea res, que datur inuicem.

§. 2. Quibuscumque modis aliis permittitur, interdicitur certis personis rem huiusmodi accipere, ut yconomio eius que cognatis.

**C. IV. Ecclesiasticarum rerum precariæ qualiter fieri debeant.**

Item ex Concilio Mediomatricis.

Precariæ a nemine de rebus ecclesiasticis fieri presumantur, nisi quantum de qualitate conuenienti datur ex proprio, duplum accipiant ex rebus ecclesiæ, in suo tantum, qui dederunt nomine si res proprias et ecclesiasticas fructuario usu tenere uoluerint.

Si autem res proprias ad presens dimiserint, ex rebus ecclesiasticis triplum fructuario usu in suo tantum quis nomine sumat, quia sic eas quemque tractare, ut alienarum dispensatorem conuenit, non propriarum largitorem.

§. 1. Decreuit etiam sancta synodus, et imperialis auctoritas denunciat, ut a nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus Deo et Sanctis eius dicatis, cum ratio et usus obtineat neminem cui non uult contra utilitatem et rationem cogi de proprio facere beneficium.

§. 2. Nec conmutationes rerum uel mancipiorum ecclesiasticorum quelibet persona sine licentia et regio consensu facere presumat.

**[PALEA. C. V. De eodem.**

Item ex Concilio Belluacensi.

Precariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem et auctoritatem renouentur].

**[PALEA. C. VI. De eodem.**

Item ex Concilio Cartaginensi.

De precariis, que a rectoribus ecclesiarum inrationabiliter fiebant, et se suos que successores pena graui obligabant, ut facta ipsorum nequiuissent dissoluere, precipimus, ut nemo successor in antecessoris sui pena sit obligatus, sed suæ prouidentiae sit concessum, ut, si antecessor eius res ecclesiæ inrationabiliter distribuit, ab eo ad ius ecclesiæ eiusdem reuocentur].

**C. VII. Res ecclesiæ dispensandi potestatem habeat episcopus.**

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 16].

**III. Pars.**

Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, ut dispenset necessitatem habentibus cum omni reuerentia et timore Dei.

Participare etiam eum oportet que necessaria sunt.

Si tamen ipse aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquo, ut necessitatem nullo modo patiantur, secundum Apostolum sanctum dicentem: “Victu et tegumento, his contenti sumus”.

Si autem res ecclesiasticas episcopus in suas uoluntates usurpare uoluerit, aut fratribus uel filiis, uel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos latenter res ledantur ecclesiæ, hunc oportet obnoxium esse concilio; sin aliter, episcopus uel qui cum eo sunt presbiteri aut diaconi accusentur, quia ea, que ex reddito, uel ex quolibet actu ecclesiæ ueniunt, in suos usus colligunt, et pauperes fraudant et fame conficiunt, hos corripere oportet secundum quod ordinatum fuerit a sancto concilio.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Si uero contra hanc prohibitionem aliquam de rebus ecclesiæ episcopum uendere contigerit, et res ipsa ecclesiæ restauranda, et ipse gradu suo eiciendus decernitur.

Unde in eodem Concilio Martini Papæ [c. 14]. legitur:

**C. VIII.** De episcopo, qui nulla necessitate res ecclesiæ uendit.

Si quis episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus in suo clero, aut ubi forte presbiter non est, de rebus ecclesiasticis presumpserit aliquid uendere, res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, et in iudicio episcoporum deiciatur auditus et conuictus, et tamquam furti aut latrocinii reus suo priuetur honore.

### **QUESTIO III.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Quid uero nomine cathedratici episcopus exigere debeat, in secundo Concilio Bracarense [c. 2]. legitur:

**C. I.** Preter honorem cathedratici nichil per dioceses exigat episcopus.

Placuit, ut nullus episcoporum, per suas dioceses ambulans, preter honorem cathedræ suæ, id est duos solidos, aliud aliquid per ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parrochialibus facta sibi usurpet; sed ecclesiæ reparationi seruetur, et singulis annis episcopo ratio fiat.

Nam si tertiam partem illam episcopus tollit, lumen et sacra tecta ecclesiæ abstulit.

Similiter etiam parrochiales clerici seruili more in aliquibus operibus episcopo seruire non cogantur, quia scriptum est: “Neque ut dominantes in clero”.

**C. II.** Basilicarum reparationi proficiat tertia pars, quam accipere consueuerat episcopus. Item ex Concilio apud Marech.

Priscis quidem canonibus erat decretum, ut episcopus de parrochianis ecclesiis tertiam sequeretur, cui sua plenissime sufficere possunt.

Placuit huic sancto concilio, ut nullus prouinciæ Lusitaniæ episcopus a qualibet parrochiana ecclesia tertiam auferre presumat, sed que exinde consequi potuerat reparationi basilicarum proficiant.

**C. III.** Non accipiant episcopi tertiam, nisi dirutas ecclesias reparare uoluerint.

Item ex Concilio Tolletano. [XVI., c. 5].

Unio nostræ congregationis decernit atque instituit, ut tertias, quas antiqui canones de parrochiis suis habere episcopos censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis episcopis dirutæ ecclesiæ reparentur.

Si uero eas maluerint cedere, ab earundem ecclesiarum cultoribus sub cura et sollicitudine sui pontificis reparatio eisdem est adhibenda basilicis.

Quod si omnes ecclesiæ aut incolumes fuerint, aut que dirutæ erant reparatæ extiterint, secundum antiquorum canonum instituta, si tertias sibi debitas unusquisque episcopus assequi uoluerit, facultas illi omnimoda erit, ita uidelicet, ut citra ipsas tertias nullus episcoporum quippiam pro regiis inquisitionibus a parrochianis ecclesiis exigat, nichil que de prediis ipsarum ecclesiarum cuiquam causa stipendii dare presumat.

§. 1. Sed et hoc necessarium instituere duximus, ut plures ecclesiæ uni nequaquam committantur presbitero, quia solus per totas ecclesias nec offitium ualet persoluere, nec rebus earum necessariam curam inpendere, ea scilicet ratione precipimus, ut ecclesia, que usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem, que uero minus aliis coniungatur ecclesiis.

Si quis sane episcoporum hanc nostram institutionem paruipenderit, duorum mensium spatio se nouerit excommunicatione mulctari.

**C. IV.** De eodem.

Item Pelagius Cresconio Illustri.

Illud te modis omnibus uolumus custodire, ne quis episcoporum Siciliæ de parrochiis ad se pertinentibus nomine cathedratici amplius quam duos solidos presumat accipere, neque compellere presbiteros aut clerum parrochiarum suarum supra uires suas eis conuiuia preparare.

**C. V.** Baptizandis numerus non inponatur, nec cathedraticum ultra morem uetustum exigatur.

Item Gelasius Papa Fabiano Episcopo.

Nec numerus baptizandis iuste creditur inponendus, cum quanti petierint uel ad regenerationem festinauerint non sint pro alterius uoluntate repellendi.

Et ideo, frater, huiusmodi superfluum constitutionem modis omnibus remouebis, ut unusquisque aut in uicina sibi ecclesia, aut in electa pro suæ mentis baptizetur arbitrio.

Cathedraticum etiam non amplius, quam uetusti moris esse constiterit, ab eius loci presbitero noueris exigendum, et de his, que die dedicationis fuerint offerentium deuotione collata, consuetudinem, que generaliter omnibus ecclesiis est prescripta, seruabis.

**II. Pars.**

Gratian. Cathedaticum, quod his auctoritatibus episcopis permittitur exigere, preter medietatem uel tertiam partem oblationum, que pro uaria ecclesiarum consuetudine ex premissis auctoritatibus episcopo debetur, intelligendum est, nec illa pars oblationum omnium generaliter intelligenda est, sed uel anniuersariæ dedicationis, uel quorundam etiam solempnium dierum, prout inter episcopum et sacerdotem tempore dedicationis conuenerit.

De his uero episcopis, qui per parrochias suas crudeliter deseuiunt, sic statutum est in tertio Concilio Tolletano: [c. 20].

**C. VI.** Ultra morem antiquum a parrochianis presbiteris nichil episcopi exigant.

Quia cognouimus episcopos per parrochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter deseuire, et dum scriptum sit: “Forma estote gregi, non ut dominantes in clerum” qui exactiones diocesi suæ uel dampna infligunt ideo censemus (excepto, quod ueterum constitutiones a parrochiis habere iubent episcopos), ut alia illis, que hucusque presumpta sunt, denegentur, hoc est, neque in angariis presbiteri aut diacones, neque aliquibus fatigentur indictionibus, ne uideamur in ecclesia Dei exactores potius quam Dei pontifices nominari.

Hii uero clerici, tam locales quam diocesiani, qui se ab episcopo grauari cognouerint, querelas suas ad metropolitanum non differant deferre, et metropolitanus non moretur eiusmodi presumptiones auertere.

**C. VII.** A parrochianis stipendia non nisi cum karitate episcopi exigant.

Item ex Concilio Cabillonensi. [II. c. 14].

Cauendum sane est, ne, cum episcopi per parrochias suas peragrant, quandam non solum erga subditos sed erga socios tyrannidem exerceant, ne (quod absit, cum karitate, sed cum quadam iactantiæ temeritate nec cum gratiarum actione, sed cum quadam iudiciaria in inuentione stipendia ab eis exigant.

Obseruandum modis omnibus est, ut, si quando eis peragrandæ parrochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in predicatione uerbi Dei, in lucris animarum potius quam in depredandis et spoliandis hominibus et scandalizandis fratribus operam dent.

Et si quando eis ad peragendum ministerium suum a subditis aut a fratribus aliquid accipiendum est, hoc summopere obseruare debent, ne quem scandalizent aut grauent.

Tanta ergo discretio in hac re tenenda est, ut uerbi Dei predicator, ubi proprii sumptus desunt, a fratribus accipiat, et idem fratres illius potentia non grauentur, exemplo apostoli Pauli, qui, ne quem grauaret, arte et manibus uictum querebat.

**C. VIII.** Ultra duos solidos a parrochianis ecclesiis episcopus non presumat accipere.

Item ex Concilio Tolletano VIII. [c. 4].

Inter cetera denique, que communi consensu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam parrochialium presbiterorum Gallitiæ prouinciæ sollertissime discernere decuit, quas contra pontificum suorum rapacitates necessitas, ut conperimus, tandem compulit in publicum examen deferri.

Hii enim pontifices, ut euidentis inquisitio patefecit, indiscreto moderamine parrochitanas ecclesias pregrauantes, dum in exactionibus superfluis frequenter existunt, pene usque ad exinanitionem extremæ uirtutis quasdam basilicas perduxisse probantur.

Ne ergo fiat de cetero quod constat hactenus inordinate presumptum, non amplius quam duos solidos unusquisque episcoporum prefatæ prouinciæ per singulas dioceses uel

basilicas iuxta sinodum Bracarensem annua illatione sibi expetet inferri, monasteriorum tamen basilicis ab hac solutionis expensione seiunctis.

§. 1. Cum uero episcopus diocesim uisitat, nulli pre multitudine onerosus existat, nec umquam quinquagenarium numerum euectionis excedat, aut amplius quam una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat.

§. 2. Quicumque uero pontificum eorundem aliter quam decreuimus agendum presumpserit, correctioni proculdubio canonum subiacebit tamquam constitutionum sinodalium transgressor et priscorum Patrum edictorum corruptor.

**C. IX.** Sacerdotes ab episcopis suis ultra modum non grauentur.

Item Gregorius Episcopus Siciliae. [lib. XI. ep. 20].

Relatum est nobis, sanctae memoriae decessoris mei temporibus per Seruum dei diaconem, qui tunc ecclesiastici patrimonii curam gessit, fuisse dispositum, ut sacerdotes per uniuersas uestras dioceses constituti, quociens ad consignandos infantes egredimini, ultra modum grauari minime debuissent.

Summa enim prefixa fuerat, uobis, ut audio, consentientibus, que ab eis sacerdotibus pro labore clericorum dari debuisset.

Atque hoc, quod tunc placuit, sicut nunc dicitur, minime custoditur.

Unde fraternitatem uestram admoneo, ut subiectis uestris graues non studeatis existere.

**C. X.** Secundum loci mediocritatem episcopis conuiuia parentur.

Item Pelagius Papa Cresconio Illustri.

Illud magnitudinem tuam minime uolumus ignorare, quod Siracusanae ciuitatis episcopus inter alia, que in cautionum suarum pagina spondit, hoc etiam specialiter sub interpositione pena legitime promisisse legitur, numquam se a quolibet diocesis suae presbitero ultra duos solidos cathedratici nomine petiturum, nec per quamlibet aliam occasionem quicquam in eius dispendio se esse gesturum.

Quod magnitudo tua non solum a predicto episcopo, sed de omnium episcoporum Siciliae personis competenti sollicitudine custodire non desinat, nec ipsa quoque prandia enormia fieri, sed secundum mediocritatem loci uniuscuiusque episcopo ad consignationem uenienti susceptionis parare conuiuium, quia nec eo pretextu pauperibus incuti dampna uolumus aut qualibet ratione permittimus.

## CAUSA XI.

### GRATIANUS.

Clericus aduersus clericum questionem de prediis agitauit, quem ad ciuilem iudicem producere uoluit reus non nisi ante iudicem ecclesiasticum stare uolebat; actor uero potentia ciuilis iudicis illum a possessione sua deiecit.

Quo audito episcopus eum ab offitio suspendit; ille contempta episcopi sui sententia offitium suum administravit.

Hoc conperto episcopus sine spe restitutionis in eum sententiam dedit.

(Qu. I).

Hic primum queritur, utrum clericus ante ciuilem iudicem sit producendus?

(Qu. II).

Secundo, si producendus non est, an hec culpa sit digna suspensione?

Tertio, si digna non fuerit, an contemptorem sententiæ sui episcopi irreparabiliter oporteat deponi?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod clericus apud seculares iudices accusandus non sit, Caius Papa [epistola ad Felicem Episcopum cap. 2]. scribit, dicens:

**C. I.** Apud secularem iudicem nullus clericus conueniatur.

Nemo umquam episcopum aut reliquos clericos apud iudicem secularem accusare presumat.

[PALEA. C. II.

Nullus iudicum neque presbiterum, neque diaconum, aut clericum ullum, aut iuniores ecclesiæ sine licentia pontificis per se distringat aut condempnare presumat.

Quod si fecerit, ab ecclesia, cui iniuriam inrogare dinoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum agnoscat et emendet].

**C. III.** De eodem.

Item Marcellinus Papa. [epist. II].

Clericum cuiuslibet ordinis absque pontificis sui permissu nullus presumat ad seculare iudicium attrahere, nec laico quemlibet clericum liceat accusare.

**C. IV.** Ab eis quisque iudicandus est, quos sibi iudices elegerit.

Item ex Concilio Niceno.

Iudices alii non debent esse, nisi quos ipse, qui inpetitur, elegerit, aut quos suo consensu hec sancta sedes aut eius primates auctoritate huius sanctæ sedis delegauerint.

**C. V.** Ad secularia iudicia nullus clericus est pertrahendus.

Item Valentinianus, Theodosius et Archadius.

Continua lege sancimus, ut nullus episcoporum uel eorum, qui ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad iudicia siue ordinariorum siue extraordinariorum iudicum pertrahantur.

Habent illi suos iudices, nec quicquam his publicis est commune cum legibus.

Item:

§. 1. Constantinus presidens in sancta synodo, que apud Nicenam congregata est, cum querelam quorundam conspiceret coram se deferendam, ait: Vos a nemine diiudicari potestis, quia ad Dei iudicium solius reseruamini.

[PALEA. C. VI. De eodem.

Item ex Concilio Matisconensi I., c. 8.

Nullus clericus alium clericum ad iudicem secularem accusare, aut ad causam dicendam trahere quocumque modo presumat, sed omne negotium clericorum aut in episcopi sui, aut presbiterorum cum archidiaconi presentia finiatur.

Quod si quis clericus hoc adimplere distulerit, si minor fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat, si uero honoratior, triginta dierum inclusione mulctetur].

[PALEA. C. VII. De eodem.

Item Marcellinus epistola II. ad Episcopos orientales.

Quecumque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad ecclesiam deferantur, et ab ecclesiasticis uiris terminentur.

Et si obedire noluerint, quousque obediant a liminibus ecclesiæ excludantur].

C. VIII. Neque pro ciuili, neque pro criminali causa episcopus apud ciuilem iudicem producat.

Item Bonifatius ad Episcopos Galliæ.

Nullus episcopus neque pro ciuili, neque pro criminali causa apud quemuis iudicem siue ciuilem siue militarem producat uel exhibeat.

Magistratus enim, qui hoc iubere ausus fuerit, amissione cinguli condempnatione plectetur.

C. IX. Quilibet clericus non est in publico examinandus.

Item Silvester Papa. [in Sinodo Romana, c. 14].

Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat nemo clericum quemlibet in publico examinare presumat nisi in ecclesia.

[Gratian.] Codicis libro I. titulo de episcopis et clericis, Inperator Theodosius:

Nec honore, nec legibus episcopus ad testimonium flagitetur.

§. 1.

Item:

Episcopum ad testimonium dicendum admitti non decet nam et persona honoratur, et dignitas sacerdotis excepta confunditur.

Nouella Constitutio.

Non flagitetur ad testimonium iureiurando sed euangelii tantum coram positus.

§. 1.

Item:

Sed iudex mittat ad eum ex suis ministris, ut propositis sacrosanctis euangelii, secundum quod decet sacerdotes, dicant que nouerunt.

C. X. Clericus ad ciuilem iudicem clericum producens anathema sit.

Idem.

Si quis clericus accusans clericum in curiam introierit, anathema sit.

Gratian. Subaudiendum est, si publicorum iudiciorum cognitionem petierit; episcopale namque iudicium nichil obest ab inperatore postulare.

Unde in Cartaginensi Concilio VIII. legitur:

C. XI. Proprio priuetur honore publici iudicii cognitionem ab inperatore postulans.

Placuit, ut quicumque ab inperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur.

Si autem episcopale iudicium ab inperatore postulauerit, nichil ei obsit.

Gratian. Sic et sequentes auctoritates intelligendæ sunt, quibus clericorum causas non nisi clerici cognoscere iubentur.

Unde Gelasius Papa scribit Zeiæ Comiti:

**C. XII. A seculari iudice clericus non est audiendus.**

Christianis gratum semper debet esse, quod ab eorum poscitur dignitate prestandum, quia Deo seruiantibus beneficium negare non conuenit.

Silvester atque Faustinianus, qui se a cunabulis clericos confitentur, a Theodora se obprimi conqueruntur per uolentiam, quod dicant se ingenuos atque auctore Deo pristinae conditionis nexibus absolutos, in sortem deterrimae iterum seruitutis addici, ac per auctoritatem regiam contra leges publicas, cum clericali cingulo olim tenerentur astricti, per archidiaconem urbis Grumentinae esse conuentos, cum constet eum, qui celestem militem pulsat, non nisi eius forum debere sectari.

Et ideo, dilecte, depensae salutationis affatu, supradictos clericos tibi commendo, ut, si ad delegatorum iudicium eorum aduersarii uenire contempserint, sublimitatis tuae tuitione uallentur, ne quid illis aut subreptio, aut inimica legibus uolentia necessitatis inponat, quia qui iudicium refugit apparet eum de iustitia diffisum.

**C. XIII. Non nisi ad episcoporum iudicium clericus deuocetur.**

Idem Crispo et Sabino Episcopis.

Silvester et Faustinianus ecclesiae Grumentinae clerici lacrimosa nobis insinuatione conquesti sunt, libertatem sibi domini sui benignitate concessam heredum eius obpressione pulsari, sibi que in clericatus officio pene a cunabulis seruiantibus, etiam manumisso re uiuente, in eodem actu nichilominus constitutis, diuinis ministeriis impendere seruitium non licere, cum, si petitionem ueritas subsequatur, contra patris et auctoris sui factum uenientibus ut indignis hereditas legibus auferatur, nec eis liceat hereditatem capientibus contra auctoris sui prosilire iudicium.

Et ideo, fratres karissimi, quoniam se etiam ab archidiacono predictae ecclesiae queruntur obpressos, qui per eorum absentiam moderatoris iudicium promisit eos esse secuturos, calcatis omnibus, et que contra leges diuinas et publicas pulsatis forum suum putauit auferri, in uestro iudicio, quisquis ille est, qui clericum lacesserit, adueniat, ut ecclesiae iura, que uetusti principes assidua sanctione firmauerunt, inpetitis clericis non negentur.

**C. XIV. Ante ciuilem iudicem sacerdotes non accusentur.**

Item Alexander omnibus orthodoxis, per diuersas prouincias Christo Domino famulantibus. [ep. I. c. 1].

Relatum est ad huius sanctae et apostolicae sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum et omnium negotia ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso dicente: “Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam,” quod quidam emuli Christi, eius que sanctae ecclesiae insidiatores, sacerdotes Dei ad iudices publicos accusare presumant, cum magis apostolus Christianorum causas ad ecclesias deferri et ibidem terminari precipiat.

Taliter preuaricantes preuaricauerunt in Deum suum, et non obediunt preceptis eius.

**C. XV. Actor forum rei sequatur.**

Item Pelagius Benegesto Defensori.

Experientiae tuae presenti auctoritate mandamus, ut in causis, in quibus quelibet ecclesiastici officii persona loco petitoris existit quemquam laicum pulsatura, apud suae prouinciae iudicem suas proponere non deserat actiones.



In his uero negotiis, in quibus ecclesiastici officii persona pulsatur, totius submoto pulsationis obstaculo ad episcopi uel presbiterorum, in loco, ubi questio uertitur, constitutorum, occurrat indifferenter examen.

**C. XVI. De eodem.**

Idem Sergio Cancellario.

Si quisquam clericus, siue inferioris siue potioris gradus, petitor existat, et contra laicam personam suas dirigat actiones, iste modis omnibus non alibi quam apud prouinciæ iudicem negotium suum dicturus occurrat.

Si quis autem laicus clericum cuiuscumque gradus duxerit esse pulsandum, ad episcoporum iudicium in eadem ciuitate uel territorio constitutorum proponat eas quas se existimat habere actiones.

Quem ordinem legibus per omnia conuenientem atque consentaneum demonstrari illa regula manifestat, que precipit actorem forum semper sequi pulsati.

Clericis uero pulsatis in episcopali iudicio forum competere, principalium quoque sanctionum designat auctoritas.

Item in Concilio Agatensi [c. 32]. legitur:

**C. XVII. Episcopo non permittente apud secularem iudicem clericus pulsari non debet.**

Clericum nullus presumat apud secularem iudicem episcopo non permittente pulsare; sed, si pulsatus fuerit, non respondeat uel proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere.

**C. XVIII. Clericus suo inobediens episcopo depositus curiæ tradatur.**

Item Pius Papa. [epist. II].

Si quis sacerdotum uel reliquorum clericorum suo episcopo inobediens fuerit, aut ei insidias parauerit, aut contumeliam, aut calumpniam, uel conuicia intulerit, et conuinci potuerit, mox depositus curiæ tradatur, et recipiat quod inique gessit.

**C. XIX. Principalis coherceat auctoritas qui plebem inuasam deserere noluerit.**

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 38].

Petimus, ut dignemini dare fiduciam, qua necessitate ipsa cogente liberum nobis sit rectorem prouinciæ secundum statuta gloriosissimorum principum aduersus illum adire, qui plebem, quam inuaserat, usque hodie conmonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere contempnit, ut qui miti admonitioni sanctitatis uestræ acquiescere noluerit et emendare illicitum, auctoritate iudiciaria protinus excludatur.

Aurelius episcopus dixit: Seruata forma disciplinæ non existimabitur inpetitus, si uestra karitate modeste conuentus recedere detrectauerit, cum fuerit suo contemptu et contumacia faciente iudiciaria auctoritate conuentus.

Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Hoc ergo omnibus placet.

**C. XX. A principibus corrigantur quos ecclesia corrigere non ualet.**

Item Gregorius.

Istud est, quod a uobis poposcimus et nunc iterum postulamus, ut Paulinum Aquileiensem pseudoepiscopum, et illum Mediolanensem episcopum ad clementissimum principem sub digna custodia dirigatis, ut et iste, qui episcopus esse nullatenus potest, quia contra omnem canonicam consuetudinem factus est, alios ultra

non perdat, et ille, qui contra morem antiquum eum ordinare presumpsit, canonum uindictæ subiaceat.

**C. XXI.** Proprium gradum amittant clerici coniurantes uel conspirantes.

Item in Concilio Calcedonensi. [c. 18].

Coniurationum et conspirationum crimen, quod apud Grecos dicitur fratria, publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi.

Hoc multo magis in sancta Dei ecclesia ne fiat conuenit abdicari.

Si qui uero clerici seu monachi inuenti fuerint coniurantes aut conspirantes, aut fratrias uel factiones componentes aliquas suis episcopis aut aliis, omnimodo cadant de proprio gradu.

**C. XXII.** Clerici conspirantes proprio gradu amisso retrudantur in carcerem ceteri excommunicentur.

Item Calixtus Papa. [Episcopis Galliaë, epist. II].

Conspirationum crimina uestris in partibus uigere audiuius, et, plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est; cuius criminis astutia non solum inter Christianos abhominabilis est, sed etiam inter ethnicos, et ab exteris legibus prohibita.

Et idcirco huius criminis reos non solum ecclesiasticæ, sed etiam seculi dampnant leges, et non solum conspirantes, sed etiam consentientes eis.

Antecessores uero nostri cum plurima turba episcoporum, quicumque eorum in sacerdotali honore sunt positi aut existunt clerici, honore, quo utuntur, carere preceperunt; ceteros uero communionem priuari et ab ecclesia extorres fieri iusserunt, omnes que simul utriusque ordinis uiros infames esse censuerunt, et non solum facientes, sed et eis consentientes.

**C. XXIII.** Clerici aut monachi coniurantes proprio priuentur honore.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 18].

Si qui clerici uel monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abiciantur.

**C. XXIV.** De eodem.

Item ex Concilio Tolletano.

Si clerici aut monachi inuenti fuerint conspirantes, aut per coniurationem calumpniam machinantes episcopis uel clericis, proprium amittant gradum.

**C. XXV.** De eodem.

Item ex Concilio Aurelianensi. [III. c. 21].

Si qui clericorum (ut nuper in multis locis per superbiam diabolo instigante actum fuisse perpatuit) rebeli auctoritate se in unum coniuratione intercedente collegerint, aut sacramenta inter se data, aut cartulam conscriptam fuisse patuerit, nullis excusationibus presumptio labetur; sed res detecta, cum in sinodum uentum fuerit, in presumptores iuxta personam et ordinum qualitatem a pontificibus, qui tunc in unum collecti fuerint, uindicetur, quia sicut karitas ex preceptis diuinis corde, non cartulæ conscriptione uel coniuratione est exhibenda, ita que supra sacras admittuntur scripturas auctoritate et districtione pontificali sunt reprimenda.

**C. XXVI.** Inter clericos et laicos causæ exortæ ab episcopis audiantur.

Item Innocentius Papa. [ad Victricium Rothomagensem, epist. II. cap. 3].

Si que causæ uel contentiones inter clericos et laicos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, ut secundum sinodum Nicenam congregatis omnibus eiusdem prouinciæ episcopis iudicium terminetur.

Gratian. Cum ergo his omnibus auctoritatibus clerici ante ciuilem iudicem denegentur producendi, cum (nisi prius depositi, uel nudati fuerint) curiæ non sunt representandi, patet, quod ad secularia iudicia clerici non sunt pertrahendi.

## II. Pars.

§. 1. His ita respondetur: Clerici ex officio sunt subpositi episcopo, ex possessionibus prediorum inperatori sunt obnoxii.

Ab episcopo unctionem, decimationes et primitias accipiunt; ab inperatore uero prediorum possessiones nanciscuntur.

Unde Augustinus ait super Iohannem: “Quo iure uillas defendis? diuino, an humano etc.?” Require in principio, ubi differentia designatur inter ius naturæ et ius constitutionis.

Quia ergo ut predia possideantur inperiali lege factum est, patet, quod clerici ex prediorum possessionibus inperatori sunt obnoxii.

C. XXVII. Imperatori tributum denegare ecclesia non debet.

Item Ambrosius contra Auxentium. [in oratione de tradendis basilicis].

Si tributum petit inperator, non negamus: agri ecclesiæ soluant tributum.

Si agros desiderat inperator, potestatem habet uendicandorum.

Tollat eos, si libitum est: inperatori non dono, sed non nego.

C. XXVIII. Potestatibus tributa non sunt deneganda.

Idem. [in commentariis ad c. 5. Lucæ lib. IV. c. penult.].

Magnum quidem est et spiritale documentum, quo Christiani uiri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem terreni regis putet esse soluendam.

Si enim censum Filius Dei soluit, quis tu tantus es, qui non putas esse soluendum?

[Gratian.] Item Apostolus: “Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit”.

Item Petrus Apostolus generaliter fidelibus omnibus scribit: “Estote subditi dominis uestris siue regi, quasi precellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis ad uindictam malefactorum, laudem uero honorum”.

C. XXIX. De secularibus negotiis episcopus cognoscere non debet.

Item ex epistola [I]. Clementis. [ad Iacobum fratrem Domini]

Te quidem oportet inreprehensibiliter uiuere, et summo studio niti, ut omnes uitæ huius occupationes abicias: ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, neue in ulla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis negotii occasione perplexus.

Neque enim iudicem neque cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare uult Christus, ne prefocatus presentibus hominum curis non possis uerbo Dei uacare.

Hec ergo opera, que minus tibi congruere diximus, exhibeant sibi inuicem uacantes laici et te nemo occupet ab his studiis, per que salus hominibus datur.

C. XXX. In his, que ad communis uitæ usum pertinent, laici sibi inuicem operam dent.

Item ex eodem.

Sicut enim impietatis crimen est tibi, o Clemens, neglectis uerbi Dei studiis sollicitudines seculares suscipere, ita unicuique laicorum peccatum est, nisi inuicem sibi etiam in his, que ad communis usum uitæ pertinent, operam fideliter dederint.

Te uero securum facere ex his, quibus non debes instare, omnes communiter elaborent.

Quod si forte a semetipsis hoc laici non intelligunt, per diacones edocendi sunt, ut tibi solius ecclesiæ sollicitudines relinquunt.

Gratian. Ex his omnibus datur intelligi quod in ciuili causa clericus ante ciuilem iudicem est conueniendus.

Sicut enim ecclesiasticarum legum ecclesiasticus iudex est administrator, ita et ciuilium non nisi ciuilis debet esse executor.

Sicut enim ille solus habet ius interpretandi canones, qui habet potestatem condendi eos, ita ille solus legum ciuilium debet esse interpret, qui eius ius et auctoritatem inperit.

In criminali uero causa non nisi ante episcopum clericus examinandus est.

Et hoc est illud, quod legibus et canonibus supra diffinitum est, ut in criminali uidelicet causa ante ciuilem iudicem nullus clericus producat, nisi forte cum consensu episcopi sui; ueluti, quando incorrigibiles inueniuntur, tunc detracto eis offitio curiæ tradendi sunt.

Unde Fabianus Papa ait: [ep. II. Episc. orientalibus]

**C. XXXI.** Qui episcopo insidiatur semotus a clero curiæ tradatur.

Statuimus, ut, si quis clericorum suis episcopis infestus aut insidiator extiterit, mox ante examinatum iudicium submotus a clero curiæ tradatur, cui diebus uitæ suæ deseruiat, et infamis absque ulla spe restitutionis permaneat.

Gratian. Quia ergo iste non in criminali, sed in ciuili causa clericum ante ciuilem iudicem produxit, non est iudicandus transgressor canonum, nec est dicendus pertraxisse reum ad iudicem non suum, quia de ciuili causa non nisi ciuilis iudex cognoscere debet.

### III. Pars.

§. 1. Econtra ea, que in actoris defensione dicta sunt, uerisimilia quidem uidentur, sed pondere carent.

Sacris enim canonibus et forensibus legibus tam in ciuili quam in criminali causa clericus ad ciuilem iudicem pertrahendus negatur.

Unde in epistola [I]. Clementis [ad Iacobum] legitur:

**C. XXXII.** Apud presbiteros iudicentur fratres.

Si qui ex fratribus negotia habeant inter se, apud cognitores seculi non iudicentur, sed apud presbiteros ecclesiæ quicquid illud est dirimatur.

**C. XXXIII.** Nullus clericus propter aliquam causam intret curiam.

Item Silvester Papa. [in epilogo Concilii Romani]

Nullus clericus, uel presbiter uel diaconus, propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante ciuilem iudicem causam dicere suam presumat.

**C. XXXIV.** Ecclesiasticum, non forense iudicium penitens expetat.

Item Leo Papa. [ad Rusticum, epist. XC. al. XCII. c. 9].

Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contempnere. Sed illicitorum ueniam postulantem oportet etiam a multis licitis abstinere, dicente Apostolo: “Omnia michi licent, sed non omnia expediunt”.

Unde si quis penitens habet causam, quam negligere forte non debeat, melius expetet ecclesiasticum quam forense iudicium.

Gratian. Non ait propter criminalem tantum, sed generaliter propter quamlibet, tam ciuilem quam criminalem intelligens.

Item Theodosius Imperator:

**C. XXXV.** Cuicumque liceat sacrosanctæ sedis antistitis iudicium eligere.

Quicumque litem habens, siue petitor fuerit, uel in initio litis uel decursis temporum curriculum, siue cum negotium peroratur, siue cum iam ceperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur.

[[C. XXXVI].

Idem.

Omnes itaque causæ, que pretorio uel ciuili iure tractantur, episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis iure firmentur, nec ulterius liceat retractari negotium, quod episcoporum sententia deciderit.

Testimonium etiam, ab uno licet episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum.

Illud enim ueritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum habeatur, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ fuerit prolatum.

Hoc nos edicto salubri firmamus, et perpetua lege tenendum esse censemus.

Gratian. Hec si quis antiquata contendat, quia in Iustiniani codice non inueniuntur inserta, per Karolum renouata cognoscat, qui in suis Capitularibus [l. VI. c. 281.,] ait inter cetera:

[[C. XXXVII].

“Volumus atque precipimus, ut omnes nostræ ditioni subiecti, tam Romani quam Franci, Alemanni, Bawari, Saxones, Toringi, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Longobardi, Guascones, Beneuentani, Gothi, Hispani, ceteri que omnes nobis subiecti quocumque uideantur legis uinculo stricti uel consuetudinario conexi more, hanc sententiam, quam ex sextodecimo Theodosii imperatoris libro, capitulo uidelicet undecimo, ad interrogata Ablauii ducis, quam illis et omnibus per scripturam misimus, et inter nostra capitula pro lege tenenda consultu omnium fidelium nostrorum, posuimus, lege cuncti perpetua teneant, id est: Quicumque litem habens, siue petitor fuerit, etc. ut supra.

Item Gregorius [lib. XI. epist. 54]. Iohanni defensori eunti in Yspaniam ammonendo dicit:

**C. XXXVIII.** Presbiter apud episcopum tantum iudicari debet.

De persona presbiteri hoc attendendum est, si quam causam habuerit, non ab alio teneri, sed episcopus ipsius adiri debuit, sicut nouellarum constitutio manifestat, que ita loquitur de sanctissimis et Deo amabilibus, ac reuerentissimis episcopis et clericis ac monachis: “Inp. Augustus Iustinianus Petro gloriosissimo prefecto pretorio capitulo

LIII. Si quis contra aliquem clericum aut monachum, aut diaconissam, aut monastriam, aut assistriam habet aliquam actionem, doceat prius sanctissimum episcopum, cui horum unusquisque subiaceat.

Ille uero causam inter eos diiudicet.

Et si quidem utraque pars his, que iudicata sunt, non adqueuerit iubemus per loci iudicem executioni perfecte contradi”.

§. 1. Ne uero obiciatur, quia hoc de clerico loquitur, non de presbitero, sciendum est, quia superius in eadem constitutione libro L. capitulo 1. legitur appellatione clericorum etiam presbiteros et diacones contineri.

Verba autem legis ista sunt: “Presbiteros autem et diaconos, et lectores et cantores, quos omnes clericos appellamus,” et reliqua.

**C. XXXIX.** Clericus clericum ad publica iudicia non pertrahat.

Item Gregorius [lib. IX. epist. 32]. Romano, Defensori Siciliae.

Peruenit ad nos, quod si quis contra quoslibet clericos causam habeat, despectis eorum episcopis eosdem clericos tuo facias iudicio exhiberi.

Quod si ita est, ualde esse constat incongruum.

Sed hac tibi auctoritate precipimus, ut hoc denuo facere non presumas; sed si quis contra quemlibet clericum causam habuerit, episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab ipso iudices deputentur, aut si fortasse ad arbitros eundem est, partes ad eligendum iudices ab ipso executio deputata compellat.

Si quis uero clericus uel laicus contra episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes, ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certe te admonente sibi iudices eligant.

Nam si sua unicuique episcopo iurisdictio non seruatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus ille ordo custodiri debuit, confundatur? et cetera.

**C. XL.** A laicis iudiciis clerici non sunt obprimendi.

Idem Ianuario Episcopo Karalitano. [lib. III. epist. 26].

Fratris et coepiscopi nostri Felicis, et Quiriaci abbatis relatione cognouimus eo quod in insula Sardinia sacerdotes a laicis iudiciis obprimantur, et fraternitatem tuam ministri tui despiciant, dum que solum simplicitati a uobis studetur, quantum uidemus disciplina negligitur.

**C. XLI.** Sacerdotes a regibus sunt honorandi, non iudicandi.

Item Gregorius Mauricio. [Imperatori, lib. IV. ep. 31].

Sacerdotibus autem non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, ita eis dominetur, ut etiam debitam reuerentiam inpendat.

Nam in diuinis eloquiis sacerdotes aliquando Dii, aliquando angeli uocantur.

Nam et ad Moysen de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: “Applica illum ad Deos,” uidelicet ad sacerdotes.

Et rursum scriptum est: “Diis non detrahes,” scilicet sacerdotibus.

Et propheta ait: “Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est”.

Quid igitur mirum, si illos uestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus?

§. 1. Ecclesiastica quoque testatur ystoria, quia cum piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatae accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, et eosdem, qui accusati fuerant, episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: “Ite, et inter uos causas uestras disponite, quia dignum non est ut nos iudicemus Deos”.

In qua sententia sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid prestitit ex reuerentia inpensa.

Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui uerum Deum nescientes deos ligneos et lapideos colebant, et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant.

Quid igitur mirum, si Christianus inperator ueri Dei sacerdotes honoret dum pagani, ut prediximus, principes honorem inpendere eorum sacerdotibus nouerunt, qui ligneis Diis et lapideis seruiebant?

§. 2. Hoc ergo non tantum specialiter, quantum generaliter pro omnibus asserimus sacerdotibus, quoniam adhuc nescimus quis in terribili Dei iudicio qualis futurus sit.

Etenim Paulus egregius predicator dicit? “Nolite ante tempus iudicare, quoadusque ueniat Dominus,” et reliqua.

Nam sunt multa que de iudicio illius ignorant homines, quia fortasse que uos laudatis ille reprehendit, et que uos reprehenditis ille laudabit.

**C. XLII.** Qua pena feriatur clericus clericum ad secularia iudicia pertrahens.

Item ex Concilio Mileuitano.

Inolita presumptio usque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, ut clerici clericos, relicto suo pontifice, ad iudicia publica pertrahant.

Proinde statuimus ut hoc de cetero non presumatur.

Si quis hoc presumpserit facere, conuentus et causam perdat, et a communione efficiatur extraneus.

**C. XLIII.** Clericus apud ciuilem iudicem iudicari non debet.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 9]

Placuit, ut quisquis episcoporum, presbiterorum et diaconorum, seu clericorum, cum in ecclesia ei crimen fuerit intentum, uel ciuilis causa fuerit connota, si derelicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari uoluerit, etiamsi pro ipso fuerit lata sententia, locum suum amittat.

Et hoc in criminali actione.

In ciuili uero perdat quod euicit, si locum suum obtinere maluerit, siquidem ad eligendos iudices inique de ecclesiæ consortio iudicat qui de uniuersa ecclesia male sentiendo de iudicio seculari poscit auxilium, cum priuatorum etiam causas Apostolus ad ecclesiam deferri atque ibi determinari precipiat.

**C. XLIV.** Clericus non accusetur, nisi ante ecclesiasticum iudicem.

Item ex eodem.

De diuersis ordinibus ecclesiæ seruientibus si quis in causam criminis incurrerit, et abnuerit iudicium ecclesiasticum, debet periclitari.

**C. XLV.** Qui cum clerico litigium habet episcopum ipsius adeat.

Item constitutio LXXIV. c. 1.

Si quis cum clerico litigium habuerit, si quidem de causa pecuniaria, adeat prius episcopum, cuius iudicio clericus subpositus est.

Ille autem sine dampno et sine dilatione competentem finem liti inpositurus est.

Sin autem noluerit episcopus litem dirimere, tunc ad ciuiles iudices disceptatio causæ perueniat.

Ubi autem dirimere episcopus uult, sine scriptura omnia procedant, et diffinitiuæ sententia ab eo sine scripturis feratur.

§. 1. Quod si de criminali causa litigium emerit, tunc competentes interpellati, consentaneum legibus terminum causæ inponant, ita tamen, ut disceptatio litis duorum mensium spatium non excedat, a litis contestatione numerandum. [§. 2].

[PALEA. In criminalibus uero causis numquam sine scriptura procedere debet].

Non autem aliter puniatur clericus, nisi obnoxius repertus sacerdotio nudatus fuerit ab episcopo suo uel clericatus honore.

Sin autem crimen ecclesiasticum est, tunc secundum canones ab episcopo suo causæ examinatio et pena procedat, nullam communionem aliis iudicibus in huiusmodi causis habentibus.

C. XLVI. Clericus aduersus clericum negotium habens secularia iudicia non exercent.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 9].

Si clericus aduersus clericum habet negotium, non relinquat suum episcopum et ad secularia iudicia concurrat, sed prius negocium agitur apud episcopum proprium; uel certe si fuerit negocium ipsius episcopi, apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negocium.

Si quis uero contra hoc fecerit, canonum subiaceat correctionibus.

§. 1. Et si clericus aduersus suum seu alium episcopum habeat causam, apud audientiam sinodi prouinciæ conqueratur.

§. 2. Si uero contra ipsius prouinciæ metropolitanum episcopum episcopus siue clericus habeat controuersiam, pergat ad ipsius diocesis primates, aut certe ad Constantinopolitanæ ciuitatis regiæ sedem, ut eorum ibi negotium terminetur.

[PALEA. C. XLVII.

Item ex Concilio Agatensi, c. 32.

Clericum nullus presumat apud secularem iudicem episcopo non permittente pulsare.

Sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere].

Gratian. Ex his omnibus datur intelligi, quod clericus ad publica iudicia nec in ciuili, nec in criminali causa est producendus, nisi forte ciuilem causam episcopus decidere noluerit, uel in criminali sui honoris cingulo eum nudauerit.

§. 1. Illud autem quod in epistola Clementis dictum est: “Non cognitorem secularium negotiorum te uult Deus esse,” ex episcopali unctione intelligendum est.

Non enim in episcopum ungitur, ut cognitor secularium negotiorum resideat, sed ut procurator animarum et distributor spiritualium existat.

Prohibetur ergo secularibus negotiis occupari, non ad tempus sequester fieri.

Vel secularia iudicia non de rebus secularibus sed secularium uirorum intelligenda sunt.

Iudicia de rebus secularibus secularia appellantur iuxta illud Apostoli: “Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia constituite”.



Iudicia uero secularium secularia appellantur in epistola Clementis, quod ex subsequentibus datur intelligi, cum dicitur: “Hec opera, que tibi minus congruere diximus, exhibeant sibi inuicem uacantes laici”.

Prohibentur ergo Clerici a cognitione negotiorum secularium uirorum, non secularium causarum.

Negotia quippe clericorum, siue criminalia siue ciuilia fuerint, non nisi apud ecclesiasticum iudicem uentilanda sunt.

Unde Adrianus Papa ait: [c. 35].

**C. XLVIII.** Non nisi in foro suo clericus audiatur.

Clericus siue laicus, si crimine aut lite pulsatus fuerit, non alibi quam in foro suo prouocatus audiatur.

**C. XLIX.** De eodem.

Idem. [ibidem c. 40].

In clericorum causa huiusmodi forma seruetur, ut nequaquam eorum sententia non a suo iudice dicta constringat.

Gratian. Res uero in litigio posita ante legitimum cognitionis euentum in nullam omnino debet transferri personam.

Unde Gelasius Papa Quingesio Episcopo:

**C. L.** In nullam personam transferatur res in litigio posita ante cognitionis euentum.

Quia res in litigio posita in nullam transferri potest omnino personam, donec legitimæ cognitionis euentu, cui potius debeatur, iudiciaria disceptatione possit agnosci, ex eadem re quispiam non sinatur exigere pensiones, sed in eodem statu re eadem posita, in quo uidetur (sicut dictum est) ante constituta, quisquis sibi putat quippiam posse competere, iuridico pulset examine, preiudiciis omnibus inde submotis.

## **QUESTIO II.**

### **GRATIANUS.**

Quod uero culpa illa suspensione digna sit, ex capitulo illo Mileuitani concilii liquido constat.

Si enim communionem priuandus est qui clericum ad ciuilem iudicem crediderit protrahendum, multo magis suspensione dignus est qui sui episcopi iudicium interpellantem ad iudicium seculare protrahere non dubitauit.

## **QUESTIO III.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Sed ponatur, quod hec culpa suspensione digna non fuerit; queritur, utrum sit deponendus qui offitium contra prohibitionem episcopi celebrare ausus est?

Sed quod sententia episcopi, siue iusta sine iniusta fuerit, timenda sit, Gregorius [homil. XXVI. in euangelia] testatur, dicens:

**C. I. Gregi timenda est sententia pastoris.**

Sententia pastoris, siue iusta siue iniusta fuerit, timenda est.

**C. II. A suo episcopo excommunicatus non est ab alio recipiendus.**

Item ex Concilio Antiocono. [c. 6].

Si quis a proprio episcopo excommunicatus est, non eum prius ab aliis debere suscipi, nisi aut a suo fuerit receptus episcopo, aut concilio facto episcopis occurrat et respondeat, et si sinodo satisfecerit et statuerit, sub alia eum sententia recipi.

Quod etiam circa laicos, et presbiteros, et diacones, et omnes, qui in clero sunt, conuenit obseruari.

**C. III. Excommunicationis sententiam meretur qui excommunicatis communicat.**

Item Nicolaus ad Lotharium Regem. [in epistola, cuius initium: "Audito"]

Precipue Waldradæ pellicis tuæ et dudum a te repudiatae communionem declina; excommunicata est enim et usque ad presentiam nostram ab omni contubernio Christianorum sequestrata.

Quamobrem cauendum est ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro unius mulierculæ passione uinctus et obligatus ad perhenne traharis exitium.

Deterius quippe in populis prelati delinquent, ac per hoc ipsi crudelius quam ceteri puniuntur, ut ait B. Gregorius: "Scire prelati debent, quia, si peruersa umquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.

Unde necesse est, ut tanto se cautius custodiant a culpa, quanto per praua, que faciunt, non soli moriuntur".

Et infra.

§. 1. Ceterum precaue, ne quando nobis secundum Domini preceptum duos aut tres testes adhibeamus, imo uero hoc sanctæ ecclesiæ dicamus, et (quod non optamus) de cetero fias cunctis sicut ethnicus et publicanus.

**C. IV. De eodem.**

Item ex Concilio Sardicensi, c. 17.

Si episcopus forte iracundus (quod non debet esse) cito et aspere conuouetur aduersus presbiterum siue diaconum, et eum de ecclesia exterminare uoluerit, prouidendum est, ne innocens dampnetur aut perdat communionem.

Et ideo habeat potestatem is, qui abiectus est, ut episcopos finitimos interpellet, et causa eius audiatur ac diligentius tractetur.

Ille uero episcopus, qui iuste uel iniuste eum abiicit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, uel probetur eius sententia a pluribus, uel emendetur.

Tamen prius, quam omnia diligenter ac fideliter examinentur, eum, qui fuerat communionem priuatus, ante cognitionem nullus debet presumere ut communioni societ.

**C. V. De eodem.**

Item ex Concilio Cartaginensi. [II. c. 8].

Si quis presbiter ab episcopo suo correptus fuerit, debet utique apud uicinos episcopos conueniri, ut ab ipsis eius causa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari.

Quod nisi fecerit, sed superbia (quod absit) inflatus discernendum se ab episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus scisma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur et nichilo minus locum amittat.

At si querimoniam iustam aduersus episcopum habuerit, inquirendum est.

**C. VI. De his, qui dampnati a sinodo sacra misteria contingunt.**

Item ex Concilio Antioceno. [c. 4].

Si quis episcopus dampnatur a sinodo, uel si presbiter aut diaconus a suo episcopo, et ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, siue episcopus iuxta precedentem consuetudinem, siue presbiter aut diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia sinodo, spem restitutionis aut locum satisfactionis habere, sed et communicantes ei omnes abici de ecclesia oportet, et maxime si postquam didicerint aduersus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare temptauerint.

**C. VII. Sine spe sit reconciliationis qui communicare presumit excommunicatis.**

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 37].

Si quis episcopus in concilio excommunicatus fuerit, siue presbiter aut diaconus a suo episcopo, et post excommunicationem presumpserit siue episcopus ille, aut presbiter uel diaconus facere oblationem, uel matutinum uel uespertinum sacrificium quasi in offitio suo agere sicut prius, non liceat ei nec in alio concilio spem reconciliationis habere, nec ultra reconciliari, sed etiam eos, qui ei communicauerint, omnes ab ecclesia respui, maxime eos, qui sciebant eum esse deiectum.

Si autem permanserit turbans et concitans ecclesiam per forasticam potestatem, oportet eum sicut seditonarium ab omni plebe expelli.

**C. VIII. De episcopis, qui innocentes aut minimis causis culpabiles excommunicant.**

Item ex Concilio Agatensi. [c. 3].

Episcopi, si sacerdotali moderatione postposita innocentes aut minimis causis culpabiles excommunicare presumpserint, aut ad gratiam baptismi festinantes fortasse recipere noluerint, a uicinis episcopis eiusdem prouinciæ litteris moneantur, et si parere noluerint, communitio illis usque ad tempus sinodi a reliquis episcopis denegetur, ne forte per excommunicationis peccatum excommunicati longo tempore morte preueniantur.

**C. IX. De his, qui tempore excommunicationis suæ communicare presumunt.**

Item ex Concilio Affricano.

Placuit uniuerso concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, siue episcopus quilibet siue clericus, et tempore suæ excommunicationis ante audientiam communicare presumpserit, ipse in se damnationis iudicetur protulisse sententiam.

**C. X. Deponantur episcopi, qui excommunicatis communicant.**

Item Nicolaus Papa.

Teugaldum Treuerensem et primatem Belgicæ prouinciæ, et Guntarium Agrippinæ Colonix archiepiscopos, nunc coram uobis et sancta sinodo, sub gestorum insinuatione, qualiter causam Lotharii regis, et duarum mulierum eius, Thebergæ scilicet et Gualdradæ, recognouerint et iudicauerint, scriptum super hoc propriis manibus roboratum offerentes, nichil que se plus uel minus aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes, et sententiam, quam a sede apostolica in Engiltrudam uxorem

Bosonis sanctissimus frater noster Mediolanensis archiepiscopus Thado et ceteri coepiscopi nostri petiuerant emittendam, et nos diuino succensi zelo sub anathematis attestazione canonice protuleramus, publice uia uoce se uiolasse confitentes, in quibus omnibus inuenimus eos apostolicas atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, et equitatis normam nequiter temerasse, ab omni iudicamus sacerdotii officio manere penitus alienos, sancti Spiritus iudicio et B. Petri per nos auctoritate episcopatus exutos regimine consistere diffinientes.

Predictis autem depositis licentiam concedimus ecclesiam ingrediendi, et communicandi sicut laici, et loquendi suas utilitates, non autem turbas concitandi uel scandalum sollicitandi illis tribuimus facultatem.

Quantum autem ad episcopale ministerium specialiter pertinet, nulla eis sit licentia contingendi, sicut nos cum sancta synodo decreuisse iam constat.

**C. XI.** Clerici et laici, qui non obediunt episcopis, infames efficiuntur.

Item Clemens. [epist. III. omnibus Coepiscopis]

Si autem uobis episcopis non obedierint omnes presbiteri, et reliqui clerici, omnes que principes tam maioris ordinis quam inferioris, atque reliqui populi, non solum infames, sed etiam extorres a regno Dei et a consortio fidelium, et a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt.

**C. XII.** In Christum peccat qui ueritatis doctorem contristat.

Item Petrus in ordinatione Clementis.

Quicumque contristauerit doctorem ueritatis peccat in Christum, et patrem omnium exacerbat Deum, propter quod et uita carebit.

**C. XIII.** Simulata uirtutum affectione non denegetur obedientia episcopo.

Item Ambrosius in libro [II]. de officiis. [c. 24].

Si quis non obediat episcopo, sese extollere atque exaltare desiderans, querens etiam obumbrare merita episcopi simulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, is a uero deuius superbit, quoniam ueritatis ea regula est, ut nichil faciat commendandi sui causa, quo minor alius fiat, neque si quid boni operis habeas, id ad deformationem alterius et uituperationem exerceas.

§. 1. Non defendas inprobum, et sancta indigno committenda non arbitreris.

§. 2. Neque iterum arguas et inpugnes cuius crimen non deprehenderit.

**C. XIV.** Episcopo non obediens demonum ore decerpitur.

Item Anterus Papa. [Episcopis Hispaniæ]

Absit, ut quicumque sinistrum de his arbitremur, qui apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos Christiani sumus, qui claues regni celorum habentes ante iudicii diem iudicant.

In ueteri quidem lege habetur: quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore.

Nunc uero inobediens spirituali animaduersione truncatur, aut eiectus de ecclesia rapido ore demonum decerpitur.

**C. XV.** Quibus Papa est inimicus, his nec loqui debemus.

Item Petrus in ordinatione Clementis.

Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, uos nolite expectare, ut ipse uobis dicat etc.

ut supra in tractatu ordinandorum, ubi agitur de obedientia minorum erga maiores.

**C. XVI.** Excommunicatus est qui excommunicatis communicat.

Item Fabianus Episcopus. [epist. I].

Sicut apostoli statuerunt dicentes: “Cum excommunicatis non est communicandum, et si quis cum excommunicato auertendo regulas scienter saltim in domo simul locutus fuerit uel orauerit, ille communione priuetur”.

**C. XVII.** De eodem.

Item Calixtus Papa. [epist. II. c. 2].

Excommunicatos quosque a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem iustam, nec cum eis in oratione, aut cibo, uel potu, aut osculo communicet, nec Aue eis dicat, quia quicumque in his uel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta apostolorum institutionem et ipse simili excommunicationi subiaceat.

**C. XVIII.** De eodem.

Item Ysidorus. [in regula monachorum, c. 18].

Cum excommunicato neque orare, neque loqui (nisi que ad eandem excommunicationem pertinent) neque uesci licet.

Si quis enim cum eo aut palam, aut absconse fuerit locutus, communem statim cum eo excommunicationis contrahet penam.

**C. XIX.** De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi. [IV. c. 73].

Qui communicauerit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur, si clericus deponatur.

**C. XX.** Excommunicatorum nomina uicinis omnibus palam et publice annuncientur.

Item ex decreto Honorii Papæ.

Curæ sit omnibus episcopis, excommunicatorum omnino nomina tam uicinis episcopis, quam suis parrochianis pariter indicare, ea que in celebri loco posita pre foribus ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcare, quatinus in utraque diligentia excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, et excusationis causa omnibus auferatur.

## **II. Pars.**

Gratian. Verum hoc de nominatim excommunicatis.

Excommunicationis enim penam duppliciter subimus, et dum reatum incurrimus, et dum sententia notamur.

Unde Ieronimus in libro Iudicum: [homil. II].

**C. XXI.** Duobus modis aliquis sathanæ traditur.

Audi denique apostolum dicentem de eo, qui peccauerat: “Tradidi,” inquit, “huiusmodi hominem sathanæ in interitum carnis, ut saluus fiat spiritus”.

Vides ergo, quia et modo non solum per apostolos suos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, sed et per eos, qui ecclesiae president, et potestatem habent non solum soluendi, sed et ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, cum pro delictis suis a Christi corpore separantur.

Et (ut michi uidetur) duppliciter etiam nunc traduntur homines de ecclesia in potestatem Zabuli.

Hoc modo, quo superius diximus, cum delictum eius manifestum fit ecclesiae, et per sacerdotes de ecclesia pellitur, ut notatus ab omnibus erubescat, et conuerso eueniat ei illud, quod sequitur: “ut spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi”.

Alio autem modo quis traditus est Zabulo, cum peccatum eius non est manifestum hominibus, Deus autem, qui uidet in abscondito, perspicuus eius mentem et animos, uiciis ac passionibus seruiens, et in corde eius non se diligit, sed aut auaritiam, aut libidinem, aut iactantiam, uel alia huiusmodi: istum talem ipse Dominus tradit sathanæ.

Quomodo eum tradit sathanæ? Discedit a mente eius, et auertit se, et refugit a cogitationibus eius malis et desideriis indignis, et relinquit domum cordis eius uacuam.

Gratian. Cum ergo per sententiam quis nominatus fuerit, cum eo communicare non debemus.

Cum autem solo reatu occulte excommunicationis contraxerit penam, non est ab eius communione cessandum.

Unde Dominus in euangelio tunc demum peccatorem dixit habendum sicut ethnicum et publicanum, cum ecclesiam audire contempserit.

Apostolus quoque non ait: “Si quis frater est fornicator,” sed: “si quis frater nominatur fornicator etc.,” sententiæ nominationem intelligens.

Hinc etiam Urbanus Vilimundo episcopo: “Sane quod super Richardo” et cetera.

Require infra causam: “Quidam episcopus in heresim lapsus”.

Hinc etiam Christus in euangelio zizania dixit esse tolleranda usque ad messem.

Hinc etiam Ieronimus in eodem libro iudicum:

**C. XXII.** Mali a bonis penitus separari non possunt.

Nolite recedere a Domino usque in hodiernum diem hoc est donec seculum stat; ostendat ergo michi, quomodo Iebuseus, donec seculum stat, habitet cum filiis Iuda in Ierusalem, quippe cum nec ipsi quidem filii Iuda habitent in Ierusalem.

Ideo ergo nec istud uerum esse poterit, quod Iebusei cum Iudeis habitent in Ierusalem, quando nec ipsi quidem habitent in ea.

Sed nos intelligamus hoc spiritualiter, assumentes euangelii parabolam, que dicit de zizaniis: “Sinite utraque crescere, ne forte, uolentes zizania eradicare, eradicetis cum ipsis et triticum”.

Et infra:

§. 1. Audi ergo scripturam dicentem, quia non potuerunt filii Iuda disperdere Iebuseos, sed habitauerunt cum ipsis in Ierusalem usque in hodiernum diem.

Unde deprecor uos, qui fideles estis, ut ita uitam uestram et conuersationem seruetis, ne in aliquo uel ipsi scandalum patiamini, uel aliis scandalum faciatis: sed sit uobis summi studii summæ que cautelæ, ne quis in hanc sanctorum congregationem pollutus introeat, ne quis Iebuseus habitet in uobis.

Vides enim, quia dicit scriptura, quod non potuerunt eicere filii Iuda Iebuseos de Ierusalem.

Iebuseus autem interpretatur conculcatio.

Esto ergo quia non possumus eicere istos, qui nos conculcant, eos saltem, quos possumus, quorum peccata manifesta sunt, eiciamus.

Ubi enim peccatum euidens non est, eicere de ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizania eradicemus simul cum illis et triticum.

Mouet me tamen, quod dixit, quia non potuerunt eicere Iebuseos, id est eos, qui interpretantur conculcatio.

Et ideo uideamus qui sint in ecclesia conculcantes.

Illi sine dubio, de quibus Dominus in euangeliis dicebat: “Nolite mittere sanctum canibus, neque margaritas uestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis et conuersi disrumpant uos”.

Iste est ergo Iebuseus conculcatio, qui indigni audiunt uerbum Dei, et, cum audierint, neque ut infideles discedunt, neque permanent ut fideles, sed percepta misteriorum notitia, et fidei nostræ secretioribus perscrutatis, conuersi postmodum inpugnant nos, et contradictionibus suis corda nostra disrumpunt, conculcantes uerbi dominici margaritas, et ornamenta fidei maculantes.

De istis ergo dicitur, quia non potuerunt filii Iuda eicere Iebuseum de Ierusalem usque in hodiernum diem.

### C. XXIII. Porcis et canibus sancta non sunt committenda.

Idem super duodecim Prophetas.

Quando ergo ecclesiasticus uir, et prudens, atque intelligens, multas impietates in ea, que uocatur domus Dei, esse cognouerit, et non solum multas, sed et fortes, et que obprimere iustitiam possint, et in tantum rabiem doctorum processisse, ut accipiant pretium in iudicio, et omnia pro muneribus faciant, pauperes deuitent in portis, et audire contempnant, taceat in illo tempore, ne det sanctum canibus, et mittat margaritas ante porcos, qui conuersi conculcent eas; et imitetur Ieremiam dicentem: “Solus sedebam, quia amaritudine repletus sum”.

### C. XXIV. Cum pagano comedere, sed cum excommunicato minime licet.

Item Iohannes Crisostomus, in epistola ad Ebreos.

Ad mensam quippe paganorum si uolueris ire, sine ulla prohibitione permittimus.

§. 1. “Si enim quis frater,” inquit, “nominatur inter uos”.

Fratrem in hoc loco omnem fidelem simpliciter intellige, non monachum tantum.

Quid autem est quod fraternitatem uocat, nisi lauacrum regenerationis, quod facit posse uocari Deum patrem?

§. 2. “Si quis,” inquit, “nominatus fuerit frater fornicator, aut auarus, aut ebriosus, cum huiusmodi neque cibum sumere”.

Cum autem de paganis ageret, non ita, sed: “Si quis uos uocauerit ex infidelibus,” (paganos significans), “et uultis ire, omne, quod adponitur uobis, comedite.

Si quis frater nominatur ebriosus etc.”.

O quanta integritas! Nos non solum non fugimus ebriosos, sed etiam imus ad eos, participantes cum eis.

Gratian. Euidenter itaque ex premissis apparet, quod eorum communionem uitare non cogimur, qui sententia notati non sunt.

Sed et ipsius sententiæ notatio multipliciter intelligitur.

§. 1. Aliquando enim arcetur quis a liminibus ecclesiæ et a communionem corporis et sanguinis Christi, uel teste conscientia iuxta illud Apostoli: “probet se homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat, quia qui indigne manducat et bibit, iudicium sibi

manducat et bibit;” item illud Prosperi: “Facilius sibi Deum placabunt etc.,” require infra causa: [XXXIII]. “Maleficiis inpeditus”, questione 1. de penitentia; uel sententia ecclesiastica, sicut penitentes, quibus tempore prefinito beneficium reconciliationis inpenditur.

Nec sententia excommunicatio uocatur, quia a communione corporis et sanguinis Christi notatum prohibet, sicut et Adam ab esu ligni uitæ excommunicatus est, Domino dicente: “Videte, ne forte sumat de ligno uitæ”.

Qua sententia non separatur quis a consortio fidelium.

Est et alia sententia, que anathema uocatur, qua quisque separatur a consortio fidelium, de qua supra: “Cum excommunicatis nolite communicare”.

§. 2. Hanc distinctionem cuique licet aduertere ex auctoritate Iohannis Papæ: “Engiltrudam uxorem Bosonis etc.”.

Require supra in causa: “Quidam episcopus a propria sede deiectus”.

Item ex auctoritate eiusdem: “Si quis domum Dei uiolauerit etc.”.

Require infra causa: [XVII]. “Quidam presbiter infirmitate grauatus”.

Item ex auctoritate Siluestri Papæ: “presenti decreto censemus etc.”.

Require supra in causa: “In infamia cuiusdam episcopi”.

§. 3. Iuxta hanc ergo distinctionem intelligenda est illa auctoritas Innocentii: “Si quis suadente diabolo, etc.” ut infra causa: “Quidam presbiter,” ut iuxta ethimologiam uocabuli anathemati, id est separationi subiaceat qui in edictum illud inciderit, quia a corpore et sanguine Christi et ab ingressu ecclesiæ se alienum facit, qui inpias manus in clericum inicere ausus fuerit; qui etiam a nullo episcoporum absolui, id est more penitentium reconciliari, poterit, nisi primum apostolico conspectui se representare curauerit.

§. 4. Illud autem Petri de Clemente: “Si inimicus est iste Clemens etc.” de sententia notatis intelligendum est, sicut et illud Urbani: “Quibus episcopi non communicant etc.” ut infra in eadem causa.

Ceterum falsum esset illud Varenis concilii II.: “Si tantum episcopus alieni sceleris se conscium nouit”.

Item et illud: “placuit, ut si quando episcopus etc.”.

require supra in causa: “Duo fornicatores et infamia notati”.

**C. XXV.** Communicare non licet his, qui excommunicatis communicant.

Item Gregorius Clero et populo Salonitano.

Rogo et moneo, ne cuiquam sacerdoti, suprascripto Maximo communicanti, contra animam suam quisquam uestrum communicare presumat.

**C. XXVI.** Nullus clericorum uel laicorum ad domum excommunicati accedat.

Item ex Concilio Tolletano I. [c. 15].

Si quis laicus abstinetur, ad domum eius uel clericorum uel religiosorum nullus accedat.

Similiter et clericus si abstinetur, a clericis deuitetur.

Si quis cum illo colloqui aut conuiuari fuerit deprehensus, etiam ipse abstinenceatur.

Sed hoc pertineat ad eos clericos, qui episcopi eius sunt, et ad omnes, qui conmoniti fuerint de eo, qui abstinetur, siue laico quolibet siue clerico.

### III. Pars.



Gratian. Sed hoc specialiter in his, qui nominatim excommunicatis communicant.  
Unde infra Urbanus: “Sane quod super Richardo etc.”.

Causa: “Quidam episcopus in heresim lapsus”.

Item Nicolaus Papa “Excellentissimus rex Karolus” infra circa finem huius causæ.

**C. XXVII.** Sententia pastoris timenda est, licet iniuste liget.

Item Urbanus. [omnibus Episcopis c. 5].

Quibus episcopi non communicant non communicetis, et quos eiecerint non recipiatis.

Valde enim timenda est sententia episcopi, licet iniuste liget.

**C. XXVIII.** Excommunicationis contrahit penam qui excommunicatis communicat.

Item ex VIII. Sinodo.

Si quis frater aut palam, aut absconse cum excommunicato fuerit locutus, aut iunctus  
communione, statim cum eo excommunicationis contrahat penam.

**C. XXIX.** De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi II. [c. 7].

Qui merito facinorum suorum ab ecclesia pulsati sunt, si ab episcopo aliquo, aut  
presbitero, uel clerico fuerint in communione suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine  
teneatur obnoxius, refugientes sui episcopi regulare iudicium.

**C. XXX.** Qui sententiam episcopi putat esse iniustam recurrat ad sinodum.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 66].

Clericus, qui episcopi distictionem circa se putat iniustam, recurrat ad sinodum.

**C. XXXI.** Vincula ecclesiastica non sunt contempnenda.

Item Iohannes Crisostomus, super epistolam ad Ebreos.

Nemo contempnat uincula ecclesiastica.

Non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, et dominos fecit  
homines tanti honoris.

**C. XXXII.** Sathanæ traditur qui ab ecclesia excommunicatur.

Item Augustinus de uerbis apostoli, sermone LXXIX.

Omnis Christianus, dilectissimi, qui a sacerdotibus excommunicatur, sathanæ traditur:  
quomodo?

scilicet, quia extra ecclesiam est diabolus, sicut in ecclesia Christus, ac per hoc quasi  
diabolo traditur qui ab ecclesiastica communione remouetur.

Unde illos, quos tunc Apostolus sathanæ esse traditos predicat, excommunicatos a se  
esse demonstrat.

[[**C. XXXIII.**].

Idem super Iohannem.

Nichil sic debet formidare Christianus quam separari a corpore Christi.

Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum eius.

Si non est membrum eius, non uegetatur spiritu eius.

“Quisquis autem,” inquit Apostolus, “spiritum Christi non habet, hic non est eius”.

Gratian. Item Ieronimus: “Quorum dimiseritis peccata etc.”, id est quibus ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis et ianua celestis regni clausa erit.

**C. XXXIV.** Vicini episcopi audiant eos, qui de iudiciis episcoporum suorum queruntur.

Item ex Concilio Mileuitano. [c. 22].

Presbiteri, diaconi, uel ceteri inferiores clerici, si in causis, quas habuerint, de iudiciis episcoporum suorum conquesti fuerint, uicini eos episcopi audiant, et inter eos quicquid est diffiniant, adhibiti ab eis ex consensu suorum episcoporum.

Quod si et ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Affricana concilia, uel ad primates suarum prouinciarum.

Ad transmarina autem qui putauerint appellandum, a nullo intra Affricam in communione suscipiantur.

**C. XXXV.** Iniusta episcoporum dampnatio irrita esse censetur.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 28].

Irritam esse iniustam episcoporum dampnationem censemus, et idcirco a sinodo retractandam.

**C. XXXVI.** Qui suæ causæ adesse et innocentiam suam asserere uoluerit, intra annum hoc faciat excommunicationis.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 12].

Rursus constitutum est, ut quociens clericis conuictis uel confessis in aliquo crimine, uel propter eorum, quorum uerecundiæ parcitur, uel propter ecclesiæ obprobrium, aut insultationem hereticorum atque gentilium, si forte causæ suæ adesse uoluerint et innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant.

Si uero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum uox penitus audiatur.

**C. XXXVII.** Audientiam sibi negat qui excommunicationis suæ causam agere intra annum dissimulat.

Item Gelasius.

Quicumque intra anni spatium ciuilitate siue publice causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi aditum audientiæ clausisse uideantur.

Quod si obstinato animo sine communione defuncti fuerint, nos, illorum causam iuxta B. Leonis predecessoris nostri sententiam diuino iudicio reseruantes, quibus uiuis non communicauimus nec mortuis communicare debemus.

[PALEA. **C. XXXVIII.**

Qui uero excommunicato scienter communicauerit, et amodo saltem in domo simul orauerit, atque latebras quo minus ad satisfactionem perducatur prebuerit, donec ab excommunicatore penitentiam accipiat, corporis et sanguinis Domini communione priuatum se esse cognoscat].

**C. XXXIX.** Tardius recipiatur ad ueniam qui sacerdote iubente de ecclesia contempnit exire.

Item ex Concilio Ylerdensi. [c. 10].

Qui iubente sacerdote pro quacumque culpa ab ecclesia exire contempserit, pro noxa contumeliæ tardius recipiatur ad ueniam.

Gratian. Sed queritur, si ante dampnati absolutionem episcopum mori contigerit, utrum dampnatus postea ualeat absolui?

De his ita statutum est in Concilio Epaunensi: [cap. 28].

**C. XL.** A successore soluatur qui post mortem episcopi remanet ligatus.

Si episcopus ante dampnati absolutionem obitu rapiatur, correctum aut penitentem successori licebit absoluer.

Gratian. Premissis auctoritatibus, quibus iniustæ sententiæ usque ad examinationem utriusque partis parere iubemur, ita respondetur: Gregorius non dicit sententiam iniuste latam esse seruandam, sed timendam.

Sic et Urbanus.

Timenda ergo est, id est non ex superbia contempnenda.

Reliquæ uero auctoritates de excommunicatis locuntur, qui uel uocati ad sinodum uenire contempserunt, uel calliditatibus aduersantium occurrere nescientes iniustam sententiam a iudice reportauerunt, uel qui, neglectu suæ uitæ sinistram de se opinionem nasci permittentes, sententiam in se exceperunt.

Hos siquidem solos excommunicationis sententia ferire licet.

Unde in Meldensi Concilio: [c. 56].

**C. XLI.** Quibus exigentibus culpis aliquis sit communionem priuandus.

Nemo episcoporum quemlibet sine certa et manifesta peccati causa communionem priuet ecclesiastica.

Sub anathemate autem sine conscientia archiepiscopi, aut coepiscoporum nullum presumat ponere, nisi unde canonica docet auctoritas, quia anathema eterna est mortis dampnatio, et non nisi pro mortali debet inponi crimine, et illis qui aliter non poterint corrigi.

**C. XLII.** Pro paruis et leuibus causis nullus communionem priuetur.

Item ex Concilio Aruernensi.

Nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro paruis et leuibus causis a communionem suspendat, preter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri ab ecclesia iusserunt committentes.

**C. XLIII.** Pro his tribus criminibus quilibet communionem priuetur.

Item ex Concilio Triburiensi.

Certum est, pro his tribus criminibus aliquem excommunicari debere, cum ad sinodum canonice uocatus uenire contempnit, aut si postquam illuc uenerit, sacerdotalibus respuit obedire preceptis, aut si ante finitam suæ causæ examinationem a sinodo abire presumit.

#### **IV. Pars.**

Gratian. De his, inquam, et huiusmodi premissæ auctoritates locuntur, non de iniuste suspensis.

Quod autem iniustæ sententiæ parendum non sit, multis auctoritatibus probatur.

Quarum prima est illa Ieronimi super Matheum: [libro III].

**C. XLIV** Sententia pastoris reum uel innocentem non constituit uel facit. Quomodo sacerdos mundum leprosum non facit, sic episcopus uel presbiter non alligat eos, qui insontes sunt, nec, soluit noxios, sed pro offitio suo cum peccatorum uarietates audierit, scit qui ligandus sit, qui soluendus.

[PALEA. **C. XLV**. De eodem.

Item Augustinus super Mattheum.

Ridiculum est, ut eum mundum esse dicamus, qui uinculis peccatorum suorum ligatus est, propter hoc solum, quod episcopus dicitur habere huiusmodi potestatem, ut soluti ab eo soluti sint in celo, et ligati in terris ligati sint in celo. Sit ergo inreprehensibilis qui alterum ligat aut soluit].

**C. XLVI**. Non est petenda solutio, cum iniqua fertur sententia.

Item Gelasius Papa Episcopis orientalibus de dampnatione Dioscori.

Cui est illata sententia deponat errorem, et uacua est; si iniusta est, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum et eius ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia.

Ita ergo ea se non absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.

**C. XLVII**. Deus non nocet, nec noceri patitur aliquem iniuste.

Item Augustinus de summo bono.

Secundum catholicam fidem, nec Dei naturæ quisquam nocere potest, nec natura Dei nocere iniuste cuiquam potest nec noceri iniuste patitur quemquam.

“Qui enim nocet (ut ait Apostolus) recipiet hoc quod nocuit”.

**C. XLVIII**. Iniusta uincula dirumpit iustitia.

Idem [sermone 16]. de uerbis Domini.

Cepisti habere fratrem tuum tamquam publicanum: ligas illum in terra, sed ut iuste alliges uide.

Nam iniusta uincula dirumpit iustitia.

“Quem solueris,” inquit, “in terra, solutus erit in celo”.

**C. XLIX**. Temeritas iudicandi non ei, qui iudicatur, sed iudici nocet.

Idem de sermone Domini in monte. [l. II. c. 29].

Temerarium iudicium plerumque nichil nocet ei, de quo temere iudicatur.

Ei autem, qui temere iudicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat.

**C. L**. Non obest homini iniusta sententia.

Idem ad Clerum Yponiensem. [epist. CXXXVII].

Quid obest homini, quod ex illa tabula uult eum delere humana ignorantia, si de libro uiuentium non eum delet iniqua conscientia?

[[**C. LI**].

Idem ad Secundinum Manicheum. [c. 1].

Senti de Augustino quicquid libet: sola me in oculis Dei conscientia non accuset.

**C. LII**. Quos conscientia iustificat, aliorum maledicta non timeant.

Item Gregorius Constantino, Episcopo Mediolanensi. [lib. VI. epist. 14].

In cunctis, que in hac uita aduersa proueniunt, sola est, sicut nostis, omnipotentis Dei districtio pensanda, atque ad cor proprium semper recurrendum, ut nullius ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat.

Quem enim conscientia defendit liber est inter accusationes, et liber sine accusatione esse non potest, si sola, que interius addicit, conscientia accuset.

De uestra igitur sanctitate absit a Christianorum iudicio ea, que maledicorum hominum rumoribus conficta credimus, in qualicumque modulo suspicionis adduci, quia et sacri eloquii testimonium tenemus, ut mala maiora cum forsitan dicuntur, nisi probata credi non debeant, sed citius probata ulcisci.

§. 1. Hec igitur dixi, ut nimie leuitatis esse ostenderem, si quis mala grauia credere studeat, que probari non possunt.

Unde sanctitas uestra debet mentem suam a maledicorum hominum rumoribus atque obtreptione disiungere, et sola que internæ uitæ sunt atque ad utilitatem subditorum proficiunt cogitare.

**C. LIII.** Frustra aspernatur ab homine quem Deus iustificat.

Item Augustinus in Psalmo XXXVI. [concione 3. ad uers. Nec dampnabit eum]

Et si dampnaris ad tempus ab homine, et si dixeris sententiam proconsulis in Ciprianum, aliud est sella terrena, aliud est tribunal celeste.

Ab inferiori accipit sententiam, a superiori coronam.

[[**C. LIV.**]

Idem in Psalmo XXXVII. [ad uers. Quoniam in te speraui].

Custodi intus innocentiam tuam, ubi nemo obprimit causam tuam.

Preualebit in te falsum testimonium, sed apud homines.

Numquid apud Deum ualebit, ubi causa tua dicenda est?

Quando Deus erit iudex, alius testis quam conscientia tua non erit.

Inter iudicem iustum et conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam.

**C. LV.** Non hominum linguas, sed conscientias curare debemus.

Item Gregorius Papa. [Palladio Presbitero, lib. VIII. epist. 45].

Inter uerba laudantium siue uituperantium ad mentem semper recurrendum est, et si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet; et rursum si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines locuntur, in magnam debemus letitiam prosilire.

Quid enim, si non omnes laudant et conscientia liberos nos demonstret?

Habemus Paulum dicentem: "Gloria nostra hec est, testimonium conscientie nostræ".

Iob quoque dicit: "Ecce in celo testis meus".

Si ergo nobis est testis in celo, testis in corde, dimittamus stultos foris loqui quod uolunt.

§. 1. Quid enim aliud detrahentes faciunt, nisi in puluerem sufflant, et in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis ueritatis nichil uideant?

Vocandi tamen sunt etiam ipsi et tranquille admonendi, eis que satisfieri modis omnibus debet, scientes quod de Iudeis ueritas dicit: "Ne forte scandalizemus eos".

Si autem satisfieri sibi ex ueritate noluerint, habes consolationem, quam in euangelio aspicias.

Cum enim Domino dictum fuisset: "Scis, quia audito hoc uerbo scandalizati sunt Iudei?"

Respondit: “Sinite illos, ceci sunt duces cecorum”.

Paulus quoque apostolus ammonet, dicens: “Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes”.

Dicturus, “cum omnibus pacem habeamus,” hoc difficile esse perspiciens premisit: “si fieri potest”.

Et subiunxit: “quod fieri potest,” cum dicit, “quod ex uobis est:” quia si nos in mente karitatem erga odientes seruare cupimus, etsi illi nobis cum pacem non habent, nos tamen cum illis sine dubio habemus.

Gratian. Hoc inter eos obseruandum est, qui parati sunt suspicari quod non uident, parati semper reprehendere, numquam imitari.

Apud alios autem conscientia est necessaria nobis, fama illis.

Unde Augustinus: [lib. de bono uiduit. c. 22].

**C. LVI.** Conscientia nobis, fama proximis necessaria est.

Non sunt audiendi, siue uiri sancti siue feminæ, qui quando reprehenduntur in aliqua negligentia, per quam fit ut in malam ueniant suspensionem, unde suam uitam longe abesse sciunt, dicunt coram Deo sufficere sibi conscientiam, existimationem hominum non solum inpudenter, uerum etiam crudeliter contempnentes, cum occidant animas aliorum, siue blasphemantium uiam Dei, (quibus secundum suam suspensionem quasi turpis, que casta est, displicet uita sanctorum), uel etiam cum excusatione imitantium non quod uident, sed quod putant.

Proinde quisquis a criminibus flagiciorum atque facinorum uitam suam custodit, sibi benefacit; quisquis autem etiam famam, et in aliis est misericors.

Nobis enim necessaria uita nostra est, aliis fama nostra.

**C. LVII.** Apud Deum maledicatur qui moribus dissonam profert sententiam.

Item Ieronimus super epistola Pauli ad Philemonem.

Si quis dixerit iustum iniustum, et iniustum iustum, abhominabilis est uterque apud Deum.

Similiter qui sanctum dicit non sanctum, et rursus non sanctum asserit sanctum, abhominabilis apud Deum est.

**C. LVIII.** Christum uiolat qui sanctum non sanctum, uel non sanctum sanctum esse crediderit.

Idem. [ibidem paulo superius].

Si quis hominem, qui sanctus non est, sanctum esse crediderit, et Dei eum iunxerit societati, Christum uiolat, cuius membra sumus.

Et infra:

§. 1. Omnes credentes secundum Apostolum Christi corpus efficimur.

Qui in corpore Christi errat et labitur, asserens membrum eius sanctum esse, cum non sit, uel non esse sanctum, cum sit, uide quali crimine obnoxius fiat: Ysaïas ait: “Væ his qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras”.

Dulce puto esse sanctimoniam; amarum quod sanctimoniam contrarium est.

**C. LIX.** Eternæ dampnationis inueniet penam qui bonos malos, et malos bonos dixerit.

Item Ysaïas. [c. 5]

Væ, qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.

§. 1. Propterea captius ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit.

Propterea dilatauit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descenderunt fortes eius, et populus eius, et sublimes gloriosi que eius ad eum, et incuruabitur homo, et humiliabitur uir, et oculi sublimium deprimentur, et exaltabitur Dominus in iudicio, et Deus sanctus sanctificabitur in iustitia.

C. LX. Ligandi uel soluendi potestate se priuat qui hanc iniuste exercet.

Item Gregorius in omelia XXVI. [in Euang.].

Ipse ligandi atque soluendi se potestate priuat qui hanc pro suis uoluntatibus, et non pro subditorum moribus exercet.

C. LXI. De eodem.

Idem. [ibidem paulo inferius]

Iudicare digne de subditis nequeunt qui in subditorum causis sua uel odia, uel gratiam secuntur.

C. LXII. Non est uera presidentis absolutio, nisi sequatur arbitrium interni iudicis.

Idem. [ibidem paulo inferius]

Tunc uera est absolutio presidentis, cum interni sequitur arbitrium iudicis.

Quod bene quadriduani mortui resuscitatio illa significat, que uidelicet demonstrat, quia Dominus prius mortuum suscitauit et uiuificauit, dicens: "Lazare, ueni foras," et postmodum is, qui uiuus fuerat, egressus a discipulis est solutus, sicut scriptum est.

C. LXIII. Priuilegio meretur exui qui eodem abutitur.

Idem in Registro.

Priuilegium omnino meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate.

C. LXIV. In quem canonica non fertur sententia, penam non debet ferre canonicam.

Idem. [Gregorius Antonio Subdiacono, lib. II. Indict. XI. epist 9].

Non debet is penam sustinere canonicam, in cuius dampnatione non est canonica prolata sententia.

Gratian. Ex his datur intelligi, quod iniusta sententia nullum alligat apud Deum, nec apud ecclesiam eius aliquis grauatur iniqua sententia, sicut ex Gelasii capitulo habetur.

Non ergo ab eius communione abstinendum est, nec ei ab offitio cessandum, in quem cognoscitur iniqua sententia prolata.

Cur ergo capitula Cartaginensis et Affricani, atque aliorum conciliorum prohibent iniuste dampnatum in communione recipi ante iudicii examinationem?

Cur et illud Magontiensis Concilii statutum est:

C. LXV. Qui dampnatur a sinodo quomodo in secunda innocens reparatur.

Episcopus, presbiter aut diaconus a gradu suo iniuste deiectus, si in secunda sinodo innocens inueniatur non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu episcoporum: si episcopus est, orarium, et baculum et anulum; si presbiter, orarium et planetam; si diaconus, orarium et albam; si subdiaconus, patenam et calicem.

Sic et reliqui gradus in reparatione sua recipiant ea, que, cum ordinarentur, perceperant.

## V. Pars.

Gratian. Si ergo iniuste deiecti nec etiam per episcopos reparari possunt, nisi de manibus eorum recipiant quod amiserant: quomodo sua auctoritate cuique licet iniuste ligatis communicare, et eis, non petita absolute, sua celebrare officia, sicut Gelasius uidetur sentire?

Ad hec respondendum est, quod sententia aliquando est iniusta ex animo proferentis, iusta uero ex ordine et causa; aliquando est iusta ex animo et causa, sed non ex ordine; aliquando est iusta ex animo et ex ordine sed non ex causa.

Cum autem ex causa iniusta fuerit, aliquando nullum in eo omnino delictum est, quod sit dampnatione dignum: aliquando non est in eo illud, super quod fertur sententia, sed ex alio nominandus est.

Ex animo est iniusta, cum aliquis seruata integritate iudicarij ordinis in adulterum uel in quemlibet criminis non amore iustitiæ, sed liuore odii, uel precio, aut fauore aduersariorum inductus sententiam profert.

Unde Beda super epistolam Iacobi ait: "Ira enim uiri iustitiam Dei non operatur:" quia qui iratus in aliquem sententiam profert, etsi ille quantum ad se iustam reportet sententiam, iste tamen, qui non amore iustitiæ, sed liuore odii in eum sententiam dedit, iustitiam Dei, in quem perturbatio non cadit, non imitatur.

### C. LXVI. Sententia iustitiæ non est pro premiis ferenda.

Item Gregorius.

Qui recte iudicat, et premium remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetratur, quia iustitiam, quam gratis in partem debuit, acceptione pecuniæ uendit.

Bonis male utuntur qui pro temporali lucro iuste iudicant.

Tales quippe ad ueritatem non iustitiæ defensio, sed amor premii prouocat; quibus si spes nummi subtrahitur, confestim a iustitiæ confessione recedunt.

Acceptio nummorum preuaricatio ueritatis est.

Unde et pro iusto dicitur: "Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit".

### C. LXVII. In prepositorum operibus totum sibi ratio uendicet.

Idem Mauricio imperatori.

Illa prepositorum sollicitudo utilis est, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nichil uendicat.

Restringenda sub ratione potestas est, nec quid agendum prius, quam concitata ad tranquillitatem mens redeat.

Nam conmotionis tempore iustum putat omne quod fecerit.

### C. LXVIII. Grauius delinquit qui ex ira sententiam profert.

Item Ambrosius de sancto Ioseph. [c. 13].

Ira etiam sepe innocentes in crimen adducit, quia, dum iusto amplius irascimur, et uolumus aliena coercere peccata, grauiora committimus.

Ideo Apostolus ait: "Non uos uendicantes, karissimi; sed date locum iræ;" hoc est declinemus eam, ne nos illa corripiat.



Unde Dominus Iesus, mittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine uirga, ut et incentiua litis et instrumenta eriperet ultionis.

**C. LXIX.** Ratio debet corrigere quod furore promulgatum est.

Item ex libro [XI]. ecclesiasticæ ystoriæ.

Cum apud Tessalonicam, seditione exorta, quidam ex militaribus uir inpetu fuisset populi furentis exstinctus, Theodosius, repentini nuncii atrocitate succensus, ad ludos Circenses inuitari populum, ei que ex inproviso circumfundi milites, atque obtruncare passim, ut quisque occurrisset, gladio iubet, et uindictam dare non crimini, sed furori.

Ob hoc cum a sacerdotibus Italiæ redargueretur, agnouit delictum, culpam que cum lacrimis professus, publicam penitentiam in conspectu totius ecclesiæ exegit, et in hoc sibi tempus ascriptum absque regali fastigio patienter inpleuit.

Quibus omnibus illud quoque mirabiliter adiecit; leges sanxit in posterum, ut sententiæ principium super animaduersione prolatae in diem tricesimum ab executoribus differrentur, quo locus misericordiæ, uel, si res tulisset, penitentiæ non periret.

**C. LXX.** In dictandis sententiis rectores nullo furore ducantur.

Item Gregorius.

Summopere precauendum est ut rectores ecclesiæ et qui publica iudicia exercent, in dictandis sententiis nullatenus leuitate aut furore ducti sint precipites, sed causis prius diligenter uentilatis, cum res, que ignorabatur, pleniter ad notitiam uenerit, diuina tunc et humana lex resoluatur, et secundum quod ibi constitutum est, remota personarum acceptione, diffinitiuam proferatur sententia.

Hinc est quod Moyses querelas populi semper tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, et iuxta quod Dominus inperabat iudicia proponebat, nimirum nos instituens, ut non ex corde nostro, sed ex precepto diuino condemnationis uel iustificationis sententiam proferamus.

**C. LXXI.** Iustum iudicium uendi non potest.

Item Augustinus ad Macedonium. [epist. LIV].

Non licet iudici uendere iustum iudicium, etsi liceat aduocato uendere iustum patrocinium, et iurisconsulto rectum consilium.

**C. LXXII.** De eodem.

Item Ysidorus. [lib. III. de summo bono, c. 58].

Pauper dum non habet quod offerat, non solum audiri contempnitur, sed etiam contra ueritatem obrimitur.

Cito uiolatur auro iustitia, nullam que reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat.

Gratian. Huic itaque sententiæ, que non amore iustitiæ, sed ex alia qualibet causa fertur in quemquam, humiliter obediendum est.

Unde in Niceno Concilio: [c. 5].

**C. LXXIII.** Non recipiantur ab aliis qui suorum episcoporum contrahunt offensas.

Seruetur et ista sententia, ut hi, qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur.

Requiratur sane, ne forte quis ex aliqua indignatione animi aut contentione, aut qualibet tali conmotione stomachi episcopi sui abstenti sint.

Ut ita demum hi, qui ob culpas suas episcoporum suorum offensas merito contraxerunt, digne etiam a ceteris excommunicati similiter habeantur, quousque episcopo suo uisum fuerit humaniorem circa eos ferre sententiam.

Gratian. Item sententia est iniusta ex ordine, quando non seruato iudiciali ordine quilibet pro culpa sua dampnatur.

Unde Gregorius scribit Constantino, Mediolanensi Episcopo: [lib. VIII. epist. 30].

**C. LXXIV.** Res dubia non diffiniatur certa sententia.

Graue satis est et indecens, ut in re dubia certa detur sententia.

**C. LXXV.** Non credantur que certis iudiciis non demonstrantur.

Item Augustinus in libro de penitencia. [c. 3].

Quamuis uera sint quedam, tamen iudici non sunt credenda, nisi certis indiciis demonstrantur.

**C. LXXVI.** Ante, quam examinentur, aliqui non iudicentur.

Item Damasus Papa. [epist. VI].

Eorum, qui accusantur, causas discutere non licet prius, quam canonice uocati ad sinodum ueniant, et presens per presentem agnoscat ueraciter et intelligat que ei obiciuntur.

Quod et per sapientiam Salomonis dicitur: “Ante, quam scruteris, ne reprehendas.

Intellige prius, et tunc increpa.

Ante, quam audias, non reprehendas”.

Et licet apertissima sit contrariorum reprehensio, uerumtamen oportet ab his, qui dati sunt ad eorum examinationem, ordinem seruari.

**C. LXXVII.** Qui falsum de alio profert, et qui crimina credit, uterque reus est.

Item ex VIII. Sinodo.

Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert, sed et is, qui aurem cito criminibus prebet.

## **VI. Pars.**

Gratian. Cum ergo sententia ex ordine iniusta est, nec tunc ab ea recedendum est, quia etiam ante, quam sententia daretur in eum pro qualitate sui reatus ligatus apud Deum tenebatur.

Contingit aliquando, ut adulter sententiam pro sacrilegio reportet, cuius reatum in conscientia non habet.

Hec sententia, etsi iniusta sit, quia non est in eo crimen, super quod lata est sententia, tamen ab eo iuste reportata est, qui ex reatu adulterii iamdiu apud Deum excommunicatus fuerat.

Et in hoc casu intelligenda est auctoritas illa Gregorii: “Sententia pastoris etc.”.

§. 1. Iustam sententiam uocat, quando crimen subest, super quod fertur: iniustam, quando illud non subest, que tamen timenda uel seruanda est, quia ex alio iam dudum dampnandus erat.

Unde, cum premisset Gregorius: “Utrum iuste an iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia timenda est gregi,” subsecutus adiecit: “Ne is, qui subest, et cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur.

Pastor ergo uel absoluere indiscrete timeat, uel ligare.

Is autem, qui sub manu pastoris est ligari timeat uel iniuste nec pastoris sui iudicium temere reprehendat: ne, etsi iniuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia culpa, que non erat, fiat”.

§. 2. Aliquando nullum subest crimen, et tamen uel odio iudicis, uel factione inimicorum obpositam sibi sententiam dampnationis in se excipit.

Unde Gregorius ait:

**C. LXXVIII.** Quot modis humanum iudicium peruertitur.

Quatuor modis humanum iudicium peruertitur: timore, dum metu potestatis alicuius ueritatem loqui pertimescimus; cupiditate, dum premio animum alicuius corrumpimus; odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur; amore, dum amico uel propinquo prestare contendimus.

Gratian. Quam graue uero sit uel odio, uel amicitia, uel munere, uel metu, uel quolibet modo iudicium peruertere Augustinus testatur dicens:

Quicumque aut consanguinitate, aut amicitia, uel hostili odio, uel inimicitia in iudicando ducitur, peruertit iudicium Christi, qui est iustitia, et fructum illius uertit in amaritudinem.

**C. LXXX.** De his, qui metu potestatis ueritatem occultant.

Idem ad Casulanum.

Quisquis metu cuiuslibet potestatis ueritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem quam Deum.

Et post pauca:

§. 1. Uterque reus est, et qui ueritatem occultat, et qui mendacium dicit, quia et ille prodesse non uult, et iste nocere desiderat.

**C. LXXXI.** De eodem.

Item.

Nemo peritorum aut prudentium putet, quod minus sit periculum in uerbis lingua mentiando, quam manibus sanguinem fundendo.

Melius est autem pro ueritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium.

[[**C. LXXXII.**]

Item Pelagius Benigno Archiepiscopo.

Unicuique prouidendum est, ne aliquem iniuste persequatur, iudicet et puniat, ne Iesum persequatur, iudicet et puniat.

Gratian. Hic quoque, qui ueritatem pro pecunia negat, uel falsum testimonium contra aliquem dicit, Deum negare uel uendere probatur.

Unde Beda super Marcum:

**C. LXXXIII.** Qui falsum testimonium dicunt, et ueritatem pro pecunia negant, sceleris Iudæ participes fiunt.

Abiit Iudas ad summos sacerdotes, et constituerunt ei pecuniam se daturos.

Multi hodie scelus Iudæ, quia Dominum ac magistrum suum, deum que pecunia uendiderit, uelut inmane et nefarium exhorrent, nec tamen cauent.

Nam cum pro muneribus falsum contra quemlibet testimonium dicunt, profecto, quia ueritatem pro pecunia negant, Deum pecunia uendunt.

Ipse enim dixit: “Ego sum ueritas”.

Cum societatem fraternitatis aliqua discordiæ peste conmaculant, Deum produnt, quia Deus karitas est.

Qui ergo karitatis et ueritatis iussa spernunt, Deum utique, qui karitas est et ueritas, produnt maxime cum non infirmitate uel ignorantia peccant, sed in similitudinem Iudæ querunt oportunitatem, qualiter arbitris absentibus mendacio ueritatem, uirtutem crimine mutant.

**C. LXXXIV.** Christum negat qui peruersis socium se facit.

Item Ieronimus [in epistolam ad Titum, c. I. in extremo].

Existimant quidam in eo tantum negari Deum, si in persecutione quis a gentibus comprehensus se confiteri rennuerit esse Christianum.

Ecce Apostolus omnibus, que peruersa sunt, factis Deum asserit negari.

Christus sapientia est, iustitia, ueritas, sanctitas, fortitudo.

Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem iustitia, per mendacium ueritas, per turpitudinem sanctitas, per inbecillitatem animi fortitudo.

Quocienscumque uincimur uiciis atque peccatis, tociens Deum negamus, et e contrario, quociens bene quid agimus, Deum confitemur.

Nec arbitrandum est in die iudicii illos tantum a Dei filio denegandos, qui in martirio Christum negauerunt, sed et illos omnes, quorum opere, uel sermone, uel cogitatione Christus negatur, negat uel confessus confitetur.

De hac puto confessione quod discipulis precepit dicens: “Eritis michi testes in Ierusalem, et in omni Iudea, et Samaria, et usque ad ultimum terræ”.

**C. LXXXV.** Qui Christianum se negat Christum negare conuincitur.

Item Augustinus. [tractatu CXIII. ad cap. 18. Ioannis].

Non solum abnegat Christum qui dicit eum non esse Christum, sed ille etiam qui, cum sit, negat se esse Christianum.

Dominus enim non ait Petro, “discipulum meum te esse negabis”.

Negauit ergo ipsum, cum se negauit eius esse discipulum.

Quid autem aliud isto modo, quam se negauit esse Christianum?

Idem: [tractatu LXVI].

§. 1. Timendo carnis tuæ mortem mortem dabis animæ tuæ.

Quanta enim uita est confiteri Christum, tanta mors negare Christum.

An Apostolus Petrus (sicut eum qui fauore peruerso excusare nituntur) Christum non negauit quia interrogatus ab ancilla hominem se nescire respondit?

**C. LXXXVI.** Veritatem prodit non solum qui pro ueritate mendacium loquitur, sed etiam qui ueritatem non libere predicat.

Item Iohannes Crisostomus. [id est, Auctor operis imperfecti, in Matth. hom. 25].

“Nolite timere eos, qui occidunt corpus,” ne forte propter timorem mortis non libere dicatis quod audistis, nec fiducialiter predicetis omnibus quod in aure soli audistis.

Sicut ergo ex his uerbis ostenditur non solum ille proditor est ueritatis, qui transgrediens ueritatem palam pro ueritate loquitur mendacium, sed etiam ille, qui non libere pronunciat ueritatem, quam libere pronunciare oportet, aut non libere ueritatem defendit, quam libere defendere conuenit, proditor est ueritatis.

Nam sicut sacerdos debitor est, ut ueritatem, quam audiuit a Deo, libere predicet, sic laicus debitor est, ut ueritatem, quam audiuit a sacerdotibus probatam quidem in scripturis, defendat fiducialiter.

Quod si non fecerit, prodidit ueritatem.

“Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem”.

Gratian. Nec sententia potius iudicem ledit quam eum, in quem fertur.

Unde Augustinus ait:

**C. LXXXVII.** Iniuste aliquem anathematizans sibi, non alii nocet.

Illud plane non temere dixerim, quod si quisquam fuerit fidelium anathematizatus iniuste, ei potius oberit, qui facit, quam ei qui hanc patitur iniuriam.

Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut soluitur, inmeritam nulli ingerit penam.

Per eum quippe diffunditur karitas in cordibus nostris, que non agit perperam.

Pax ecclesiæ dimittit peccata, et ab ecclesiæ pace alienis tenet peccata non secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei.

Petra tenet, petra dimittit; columba tenet, columba dimittit.

[Gratian.] Item Salomon: “Sicut auis in incertum uolans, et passer quolibet uadens, sic maledictum frustra prolatum uenit super eum, qui misit illud”.

**C. LXXXVIII.** Cuius uita offitio non congruit, alios ligatus soluit.

Item Gregorius in omelia XXVI.

Plerumque contingit, ut iudicis locum teneat, cui ad locum uita minime concordat, ac sepe agitur, ut uel dampnet inmeritos, uel alios ipse ligatus soluat, sepe in soluendis ac ligandis subditis suæ uoluntatis motus, non autem causarum merita sequitur.

Unde fit, ut ipse ligandi et soluendi potestate se priuet et cet.

Et infra:

§. 1. Sepe fit, ut erga quemlibet proximum odio uel gratia moueatur pastor.

Iudicare autem de subditis digne etc.

Et infra:

Unde recte per prophetam dicitur: “Mortificabant animas, que non moriuntur, et uiuificabant animas, que non uiuunt”.

Non morientem quippe mortificat qui iustum dampnat, et non uicturum uiuificare nititur qui reum a supplicio soluere conatur.

§. 2. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi ac soluendi potestas exercenda.

Videndum est, que culpa precessit, et que sit penitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam uisitat, illos pastoris sententia absoluat.

Tunc enim uera est absolutio etc.

Et infra:

§. 3. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos debemus nos per pastoralementem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam uiuificare.

Et infra:

§. 4. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator.

Venientem uero foras discipuli soluunt, quia pastores ecclesiæ ei debent penam amouere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit.

§. 5. Hec de solutionis ordine breuiter diximus, ut sub magno moderamine pastores ecclesiæ uel soluere debeant, uel ligare.

C. LXXXIX. Viribus caret sententia iniuste prolata.

Item Calixtus Papa. [epist. I. ad Benedictum Episcopum].

Iniustum iudicium et diffinitio iniusta, regio metu et iussu, aut cuiuscumque episcopi aut potentis a iudicibus ordinata uel acta, non ualeat.

§. 1. Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non exercere, uel augere male loquendo, nisi etiam eas extinguere bene loquendo studuerit.

§. 2. Melior est in malis factis humilis confessio quam in bonis superba gloriatio.

C. XC. Premium meretur qui iniuste maledicatur.

Item Augustinus super Psalmo CII. [ad uers. Faciens misericordias Dominus].

Qui iustus est, et iniuste maledicatur premium illi redditur.

Gratian. Hic etsi, ut dictum est, non teneatur ligatus apud Deum, sententiæ tamen parere debet, ne ex superbia ligetur qui prius ex puritate conscientie absolutus tenebatur.

## VII. Pars.

§. 1. Item est quando contra equitatem sententia fertur, ueluti quando subditi non possunt cogi ad malum, scientes obedientiam non esse seruandam prelati in rebus illicitis.

Unde Euticianus Papa ait:

C. XCI. Non est obediendum episcopo, qui pro hereticis missam canere iubet.

Si quis episcopus aut abbas presbitero aut monacho suo iusserit missas pro hereticis cantare, non licet.

Non enim expedit obedire eis.

C. XCII. Preceptis non obedire multociens expedit.

Item Augustinus.

Non semper malum est non obedire precepto; cum enim Dominus iubet ea, que Deo sunt contraria, tunc ei obediendum non est.

C. XCIII. De eodem.

Item Ieronimus in epistola ad Ephesios.

Si dominus iubet ea, que non sunt contraria sacris scripturis, subiciatur domino seruus.

Sin uero contraria precipit, magis obediat spiritus quam corporis domino.

Et infra: [c. 3].

§. 1. Si bonum est quod precipit inperator, iubentis exsequere uoluntatem; si malum responde: "Oportet Deo magis quam hominibus obedire".

Hoc ipsum et de seruis apud dominos, et de uxoribus apud uiros, et de filiis apud patres quod in illis tantum debeant dominis, uiris, parentibus esse subiecti, que contra Dei mandata non sunt.

C. XCIV. Non sunt audiendi qui contra Deum aliquid iubent.

Item Ambrosius.

Iulianus inperator, quamuis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum dicebat, producite aciem pro defensione reipublicæ, obediebatur ei.

Cum autem diceret eis, producite arma in Christianos, tunc cognoscebant imperatorem celi.

**C. XCV.** Non iubet aliquid iniustum qui Deum timere probatur.

Item Fabianus Papa. [epist. II. omnibus Episcopis]

Qui omnipotentem Deum metuit, nec contra euangelium nec contra apostolos, nec contra prophetas uel sanctorum Patrum instituta agere aliquid ullomodo consentit.

**C. XCVI.** Et qui peccat, et qui peccanti consentit uterque dampnatur.

Item Nicolaus Papa Lothario Regi.

Ita corporis tui cedere motibus consensisti, et relaxatis uoluptatum habenis temetipsum in lacum miseriae et in lutum fecis prohibitum deiecisti, ut qui positus fueras ad gubernacionem populorum effectus sis ruina multorum.

Probat hoc Teugaldi et Guntarii dudum episcoporum legitimus casus, qui pro eo, quod te minime competenter erudierunt, quin stet imo quia preuaricationem tuam tegere argumentis suis, et sub quadam iustitiae specie, fucatis quibusdam exquisitis adinventionibus, equitatem obruere studuerunt, nostra sunt apostolica auctoritate depositi, et ab omni episcopatus regimine regulariter sequestrati.

**C. XCVII.** De eodem.

Item Augustinus. [sermone VI. de uerbis Domini]

Qui resistit potestati Dei ordinationi resistit.

Sed quid si illud iubeat, quod non debeas facere?

Hic sane contempne potestatem.

Ipsos humanarum legum gradus aduerte.

Si aliquid iusserit curator, non faciendum est? Tamen, si contra proconsulem iubeat, non utique contempnis potestatem, sed eligis maiori seruire.

Nec hinc debet minor irasci, si maior prelatus est.

Rursum si aliquid ipse consuli iubeat, et aliud iubeat imperator, si uel aliud imperator et aliud Deus, quid iudicatis?

Maior potestas Deus.

Da ueniam, o imperator: tu carcerem, ille gehennam minatur.

Hinc iam tibi assumenda est fides tua tamquam scutum, in quo possis omnia ignita iacula inimici extinguere.

[[**C. XCVIII.**]

Idem Donatistis. [epist. CLXVI].

Imperatores, si in errore essent (quod absit), pro errore suo contra ueritatem leges darent, per quas iusti et probarentur, et coronarentur, non tamen faciendo quod illi iuberent, quia Deus prohibet.

Sicut iusserat Nabuchodonosor, ut aurea statua adoraretur, quod qui facere noluerunt Deo talia prohibenti placuerunt.

Quando autem imperatores ueritatem tenent pro ipsa contra errorem iubent.

Quod quisquis contempserit ipse sibi iudicium acquirit.

Nam inter homines penas luit, et apud Deum frontem non habebit, quia hoc facere noluit, quod ei per cor regis ipsa ueritas iussit.

Sicut ipse Nabuchodonosor, post miracula salutis trium puerorum conmotus atque mutatus, pro ueritate contra errorem edictum proposuit, ut quicumque blasphemarent deum Sidrac, Misac et Abdenago, in interitum irent, et domus eorum in dispersionem.

Et non uultis, ut aliquid tale contra uos iubeant imperatores Christiani, cum sciant a uobis, quos rebaptizatis, Christum exsufflari?

Idem in Psalmis:

§. 1. Iulianus extitit infidelis imperator.

Nonne extitit apostata, iniquus, ydolatra? Milites Christiani seruierunt imperatori infideli.

Ubi ueniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in celo erat.

Quando uolebat, ut ydola colerent, ut turificarent, preponebant illi Deum.

Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant et distinguebant deum eternum a domino temporali.

C. XCIX. Per obedientiam bonum deserere, numquam malum facere licet.

Item Gregorius. [c. 12. lib. XXXV. in Iob].

Quid ergo mirum, si peccator homo obedientiæ in presentis uitæ breuitate se subicit, quando hanc mediator Dei et hominum, et cum obedientes remunerat, non relinquit?

Sciendum tamen est, numquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermittere.

Neque enim mala arbor in paradiso extitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit; sed ut melius per obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat, ut etiam a bono prohiberetur quatinus tanto uerius hoc, quod ageret, uirtus esset, quanto et a bono cessans auctori suo se subditum humiliter exhiberet.

C. C. Apud Deum maledicatur qui peccantibus consentit.

Item Ysidorus.

Qui consentit peccantibus, et defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum et homines, et corripietur increpatione seuerissima.

Hinc et quidam sanctissimus Pater ait: "Si quis peccantem defendit, acrius quam ille, qui peccauit, coherceatur".

Hinc etiam alius Pater ait: "Si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum".

C. CI. Non est obediendum quod contra Deum precipitur.

Item Ysidorus.

Si is, qui preest, fecerit, aut cuiquam quod a Domino prohibitum est facere iusserit, uel quod preceptum est preterierit aut preterire mandauerit, S. Pauli apostoli sententia ingerenda est, dicentis: "Etiam si nos aut angelus de celo euangelizauerit uobis anathema sit, preterquam quod uobis euangelizauimus".

Idem:

§. 1. Si quis prohibet nobis quod a Domino preceptum est, uel rursum inperat fieri quod Dominus fieri prohibet, execrabilis sit omnibus, qui diligunt Deum.

Idem:

§. 2. Is, qui preest, si preter uoluntatem Dei, uel preter quod in scripturis sanctis euidenter precipitur, uel dicit aliquid, uel inperat tamquam falsus Dei testis aut sacrilegus habeatur.



Gratian. Cum ergo subditi excommunicantur, quia ad malum cogi non possunt, tunc sententiæ non est obediendum, quia iuxta illud Gelasii: “Nec apud Deum, nec apud ecclesiam eius, quemquam grauat iniqua sententia”.

### VIII. Pars.

§. 1. Quod autem supra communicantes excommunicatis de ecclesia abici iubentur, non de quolibet modo communicantibus intelligendum est.

Unde Nicolaus Papa Igaro, Remorum Archiepiscopo:

C. CII. De his, qui cum excommunicatis communicant.

Excellentissimus rex Karolus apostolatam nostrum consuluit, quid sit agendum de his, qui communicant cum his, qui cum Engiltruda sepe dampnata communicant femina, quoniam eam cum communicatoribus suis et fautoribus pari uinculo anathematis constat esse astrictam.

Quapropter nunc beatitudini tuæ iniungimus, ut, super hoc nostra auctoritate fretus, curam de his sumere studeas, et quia docta diuinitus sanctitas tua ualde nouit, aliud esse ex necessitate, aliud ex ignorantia, atque aliud, quod studio delinquitur, istud que posterius duobus prioribus strictius esse puniendum, idcirco sollerter inuigilet, et cauta distinctione singulorum modos diiudicet, quatinus hi qui ex necessitate uel ignorantia delinquant auctoritate nostra per te absoluantur: si tamen ipsa eorum ignorantia, uel necessitas uera, et non simulata, uel non ex uoluntate processerit, quia, ut bene nosti, sunt plerique qui possunt quidem, sed nolunt recta nosse.

Unde Psalmista de huiusmodi: “Noluit,” inquit, “intelligere, ut bene ageret”.

Illos autem, qui studio suo obligantur, et contemptu interdicta nostra postponunt, non nisi digna satisfactione preueniente uolumus a te prorsus absolui.

C. CIII. De his, qui sine culpa excommunicatis communicant.

Item Gregorius VII. [lib. V. Regesti, in Concilio Romæ habito]

Quoniam multos peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis perire cottidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam ex necessitate, deuicti misericordia anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, temperamus.

Apostolica itaque auctoritate ab anathematis uinculo hos subtrahimus, uidelicet uxores, filios, seruos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos et seruietes nec non et omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et eos, qui ignoranter excommunicatis communicant, siue illos, qui communicant cum illis, qui excommunicatis communicant.

Quicumque autem aut orator, siue peregrinus, aut uiator in terram excommunicatorum deuenit, ubi non possit emere uel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi damus licentiam.

Et si quis excommunicatis non in sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa dare aliquid uoluerit, non prohibemus.

C. CIV. De Bonifatio, qui excommunicatis et pseudoepiscopis se non communicaturum iurauit.

Item Bonifatius Martir Zachariæ Papæ. [in epist., quæ incipit: “Paternæ”].

Antecessor predecessoris uestri uenerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinauit et ad predicandum uerbum Dei Germanicis gentibus misit, sacramento me astrinxit, ut canonicis et iustis episcopis et presbiteris in uerbo et facto et consensu astipulator et adiutor fierem.

Hoc autem cum diuina gratia implere studui; falsos autem sacerdotes ypocritas et seductores populorum uel corrigerem ad uiam salutis, uel declinarem et abstinere a communione ipsorum; quod ex parte seruauit, et ex parte custodire et implere non potui; sed spiritualiter inpleui sacramentum, quia in consensum et in consilium eorum non uenit anima mea, corporaliter autem ab eis omnino abstinere non potui.

Dum enim uenissem ad principem Francorum cogente ecclesiarum necessitate, non tales ibi reperi quales uolui, sed tamen in sancta communione corporis Christi illis non communicauit.

**C. CV.** Excommunicatis non communicat qui eis animo non consentit.

Item Zacharias Papa Bonifatio Martiri. [in epistola, cuius initium est: "Benedictus Deus"].

Quod predecessor noster beatæ memoriæ Gregorius, huius sedis apostolicæ presul, dum ad predicandum uerbum euangelii tuam misisset fraternitatem in Germaniæ partibus et gentibus illis paganis, et uerbo pollicitationis illam uoluit esse ante munitam, ita ut orthodoxos episcopos, presbiteros, uel quoscumque reperire potuisses in uerbo exhortationis perfectos, amplius confirmares, et eis communicares (quod et factum est); si quos uero seductores episcopos aut pseudopresbiteros a recto fidei tramite deuiantes reperisses, nulla tibi cum eis esset communio, quod te, Deo solatiante, usque ad presens spiritualiter seruasse confessus es, uel, si omnino propter principalem et humanum fauorem gentis Francorum, dum ad eos accessisses, corporaliter abstinere non ualuit cogente ecclesiarum Dei necessitate, et tamen in eorum consilio et communionis consensu anima tua non est coinquinata: itaque propter hoc, quod cum eis conuersatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo.

## **IX. Pars.**

Gratian. Excommunicationis autem forma et modus, atque reconciliationis hic est:

**C. CVI.** Modus et forma excommunicationis.

Debent duodecim sacerdotes episcopum circumstare, et lucernas ardentis in manibus tenere, quas in conclusione anathematis uel excommunicationis proicere debent in terram et conculcare pedibus; deinde epistola per parrochias mittatur, continens excommunicatorum nomina et causam excommunicationis.

**C. CVII.** De eodem.

Item ex Concilio Aurasico.

Canonica instituta et sanctorum Patrum exempla sequentes, ecclesiarum Dei uiolatores N. auctoritate Dei et iudicio sancti Spiritus a gremio sanctæ matris ecclesiæ et a consortio totius Christianitatis eliminamus, quoadusque resipiscant et ecclesiæ Dei satisfaciant.

**C. CVIII.** Modus reconciliationis excommunicatorum.

Item ex eodem.

Cum aliquis uel excommunicatus, uel anathematizatus, penitencia ductus ueniam postulat et emendationem promittit, episcopus, qui eum excommunicauit, ante ianuam ecclesiae uenire debet, et duodecim presbiteri cum eo, qui eum hinc et inde circumstare debent.

Et si ille terrae prostratus ueniam postulat, et de futuris cautelam spondet, tunc episcopus apprehensa manu eius dextera, in ecclesiam illum introducat, et communioni Christianae reddat, et septem psalmos penitenciales decantet cum istis precibus: Kyrie eleison, Pater noster, saluum fac seruum tuum.

Oratio: Presta, quesumus Domine, huic famulo tuo dignum penitenciae fructum, ut ecclesiae tuae sanctae, a cuius integritate deuiauerat peccando, admissorum ueniam consequendo reddatur innoxius.

Per Dominum.

## X. Pars.

Gratian. Presbiteris uero, qui excommunicati sacrum ministerium contingere presumunt, que penitencia sit inponenda, Iohannes VIII. Clero et ordini Salonitano scribens diffinit, dicens:

**C. CIX.** Que sit penitencia sacerdotum, qui excommunicati sacrum ministerium presumunt.

De illis presbiteris, qui tempore sanctissimi predecessoris nostri domini Papae Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere presumpserunt, ipsi in se dampnationis (sicut canones statuunt) sententiam intulerunt.

Tamen, quia miseratio apostolica ueniam solet prestare correctis, ob multitudinem misericordiae illis hanc indulgentiam exhibemus, ut, sancta communione saginati, studeant tribus annis continuis per ebdomadam omni secunda et sexta feria a uino et a carne penitus ieiunare, et ultra lugenda nequaquam committere.

Gratian. Qui autem excommunicatis communicant pro modo peccati penitenciae modum accipiant.

Unde Urbanus II. Genebaldo Constantiensi Episcopo:

**C. CX.** Pro modo peccati puniantur qui excommunicatis communicant.

Sanctis quippe canonibus cautum constat, ut quicumque excommunicatis communicauerit excommunicetur.

Ipsius tamen penitenciae atque absolutionis modos eo moderamine decernimus, ut quicumque seu ignorantia seu timore, seu necessitate negotii cuiusquam maximi et maxime necessarii eorum se conuictu, oratione, salutatione osculo ue contaminauerint, cum minoris penitenciae medicina societatis nostrae participium sortiantur.

Eos uero, qui aut spontanee, aut negligenter inciderint, sub ea uolumus disciplinae coercione suscipi, ut ceteris metus incutiatur.

## CAUSA XII.

### GRATIANUS.

Quidam clerici propria relinquere uolunt; de suis et ecclesiae rebus testamenta conficiunt; de rebus ecclesiae nonnulla largiuntur.

(Qu. I).

Modo primum queritur: Utrum clericis liceat proprium habere?

(Qu. II).

Secundo, an res ecclesiæ, que ab eis datæ sunt, possint constare aliqua firmitate eis, qui eas acceperunt?

(Qu. III).

Tertio, si ante tempus suæ ordinationis, qui nichil habere uidebantur et post ordinationem aliqua inuenisse noscuntur, an possint ea quibus uoluerint, relinquere an non?

(Qu. IV).

Quarto, si de suis et ecclesiæ rebus aliqua acquisisse noscuntur, an utrique communiter, an singulariter ecclesiæ uel sacerdoti iure proueniant?

(Qu. V).

Quinto, si testamenta eis liceat conficere?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Clericos nichil possidere multis auctoritatibus iubetur.

Ait enim Tolletanum Concilium: [IV. c. 23].

**C. I.** Inpuberes et adolescentes, in uno conclauī manentes, probatissimo seniori deputentur.

Omnis etas ab adolescentia in malum prona est.

Nichil incertius quam uita adolescentium.

Ob hoc constituere oportuit, ut, si qui inpuberes, aut adolescentes in clero existunt, omnes in uno conclauī atriī conmaneant ut lubricæ etatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem et magistrum doctrinæ, et testem uitæ habeant.

§. 1. Quod si aliqui ex his pupilli existunt, sacerdotali tutela foueantur, ut et uita eorum a criminibus intacta sit, et res ab iniuria inpiorum.

Qui autem his preceptis resultauerint, monasteriis deputentur, ut uagantes animæ et superbæ seueriori regula distringantur.

**C. II.** Omnibus clericis communis est uita seruanda.

Item Clemens in epistola IV.

Dilectissimis fratribus et condiscipulis, Ierosolimis cum karissimo fratre Iacobo et coepiscopo habitantibus, Clemens episcopus.

Communis uita, omnibus est necessaria, fratres, et maxime his, qui Deo inreprehensibiliter militare cupiunt, et uitam apostolorum eorum que discipulorum imitari uolunt.

§. 1. Communis enim usus omnium, que sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit.

Sed per iniquitatem alius hoc dixit esse suum, et alius istud et sic inter mortales facta est diuisio.

§. 2. Denique Grecorum quidam sapientissimus, hec ita esse sciens, communia debere, ait, esse amicorum omnia.

In omnibus autem sunt sine dubio et coniuges.

“Et sicut non potest,” inquit, “diuidi ær, neque splendor solis, ita nec reliqua, que communiter omnibus data sunt ad habendum, diuidi debere, sed habenda esse communia”.

Unde et Dominus per Prophetam loquitur, dicens: “Ecce quam bonum et quam iucundum, et reliqua”.

§. 3. Istius enim consuetudinis more retento etiam apostoli eorum que discipuli, ut predictum est, una nobis cum et uobis cum communem uitam duxerunt.

Ut enim bene nostis, erat multitudinis eorum cor unum et anima una, nec quisquam eorum aut nostrum de his, que possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis et nobis erant communia, nec quisquam egens erat inter nos.

§. 4. Omnes uero, qui domos uel agros possidebant, uendebant eos, et precia eorum et reliquas res, quas habebant, offerebant, ponentes ante pedes apostolorum (sicut nobis cum quidam uestrum cognouerunt et uiderunt), et diuidebant singulis, prout cuique opus erat.

§. 5. Ananias autem uir austerus, et Saphira uxor eius, quia mentiti sunt apostolis de precio agrorum suorum, quos uendiderant, nobis presentibus, in conspectu omnium circumstantium a conspectu apostolorum propter peccatum eorum et mendacium, quod fecerunt, mortui delati sunt ambo.

Quapropter hec cauenda uobis mandamus, et doctrinis et exemplis apostolorum obedire precipimus, quia hi, qui mandata eorum postponunt, non solum rei, sed etiam extorres fiunt.

Que non solum uobis cauenda, sed etiam omnibus predicanda sunt.

§. 6. Unde consilium dantes uestram prudentiam hortamur, ut ab apostolicis regulis non recedatis, sed communem uitam ducentes, et scripturas sacras recte intelligentes, que bene nouistis adimplere satagatis.

C. III. Iuxta ecclesiam clericorum claustra constituentur.

Item Eugenius Papa [II]. et Leo IX.

Necessaria etenim res existit, ut iuxta ecclesiam claustra constituentur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis uacent.

Itaque omnibus sit unum refectorium ac dormitorium, seu ceteræ officinæ ad usus clericorum necessariae.

Ministri uero post episcopum super eos eligantur, quorum uita atque doctrina illos potius exornet quam dehonestet.

Gratian. Nec in atrio ecclesiæ alia edificia nisi clericorum ponantur.

Unde Nicolaus Papa:

C. IV. In atrio ecclesiæ nisi clericorum edificia minime ponantur.

Nulla edificia in atrio ecclesiæ ponantur nisi tantum clericorum.

C. V. Clericus nichil seculare possideat.

Item Ieronimus ad Nepotianum.

Clericus, qui Christi ecclesiæ seruit, interpretetur primum uocabulum suum, et, nominis diffinitione prolata, nitatur esse quod dicitur.

Si enim (*Graece*) klêros grece latine sors appellatur, propterea clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, uel quia ipse Dominus sors, id est pars, clericorum est.

Et quia uel ipse pars Domini est, uel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, et ipse possideatur a Domino.

Qui Dominum possidet et cum Propheta dicit: “Pars mea Dominus,” nichil extra Dominum habere potest.

Quod si quippiam aliud habuerit preter Dominum, pars eius non erit Dominus; uerbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si uariam suppellectilem, cum istis partibus Dominus non dignatur fieri pars eius.

Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hereditatis eius, non accipio partes inter ceteras tribus, sed quasi Leuita et sacerdos uiuo de decimis, et altari seruiens altaris oblatione sustentor.

Habens uictum et uestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequor.

**C. VI.** Nichil preter Deum habeat qui in eius sortem eligitur.

Item Ambrosius de fuga seculi. [c. 2].

Cui portio Deus est nichil debet curare nisi Deum, ne alterius inpediatur necessitatis munere.

Quod enim ad alia offitia confertur, hoc religionis cultui atque huic nostro offitio decerpitur.

Hec enim uera est sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, et quedam alienatio karissimorum, ut suis se abneget qui Deo seruire gestit.

**C. VII.** Clericis et Deo deuotis nec causas agere, nec aliquid proprium habere licet.

Item Ieronimus ad quendam suum Leuitam, de duobus generibus hominum.

Duo sunt genera Christianorum.

Est autem genus unum, quod mancipatum diuino offitio, et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, ut sunt clerici, et Deo deuoti, uidelicet conuersi.

(*Graece*) Klêros enim grece latine sors.

Inde huiusmodi homines uocantur clerici, id est sorte electi.

Omnes enim Deus in suos elegit.

Hi namque sunt reges, id est se et alios regentes in uirtutibus, et ita in Deo regnum habent.

Et hoc designat corona in capite.

Hanc coronam habent ab institutione Romanæ ecclesiæ in signo regni, quod in Christo expectatur.

Rasio uero capitis est temporalium omnium depositio.

Illi enim uictu et uestitu contenti nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia.

§. 1. Aliud uero est genus Christianorum, ut sunt laici.

LAOS enim est populus.

His licet temporalia possidere, sed non nisi ad usum.

Nichil enim miserius est quam propter nummum Deum contempnere.

His concessum est uxorem ducere, terram colere, inter uirum et uirum iudicare, causas agere, oblationes super altaria ponere, decimas reddere, et ita saluari poterunt, si uicia tamen benefaciendo euitauerint.

**C. VIII. Clerici nichil possideant proprium.**

Item Gregorius Augustino Anglorum Episcopo. [responsionum c. 1. et 2].

Quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsum non debet fieri a clericis suis in ecclesia Anglorum, que auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersionem, que in inicio fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, que possidebat, proprium habebat, sed erant illis omnia communia.

§. 1. Si qui uero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se non possunt continere, sortiri uxores debent, et stipendia sua accipere exterius, quia et de eisdem Patribus nouimus scriptum: “quod diuidebant prout cuique opus erat”.

De eorum quoque stipendio cogitandum atque prouidendum est, et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus uiuant, et canendis psalmis inuigilent, et ab omnibus illicitis cor, et linguam, et corpus Deo auctore conseruent.

§. 2. Communiter autem uiuentibus iam de faciendis porcionibus, uel exhibenda hospitalitate, et adimplenda misericordia a nobis quid erit loquendum, cum omne, quod superest necessitatibus in causis piis ac religiosis erogandum est?

Domino magistro omnibus dicente: “Quod superest date elemosinam, et omnia munda sunt uobis”.

**C. IX. Clericis omnia communia esse debent.**

Item Urbanus Papa omnibus catholicis. [epistola unica, c. 1].

Scimus uos non ignorare, quia hactenus uita communis inter omnes Christianos uiguit, et adhuc Dei gratia uiget, et maxime inter eos, qui in sorte Domini sunt electi, id est clericos, sicut in Actibus apostolorum legitur: “Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, que possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia”.

Et infra:

§. 1. Quicumque uestrum communem uitam susceptam habet, et uouit se nichil proprium habere, uideat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc, quod Domino pollicitus est, fideliter custodiat, ne dampnationem sibi, sed premium acquirat quoniam satius est non uouere, quam uotum, prout melius potest, non perficere.

Grauius enim puniuntur qui uotum fecerunt aut fidem perceperunt, et uotum non perfecerunt aut in malis uitam finierunt, quam illi, qui sine uoto aut fide mortui sunt, et tamen bona egerunt opera.

**C. X. De eodem.**

Item Augustinus in sermone de communi uita clericorum.

Nolo, ut aliquis de nobis inueniat male uiuendi occasionem.

Prouidemus enim bona, ut ait Apostolus, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

Propter nos conscientia nostra nobis necessaria est, propter uos fama nostra non pollui, sed pollere debet in uobis.

Duæ sunt res, conscientia et fama.

Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo.

Qui fidens conscientia negligit famam suam, crudelis est.

Et infra:

§. 1. Nulli in societate nostra licet aliquid habere proprium; sed forte aliqui habent, nulli licet, sed qui habuerint faciunt quod non licet.

Et post pauca:

§. 2. Enthecam habere non licet.

Non est episcoporum aurum seruare, et a se reuocare mendicantis manum.

Cottidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi inopes nos interpellant, ut plures tristes relinquamus, quia quod dare omnibus possimus non habemus.

Non habemus ergo enthecā.

Et infra:

§. 3. Qui habuerit proprium, uel habere uoluerit, et de proprio uiuere, et contra precepta ista facere, parum est ut dicam, non me cum manebit, sed nec clericus erit.

Dixeram enim, et scio me dixisse, ut si nollent etiam suscipere sociale uitam me cum, non illis tollerem clericatum, seorsum manerent, seorsum uiuerent.

Malui enim habere uel claudos, quam plangere mortuos.

Qui enim ypocrita est mortuus est.

Quomodo ergo, quicumque uoluisset extra manere, et de suo uiuere, non tollerem clericatum ei?

ita modo, quia placuit eis Deo propitio hec socialis uita, quisquis cum ypocrisi uixerit, quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum.

Item:

§. 4. Qui non uult me cum manere et in communi uiuere, habeat libertatem, sed uideat, utrum habere possit felicitatis hereditatem.

C. XI. Non licet aliquid habere his, qui suis renunciant et communiter uiuere spondent.

Idem. [serm. III. de communi uita clericorum]

Non dicatis uos aliquid habere proprium, sed sint uobis omnia communia.

Et infra:

§. 1. Quicumque autem progressus in tantum fuerit malum, ut occulte litteras ab aliquo uel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, et oretur pro illo.

Si autem deprehenditur atque conuincitur, secundum arbitrium presbiteri uel prepositi grauius emendetur.

Et infra:

§. 2. Cum huius nostræ congregationis fratres non solum facultatibus, sed uoluntatibus propriis in ipsa ordinis susceptione renunciauerint, et se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, et inperiis in Christo et pro Christo subdiderint, certum est eos nichil habere, possidere, dare, uel accipere sine superioris licentia debere.

§. 3. Quod si propinquus, uel amicus, uel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre uoluerit, primo quidem priori insinuetur, et sic suscipiatur, si ipse mandauerit.

De quo tamen nichil aliud fiat, nisi quod priori placuerit.

C. XII. De eodem.

Idem. [tractatu L. ad c. 12. Iohannis]

Exemplum Domini accipite conuersantis in terra.

Quare habuit oculos cui angeli ministrabant, nisi quia ecclesia ipsius oculos habitura erat?

Quare furem admisit, nisi ut eius ecclesia fures cum patitur tolleret?

C. XIII. Ecclesiarum prepositi rerum earundem dispensatores efficiuntur.

Item Prosper. [de uita contemplatiua, lib. II. c. 9].

Expediunt facultates ecclesiæ possideri, et proprias perfectionis amore contempni.



Non enim propriæ sunt, sed communes ecclesiæ facultates, et ideo quisquis omnibus, que habuit, dimissis aut uenditis fit rei suæ contemptor, cum prepositus factus fuerit ecclesiæ, omnium, que habet ecclesia, efficitur dispensator.

Denique S. Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingentia predia, que fuerunt sua, uendita pauperibus erogauit; sed cum factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensauit.

Quo facto satis ostendit, et propria debere propter perfectionem contempni, et sine impedimento perfectionis posse ecclesiæ facultates, que sunt profecto communia, possidere.

Quid S. Ylarius? nonne et ipse omnia sua aut parentibus reliquit, aut uendita pauperibus erogauit?

Is tamen, cum merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatensis episcopus, que illa tunc habebat ecclesia non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hereditatibus ampliauit.

Itaque homines tam secularium quam diuinarum litterarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res ecclesiæ contempni debere, nunquam eas debuerant suscipere, qui omnia reliquerant.

**C. XIV.** Diaconi uel quelibet religiosæ personæ regularem uitam ducere cogantur.

Item Gregorius Felici Episcopo de Acropoli. [lib. II. ep. 29].

Quoniam Velina, Vixentina, et Blandina ecclesiæ, tibi in uicino constitutæ sunt, propterea fraternitati tuæ earum solempniter operam uisitationis iniungimus, illud pre omnibus commonentes, ut, ubicumque prefatarum ecclesiarum, siue dioceseos earum, uel diaconi uel religiosæ personæ inuentæ fuerint, districte ac canonice uiuant.

**C. XV.** Quare in primitiua ecclesia predia uendebantur.

Item Melciades Papa.

Futuram ecclesiam in gentibus apostoli preuidebant; idcirco predia in Iudea minime sunt adepti, sed precia tantummodo ad fouendos egentes.

At uero, cum inter turbines et aduersa mundi succresceret ecclesia, ad hoc usque peruenit, ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent.

E quibus uir religiosissimus Constantinus, primus fidem ueritatis patenter adeptus, licentiam dedit per uniuersum orbem suo degentibus imperio non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandi ecclesias, et predia constituit tribuenda.

Denique idem prefatus princeps donaria immensa contulit, et fabricam templi primæ sedis B. Petri instituit, adeo ut sedem imperialem relinqueret, et B. Petro suis que successoribus profuturam concederet.

§. 1. Idem uero presidens sanctæ sinodo, que apud Nicenam congregata est, cum querelam quorundam coram se conspiceret deferendam, ait: “Vos a nemine iudicari potestis, quia Dei solius iudicio reseruamini.

Dii etenim uocati estis, et idcirco non potestis ab hominibus iudicari”.

Ab illo etenim tempore, et deinceps, uiri religiosi non solum possessiones et predia, que possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, edificantes basilicas in suis fundis in honore sanctorum martirum per ciuitates ac monasteria innumera, in quibus cetus Domino seruientium conueniret.

**C. XVI.** Quare predia fidelium hodie ab ecclesia non alienentur.

Item Urbanus Papa. [epistola unica, c. 1].

Videntes autem summi sacerdotes, et alii, atque Leuitæ, et reliqui fideles, plus utilitatis posse conferre, si hereditates et agros, quos uendebant, ecclesiis, quibus presidebant episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam presentibus quam futuris temporibus plura et elegantiora possent ministrare fidelibus communem uitam ducentibus, quam ex precio ipsorum, ceperunt predia et agros, quos uendere solebant, matricibus ecclesiis tradere, et ex sumptibus eorum uiuere.

§. 1. Ipsæ uero res in ditione singularum parrochiarum episcoporum (qui locum tenent apostolorum) erant, et sunt usque adhuc, et futuris semper debent esse temporibus.

Ex quibus episcopi et fideles dispensatores eorum omnibus communi uita degere uolentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inueniatur.

§. 2. Ipsæ enim res oblationes fidelium appellantur, que a fidelibus Domino offeruntur.

§. 3. Memoratis augmentationibus ergo in tantum ecclesiæ, quibus episcopi president, Domino adminiculante creuerunt, et in tantis maxima pars earum habundant rebus, ut nullus sit in eis communem uitam degens indigens, sed omnia necessaria ab episcopo suis que ministris percipiat.

§. 4. Ideo, si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus qui hoc auellere nitatur, iam dicta dampnatione feriatur.

[[C. XVII].

Item Augustinus. [tractatu LXII. in Iohannem]

Habebat Dominus oculos, a fidelibus oblata conseruans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat: Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus quod precepit, non esse cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse preceptum, ut nichil pecuniæ seruetur a sanctis, sed ne Deo propter ista seruiatur, et propter inopiæ timorem iustitia deseratur.

## II. Pars.

Gratian. His omnibus claret, quod clericis nullo modo licet habere quid proprium; quod si habuerint, non clerici erunt, non tamen clericatus eis tollendus est.

Unde Augustinus ait in eodem sermone:

C. XVIII. Clericatus non tollitur eis, qui uolunt habere aliquid proprium.

Certe ego sum qui statueram, nullum ordinare clericum, nisi qui me cum uellet manere, ut si uellet a proposito discedere, recte illi tollerem clericatum.

Ecce in conspectu Dei et uestro muto consilium.

Qui uolunt aliquid habere proprium, quibus non sufficit Deus et ecclesia eius, maneant ubi uolunt et ubi possunt, non eis aufero clericatum, nolo habere ypocritas.

Malum esse quis nesciat? Malum est cadere a proposito, sed peius est simulare propositum.

Et post pauca:

§. 1. Si non seruat sanctitatem foris, dimidius cecidit: si intus habuerit simulationem, totus cecidit.

Nolo, ut habeat necessitatem simulandi.

Scio, quomodo homines amant clericatum.

Nemini eum tollo nolenti me cum communiter uiuere.

Gratian. Econtra sunt aliæ auctoritates, quibus conceditur propria habere, non solum aliis sed etiam episcopis.

Unde in Concilio Agatensi [c. 8]. legitur:

**C. XIX.** De rebus propriis uel acquisitis episcopi heredibus suis reliquant.

Episcopi de rebus propriis uel acquisitis, uel quicquid de proprio habent, heredibus suis, si uoluerint, derelinquant.

Quidquid uero de prouisione ecclesiæ suæ fuerit siue de agris, siue de frugibus, siue de oblationibus, omnia in iure ecclesiæ reseruare censuimus.

**C. XX.** De eodem.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 15].

Manifesta autem debent esse que ad ecclesiam pertinent his, qui circa episcopos sunt, presbiteris et diaconis, ut, si episcopo contigerit inopinatus transitus, res ecclesiæ nullo modo possint minui et perire; neque res propriæ episcopi inopportunitatem patiantur pro rebus ecclesiæ, ut nec ecclesia dampnum incurrat, nec episcopus in suis rebus pro rebus ecclesiæ proscribatur.

Idem statutum est in canonibus Apostolorum, [c. 40]. in quibus legitur:

**C. XXI.** De eodem.

Sint manifestæ res propriæ episcopi (si tamen habet proprias), et manifestæ dominicæ, ut potestatem habeat de propriis moriens episcopus sicut uoluerit et quibus uoluerit derelinquere, nec sub occasione ecclesiasticarum rerum ea, que episcopi probantur esse, interdicantur.

Fortassis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut seruos.

Et iustum est hoc apud Deum et homines, ut nec ecclesia patiatur detrimentum ignorantia rerum pontificis, nec episcopi uel eius propinqui sub obtentu ecclesiæ proscribantur, et in causas incidant qui ad eum pertinent, mortis que eius iniuriis infamentur.

**C. XXII.** Ex rebus ecclesiæ, si episcopus indiget, sibi et suis necessaria sumat.

Item in eisdem canonibus. [c. 41].

Ex his autem, quibus episcopus indiget, (si tamen indiget), in suas necessitates et peregrinorum fratrum usus et ipse percipiat, ut nichil ei possit omnino deesse.

Lex enim Dei precipit, ut qui altario deseruiunt pascantur ex ipso.

**C. XXIII.** Res ecclesiasticas episcopus dispenset.

Item ex Concilio Antioceno, c. 25.

Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent; cum summa reuerentia et timore Dei.

Participet et autem et ipse quibus indiget, (si tamen indiget), tam in suis quam fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut nulla qualibet occasione fraudentur, iuxta sanctum Apostolum sic dicentem: "Habentes uictum et tegumentum, his contenti sumus".

Quod si contentus istis minime fuerit, conuertat autem res ecclesiæ in suos domesticos usus, et eius commoda uel agrorum fructus non cum presbiterorum diaconorum que conscientia pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut

fratribus filiis que committat, ut per huius modi personas occulte res ledantur ecclesiæ, sinodo prouinciæ penas iste persoluat.

Si autem et aliter accusatur episcopus, aut presbiteri, qui cum ipso sunt, quod ea, que pertinent ad ecclesiam, uel ex agris, uel ex alia qualibet ecclesiastica facultate sibimet usurpent, ita ut ex hoc pauperes affligantur, criminationi uero et blasphemiiis tam sermo predicationis, quam hii, qui dispensant, taliter exponantur, et hoc oportet corrigi, sancta sinodo id quod condecet conprobante.

**C. XXIV.** Res ecclesiæ sint in episcopi potestate.

Item in canonibus Apostolorum. [c. 41].

Precipimus, ut in potestate sua ecclesiæ res episcopus habeat.

Si enim animæ hominum preciosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet eum curam de pecuniis agere ita ut potestate eius indigentibus omnia dispensentur per presbiteros et diacones, et cum timore et omnia sollicitudine ministrentur.

Ex his autem, quibus indiget  
etc. ut supra.

Gratian. Cum ergo in concilio Agatensi, et Martini Papæ, et in canonibus Apostolorum dicatur: “Sint manifestæ res propriæ episcopi,” cum in eisdem canonibus, et in concilio Antiocono precipiatur, ut episcopus participet res ecclesiæ, si tamen indiget, nonne patenter ostenditur, quod episcopus habeat libere propria?

Dicendo enim: “si indiget rebus ecclesiæ,” notat eum habere propria, que forte suis necessitatibus non sufficiunt.

Quomodo ergo clericus, si proprium habere uoluerit, clericus non erit, et episcopus habens propria non solum non desinit esse episcopus, uerum etiam cunctas ecclesiasticas facultates in sua iubetur habere potestate?

§. 1. Sed notandum est, episcopos orientales uxores habere et filios, quosdam autem ex nostris partibus, cum in laicatu siue in minoribus ordinibus constituti habeant uxores et filios, siue morte uxoris interueniente siue continentia pari uoto seruata, ad sacros ordines accedere.

His omnibus conceditur habere propria ad suos et suorum usus.

Qui autem ab infantia sacræ miliciæ traditi sunt, nullo modo eis permittitur habere propria, quia nulla est eis excusatio proprietatis, nisi forte retinendo sua a sumptibus ecclesiæ abstineant.

Quod fieri posse Prosper [de uita contemplatiua, lib. II. cap. 12]. testatur dicens:

**C. XXV.** De his, qui tam infirmi sunt, quod rebus suis renunciare non possunt.

Illi autem, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renunciare non possint, si ea, que accepturi erant, dispensatori relinquunt, nichil habentibus conferenda, sine peccato possident sua, quia et ipsi quodammodo sua relinquunt, quando propriis contenti rebus nichil eorum, que labori uel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt.

Gratian. De rebus uero ecclesiæ queritur, an liceat eas per prebendas diuidi, ut annuos redditus quisque sibi specialiter uendicat?

Hoc non posse fieri, argumento et auctoritate probatur.

Clerici successores sunt eorum, de quibus dicitur.

“Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una”.

Necesse est ergo, ut eorum consequantur uitam, quorum in ecclesia gradum administrant.

Non ergo aliquid propriam sibi uendicabunt, sed erunt eis omnia communia.

Item Urbanus Papa ait: [in epistola unica, c. 2].

**C. XXVI.** Res ecclesiæ quasi communes episcopus dispenset.

Res ecclesiæ non quasi propriæ, sed ut communes et Domino oblatae cum summo timore non in alios, quam in prefatos usus sunt fideliter dispensandæ.

**C. XXVII.** Non liceat episcopo res ecclesiarum in proprios usus conuertere.

Item ex Sinodo habita Romæ ab Eugenio Papa: [II. c. 16].

Nulli episcoporum liceat res mobiles aut immobiles de subiectis plebibus aliis que piis locis in proprio usu habere, ne maiores enormiter locupletentur, et minores tali facto pauperes inueniantur.

Contra agens canonica auctoritate coartatus existat.

Gratian. Si ergo res ecclesiæ non quasi propriæ, sed quasi communes habendæ sunt, cum de communi nullus dicat, hoc meum est, nec de rebus ecclesiæ, hec mea est, potest aliquis dicere, ne uideatur non imitari karitatem illorum, in qua nulli aliquid erat proprium, sed erant illis omnia communia.

§. 1. His ita respondetur: Sicut perfectione karitatis manente secundum discretionem ecclesiarum ecclesiasticarum facultatum distributio fit dum aliis possessiones huius ecclesiæ ad dispensandum committuntur, ex quibus, licet res ecclesiæ omnibus debeant esse communes, primum tamen sibi et suæ ecclesiæ deseruentibus necessaria subministret, reliqua, que supersunt, fidelium usibus ministraturus, ita et prebendæ ecclesiarum eadem karitate manente pie et religiose possunt distribui, nec tunc rebus ecclesiæ ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deseruiturus ut ex his, que sibi assignata sunt, primum necessaria sibi percipiat; si qua uero suis necessitatibus supersunt, in communes usus ecclesiæ expendat.

Unde Augustinus ad Bonifatium: [Comitem, ep. L].

**C. XXVIII.** De eodem.

Si priuatum possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpacione dampnabili uendicamus.

Gratian. Ostensum est, quomodo liceat clericis habere proprium, quomodo non.

Item, quomodo res ecclesiæ per prebendas diuidi possunt.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Nunc queritur, si sacerdotes aliqua de rebus ecclesiæ dedisse noscuntur, an his, qui eas acceperunt aliqua firmitate constabunt?

Quod res ecclesiæ nullo modo distrahi possunt et distractæ possideri, multis auctoritatibus probatur.

Ait enim Stephanus Papa:

**C. I.** Ecclesiæ pecuniam auferens uelut homicida dampnatur.

Qui Christi pecunias et ecclesiae aufert, fraudat et rapit, ut homicida in conspectu iudicis deputabitur.

**C. II.** Quicquid de sacratis uasis uel ministeriis a quolibet clero usurpatum fuerit, ecclesiae restituatur.

Item Pelagius Hostilio Episcopo.

Augusto sedis nostrae notario suggerente didicimus, quod ei dilectio tua directis apicibus indicasset, quosdam de clero tuo, et maxime parrochiarum ad te pertinentium, non pauca sacrata uasa uel ministeria distraxisse, et aliqua huiusmodi perpetrasse, que aliena a religioso sunt proposito.

Karitatem uero tuam, ut hec competenti sollicitudine debeat insequi uel ulcisci, nostrae preceptionis auctoritate cupis communiri.

Qua de re presentibus mandamus affatibus, ut competenti uiuacitatis instantia quicquid de sacratis uasis uel ministeriis a quolibet clericorum usurpatum fuisse uel distractum conpereris, sine cuiusquam morae interuentu exigere non dimittas et ecclesiasticis usibus reformare.

**C. III.** Quicquid Domino consecratur ad ius pertinet sacerdotum.

Item Bonifatius Papa.

Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, uel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et ad ius pertinet sacerdotum.

Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Domino et ecclesia, cui competunt, aufert, uastat, inuadit uel eripit, et usque ad emendationem ecclesiae que satisfactionem ut sacrilegus iudicetur, et, si emendare noluerit, excommunicetur.

**C. IV.** Excommunicationi subiaceat qui ecclesiastica predia inuadit.

Item Gregorius VII. [lib. VI. Regesti, in concilio c. 1].

Quicumque militum, uel cuiuscumque ordinis uel professionis persona, predia ecclesiastica a quocumque rege, seu seculari principe, uel ab episcopis inuitis, seu abbatibus, aut ab aliquibus ecclesiarum rectoribus susceperit, uel inuaserit, uel eorum consensu tenuerit, nisi eadem predia ecclesiis restituerit, excommunicationi subiaceat.

**C. V.** Sacrilegii crimen incurrit qui predia ecclesiastica uexat.

Item Pius Papa. [epist. II].

Predia diuinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus, et Deo nostro, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut sibi inseruiant.

Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne predia usibus secretorum celestium dicata a quibusdam inuentibus uexentur.

Quod si quis presumpserit, ut sacrilegus iudicetur.

**C. VI.** De eodem.

Item Anacletus. [Papa, epist. I].

Qui abstulerit patri uel matri aliquid, dicet que hoc peccatum non esse, homicidae particeps est.

Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: mater uero nostra ecclesia est, que nos in baptismo regenerauit.

Ergo, qui Christi pecunias et ecclesiae rapit, aufert et fraudat, homicida est.

**C. VII.** In quadruplum restituat qui res inuadit ecclesiæ.

Item Iohannes Papa III. [ad Zachariam Archiepisc.].

In antiquis ecclesiæ statutis decretum est, ut qui aliena inuadit non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat.

Unde in euangelio scriptum est: “Quod si aliquid defraudauit, reddo quadruplum”.

Et in seculi legibus cautum habetur: “Qui rem subripit alienam etc.”

(ut infra in auctoritate Eusebii Papæ).

**C. VIII.** Pro tenore secularium legum puniantur inuasores ecclesiasticarum rerum.

Item Gregorius ad Constantiam Reginam Galliarum. [lib. IV. epist. 33].

Cum deuotissimam dominam sciam de celesti uita atque remedio animæ suæ sedulo cogitare, culpam me committere uehementer estimo, si ea, que pro timore omnipotentis Dei sunt suggerenda, siluero, et te sanctissimam de ecclesiastica pace sedule non conmonuero.

Nimis me Iuliani fratris nostri et coepiscopi proclamatio nuper contristauit, maxime cum uillæ suæ, uidelicet ecclesiæ, a nequissimis predonibus sint depredatæ, atque nocturnis incendiis more furum combustæ, et dum idem maligni iuxta nostri predecessoris Bonifatii decreta pro emunitate illud emendare noluerint, et dum seculi leges hec eadem ita se habere uoluerint, lege uulgari teste, in qua sic scribitur: “Si quis manu armata usque ad quatuor homines in uicum alterius ad malefaciendum uenerit, ille, qui prior est, pro illicita presumptione conponat solidos nongentos, sequaces uero eius unusquisque solidos octoginta.

Si uero incendium fecerit, nouies conponat: predam uero in quadruplum restituat”.

[[**C. IX.**]

Si seculi leges talem iustitiam habere uoluerunt, lex diuina cur inferior esse debbit, cum in ipsius ueritatis presentia a Zacheo collaudatum sit, ut, si aliquem defraudaret, in quadruplum restitueret?

Et quia summum in rebus bonum est iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare, et in subiectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod equum est custodiri (quod et uos diligere, et omnino confidimus studere): quapropter excellentiæ uestre mense nouembrio presentis anni, secunda indictione, Petrum fratrem et coepiscopum nostrum a gremio sanctæ Romanæ ecclesiæ transmittimus, ut, fratribus eiusdem prouinciæ in unum congregatis, emunitas et presumptio, et sacrilegium canonica auctoritate et uestra regia dignitate talem terminum accipiant, ne post hac membra diaboli, filii nequam, in sancta ecclesia te etiam ibi regnante talia presumant.

**C. X.** Ecclesiæ rem subripiens in undecuplum restituat quod abstulit.

Item Eusebius Papa. [epist. II].

In legibus seculi cautum habetur: “Qui rem subripit alienam, illi, cui res direpta est, in undecuplum que sublata sunt restituat”.

Et in lege diuina legitur: “Maledictus omnis, qui transfert terminos proximi sui”.

Talia ergo non presumantur absque ultione, nec exercentur absque dampnatione.

Proinde si quis ecclesiasticas oblationes et quod Deo consecratum est rapuerit, uel consenserit facientibus, ut sacrilegium diudicetur, et dampnum in quadruplum restituat, et canonicè peniteat.

Gratian. Econtra Gregorius scribens [cap. 4. responsionum] Augustino Anglorum Episcopo, de his, qui furtim auferunt aliquid de ecclesia:

**C. XI.** Sine augmento sibi ablata ecclesiam recipere oportet.

Fraternitas tua ex persona furis pensare potest, qualiter ualeat corrigi.

Sunt enim quidam, qui habentes subsidia furtum perpetrant: et sunt alii, qui in hac re ex inopia delinquant.

Unde necesse est, ut quidam dampnis, quidam uero uerberibus corrigantur.

Et cum paulo districtius agitur, ex karitate agendum est, et non ex furore, quia ipsi hoc prestatur, qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur.

§. 1. Addis etiam, quo augmento ea, que furto de ecclesiis abstulerint, reddere debeant.

Sed absit, ut ecclesia cum augmento recipiat quod de terrenis rebus uidetur amittere, et lucra de dampnis querere.

Gratian. Verum illud Eusebii de legum seueritate, istud Gregorii de ecclesiastica mansuetudine dictum intelligitur.

**C. XII.** Non sunt alienanda in episcopatu adquisita.

Item Deusdedit Episcopo Mediolanensi.

Res in episcopatu adquisitas sacerdotibus nulla est alienandi licentia.

**C. XIII.** Vasa sacra, nisi pro redemptione captiuorum non sunt alienanda.

Item ex VI. Sinodo uniuersali, [c. 15].

Apostolicos et paternos canones renouans hec sancta et uniuersalis synodus diffiniuit, neminem prorsus episcopum uendere uel utcumque alienare cimilia et uasa sacra, excepta causa olim ab antiquis canonibus ordinata, uidelicet pro redemptione captiuorum; sed nec tradere salaria ecclesiarum in emphiteotica pacta, nec alias rusticas possessiones uenundare, ac per hoc, ecclesiasticos redditus ledere, quos ad propriam utilitatem, et ob escam pauperum et peregrinorum sustentationem esse decernimus

Et paulo post:

§. 1. Quisquis autem post hanc diffinitionem nostram contrarium quid huic sanctæ sedi ac uniuersali synodo agere temptauerit, deponatur ut preuaricator diuinarum rerum et preceptorum, cassata uidelicet omnino que facta est in scriptis uel sine scriptis ab episcopo uenditione uel emphiteotica traditione, uel alia qualibet alienatione, cimiliorum et salariorum locorum.

Qui uero perceperit aut emerit aliquid ex predictis cimiliis uel salariis, et non restituerit ecclesiæ iterum que ecclesiæ sunt, et non reddiderit ad incidendum cartam uenditionis uel emphiteoseos, sit anathema, usque dum fecerit quod ab hac sancta et uniuersali synodo confirmatum est.

§. 2. Si autem episcopus conuictus fuerit construxisse monasterium de ecclesiasticis redditibus, tradat eidem ecclesiæ ipsum monasterium.

**C. XIV.** Pro redemptione captiuorum uasa sacra non prohibentur alienari.

Item Gregorius [lib. VI. epist. 35]. Domino Episcopo Messano.

Et sacrorum canonum, et legalia statuta permittunt, ministeria ecclesiæ pro captiuorum esse redemptione uendenda.

**C. XV.** Res ecclesiæ licite inpenduntur pro captiuorum redemptione.



Idem Demetrio et Valeriano Clericis Firmianis. [lib. VII. Indict. 2. epist. 14].

Sacrorum canonum statuta et legalis permittit auctoritas, licite res ecclesiasticas in redemptione captiuorum inpendi.

Et ideo, cum edocti a uobis simus, ante annos scilicet XVIII. Fauium, episcopum ecclesiae Firmianae, XI. libras argenti de eadem ecclesia pro redemptione uestra, ac patris uestri Passiui fratris et coepiscopi nostri, tunc uero clerici, nec non matris uestrae hostibus inpendisse, atque ex hoc quandam formidinem uos habere, ne hoc, quod datum est, a uobis quolibet tempore repetatur, precepti huius auctoritate suspicionem uestram preuidimus auferendam, constituentes, nullam uos exinde heredes que uestros quolibet tempore repetitionis molestiam sustinere, nec a quoquam uobis aliquam obici questionem.

**C. XVI.** Res desolatae ecclesiae non preponantur captiuis.

Idem. [lib. VI. epist. 35. ad Dominum Episcopum]

Sicut omnino graue est frustra ecclesiastica ministeria uenundare, sic iterum culpa est imminente huiusmodi necessitate res maxime desolatae ecclesiae captiuis suis preponere, et in redemptione eorum cessare.

## **II. Pars.**

Gratian. Que uero penitencia huiusmodi inuasoribus atque predonibus, qui uasa sacra et reliqua diuino cultui dedicata pollutis manibus arripiunt et quasi profana contractant, sit indicenda, Nicolaus Papa diffinit scribens Frontario Archiepiscopo Burdegalensi.

**C. XVII.** Inuasoribus rerum ecclesiasticarum que penitencia sit inponenda.

De uiro nefando, Burgando nomine, qui rabie insana conmotus diabolicis se irretire laqueis non dubitauit, atque gentilium more per abrupta itinera et conpita insidians, uobis in uestrae ecclesiae uilla una cum clericis uestris manentibus, et populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, pane que spiritualis uerbi uacua hominum corda reficientibus, atque laudabile salutis propriae desiderium habentibus sancta apostolorum Petri et Pauli limina uisitare, collectis maliciae suae sequacibus et iniquitatis complicitibus, nefarias inuasiones et depredationes inferre uiolentas demoniaco ausu presumpserit, et, ut epistolae uestrae textus eloquitur, sacrum altare sacra que dominici corporis et sanguinis uasa, insuper et sanctum crisma pollutis arripere manibus quasi uilia et ad usum communem apta presumpsit, dilectio nos uestra consuluit, si ipse, uel qui cum eo in tam inpio et iniquo scelere fuerunt, ad penitenciam quandoque gratia tracti diuina uenire uoluerint, quo eos penitenciae uinculo constringatis, nostrae institutionis censuram exposcere curastis.

De quibus (si tamen ita est) iubemus, cum ad penitenciam reuerti accelerauerint, uno anno extra ecclesiam Dei consistere, cuius sacratissima uasa extra ritum fidei Christianae diripiendo auferre non dubitauerunt.

Secundo uero anno ante fores ecclesiae sine communionemaneant.

Tertio uero anno ecclesiam Dei ingrediantur, et inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem neque bibentes uinum, preter natalis et resurrectionis dominicae dies.

Quarto preterea anno, si his prioribus tribus eorum fructuosus fuerit penitenciae labor, communioni fidelium restituantur, tota que mentis intentione spondentes, talia se ulterius numquam facturos, corpus et sanguinem Domini suscipere mereantur, et usque

ad septimum annum tribus in ebdomada diebus sine esu carniū et uini potatione maneant penitentes.

**C. XVIII.** Res ecclesiæ episcopus alienare uel usurpare non presumat.  
Item in Concilio Leonis Papæ IV.

### III. Pars.

Monemus et inrefragabiliter affirmamus, ut nullus episcoporum uel sacerdotum rem tituli sui usurpare presumat, sed neque salarium a Christianis sanctis locis oblatum causa amicitiae, uel timoris, aut muneris pertemptet auferre, ne ecclesia Dei ad nichilum redigatur.

Quod qui facere presumpserit episcopus uel sacerdos, canonicam sine dubio subeat ultionem, et quod ecclesiæ iniuste ablatum est reddere compellatur, ita ut deinceps nullas uires pro his ad litigandum uel possidendum habere possint.

**C. XIX.** Episcopo uel abbati res ecclesiæ alienare non licet.

Item ex hystoria Eusebii Episcopi Cesariensis capitulo XII.

Quisquis episcopus uel abbas de salariis episcopii uel monasterii quicquam transferre in principum manus, uel etiam alii personæ conferre uoluerit, irritum sit quod datum esse constiterit, secundum canonem sanctorum Apostolorum, qui dicit: “Omnium ecclesiasticarum rerum episcopus habeat sollicitudinem, et dispenset eas tamquam Deo contemplante.

Non liceat autem ei fraudare quicquam ex illis, uel cognatis propriis donare que Dei sunt.

Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur, sed non sub horum occasione que sunt ecclesiæ defraudentur”.

§. 1. Quod si excusationem pretenderit episcopus dampnum facere et nichil ad profectum agrum existere, nec sic principibus tribuatur ager uel locus, sed clericis uel agricultoribus.

§. 2. Quod si calliditate usus fuerit princeps, et uel a colono uel a clero agrum emerit, sit irrita uenditio, et restituatur episcopo et monasterio.

Episcopus uel abbas hoc faciens abiciatur, tamquam qui dispersit que non collegit.

**C. XX.** Predia ecclesiæ Papæ alienare non licet.

Item Simacus Papa. [in Sinodo III. c. 4. et seqq. usque ad c. 9].

Non liceat Papæ predium ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate, nec in usufructu rura dare, nisi tantummodo domus, que in quibuslibet urbibus non modica inpena sustentantur.

Qua lege omnes custodes astringantur, ut donator, assentator, uenditor honorem perdat.

Et qui subscripserit anathema sit cum eo, qui dederit uel qui receperit, nisi restituatur.

Liceat etiam quibuslibet ecclesiasticis personis contradicere, et cum fructibus alienata reposcere.

Quod non modo in apostolica seruandum est ecclesia, uerum etiam in uniuersis ecclesiis per prouincias quidem dicitur conuenire.

**C. XXI.** Qui res ecclesiasticas uendit ad altare non audeat accedere.

Item. [in Sinodo VI].

Indigne ad altare Domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas audet inuadere aut iniuste possidere, aut iniqua uel iniusta defensione in eis perdurare.

§. 1. De quibus tanta debet esse prouisio, ut uindictam ammonitio precedat, et res usurpatas iniuste qui abstulit, aut iniuste ablatas retinet, equitate patrocinate legibus restituat.

Quod si neglexerit, et necessitas compulerit, demum predonem sacerdotalis districtio maturata percussat.

§. 2. Valde enim iniquum et ingens sacrilegium est, ut quecumque uel pro remedio peccatorum, uel pro salute ac requie animarum suarum unusquisque uenerabili ecclesie contulerit aut certe reliquerit, ab his quibus maxime seruari conuenit, id est Christianis et Deum timentibus hominibus, in aliud transferri uel conuerti.

Propterea, qui hec non preuiderit, et aliter quam scriptum est predia ecclesie tradita petierit, uel acceperit, aut possederit, nisi se cito correxerit, quo iratus Deus animas percutit anathemate feriatur, sit que accipienti, et donanti, uel possidenti anathema, et institutæ penæ contubernium assiduam.

Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit.

**C. XXII.** Excommunicentur qui auctoritate principum res inuadunt ecclesie.

Item Nicolaus Adoni, Viennensi Archiepiscopo. [in epistola, cuius initium: "Quia sanctitatis uestræ"]

De rebus, que semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, et postea sub occasione concessionis principum a quibusdam inuaduntur atque diripiuntur, sancimus, ut prius consulatis principem ad resecandam tam presumptiuam factionem, et cognoscendum, utrum illius sit concessio, an inuasoris presumptio.

Quod si principis inordinata fuerit largitio, ipse sit princeps pro emendatione redarguendus.

Si autem inuasoris declaratur presumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit uindicta coerendus.

**C. XXIII.** De rebus ecclesie non est alienandum aliquid.

Item Gelasius Iustino Archidiacono et Fausto Defensori.

#### **IV. Pars.**

Vobis enim et famæ uestræ consultum duximus, ut pontificis uestri loco uobis cum ab eodem aliquis subrogetur, qui eius nomine pariter uniuersa disponat, quatinus omnia predia ad uestrum reuocetis studium, nec cuiquam clerico pro portione sua aliquod solum ecclesie putetis esse deputandum, ne per incuriam et negligentiam minuatur, sed omnem pensionis summam ex omnibus prediis rusticis urbanis que collectam ad antistitem deferatis.

Ex qua tamen collectione habeatur ratio, quid ad causas uel expensas accedentium necessitatum opus esse perspicitur, ut de medio sequestretur, et quatuor portiones uel de fidelium oblatione, uel de hac fiant modis omnibus pensione, ita ut unam sibi tollat antistes, aliam clericis pro suo iudicio et electione dispertiat, tertiam pauperibus sub omnium conscientia faciat erogari, fabricis uero que competat ad ordinationem pontificis, erogatione uestra decernimus esse pendendam.

Si quid forte sub annua remanebit expensa, electo idoneo ab utraque parte custode, condatur enthecis, ut, si maior emerit fabrica, sit subsidio quod diuersi temporis diligentia potuerit custodiri, aut certe ematur possessio, que utilitates respiciat communes.

**C. XXIV.** Diuini muneris participatione priuetur qui ecclesiastica priuilegia calcant. Idem Maiorico, Sereno et Iohanni Episcopis.

Qui et humanis legibus iniuri dampnatione calcatis, et reuerentia religionis abiecta, uel ecclesiastica priuilegia calcare contendunt, uel ubilibet in pauperum prosilire dispendium, nec huiusmodi saltem conmoniti conuicti que nequiciam sopire consentiunt atque illata sacris rebus detrimenta sarcire, merito diuini muneris sunt participatione priuandi, ut huius perceptione careant, quod sacrilegis ausibus habuere despectui. Celestinus uero presbiter fratris et coepiscopi nostri Sereni, qui contra pontificale iudicium contra que apostolicæ sedis mandata prorumpens, supradictis communionem sacram ministrare presumpsit, cum non potuerit ignorare sententiam proprii sacerdotis, ab offitio protinus ecclesiastico repellatur, ut nullus ecclesiæ ministrorum contra pontificalia instituta uenire contendat.

**C. XXV.** De eodem.

Idem eisdem.

Volateranæ ecclesiæ actus uel patrimonium, quod hactenus conperimus destitutum, post dampnationem Eucharisti, quo fuerat deprauante dispersum, curæ uestræ decreuimus esse delegandum, ut diligentia (qua uos pro utilitatibus ecclesiæ estimamus esse uigilantes) predia culturæ restituantis antiquæ, reuocetis si qua sunt uendita aut donata mancipia.

Possessiones etiam, quas ab Eumacio et Opilione episcopis, uel ceteris quouis iure uideritis teneri, quia contra constituta sinodi ab episcopis predia alienari nullo potuerunt conmento, nichilominus reuocentur.

Sit emptoribus ad eum recursus, qui presumpsit aliquid de ecclesiæ rebus illicita uenditione distrahere, ita ut pensiones annuas ad pontificem deferatis, cui priuilegia sua integra conuenit omni ratione seruari, ut eius dispensatione portiones proueniant consuetæ, ita ut portionem quartam, que ad eos pertinet, sua pontifex ordinatione distribuatur, prout cuiusque locum meritum que cognoscit.

Pariter etiam ex fidelium oblatione est faciendum, ut quartam clericis eroget pro consideratione suæ electionis antistes.

Fabricarum etiam portio episcopo sciente et disponente uestra erogatione pendatur, quatinus nichil penitus in detrimentum alicuius rei patiamini generari.

**C. XXVI.** Reddituum et oblationum duæ portiones clericis committantur.

Idem Clero, et ordini, et plebi Brundusii.

Concesso uobis quem petistis antistite, fratre iam et coepiscopo meo Iuliano, necessarium fuit (eodem ad ecclesiam suam mox remisso) ad uos nostra scripta pariter destinari, quibus agnosceretis eidem fuisse preceptum, ne umquam ordinationes presumat illicitas.

Et infra:

§. 1. Redditus et oblationes fidelium in quatuor partes diuidat, quarum unam sibi ipse retineat, alteram clericis pro offitiorum suorum sedulitate distribuatur, fabricis tertiam,

quartam pauperibus et peregrinis habeat fideliter erogandam, quarum rationem diuino est redditurus examini.

**C. XXVII.** De oblationibus fidelium quot portiones fiant, et que cui proueniat.

Idem. [in epistola ad episcopos per Lucaniam et Brutios, c. 29].

Quatuor autem tam de redditu quam de oblatione fidelium, prout cuiuslibet ecclesie facultas admittit (sicut dudum rationabiliter est decretum), conuenit fieri portiones quarum una sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis est applicanda.

De quibus sicut sacerdotis intererit integram ministris ecclesie memoratam dependere quantitatem, sic clericus ultra delegatam sibi summam nichil insolenter nouerit expetendum.

Ea uero, que ecclesiasticis edificiis attributa sunt, huic operi ueraciter prerogata locorum doceat instauratio sanctorum manifesta, quia nefas est, si sacris edibus destitutis in lucrum suum presul inpendia his deputata conuertat.

Ipsam nichilominus ascriptam pauperibus portionem quamquam diuinis rationibus se dispensasse monstraturus esse uideatur, tamen iuxta quod scriptum est: "Ut uideant opera uestra bona, et glorificent patrem uestrum, qui in celis est," oportet etiam presenti testificatione predicari, et bonae famae preconiiis non taceri.

Quapropter nec clericorum quispiam etc.

**C. XXVIII.** Oblationum et reddituum ecclesiarum tres portiones presbitero dispensandae credantur.

Item Simplicius papa Florentio, et Equitio Episcopis. [epist. III].

De redditibus ecclesie uel oblatione fidelium sola episcopo ex his una portio remittatur, duae ecclesiasticis fabricis, et erogationi pauperum profuturae a presbitero sub periculo sui ordinis ministrentur; ultima clericis pro singulorum meritis diuidatur.

Et infra:

§. 1. Cui (id est Gaudentio episcopo), specialiter hoc precipimus, ut tres illas portiones, quas triennio sibi tantummodo dicitur uendicasse, restituat.

**C. XXIX.** De redditibus ecclesie etiam nouiter acquisitis quarta pars clericis erogaetur.

Item Gregorius Maximiano Episcopo Siracusano. [lib. III. epist. 11].

Cognouimus de redditibus ecclesie nouiter acquisitis canonicam dispositionem quartarum minime prouenire, sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum reddituum, nunc uero quesita suis usibus retinere.

Quam rem prauam subintroductam que consuetudinem fraternitas tua uiuaciter emendare festinet, ut siue de preteritis redditibus siue de his, que obuenerunt, uel obuinentibus, quartae secundum distributionem canonicam dispensentur.

Incongruum namque est unam eandem que ecclesie substantiam duplici quodammodo iure censi.

**C. XXX.** De stipendio ecclesie quatuor debent fieri portiones.

Idem Augustino Episcopo Anglorum. [in respons. ad Primam interrogationem]

Mos est apostolicae sedis ordinato episcopo precepta tradere, ut de omni stipendio, quod accidit, quatuor debeant fieri portiones, una uidelicet episcopo et familiae eius propter hospitalitatem atque susceptionem, alia clero, tertia pauperibus, quarta ecclesiis reparandis.

[PALEA. C. XXXI. De eodem.

Item ex Concilio Tolletano.

Sancimus omnibus episcopis curam laicorum instare, ut, si quos in fide Christi inuenerint, nimio affectu diligant.

Insuper confirmamus, ut, si aliqua ab ipsis accipiant dona, statim in quatuor diuidant partes, ita, ut prima pars secundum apostolorum precepta titulorum, nec non cimiteriorum restorationibus diligenter attribuatur, secunda clericis, tertia cunctis pauperibus, quarta uero aduenis].

C. XXXII. Omnes presbiteri secundum iussionem episcopi res ecclesiæ dispensare studeant.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 22].

#### V. Pars.

Statuimus (quod omnes iubent) ut ciuitatenses siue diocesani presbiteri uel clerici, saluo iure ecclesiæ, rem ecclesiæ, sicut permiserint episcopi, teneant, uendere autem aut donare penitus non presumant.

Quod si fecerint, et facta uenditio non ualebit, et de facultatibus, si quas habent proprias, indempnem ecclesiam reddant, et communionem priuentur.

C. XXXIII. De clericis, qui documenta ecclesiæ subprimunt aut aduersariis tradunt.

Item ex eodem. [Concilio, c. 26].

Si quis de clericis documenta, quibus ecclesiæ possessio firmatur, aut subprimere, aut negare, aut aduersariis fortasse tradere dampnanda et punienda obstinatione presumpserit, quicquid per absentiam documentorum dampni ecclesiæ illatum est de propriis facultatibus reddat, et communionem priuetur.

Hi autem, qui in dampno ecclesiæ in pie sollicitati, a traditoribus aliquid susceperint, superiori sententia teneantur.

C. XXXIV. Episcopus heredes non habens non alium quam ecclesiam sibi heredem instituat.

Item ex eodem. [c. 33].

Episcopus, qui filios aut nepotes non habens, alium quam ecclesiam relinquit heredem, si quid de ecclesia non in ecclesiæ causa aut necessitate presumpsit, quod distraxit aut donauit irritum habeatur.

Qui uero filios habet, de bonis, que relinquit ab heredibus eius indempnitatibus ecclesiæ consulatur.

C. XXXV. Qui in clero constituti sunt de rebus ecclesiæ nichil alienare presumant.

Item ex eodem. [c. 49].

Diaconi uel presbiteri in parrochia constituti de rebus ecclesiæ sibi creditis nichil audeant conmutare, uendere uel donare, quia res sacratæ esse Deo noscuntur.

Similiter et sacerdotes nichil de rebus ecclesiæ sibi commissæ (ut superius comprehensum est) alienare presumant.

Quod si fecerint, conuicti in concilio, et ab honore depositi, de suo proprio aliud tantum restituant, quantum uisi sunt presumpsisse.

§. 1. Libertos etiam quos sacerdotes uel diacones de ecclesia sibi commissa facere uolunt, actus ecclesiæ prosequi iubemus.

Quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reuerti seruitium.

C. XXXVI. De possessione ecclesiastici iuris quicquid a presbitero distrahitur, inane habeatur et uacuum.

Item ex eodem. [c. 53].

Quicquid parrochiarum presbiter de ecclesiastici iuris possessione distraxerit, inane habeatur et uacuum uenditione comparantis et actione uendentis.

C. XXXVII. Alienationes factæ ab intrusis et ordinationes sine consensu clericorum irritæ sunt.

Item Urbanus Papa.

Alienationes omnium per intrusionem, seu canonicè electorum sub episcopi nomine, aut abbatis, qui secundum usum ecclesiæ suæ consecrandus est, alienationes quocumque modo factas, nec non personarum ordinationes ab eisdem sine communi consensu clericorum ecclesiæ, siue per symoniam itidem factas, irritas iudicamus.

§. 1. Illud etiam per omnia interdiciamus, ut nullus clericus prebendam suam seu beneficium aliquod ecclesiasticum aliquo modo alienare presumat.

Quod si presumptum olim fuit uel aliquando fuerit, irritum erit, et ultioni canonicæ subiacebit.

C. XXXVIII. Episcopo defuncto, uel adhuc in supremis agente, de rebus eius nichil est usurpandum.

Item ex Concilio Ylerdensi. [c. 16].

Hec huius placiti constitutione inter nos censura placuit custodiri, ut defuncto antistite, uel etiam adhuc in supremis agente, nullus clericorum, cuiuslibet ordinis officii gradus ue sit, quicquam de domo eius presumat, uel de utilitate que instrumenti domus esse noscitur, id est mobilis et immobilis rei ecclesiasticæ conetur inuadere, nichil furto, nichil dolo subprimens auferens atque abscondens; sed is, cui domus commissa est, subiunctis sibi uno uel duobus fidelissimis, omnia usque ad tempus substituendi pontificis debet conseruare, uel his, qui in domo inueniuntur, clericis consuetam alimoniam administrare.

Substitutus autem antistes susceptæ sedis commoda ordinabit uelut Deus inperabit, ut eis uti debeat cum his, quos cognouerit disciplinæ et karitati predecessoris sui fideliter paruisse.

Quod si quisquam post hec cuiuslibet ordinis (ut superius dictum est) clericus quacumque occasione uel de omni facultate quippiam probatus fuerit abstulisse uel forsitan dolo aliquo subpressisse, reus sacrilegii prolixiori anathemate condempnetur, et uix ei peregrina communio concedatur, quia durum est, ut hi, quos constat in seruitio Domini cum primæ sedis antistite desudasse, ab his, qui suarum rerum incubatores uel utilitatibus seruientes atque uacantes fuisse noscuntur, despecti aliquatenus crucientur.

C. XXXIX. Episcopi, qui nichil ecclesiæ conferunt, famulos eius libertati non donent.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 66].

Et si illi, qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuunt, eterni iudicis uoce in futuro condempnabuntur, quanto magis hi, qui auferunt pauperibus quod non dederunt?

Quapropter episcopi, qui nichil ex suo proprio ecclesiae Christi compensauerunt, hanc diuinam sententiam metuant, et liberos ex famulis ecclesiae ad condemnationem suam non presumant facere.

Inpium enim est, ut qui res suas ecclesiae Christi non contulerit dampnum inferat, et ius ecclesiae alienare contendat.

Tales igitur liberos successor episcopus absque ulla oppositione ad ius ecclesiae reuocabit, quia eos non equitas, sed improbitas absoluit.

**C. XL.** De clericis, qui documenta ecclesiae subprimunt, aut negant, aut aliis dampnabiliter tradunt.

Item ex Concilio Aurelianensi.

Si quis de clericis documenta, quibus ecclesiae possessio firma tenetur, aut subprimere, aut negare, aut auertere, aut fortasse tradere dampnabili et punienda obstinatione presumpserit, quicquid pro absentia documentorum ecclesiae illatum est de propriis facultatibus reddat.

**C. XLI.** Ministris ecclesiae de rebus eiusdem absque episcopi permissu alienare nichil licet.

Item ex eodem.

Abbatibus, presbiteris, aliis que ministris de rebus ecclesiasticis uel sacro ministerio deditis alienare uel obligare absque permissu et subscriptione episcopi nichil liceat.

Quod si presumpserint degradentur communionem concessa, et quod temere alienatum est ordinatione episcopi reuocetur.

**C. XLII.** De rebus ecclesiae, que absente episcopo distrahuntur, ad ius ecclesiasticum reuocentur.

Item ex Sinodo Anchiritana. [c. 15].

Si qua de rebus ecclesiae, cum episcopus non est presbiteri uendiderint, placuit rescisso contractu ad ius ecclesiasticum reuocari.

In iudicio autem erit episcopi constitutum, si precium debeat recipi necne, propter quod sepe contingit distractarum rerum redditus amplio rem summam pro accepto precio reddi.

**C. XLIII.** Post mortem episcopi res ad eum pertinentes clerici non rapiant.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 22].

Non licet clericis post mortem episcopi sui rapere res pertinentes ad eum, sicuti precedentibus regulis constitutum habetur.

Si uero hec fecerint, periclitari se nouerint a proprio gradu.

**C. XLIV.** Rescindantur precariae et commutationes ab inuasoribus factae.

Item ex Concilio Mediomatricis.

Precariae et commutationes tempore uiduarum ecclesiarum factae ab his, qui loca episcoporum occupauerant, rescindantur, et cum auctoritate ecclesiastica uel ciuili, si faciendae sunt, fiant.

Item Gregorius Maximiano Siracusano Episcopo: [lib. III. epist. II].

**C. XLV.** Pro labore inuentarii nichil accipiant yconomi de rebus ecclesiae.



Karitatem tuam curauimus commonere, ut, si quispiam episcoporum de hac luce migrauerit, uel (quod absit) pro suis remotus fuerit excessibus, conuenientibus yconomis cunctis que clericis prioribus, atque in sui presentia inuentarium ecclesiarum rerum facientibus, omnia, que reperta fuerint, subtiliter describantur, nec (sicut antea fieri dicebatur) species quedam aut aliud quodlibet de rebus ecclesiarum quasi pro faciendi inuentarii labore tollatur.

§. 1. Visitatores ecclesiarum clerici que earum, qui cum ipsis non per suae ciuitatis parrochias fatigantur, aliquid laboris sui capiant te disponente subsidii. Iustum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.

C. XLVI. Excommunicentur laici, qui morientium clericorum audent bona diripere. Item ex Concilio Urbani Papae Aluerniae habito.

De laicis questio facta est, qui morientibus episcopis siue aliis clericis res defunctorum inuasas ecclesiarum pauperibus que subripiunt.

Contra quos commune totius concilii anathema prolatum est, ipso Papa huiusmodi sententiam promulgante: “Si quis post interdicti presentis cognitionem episcoporum, seu presbiterorum, aut clericorum aliorum res inuaserit, usque ad satisfactionem excommunicetur.

§. 1. Episcoporum uero deficientium res per archipresbiterorum seu archidiaconorum manus, aut secundum mortuorum iudicium pro ipsorum salute in elemosinas dispensentur, aut successori, qui futurus est, reseruentur.

Id ipsum de presbiterorum seu clericorum aliorum rebus per episcopum, uel supradictas personas, aut cui deficientes commiserint, fiat.

Si quis autem aduersus ista presumpserit, anathema sit”.

C. XLVII. De eodem.

Item Innocentius II. [in Concilio Lateranensi, cap. 4].

Illud, quod in sacro Calcedonensi concilio constitutum est, inrefragabiliter conseruari precipimus, ut uidelicet decedentium bona episcoporum a nullo omnino hominum diripiantur, sed ad opus ecclesiarum et successoris sui in libera yconomi et clericorum permaneant potestate.

Si quis autem hoc amodo attemptare presumpserit, excommunicationi subiaceat.

Qui uero morientium presbiterorum uel clericorum bona rapuerint simili sententiae subiciantur.

Gratian. Hoc non solum de laicis, uerum etiam de metropolitanis et quibuslibet aliis clericis intelligendum est: sicut Sexta Sinodo [c. 35]. legitur:

C. XLVIII. Res episcopi morientis metropolitano non licet inuadere.

Non liceat alicui metropolitano moriente episcopo qui sub eo est, aut res suas aut ecclesiarum suarum auferre, sed sint sub custodia cleri ecclesiarum defuncti episcopi, usque dum alius ordinetur episcopus.

Si uero clerici in ecclesia non fuerint, tunc metropolitanus illibata omnia episcopo, qui ibi ordinabitur, reddat.

Gratian. Sicut autem res ecclesiarum nulli usurpare licet, ita ecclesiarum aliena inuadere non permittitur.

Unde Gregorius: [lib. II. epist. 43. ad Bonifatium Episcopum]

**C. XLIX.** Aliena ecclesiæ non licet inuadere.

Sicut ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas inuadere non oportet.

Gratian. His omnibus auctoritatibus perspicue monstratur, quod nulli sacerdotum res ecclesiasticas alicui tradere licet, et ille, qui de manu sacerdotis facultates ecclesiæ acceperit, nullo iure eas uendicare poterit.

Potius cogetur restituere quod illicite accepit.

§. 1. Sed notandum est, quod quibusdam causis exigentibus res ecclesiæ distrahi possunt.

Causa enim necessitatis cum consilio clericorum, uel ut meliora prospiciant, res ecclesiæ a sacerdotibus distrahi possunt.

Unde in Affricano Concilio legitur:

**C. L.** Nisi causa necessitatis nec episcopo liceat rem ecclesiæ usurpare.

Non habenti necessitatem nec episcopo liceat matricis ecclesiæ rem sui tituli usurpare.

**C. LI.** Nec presbiteri episcopis ignorantibus, nec episcopi ignorante concilio rem ecclesiæ uendant.

Item ex Concilio Cartaginensi. [unico, c. ult.].

Placuit, ut presbiteri non uendant rem ecclesiæ, ubi sunt constituti nescientibus episcopis suis, quomodo nec episcopis licet uendere predia ecclesiæ inconsulto concilio uel cuncto presbiterio sine ulla necessitate.

LII.

Nisi ut meliora prospiciat, rem ecclesiæ distrahere non licet episcopo.

Item ex epistola Leonis Papæ, uniuersis Episcopis per Siciliam constitutis.

Sine exceptione decernimus, ne quis episcopus de rebus ecclesiæ suæ quicquam donare, uel conmutare, uel uendere audeat, nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum ecclesiæ.

Et infra:

§. 1. Episcopus rebus ecclesiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur.

Irrita enim episcoporum uenditio et conmutatio rei ecclesiasticæ erit absque conniuentia et subscriptione clericorum.

Gratian. Item domus urbium uel castrorum, que ecclesiæ plus incommodi quam utilitatis afferunt, licet rectoribus ecclesiarum (sicut in superiori capitulo Simaci: "Non liceat Papæ etc.") uendere uel conmutare.

Item, sicut in Agatensi Concilio [c. 45]. legitur.

[[C. LIII].

## **VI. Pars.**

"Terrulas aut uineolas exiguas, et ecclesiæ minus utiles, aut longe positas paruas, episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem".

[Gratian.] Seruos quoque fugitiuos, qui reuocati retineri non possunt, similiter episcopis distrahere licet.

Unde in eodem Concilio legitur: [c. 46].

**C. LIV.** Alienentur fugitiui, qui teneri non possunt.

Fugitiui domos suas aut familias deserentes, qui, etiamsi reuocati fuerint, teneri non possunt, simili ratione ab episcopis, si uoluerint, aut si ita meruerint distrahantur.

[PALEA. C. LV.

Item ex Concilio apud Tansiacum c. 2.

Iniustum uidetur et inpium, ut mancipia, que fideles uiri seu feminæ pro redemptione animæ suæ Deo et sanctis eius consecrauerint, cuiuscumque muneris precio uel conmutationis commercio iterum in secularem seruitutem redigantur, cum canonica auctoritas seruos fugitiuos tantummodo distrahi permittat.

Et ideo omnes rectores ecclesiarum summo opere caueant, ne unius elemosina alterius peccatum fiat, et est absurdum, ut ecclesiastica dignitate seruus decedens humanæ obnoxius sit seruituti].

## VII. Pars.

Gratian. Item si rectores ecclesiæ de rebus propriis tantumdem ecclesiæ restituere uoluerint, ecclesiasticas facultates libere dare possunt, et constabunt his, quibus datæ fuerint, perpetua firmitate.

Unde in Agatensi Concilio [c. 49]. legitur:

**C. LVI.** Alienatio de rebus ecclesiæ quomodo rata esse poterit.

Si quis qualibet conditione de rebus ecclesiæ aliquid alienare presumpserit, si de suo proprio tantum ecclesiæ contulerit, quantum uisus est abstulisse, tunc demum istud stare licebit.

## VIII. Pars.

Gratian. Item si seruos ecclesiæ libertati episcopus donauerit, ea, que in manumissione data illis fuerant perpetua firmitate tenebunt, si tamen quantitatem canonibus prefixam data non excesserint.

Unde in eodem Concilio [c. 7]. legitur:

**C. LVII.** De eodem.

Si quos de seruis ecclesiæ bene meritos sibi episcopus libertati donauerit, collatam libertatem a successoribus custodiri cum hoc, quod manumissor eis in libertatem contulerat placuit.

Quod tamen iubemus uiginti solidorum numerum et modum in terrula, uineola uel hospitio tenere.

Quod autem amplius datum fuerit post manumissoris mortem ecclesiæ reuocetur.

Gratian. Sed notandum est, quod serui ecclesiarum manumitti non possunt, non retento ecclesiastico patrocínio, nisi forte manumissor duos eiusdem meriti et eiusdem peculii ecclesiæ conferre uoluerit.

Unde in Concilio Tolletano IV. [c. 86]. legitur:

**C. LVIII.** De episcopo, qui non retento patrocínio seruos ecclesiæ manumittit.

Episcopus, qui mancipium iuris ecclesiæ, non retento ecclesiastico patrocínio, manumitti desiderat, duos eiusdem meriti et peculii coram concilio ecclesiæ, cui

preminet, per conmutationem subscribentibus sacerdotibus offerat, ut rata et iusta inueniatur diffinitio conmutantis.

Tunc enim liberam manumissionem sine patrocínio ecclesiæ concedere poterit, quia eum, quem libertati tradere disposuit, iam iuri proprio adquisiuit.

§. 1. Huiusmodi autem liberto aduersus ecclesiam, cuius iuris extitit, accusandi uel testificandi denegetur licentia.

Quod si presumpserit, placet, ut stante conmutatione in seruitutem propriæ ecclesiæ reuocetur, quam nocere conatur.

Gratian. Libertus enim (nisi uenia inpetrata) patronum in ius uocare non permittitur.

Unde in libro 2. Digestorum, titulo de in ius uocando: [l. fin.].

“Si sine uenia edicti inpetrata libertus patronum in ius uocauerit, ex querela patroni uel supradictam penam, id est quinquaginta aureos, dat, uel a prefecto urbis quasi inofficiosus castigatur, si inopia dinoscitur laborare”.

§. 1. Si uero a collegio quis manumissus fuerit, non singulis, sed uniuersitati reuerentiam debet.

Unde in eodem libro, titulo eodem: [l. Sed si hac] “Qui manumittatur a corpore aliquo, uel collegio, uel ciuitate, singulos in ius uocabit.

Nam non est illorum libertus, sed reipublicæ honorem habere debet.

Et si aduersus rempublicam uel uniuersitatem uelit experiri, ueniam edicti petere debet, quamuis actorem eorum constitutum in ius sit uocaturus”.

§. 2. Si uero ingenuum princeps facit, patrono reuerentiam non debet.

§. 3. In criminali uero, si patronum in ius uocauerit, caput eius et fortunas petiturus, ante litis exordium capite puniendus est.

Crimen maiestatis excipitur, uel si patronam illicito serui concubitu uti deprehenderit, quo casu etiam seruo cum munere libertatis dominam accusare permittitur, sicut in 9. libro Codicis titulo de mulieribus, que seruis propriis, [l. unica] inperator Constantinus constituisse legitur: “Si qua cum seruo suo occulte rem habere detegitur, capitali sententiæ subiugetur, tradendo ignibus uerberone.

Sit que omnibus facultas crimen publicum arguendi, sit offitio copia nunciandi, sit etiam seruo licentia deferendi, cui probato crimine libertas dabitur”.

§. 4. In patronos etiam testificari non possunt, nisi in quibusdam casibus, in quibus etiam serui in dominos torqueri iubentur.

Unde in libro Codicis, titulo de questionibus, [l. prima] Inp. Antoninus:

[[C. LIX].

“Questionem de seruis contra dominos haberi non oportet, exceptis adulterii criminibus, item fraudati census accusationibus, et crimine maiestatis, quod ad salutem principis pertinet.

§. 1. In ceteris autem, quamquam ea, que seruus contra dominum dixit, iudicaturi sententiam formare non debeant tamen, si aliis quoque probationibus fides ueritatis inuestigetur, prescriptionis inuidia euanescit.

§. 2. In pecuniariis uero causis nec inopia probationum seruos contra dominum interrogari posse manifestum est”.

[[C. LX].

Idem.

“Insolitum est et graue exemplo, audiri seruos aduersus tutores uel matrem dominorum suorum, nisi tutelæ agatur”.

[Gratian.] Si uero libertus sua auctoritate a patrocínio ecclesiæ recesserit, si admonitus redire contempserit, in seruitutem reuocabitur.

Unde in eodem Concilio legitur:

**C. LXI.** De libertis ecclesiæ, qui ab eius patrocínio discedunt.

Liberti ecclesiæ, qui a patrocínio eius discedentes quibuscumque personis adhererint, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit, quia per in obedientiæ contemptum ingrati actione tenentur.

**C. LXII.** Reuocentur in seruitutem ecclesiarum liberti, qui contra eas superbiunt.

Item ex Concilio Spalensi. [II., c. 8].

Octaua discussio agitata est de quodam Elisep ex familia Egabrensis ecclesiæ, qui ab episcopo suo traditus libertati de libertate confestim ad contumaciæ morbum transsiliit, sic que per superbiam non solum eiusdem episcopi malis uel insidiosis artibus salutem ledere uoluit, sed etiam patronam ecclesiam libertatis inmemor predampnauit.

Aduersus quem ingrati actio canonum ac legum auctoritate iuste dirigitur, scilicet, ut inmeritæ libertatis dampno mulctatus ad seruitutis nexum coactus reuocetur.

Talium enim status, qui contra episcopum suum uel patronam ecclesiam nituntur, decidi potius quam conseruari conuenit, ut quorum libertas perniciosa est sit salutifera seruitus, et qui superbire nouerint adepta libertate, proditi discant obedire subiecti.

**C. LXIII.** A patrocínio non discedant ecclesiæ liberti ad sacros ordines promoti.

Item ex Concilio Tolletano III. [c. 6].

De libertis autem hoc precepit sancta synodus, ut, si qui presbyteri uel diaconi ab episcopis facti sunt secundum modum, quo canones antiqui dant licentiam, sint liberi, et tamen a patrocínio ecclesiæ tam ipsi quam ab eis progeniti non recedant.

§. 1. Ab aliis quoque libertati traditi et ecclesiis commendati patrocínio episcopi colligantur, et ne cuiquam donentur hoc a principe episcopus postulet.

Gratian. Ne uero longinquitate temporis obscuretur conditio originis, tempore suæ manumissionis scribant liberti professionem, qua se profiteantur de familia esse ecclesiæ, et ab eis obsequio se numquam recessuros.

Unde in eodem Concilio legitur:

**C. LXIV.** Professionem suæ conditionis liberti ecclesiæ faciant.

Longinquitate sepe fit temporis, ut non pateat conditio originis.

Unde iam decretum est in anteriori uniuersalis concilii canone, ut professionem suam liberti ecclesiæ debeant facere, qua profiteantur se et de familia ecclesiæ esse, et eius obsequium numquam relicturos.

Unde his quoque nos adicimus, ut quociens cursum uitæ sacerdos inpleuerit, et de hac uita migrauerit, mox, cum successor eius aduenerit, omnes liberti ecclesiæ, uel ab eis progeniti cartulas suas in conspectu omnium debent ipsi qui substituitur pontifici publicare, et professionem in conspectu ecclesiæ renouare, quatinus status sui uigorem et illi obtineant et obedientia eorum ecclesia non careat.

Si autem scripturas libertatis suæ intra annum ordinationis noui pontificis manifestare contempserint, aut professiones renouare noluerint, uacuæ et inanes cartulæ ipsæ remaneant, et illi origini suæ redditi sint perpetuo serui.

**C. LXV.** Nec liberti, nec eorum posteri a patrocínio discedant ecclesiæ.

Item ex eodem.

Liberti ecclesiæ, quia numquam eorum moritur patrona, a patrocínio ecclesiæ numquam discedant, nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreuerunt.

Ac ne forte libertas eorum in futura prole non pateat, ipsa que posteritas sese ab ecclesiæ patrocínio non subtrahat, necesse est, ut tam idem liberti, quam ab eis progeniti professionem episcopo suo faciant, per quam ex familia ecclesiæ libertos effectos se esse fateantur, eius que patrocínium non relinquunt, sed iuxta uirtutem suam obsequium ei uel obedientiam prebeant.

Gratian. Pro remuneratione etiam inpensi obsequii res ecclesiasticæ utiliter possunt donari.

Unde in IV. Concilio Tolletano [c. 36]. legitur:

**C. LXVI.** Que de rebus ecclesiæ in remuneratione obsequii prestantur rata permanebunt. Quicumque suffragio cuiuslibet aliquid ecclesiasticæ utilitatis prouiderint, et pro eo quodcumque commodum in remuneratione promiserint, promissi solutionem eos absoluere oportebit, ita ut ad concilium conprouinciale deferatur, ut eorum conuentu confirmetur, quia (sicut Paulus ait) dignus est mercenarius mercede sua.

**C. LXVII.** Serui ecclesiarum in eorum dominium transferri possunt, qui ecclesiasticis deseruiunt utilitatibus.

Item Gregorius. [lib. II. Indict. 11. epist. 18. Theodoro Conciliario]

Ecclesiasticis utilitatibus desudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, ut qui se uoluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subiciunt digne nostris prouisionibus consolentur.

Quia igitur Theodorum uirum eloquentissimum, consiliarium nostrum, mancipiorum cognouimus ministerio destitutum ideo puerum nomine Acosimum, natione Siculum, iuri dominio que suo dari tradi que precipimus, quem quoniam traditum ex nostra uoluntate iam possidet, huius necesse fuit pro futuri testimonio ac robore largitatis auctoritate fulciri, quatinus Domino protegente secure eum semper sine ullius retractationis suspitione, ut dominus, ualeat possidere.

Gratian. Miserationis quoque intuitu serui ecclesiarum libertati donari possunt.

Unde Gregorius Montanæ et Thomæ: [lib. V. epist. 12].

**C. LXVIII.** Miserationis et pietatis intuitu serui ecclesiarum possunt manumitti.

Cum redemptor noster, totius conditor creaturæ, ad hoc propiciatus humanam uoluit carnem assumere, ut diuinitatis suæ gratia dirupto, quo tenebamur captiui, uinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati, salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, et ius gentium iugo substituit seruitutis, in ea, qua nati fuerant, manumittentis beneficio libertati reddantur.

Atque ideo pietatis intuitu, et huius rei consideratione permotus, uos, Montanam atque Thomam, famulos sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui Deo auctore deseruimus, liberos ex hac die ciues que Romanos effecimus, omne que uestrum uobis relaxamus seruitutis peculium.

§. 1. Hanc autem manumissionis paginam Paterio notario scribendam dictauimus, et propria manu una cum tribus presbiteris prioribus et tribus diaconibus pro plenissima firmitate subscripsimus, uobis que tradidimus.

Actum in urbe Roma.

Gratian. Item serui ecclesiarum publicis angariis fatigari non debent.

Unde in III. Tolletano Concilio [c. 21]. legitur:

**C. LXIX.** Serui ecclesiarum publicis angariis non fatigentur.

Ecclesiarum seruos, et episcoporum, uel omnium clericorum, a iudicibus uel actoribus publicis in diuersis angariis fatigari dolemus.

Propter quod omne concilium a pietate gloriosissimi domini nostri poposcit, ut tales usus deinceps inhibeat, sed serui suprascriptorum offitiorum in eorum usibus uel ecclesiæ laborent.

Si quis uero iudicum uel actorum clericum aut seruum clerici uel ecclesiæ in publicis ac priuatis negotiis occupare uoluerit, a communione ecclesiastica, cui impedimentum facit, efficiatur extraneus.

Gratian. Item pro alimonia pauperum, pro redemptione captiuorum res sacras distrahi licet.

Unde Ambrosius ait in libro [II]. de offitiis: [c. 28]

**C. LXX.** Res sacræ quibus ex causis alienari debeant.

Aurum ecclesia habet, non ut seruet, sed ut erogat et subueniat in necessitatibus.

Quid est opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus, quantum auri atque argenti de templo Domini Assirii sustulerunt?

Nonne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si aliqua subsidia desunt, quam si sacrilegus contaminat et asportat hostis?

Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame mori?

Et certe habebas aurum, ministrasses alimoniam.

Cur tot captiui in commercium ducti nec redempti, ab hoste occisi sunt?

Melius fuerat, ut uasa uiuentium seruares quam metallorum.

His non posset responsum referri.

Quid enim diceres? Timui, ne templo Dei ornatus deesset?

Respondet: Aurum sacramenta non querunt, neque auro placent que auro non emuntur.

Ornatus sacrorum redemptio captiuorum est, et uere illa sunt uasa preciosa, que redimunt animas a morte.

Ille uerus est thesaurus Domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est.

Et post pauca: §. 1.

Nemo potest dicere, cur pauper uiuit?

Nemo potest queri, quia captiui redempti sunt.

Nemo potest accusare, quia templum Dei edificatum est.

Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt.

Nemo potest dolere, quia in sepulcris Christianorum requies defunctorum est.

In his tribus generibus uasa ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, uendere licet.

Opus est, ut de ecclesia mistici populi forma non exeat, nec ad usus nefarios sacri calicis ministerium transferatur.

Ideo primum intra ecclesiam quesita sunt uasa, que initiata non essent, denique conminuta, postremo conflata, per minutas erogationes dispensata egentibus captiuorum quoque precii profecerunt.

Quod si desunt noua et que nequaquam initiata uideantur, in huiusmodi, quos supra dixi usus, arbitror omnia pie posse conuerti.

**C. LXXI.** Non parietes ornare templi, sed pauperibus prouidere gloria episcopi est.

Item Ieronimus. [ad Nepotianum de uita clericorum]

Gloria episcopi est pauperum opibus prouidere; ignominia sacerdotis est propriis studere diuiciis.

Natus in paupere domo et in tugurio rusticano, qui uix milio et cibario pane rugientem uentrem saturare poteram, nunc similam et mella fastidio.

Eiusdem:

§. 1. Multi edificant parietes, et columpnas ecclesiæ subtrahunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, et ministrorum Christi nulla est electio.

Neque uero michi aliquis obponat diues in Iudea templum, mensam, lucernas, turibula, patellas, cyphos, mortariola, et cetera ex auro fabrefacta.

Tunc hec probabantur a Domino, quando sacerdotes hostias inmolabant, et sanguis pecudum erat remissio peccatorum, quamquam hec omnia precesserint in figuram; scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt.

Nunc uero, cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicauit, portemus crucem et delicias lutum putemus.

Eiusdem:

§. 2. Amico rapere quippiam furtum est, ecclesiam fraudare sacrilegium est; accepisse pauperibus erogandum et esurientibus plurimis illud reseruare, uel cautum uel timidum est aut, quod apertissimi sceleris est, exinde aliquid subtrahere, omnium predonum crudelitatem superat.

Item eiusdem:

[ad Paulinum, de institutione monachi] §. 3. Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit, se posse et uirtutes simul et diuicias possidere.

Nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, et, sub pretextu elemosinæ pristinis incubantes opibus, quomodo possumus aliena fideliter distribuere qui nostra timide reseruamus?

Plenus uenter de ieiuniis facile disputat.

Non Ierosolimis fuisse, sed Ierosolimis bene uixisse laudandum est.

Gratian. Item largitate etiam episcopi stipendium de rebus ecclesiæ clericis dare licet, cuius professio sub precariæ nomine fieri debet.

Unde in VII. Concilio Tolletano legitur:

C. LXXII. Qui beneficium ab ecclesia accepit, eius professionem nomine precariæ faciat.

Sepe fit, ut proprietati originis obsistat longinquitas temporis.

Quapropter prouidentes decernimus, ut si quis clericorum stipendium de rebus ecclesiæ cuiuscumque episcopi percipit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere, ne per retentionem diuturnam preiudicium afferat ecclesiæ, et quecumque in usu perceperit debet utiliter laborare, ut nec res diuini iuris uideantur aliqua occasione negligi, et subsidium ab ecclesia, cui deseruiunt, percipere possint clerici.

Quod si quis eorum contempserit facere, ipse se stipendio suo uidebitur priuare.

Gratian. Religionis quoque intuitu ea, in quibus ecclesia detrimentum non patitur, monasteriis tradi possunt.

Unde in Tolletano Concilio I. [c. 4]. legitur:

C. LXXIII. Licet religionis intuitu res ecclesiæ alienare.



Si episcopus unam de parrochianis ecclesiis suis monasterium dicare uoluerit, ut in ea monachorum congregatio regulariter uiuat, hoc de consensu concilii sui licentiam habeat faciendi.

Qui etiam, si de rebus ecclesie pro eorum substantia aliquid, quod detrimentum ecclesie non exhibeat, eidem loco donauerit, sit stabile.

Rei enim bonae statuendae sanctum concilium dat consensum.

**C. LXXIV.** Non ultra quinquagesimam partem rerum ecclesie monasterio, quod construit, episcopo licet conferre.

Item in eodem concilio Tolletano X. [c. 5].

Bonae rei dare consultum et presentis habetur uitae subsidium, et aeternae remunerationis expectare cernitur premium.

Quisquis itaque episcoporum in parrochia sua monasterium constituere forte uoluerit, et hoc ex rebus ecclesie, cui presidet, ditare decreuerit, non amplius ibidem quam quinquagesimam partem dare debet, ut, hac temperamenti equitate seruata, et cui tribuit competens subsidium conferat, et cui tollit dampna graua non infligat.

Ecclesiam uero, que monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis magnificare uoluerit sepulturis, non amplius quam centesimam partem census ecclesie, cui presidet, ibidem conferre licebit, ea tamen cautela seruata, ut unam tantummodo, que placuerit, ex his duabus remunerationem assumat.

**C. LXXV.** Iure proprietatis res ecclesie monasteriorum edificiis tradere licet.

Item Gregorius. [lib. II. Indict. 11. epist. 17. Gratoso Subdiacono]

Religiosam uitam eligentibus nos oportet congrua consideratione prospicere, ne cuiusdam necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur (quod absit) conuersationis infringat.

Idcirco presenti tibi auctoritate precipimus, quatinus domum positam in hac urbe, regione quarta, iuxta locum, qui appellatur gallinas albas, uel ortum iuris sanctae Romanae, cui auctore Deo presidemus ecclesie, in qua Campana quondam Patricii mansisse dinoscitur, simul et ortum atque hospitia, que intra eandem domum ianua conclusit, eidem debeas tradere proprietatis iure proculdubio possidendam, in qua domo monasterium ubi cum congregatione sua habitare possit, Christo adiuuante construere, et tam ipsa quam que in eius honore loco que successerit predictam domum et ortum cum omnibus ad se pertinentibus (sicut diximus) quieto et inconcusso iure a nobis pietatis consideratione concessam ualeat possidere.

Gratian. Ecce ostensum est, quomodo res ecclesie sine culpa dari possunt, et constare his, quibus datae fuerint.

### **QUESTIO III.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Nunc queritur, si ante tempus suae ordinationis nichil habere uidebantur, quid de his fieri debeat, que post ordinationem suam inuenisse noscuntur.

De his ita statutum est in Concilio Cartaginensi III.: [c. 49]

**C. I.** De his qui, primum nichil habentes, tempore suæ administrationis aliqua adquirunt. Placuit, ut episcopi, presbiteri, diaconi, uel quicumque clerici, qui nichil habentes ordinantur, et tempore episcopatus uel clericatus sui agros uel quecumque predia suo nomine comparant, tamquam rerum dominicarum inuasionis crimine teneantur, nisi ammoniti ecclesiæ eadem contulerint.

Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicuius uel successione cognationis euenerit, faciant inde quod eorum proposito congruit.

Quod si a suo proposito retrorsum exorbitauerint, honore ecclesiastico indigni tanquam reprobi iudicentur.

**C. II.** De ministris, qui nulla ecclesiæ occasione, sed utilitate sui aliqua adquirunt.

Item ex Concilio Tolletano XI.

Quicumque de sacerdotibus uel ministris pro sui utilitate atque amicitia, quocumque modo, aut per scripturæ seriem aliquid meruerint ab aliquo percipere, in rebus ecclesiæ non poterit numerari, sed quod exinde uoluerint facere ipsorum uoluntatis arbitrio subiacebit.

Quod si hoc post eorum mortem inordinatum fortasse remanserit, ecclesia, cui prefuit uel minister extitit, hoc sibi in perpetuum uendicabit.

Gratian. Ecce quod illa, que non ex officio ecclesiastico, sed ex aliqua prestatione suæ utilitatis lucratus est, potest dare quibus uoluerit.

## **II. Pars.**

§. 1. Sed queritur de his, que sibi communiter cum ecclesia uel sequestratim pro remedio animæ offeruntur, uel de tertia parte, quam de rebus parrochialium ecclesiarum sibi debitam accipit, si ea potuerit dimittere quibus uoluerit.

De his ita diffinitur in Concilio Agatensi: [c. 6].

**C. III.** De pontificibus, quibus ab extraneis uel cum ecclesia, uel sequestratim aliquid dimittitur.

Pontifices, quibus in summo sacerdotio constitutis aliquid ab extraneis aut cum ecclesia, aut sequestratim dimittitur, aut donatur, (quia hoc ille, qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis offerre probatur), non quasi suum proprium, sed quasi dimissum ecclesiæ inter facultates ecclesiæ computabunt, quia iustum est, ut sicut sacerdos habet quod ecclesiæ dimissum est, ita et ecclesia habeat quod relinquitur sacerdoti.

§. 1. Sane quicquid per fidei commissum aut sacerdoti, aut ecclesiæ fortasse dimittitur, cuicumque alii postmodum profuturum, id inter facultates suas ecclesia computare aut retinere non poterit.

**C. IV.** Episcopus tertiam partem sibi debitam ecclesiæ relinquere poterit.

Item ex Concilio Tolletano. [IX., c. 6].

Episcopus, si tertiam partem, quam de rebus parrochialium ecclesiarum sibi debitam nouit, ecclesiæ, cuius res esse patebit, aut alteri ecclesiæ, conferre decreuerit, licitum maneat, et inreuocabile robur eius sententia ferat.

## **QUESTIO IV.**

**GRATIANUS.**

Quod autem queritur, si de suis et ecclesiæ rebus aliqua adquisisse noscuntur, cui proueniant?

ita diffinitur in eodem Concilio.

**C. I.** De his, qui de suis et ecclesiæ rebus aliqua adquisisse noscuntur.

Sacerdotes, uel quilibet quibus ecclesiasticarum rerum cura commissa est, quecumque amministrationis suæ tempore emerint, si de rebus propriis uel uile uel karum habuerint, ad ecclesiæ nomen, cui presunt, cartarum conficere instrumenta procurent, non enim iustum est, ut ecclesia quem suscepit externum efficiat in alieno diuitem, et in suo retineat fraudatorem.

§. 1. Hii uero, qui suarum rerum noscuntur habere compendium, ex omni re, quam post ordinationis suæ diem uisi sunt conquisisse, siue nulla siue aliqua sint instrumenta confecta, compensatione tam sui iuris quam ecclesiasticarum rerum habita, si se utriusque rei quantitas exequauerit, inter ecclesiam et decedentis heredes equo iure conquisitio pertinebit.

Gratian. Si quis uero pro compendio suarum rerum ecclesiæ rebus detrimentum intulerit, uel si occasione rerum ecclesiasticarum in rebus propriis detrimentum passus fuerit, uicissim que lucrum sentiunt detrimenta patientibus resarcient.

Unde in Bracarensi Concilio [III. c. 8]. legitur:

**C. II.** Resarciantur detrimenta sacerdoti uel ecclesiæ, que alterius occasione alter senserit.

Quicumque sub hoc neglectu res diuinas laborare distulerit, speciali placito distringendus est, ut si de rebus seu augmentis ecclesiæ questum laboribus suis proprie auxit, et ex hoc ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem uel perditionem induxit, quicquid in rebus ecclesiæ minuit illi restituat, ex cuius rebus atque suffragiis suos conuictus fuerit ampliasset labores.

Quod si aliquid pro utilitatibus ecclesiæ aut substantiæ expendit, aut dispendii uel perditionis quippiam pertulerit, si hoc conprobare potuerit, totum illi a rebus ecclesiæ eiusdem reformabitur, pro cuius utilitate id expendisse probatur.

Gratian. Si uero de rebus ecclesiæ tantummodo aliqua adquisisse noscuntur, et ad nomen ecclesiæ instrumenta debent componere, nec aliquibus poterunt illa donare.

Unde in Agatensi Concilio [c. 54]. legitur:

**C. III.** De hiis, que sacerdotes emunt, ad ecclesiæ nomen faciant scripturam.

Presbiter, cum diocesim tenet, de his, que emerit, ad ecclesiæ nomen scripturam faciat, aut ab eius, quam tenet, ecclesiæ ordinatione discedat.

**QUESTIO V.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Testamenta uero non licet eis conficere, nisi de propriis rebus.

Unde Gregorius scribit Lucido Episcopo: [lib. X. epist. 42].

**C. I.** Quomodo de rebus ecclesiæ sacerdotibus testari liceat.

Nulli dubium est, quod sicut sacerdotibus res in episcopatu acquisitas nulla est alienandi licentia, ita de eis, quas ante habuerint, quicquid iudicare uoluerint non uentur.

Itaque fraternitatem tuam tempore, quo ad nos fuit, conquestam esse recolimus, quod quedam mobilia, que Constantius decessor uester Luminosæ ancillæ Dei, et fratribus suis, testamenti serie legati titulo dereliquit, iam episcopus adquisisset, decreuisset que nos, ut, si hoc constat, nullum ex his ecclesia uestra preiudicium pateretur.

Quod et uos oportet recolere, et molestiam aliquam predictæ ancillæ Dei non facere, nec ei sine cognitione de his, que possidet, quicquam auferre.

**C. II.** De eodem.

Idem. [lib. IV. epist. 22. Cypriano Diacono]

Obitum Theodori episcopi dilectionem tuam iam credimus cognouisse.

Sed quia testamentum dicitur condidisse, subtiliter te ne quid de rebus ecclesiæ suæ consumpsisset oportet inquirere.

Et siquidem eum exinde aliquid incongrue minuisse didiceris, ita age, ut res ab eo, cuius interest, modis omnibus reparentur.

**C. III.** Que monasteriis ab episcopo conferuntur reuocari non debent.

Item Gregorius Mariniano Episcopo Rauennati. [lib. V. epist. 1].

Quia Iohannes quondam decessor tuus sepius a nobis expetiit, ut ea, que in monasterio illo contulerat, quod iuxta ecclesiam S. Apollinaris ipse construxerat, nostra debuissimus auctoritate firmare, et hec facturos nos esse promisimus, fraternitatem uestram necessarium preuidimus adhortandam, ut nichil de his, que illic contulit atque constituit, aliquo modo patiat inminui, sed omnia firma stabilitate studeat seruari.

Huius igitur monasterii et collectarum illic rerum quia in testamento, quod condidit, fecisse noscitur mentionem, sciendum uobis est, non nos ideo ea confirmasse, quoniam suppressam eius sequimur uoluntatem, sed quia hoc ei (sicut diximus) uiuenti promisimus.

Hec itaque omnia sic sollicite fraternitas uestra implere festinet, quatinus et que in suprascripto monasterio constituit et a nobis sunt firmata seruentur, et illa, que in dampno dari uel fieri per testamentum suæ decreuerit ecclesiæ, nullam, prohibente lege, obtineant firmitatem.

**C. IV.** Que ante suam ordinationem, uel post, hereditaria successione quesiuit episcopus, cui uult derelinquat.

Item ex Concilio Spalensi.

Fixum abhinc et perpetuo mansurum esse decreuimus, ut episcopus res sui iuris, quas aut ante episcopatum, aut certe in episcopatu hereditaria successione acquisiuit, secundum auctoritatem canonicam cui uult conferat et quicquid de eis uult, faciat.

Postquam autem episcopus factus est, quascumque res de facultatibus ecclesiæ aut suo, aut alterius nomine comparauerit, decreuimus, ut non in propinquorum suorum, sed ecclesiæ, cui preest, iura deueniant.

Gratian. De rebus uero ecclesiasticis testari licet episcopo, si tantumdem de propriis restituat.

Unde in Agatensi Concilio [c. 51]. statutum est:

**C. V.** Quomodo possint esse rata que de ecclesiæ proprietate testamento legantur. Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici iuris proprietate legauerit, aliter non ualebit, nisi tantum de proprii iuris facultate suppleuerit.

## **II. Pars.**

Gratian. Sed si episcopus uel quilibet ex gradu ecclesiastico intestatus defunctus fuerit, nec aliqui inuenti fuerint, qui iure cognationis ei succedant, ecclesia ei succedat in integrum, nec licebit alicui aliqua ex rebus eius presumere.

Unde in Terraconensi Concilio [c. 12]. statutum est:

**C. VI.** Episcopo intestato ecclesia succedat ex integro.

Sicubi defunctus fuerit episcopus intestatus, post hanc diffinitionem a presbiteris eius et diaconibus de rebus ipsius breuis conscriptio fiat a minimo usque ad maximum, id est de utensilibus et omni suppellectile, ita tamen, ut si quis exinde uel presumpsisse aliquid, uel occulte tulisse fuerit conuictus, secundum furti tenorem restituat uniuersa.

**C. VII.** De eodem.

Item ex Concilio Triburiensi.

Quicumque ex gradu ecclesiastico sine testamento et sine cognatione decesserit, hereditas eius ad ecclesiam, ubi deseruiuit, euoluatur.

Similiter de sanctimonialibus.

## **CAUSA XIII.**

### **GRATIANUS.**

Diocesiani cuiusdam baptismalis ecclesiæ, cladibus bellorum pressi, hostili metu compulsi domicilia sua transtulerunt in aliam diocesim, predia tamen antiqua non desierunt colere; ceperunt persolvere decimas illi ecclesiæ, in cuius diocesim transierunt, et apud eam sibi elegerunt sepulturas.

Transactis quinquaginta annis clerici, quibus quondam persoluerant decimas, ceperunt mouere questionem in eos, qui ab istis accipiunt primicias et decimas; ueniunt ad causam.

(Qu. I).

Modo primum queritur, si illi, quorum domicilia sunt in diocesi huius baptismalis ecclesiæ, an debeant persolvere decimas, et celebrare suas exequias apud eam ecclesiam, in qua quondam hec fiebant a parentibus eorum?

(Qu. II).

Secundo, an prescriptione temporis ius percipiendi decimas et funerandi tollatur?

## **QUESTIO I.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

Quod priori ecclesiae hec omnia iure persoluenda sint, actores his argumentis probare contendunt.

Constat unamquamque baptismalem ecclesiam habere diocesim sibi legitime assignatam, sicut et parrochiales ecclesiae habent parrochias distributas.

Unde Dionisius Episcopus Seuero Episcopo: [ep. II].

### C. I. Singuli sacerdotes proprios debent habere ecclesias.

Ecclesias singulas singulis presbiteris dedimus; parrochias et cimiteria eis diuisimus, et unicuique ius proprium habere statuimus, ita uidelicet, ut nullus alterius parrochiae terminos aut ius inuadat, sed unusquisque terminis suis sit contentus, et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal eterni iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, et non iudicium, sed gloriam pro suis actibus percipiat.

Gratian. In diocesi autem designata quecumque predia coluntur, prouentus decimationum baptismali ecclesiae assignatus debet persolui.

Quia ergo predia hec intra terminos nostrae diocesis continentur, et prouentus decimationum nobis legitime assignatus nostrae persoluendus est ecclesiae.

## II. Pars.

§. 1. His ita respondetur: Decimae a Deo constitutae sunt per Moysen, ut persoluerentur a populo filiis Leui pro ministerio, in quo deseruiebant ei in tabernaculo.

Non accipiebant filii Leui decimas, nisi ab eis, pro quibus offerebant preces et sacrificia. Quia ergo nos seruimus Domino in tabernaculo, offerendo pro istis preces et sacrificia, et ipsi debent nobis persoluere decimas et primicias.

§. 2. Item, cum decimae darentur filiis Leui, non electione offerentis persoluebantur, ut contempto Leuita, qui se cum erat, ipse eligeret cui uellet decimas dare.

Nam dictum est; “Leuita, qui te cum moratur et intra muros urbis tuae habitat, comedit eas”.

Ideo etiam ex singulis tribubus ciuitates ad habitandum acceperunt, ut unaqueque tribus illis persolueret decimas, qui se cum erant.

Nam Moyses precepit filiis Israel, (sicut legitur in Deuteronomio): “In loco, quem elegerit dominus Deus uester, ut sit nomen eius in eo, illuc omnia, quae precipio, conferetis holocausta, et hostias, et decimas, et primicias manuum uestrarum, et quicquid precipuum est in muneribus que uouistis Domino.

Ibi epulabimini coram Domino Deo uestro uos et filii ac filiae uestrae famuli et famulae uestrae, atque Leuites, qui in uestris urbibus conmorantur.

Neque enim habet aliam partem atque possessionem inter uos”.

Et infra: §. 3. “Decimam frumenti et uini et olei primogenita armentorum et pecorum, et omnia, que uoueris, et sponte offerre uolueris, et primicias manuum tuarum coram Domino Deo tuo comedes ea in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu, et filius tuus, et filia tua, seruus et ancilla, atque Leuites, qui manent in urbibus tuis”.

§. 4. Quia ergo nos intra muros urbis istorum sedemus, et eis habitatione iuncti sumus, rite ab eis decimas accipimus.

Item ait Propheta: “Producens fenum iumentis, et herbam seruituti hominum”.

Fenum et herba ex terra producit: sed quibus?

iumentis rigantibus eam, hominibus colentibus eam, et in hoc seruiantibus ipsi.

Item Apostolus: “Communicet autem is, qui cathezizatur uerbo, ei, qui se cathezizat”.

Hoc Galatis.

Corinthiis autem probat specialiter sibi deberi sumptus, quia eis spiritualia ministravit, dicens: “Si seminauimus uobis spiritualia, magnum est si uestra carnalia metamus?”

Item: “Si alii participes uestræ potestatis facti sunt, cur non magis et nos?”

Item: “Quis plantat uineam, et de fructu eius non edit?”

Nos plantauimus uineam, et uos uultis edere fructus eius?

Item precepit Dominus Moysi, ut nemo mittat falcem in alienam messem.

Nec messis nostra est, et uos uultis in eam falcem mittere?

Item: “Non alligabis os boui trituranti”.

Nos sumus boues triturantes: queritis uos alligare os nostrum, et de nostra tritura uictum uobis queritis?

Item Apostolus: “Qui altario seruiunt de altario uiuant”.

Sed numquid de eo, cui non seruiunt? Item: “Qui in sacrario operantur cum sacrario participant”.

Sed numquid cum illo, in quo non operantur?

Nos seruimus altario, uos ei participare uultis, nos uero uacuos et inanes dimittere queritis?

Item Apostolus: “Laborantem agricolam prius oportet suscipere de fructibus suis:” uos autem econtra queritis?

Nos sumus agricolæ laborantes, uos primum uultis percipere de fructibus nostris?

immo non primum, quia nec ultimum nobis relinquere uultis.

A prioribus enim incipientes paulatim serpit, et totum usurpare contenditis, ut pro uobis uideatur dictum: “frustatim lupo comedit agnum”.

Item: “Quis umquam suis militat stipendiis? quis pascit gregem, et de lacte eius non edit?”

Nos militamus: et uos stipendia nostræ miliciæ uobis queritis?

Nos gregem pascimus: et uos lac eius et lanam accipere uobis uultis?

Sapere est de alieno labore uictum querere, si sapere est uelle quod non possis.

§. 5. Item Dominus dixit discipulis suis: “In quamcumque domum intraueritis, in eadem manete, edentes et bibentes que apud illos sunt.

Cum autem intraueritis, primum dicite: pax huic domui”.

Nos domum hanc ingressi sumus, ei pacem obtulimus: uos autem alieno cibo quasi otiosi pasci gaudetis?

Videte, ne in uobis uertatur illud: “Videte quid faciat otium et alienus cibus”.

§. 6. Item Propheta: “Sumite psalmum et date tympanum”.

Isti a nobis sumunt psalmum: et uos ab eis queritis tympanum?

§. 7. Item Leo IV.: “De decimis non tantum nobis, sed etiam maioribus iusto ordine uisum est plebibus tantum, ubi sacrosancta baptismata dantur, debere dari”.

§. 8. Quibus autem plebibus debentur? illis, a quibus baptismata accipiunt an aliis?

Nos eos baptizamus, et uos ab eis decimas sumitis?

Honesta interpretatio est: utinam inueniatis qui sic pro uobis interpretentur.

Quia nos ergo rigamus populum hunc, imbrem doctrinæ ei ministrantes, quia colimus eum uomere predicationis, corda eius ad fidem aperientes, si non uultis sinere, uel patimini eum nobis fructificare, et qualia uobis fieri non uultis nobis inferre caute, ne, si pergitis dicere que uultis, audiatis que non uultis.

### III. Pars.

§. 9. Ad hec: Callida quidem et multiplici argumentatione nostra iura auferre contenditis, ita ut, si fides uerbis adhiberetur; non uerba pro uerbis, sed res pro uerbis reportaretis.

Sed Deo propicio, si uerba dedistis, uerba recipietis.

§. 10. Arguitis nos, quod ea, que uobis debentur, subripere querimus, quia nostra persequimur.

Sapientis quidem et philosophico ore prolata sententia; suum persequi est aliena rapere? Unde ad uos hec sententia manauit, nisi quia tanto ardore nostra concupiscitis, ut uestra putetis uobis auferri, cum nos nostra consequimur?

Unde, cum causa nostra debitum finem sortita fuerit, exclamabitis: “Ah miser, crucior tantum bolum esse ereptum ex faucibus”.

Sed uidete, ne dampnum effusi unguenti uobis recompensare queratis.

Constituistis uos plantatores uinearum, fossores agrorum, trituratores arearum, rigatores camporum, multa alia offitia huiusmodi uobis assumpsistis, et debita uobis obsequia a nobis subtrahi conquesti estis.

Sed non negamus quod uestrum est.

Boui trituranti paleæ et integumenta seruantur.

Sint hec uobis, et grana nobis relinquit.

Pastinatores uinearum, fossores agrorum, rigatores camporum, diurna mercede accepta, prouenientes fructus dominis relinquunt.

Vos ergo recepta mercede uestri operis in cottidianis oblationibus, et aliis obsequiis, que pro spiritualibus, que a uobis accipiunt, cottidie deferuntur prouenientes fructus decimationum et primiciarum nobis relinquit.

§. 11. Item precepit Dominus discipulis suis, ut comederent et biberent ea, que apud auditores suos erant, sed non iussit eis, ut dominos de domibus suis eicerent, et rebus suis expoliarent.

Non facile inuenies qui tales hospites libenter suscipiant.

Mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio male suos remunerant hospites.

Unde in prouerbiis dicitur: “Qui serpentem in sinu suo nutrit, percutietur ab eo”.

Tales inueniatis uobis hospites, quales nobis esse uultis.

Non sufficit uobis edere et bibere que in domo nostra sunt, dum cottidianos fructus oblationum percipitis, ex quibus uictum et uestitum habeatis, quibus cum Apostolo deberetis esse contenti; sed non uultis, quia imitatores eius non estis; potius de domo nostra expellere, et rebus nostris nos penitus expoliare contenditis, dum nec etiam horum decimationes nobis relinquere uultis, §. 12. Ut autem uniuersaliter omnia colligantur, cuncta, que pro uobis inducta sunt, siue de laborante agricola, siue de eo, qui suis stipendiis non militat, ad hunc articulum deferimus, ut fructum uestri operis, quem adeo recipere contenditis, in oblationibus et cottidianis obsequiis istorum recipiatis, decimationes uero eorum, que nobis debentur, intactas nobis relinquit, ne, dum queritis usurpare quod uestrum non est, iusta animaduersione etiam illud cogamini amittere, quod uobis aliquo modo uidebatur competere.

§. 13. Quod autem hæ decimationes nullo iure uobis debeantur, facile probabimus.

Dicitur enim in quodam concilio: “Si quis laicus, uel clericus, seu utriusque sexus persona proprietatis suæ loca etc.” sicut in eodem capitulo in causa monachorum notata inueniuntur.

Si ergo laicus, uel clericus, uel quelibet persona, loca suæ proprietatis uendens aut donans, prouentum decimationum ab ecclesia, cui legitime assignatus est, nullo modo



potest abstrahere, nec isti de diocesi transeuntes ad diocesim decimas suorum prediorum, que intra terminos nostræ parrochiæ continentur, nobis auferre possunt. Quantum enim ad ius percipiendarum decimarum attinet, idem est possessorem de diocesi ad diocesim transire, quod possessionem de diocesiano ad diocesianum transferre.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Ad hec: Decimationes istæ, etsi uobis iure deberentur, ut asseritis, tamen tricennalis obiectio uobis silentium inponit.

Omnis enim possessio tricennaria prescriptione tollitur, uel quadragenaria (sicut possessiones religiosarum domorum) uel centenaria, sicut predia sanctæ Romanæ ecclesiæ.

Unde Gelasius Papa ait: [Episcopis Siciliae. ep. II. c. 2].

**C. I.** Que triginta annis ab episcopis possidentur iure ab eis uendicantur.

Facultates ecclesiæ, nec non et dioceses, que ab aliquibus possidentur episcopis, iure sibi uendicent, quod tricennalis lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanauit auctoritas, ut ultra XXX. annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus exclusit.

Gratian. At illi econtra: Cuius auctoritate nobis silentium inponitis, eius auctoritate claudimus uestra ora.

Ait enim idem Gelasius: “Nulla presumptione statum parrochiarum etc.”.

Si ergo temporalis obiectio diocesim semel constitutam diuellere non potest, patet, quod nec uobis patrociniabitur, ut, statum nostræ parrochiæ mutantes, decimationes quondam nobis legitime assignatas uindicabili usurpatione uobis uendicetis.

Quomodo autem distinguendæ sint hæ auctoritates, in causa monachorum inuenietur.

#### II. Pars.

**§. 1.** Nunc queritur de iure funerandi, que harum ecclesiarum habeat ius tumulandi istos?

Sicut Ieronimus scribit, coniugati in uno sepulcro uidentur esse ponendi.

Ait enim:

**C. II.** In sepulcro parentum filii sunt collocandi.

Ebron dicitur esse ciuitas trium uirorum, quia in ea sepulti sunt tres patriarchæ, in spelunca duplici cum tribus uxoribus suis, id est Abraham et Sara, Ysaac et Rebecca, Iacob et Lia, preter ipsum Adam et Euam uxorem suam.

Tobias dicit ad filium suum: “Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepelies, et honorem habebis matri tuæ omnibus diebus, et cum ipsa compleuerit tempus suum, sepelies eam iuxta me in uno sepulcro”.

Idem:

§. 1. Quos coniunxit unum coniugium coniungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, et quos Deus coniunxit homo non separet.

[[C. III].  
Item Augustinus.

### III. Pars.

Unaqueque mulier sequatur uirum suum, siue in uita siue in morte.

Item Gregorius:

§. 1. Soror sancti Benedicti sepulta est in sepulcro, quod ipse sibi preparauerat, ut quorum mens una fuit semper in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret.

Gratian. Item Ioseph, moriens in Egypto, rogauit fratres suos, ut tempore suae uisitacionis ossa sua se cum deferrent, et in sepulcro patrum suorum ea collocarent.

§. 1. Item, dictum est Prophetæ, qui contra preceptum Domini prohibitus comederat in Bethel: “Non inferetur cadauer tuum in sepulcro patrum tuorum”.

§. 2. Item. De nonnullis legitur in libro Regum: “Obiit et appositus est ad patres suos,” hoc est in sepulcro patrum suorum.

§. 3. Item. In nouo testamento legitur B. Philippus edificasse sibi sepulcrum, in quo ipse et filiæ eius quieuerunt.

§. 4. Item. B. Seuerus Rauennatum archiepiscopus tumulum fieri iussit, in quo se, et uxorem, et filiam collocauit.

§. 5. His omnibus exemplis colligitur, quod in sepultura parentum corpora filiorum collocanda sunt.

Quia ergo parentes istorum apud priores ecclesias sepulti sunt, et hi apud easdem debent tumulari.

§. 6. Econtra Adam, ut asseritis, in ciuitate Arbeæ tumulatus est.

Sed numquid omnes filii eius sepulti sunt ibi?

tanta multitudo humani generis tam breui tumulo non tam facile posset includi.

§. 7. Item Abraham ibi sepultus est.

Sed numquid Ismahel, et Madai, et alii, quos de Cethura genuit, ibi sepulti sunt?

§. 8. Item Ysaac ibi positus est.

Sed numquid Esau cum eo tumulatus est? §. 9. Item Iacob ibi collocatus est.

Sed numquid aliquis filiorum eius preter Ioseph cum eo sepultus est?

Rachel quoque non in Ebron, sed iuxta Bethleem tumulata legitur.

Exemplo igitur istorum liquet, quod liberum est filiis sepeliri in sepulcris patrum suorum, et liberum est eis alibi pro locorum et temporum oportunitate corpori suo hospitium inuenire.

Non ergo hoc exemplo isti coguntur sepeliri in sepulcris patrum suorum.

§. 10. Item, que legibus diffinita sunt mutare non licet.

Que autem legibus expressa non sunt arbitrium secuntur humanæ uoluntatis.

At legibus diffinitum est, quibus decimæ sint persoluendæ, et ideo danti mutare non licet.

Ubi autem quisque tumulandus sit, legibus expressum non est, et ideo in uoluntate tumulandi consistit.

Unde B. Gregorius ait:

**C. IV.** Ultima uoluntas defuncti seruari debet.  
Ultima uoluntas defuncti modis omnibus conseruetur.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Quod de libero et non de seruo intelligendum est.  
Seruus enim testamenti paginam condere non potest.  
Unde Gelasius Papa scribit Honorio Episcopo:

**C. V.** Seruus testamentum facere non potest.  
Illud etiam sinceritatem tuam uolumus non latere, ad nos fuisse perlatum, quod Ampliatus conductor, quem non solum seruum constat esse ecclesiæ, sed ita rationibus a multis temporibus implicatum, ut, etiam si esset ingenuus, donec ratiocinia cuncta deduceret, modis omnibus obnoxius haberetur, ausu temerario molitus fuerit paginam condere testamenti, cuius omne peculium ecclesiastico iuri legibus non dubitetur obstrictum.

Quapropter his presumptionibus uice nostra tua fraternitas contradicat, nec fieri prorsus aliqua subreptione permittat.

Ac si eidem quicquam humanitus forte contigerit, quia grandeus esse memoratur mox eius sine dilatione substantiam precipiat unanimitas tua filiis eius dumtaxat, quibus patrimonium probatur esse commissum, sub fideli descriptione contradi, donec temporibus uniuersis, quibus hoc patrimonium gubernasse cognoscitur, partes dominicas reddere cogatur indempnes.

#### **V. Pars.**

Gratian. Quia ergo secundum Gregorium ultima uoluntas defuncti conseruanda est, pro istorum uoluntate corpora eorum sunt tumulanda, non pro arbitrio uestre dispositionis.  
Item in Triburiensi Concilio legitur:

**C. VI.** Ubi quisque eligere sepulturam sibi debet.  
Ubicumque temporum uel locorum facultas tulerit, apud maiorem ecclesiam, ubi sedes est episcopi, sepulturæ celebrentur.

Si autem propter temporis uel loci asperitatem hoc difficile uisum fuerit, apud ecclesiam, quo religiosorum canonicorum, uel monachorum, uel sanctimonialium religiosa congregatio communiter degerit, sepeliatur.

Si autem et hoc ineptum uisum fuerit, ubi quis decimas persoluebat uiuus, ibi sepeliatur mortuus.

Gratian. Quia ergo decimam nobis persoluebat uiuus, et apud nos sepeliendus est mortuus.

Item, si quis de prouincias ad prouinciam transiret, et ibi domicilium sibi collocaret, liber factus a ditione prioris iudicis, iurisdictioni illius iudicis subiceretur, in cuius prouincia sedem sibi eligeret.

Quia ergo isti a uestra diocesi in nostram transierunt, liberi a uestra ditione nostro iuri subiciuntur.

Nostrum ergo est ius funerandi eos.  
Sed obicitur illud Melciadis Papæ:

**C. VII.** Propria temeritate sepulturam parentum relinquere non licet.

Placuit per omnia magno concilio, ut nullus proprii arbitrii temeritate aliam ecclesiam, nisi cui usus antiquorum parentum canonica institutione subiacere perhibetur, sepulturæ causa adire procuret, nisi infirmitatis causa prepeditus in aliam fuerit regionem quolibet negotio progressus.

Ad hec, si quis prelatus contra hec agere sategerit, ecclesiastico uinculo se subdi cognoscat.

Gratian. Sed aliud est ex temeritatis superbia usum antiquorum parentum non sequi, atque aliud rationabili occasione nouam sibi sepulturam eligere.

Contra Melciadis Papæ auctoritatem nititur qui superbia uel odio ductus, siue uanis persuasionibus aut uariis munusculis illectus, sepulturam suorum parentum sequi contempnit.

Secundum Gregorium autem liberam habet ultimam uoluntatem qui certæ rationis causa nouum suo corpori querit hospitium.

§. 1. Vel, ut quidam distinguunt, libera est ultima uoluntas cuiusque, non in sepultura sibi eligenda, sed in testamento conficiendo.

Unde et testamentum appellatur, quia eo libere quisque testatur quid post suum decessum de propriis rebus fieri uelit.

§. 2. Sed non uidetur libera testatoris uoluntas, cum secundum Augustinum pro numero filiorum debeat fieri testamentaria distributio facultatum, ueluti, si quis habet unum filium, Christum putet alterum; si uero duos, Christum faciat tertium, et sic per ordinem. Et secundum Leonem quisque medietatem eorum, que Christo testatur, ecclesiæ iubetur relinquere, apud quam fidei sacramenta suscepit.

Sed illud Augustini non est iubentis, sed dehortantis, ne quis iratus filium suum exheredaret, atque totum Christo relinqueret.

Ait enim in II. sermone de uita clericorum:

**C. VIII.** Pro numero filiorum pars hereditatis Deo offeratur.

Si quis irascitur filio suo, et moriens exheredat eum, si uiueret, non eum placarem? non ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo uolo ut cum filio suo habeat pacem, cuius appeto hereditatem?

Sed plane sic faciat quod sepe hortatus sum.

Unum filium habet: putet Christum alterum; duos habet: putet Christum tertium; decem habet: faciat Christum undecimum, et suscipio.

Gratian. Hac nimirum auctoritate mensura testatori prefigitur, non quam cogatur exsoluere, sed quam prohibetur transscendere.

## **VI. Pars.**

§. 1. Oblationes uero defunctorum qui reddere noluerint excommunicentur.

Unde in Cartaginensi Concilio IV.: [c. 95].

**C. IX.** Excommunicentur qui defunctorum oblationes ecclesiis negant.

Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.

**C. X.** Ut infideles eiciantur ab ecclesiis, qui oblationes retinent defunctorum.

Item ex Concilio Varensi. [I., c. 4].

Qui oblationes defunctorum retinent, et ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab ecclesia abiciendi, quia usque ad exinanitionem fidei peruenire certum est hanc pietatis diuinæ exacerbationem, quia et fideles de corpore recedentes uotorum plenitudine et pauperes consolatu alimoniam et necessaria sustentatione fraudantur.

Hii ergo tales quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei habendi sunt.

Unde et quidam Patrum hoc scriptis suis inseruit, congruente sententia, qua ait: “Amico quippiam rapere furtum est, ecclesiam uero fraudare sacrilegium est”.

**C. XI.** Qui oblata ecclesiis aut testamento relicta retinere presumpserint excommunicentur.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 4].

Clerici uel seculares, qui oblationes parentum aut donatas, aut testamento relictas retinere perstiterint, aut id, quod ipsi donauerint ecclesiis uel monasteriis, crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, uelut necatores pauperum quousque reddant ab ecclesiis excludantur.

§. 1. Si quis autem clericus furtum ecclesiam fecerit, peregrina ei tribuatur communio.

## VII. Pars.

Gratian. Item queritur, an pro sepultura mortuorum aliquid sit exigendum?

De his ita scribit Gregorius in Registro, Ianuario, Episcopo Sardiniam:

**C. XII.** Pro sepultura nichil muneris exigendum est.

Questa est nobis Nereida clarissima femina, quod ab ea solidos pro filiam suam sepultura fraternitas uestra exigere uelit.

Hoc autem uicium et nos, postquam, Deo auctore ad episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra omnino uetuimus, et per prauam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus, memores, quia dum Abraham a filiis Ephron, hoc est a filiis Seor, sepulcrum precio ad humandum corpus coniugis postularet, premium accipere rennuit, ne commodum uideretur de cadauere consecutus.

Si ergo tantam considerationis paganus uir fuit, quanto magis nos, qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus?

Unde hoc auaritie uicium ne in alienis denuo temptari presumatur, ammoneo.

§. 1. Sed si quando aliquem in ecclesia uestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi uel heredes pro luminaribus sponte quid offerre uoluerint, accipere non uetamus.

Peti uero aut aliquid exigi omnino prohibemus, ne (quod ualde irreligiosum est) aut uenalis (quod absit) dicatur ecclesia, aut uos de humanis uideamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaueribus studetis querere quolibet modo compendium.

**C. XIII.** Etiam coacti de sepultura precium accipere non debemus.

Item Ieronimus super Genesim.

Postquam precio uictus est Ephron, ut sepulcrum uenderet et acciperet argentum, licet cogente Abraham, uau littera, que apud illos pro o legitur, ablata est de eius nomine, et pro Ephron appellatus est Ephran, significante scriptura, non eum fuisse consummatam perfectam que uirtutis, qui potuerit uendere memoriam mortuorum.

§. 1. Sciant igitur qui sepulcra uendunt uoluntarie, nec coguntur ut accipiant precium, sed a nolentibus quicquam extorquent, mutari nomen suum, et perire quiddam de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte, qui inuitus accepit.

**C. XIV. De eodem.**

Item ex Concilio Triburiensi. [c. 16].

In ecclesiastico namque libro scriptum est: “Mortuo non prohibeas gratiam, sciens, quia omnes moriemur”.

Et item:

“Omnia, que de terra orta sunt, in terram conuertentur”.

Quid terra terram uendis? memento, quod terra es, et in terram reuerteris, et quoniam mors tibi futura est, et appropriat, et si tardat.

Recordare, quia non hominis terra est, sed, ut Psalmista commemorat: “Domini est terra, et plenitudo eius”.

Si terram uendis, inuasionem rei reus teneberis.

Gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo.

Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis terram mortuis uendere, et debitam sepulturam denegare, nisi forte proximi et amici defuncti propter nomen et redemptionem animæ uiri gratis aliquid dare uelint.

**C. XV. De eodem.**

Item ex Concilio Varesi.

Precipiendum est secundum canonum auctoritatem, ut de sepulcris et hominibus sepeliendis nichil muneris exigant, nisi forte qui sepelitur uiuens iusserit ecclesiæ, in cuius atrio sepelitur, aliquid de suis rebus tribuere, aut etiam post mortem illius, quibus commissum est eius elemosinam facere, de rebus illius aliquid sponte dare uoluerint; et tamen nullatenus a presbiteris illis aliquid exigatur, siue ab illis, qui locis et uillis presunt.

§. 1. Prohibendum est etiam secundum maiorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris ecclesiæ.

Infra ecclesiam uero, aut prope altare, ubi corpus Domini et sanguis conficitur, nullatenus sepeliantur.

**C. XVI. A sacris locis non iuuantur post mortem, quibus peccata dimissa non sunt.**

Item Augustinus.

**VIII. Pars.**

Quibus peccata dimissa non sunt, a sacris locis post mortem adiuuari non possunt, quia quos peccata grauiora deprimunt, si in sacris locis se sepelire faciunt, restat, ut de sua presumptione iudicentur, quatinus eos sacra loca non liberant, sed culpa temeritatis accusat.

**C. XVII. Quibus prosit in ecclesia sepeliri.**

Item Gregorius. [lib. IV. Dial. c. 50].

Cum grauia peccata non deprimunt, tunc prodest mortuis, si in ecclesiis sepeliantur, quia eorum proximi, quociens ad eadem sacra loca ueniunt, suorum quoque sepulturam aspiciunt, recordantur et preces pro eis Domino fundunt.

Nam quos peccata grauia deprimunt ad maiorem cumulum dampnationis potius quam ad solutionem eorum corpora in ecclesiis ponuntur.

**C. XVIII.** Qui sepeliantur in ecclesia.

Item ex Concilio Maguncensi. [I. c. 52].

Nullus mortuus infra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, uel fideles laici.

Gratian. Quid uero mortuis prosit iuxta ecclesiam sepeliri quid ue ad eos perueniat, Augustinus in libro de agenda cura pro mortuis [cap. ult.] ostendit, dicens.

**C. XIX.** Quare mortui iuxta ecclesiam sepeliantur.

Non estimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire, nisi quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue elemosinarum sacrificiis solempniter supplicamus, quamuis non omnibus prosint pro quibus fiunt, sed his tantum, pro quibus dum uiuunt, cooperantur ut prosint.

Sed quia non discernimus, qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum pretermittatur, ad quos hec beneficia possint et debeant peruenire.

Melius enim supererunt ista his, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt, quibus prosunt.

§. 1. Diligentius tamen facit quisque pro necessariis suis, quo pro illo fiat similiter a suis.

§. 2. Corpori autem humando quicquid inpenditur non est presidium salutis, sed humanitatis offitium, secundum affectum, quo nemo umquam carnem suam odio habet.

Unde oportet, ut quam potest pro carne proximi curam gerat, cum ille in de recesserit, qui gerebat.

Et si hec faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere qui credunt?

ut corpori, sed tamen ut resurrecturo et in eternitate mansuro, inpensum huiusmodi offitium sit etiam quodammodo eiusdem fidei testimonium.

§. 3. Quod uero quisque apud memorias martirum sepelitur, hoc tantum michi uidetur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam martirum patrocinio affectus supplicationis pro illo augeatur.

Gratian. Contra Ieronimus: [in epistolam ad Galat. c. 6. ad ea uerba: Unusquisque onus suum].

**C. XX.** Post mortem orationes non prosunt uiuentium.

In presenti seculo scimus siue orationibus siue consiliis inuicem posse nos adiuuari.

Cum autem ante tribunal Christi uenerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.

Gratian. Verum hoc de inpenitentibus accipiendum est, de quibus propheta: “Non dabit Deo placationem suam, nec precium redemptionis animæ suæ, et ideo frater non redimet eum, sed laborabit in eternum, et uiuet in finem”.

De aliis autem intelligi non potest.

Unde Gregorius Bonifatio Archiepiscopo:

**C. XXI.** In penitencia defunctis bona prosunt uiuentium.

Pro obeuntibus quippe consuluisse cognosceris, si liceat pro eis oblationes offerri.

Sancta sic tenet ecclesia, ut quisque pro mortuis uere Christianis offerat oblationes, atque presbiter eorum faciat memoriam, et quamuis peccatis omnes subiaceamus, congruit, ut sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat et intercedat; non tamen pro inpiis (quamuis Christiani fuerint) tale quid agere licebit.

**C. XXII. Quatuor modis soluuntur animæ mortuorum.**

Idem.

Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut karorum elemosinis, aut ieiunio cognatorum.

§. 1. Curatio uero funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt uiuorum solatia quam subsidia mortuorum.

Si aliquid prodest in pio sepultura preciosa, oberit pio uilis aut nulla.

§. 2. Nec ideo tamen contempnenda sunt corpora et abicienda defunctorum, maxime que iustorum.

§. 3. Ubi et illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro elemosinis, quas uiuentibus et sentientibus exhibemus si neque hoc apud Deum perit, quod examinis hominum membris offitii diligentia persoluitur.

**C. XXIII. Ante diem iudicii sacrificiis et elemosinis mortui iuuantur.**

Item Augustinus in Enchiridion. [c. 109. et 110].

Tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut queque digna est uel requie, uel erumpna, pro eo quod sortita est in carne dum uiueret.

Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, uel elemosinæ fiunt in ecclesia.

Sed eis hec prosunt, qui, cum uiuerent, hec sibi ut postea possent prodesse meruerunt.

§. 1. Est enim quidam uiuendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei ista post mortem non prosint.

Est uero talis in bono, ut hec non requirat, et est rursus talis in malo, ut nec his ualeat, cum hec uita transierit, adiuuari.

Quocirca omne hic meritum comparatur, quo possit post uitam releuari quispiam uel grauari.

Et post pauca:

§. 2. Cum sacrificia altaris siue quarumcumque elemosinarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro ualde bonis gratiarum actiones sunt, pro non ualde malis propiciationes sunt, pro ualde malis, etiam si nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen uiuorum consolationes sunt.

Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe, ut tollerabilior fiat ipsa dampnatio.

**IX. Pars.**

Gratian. De obseruatione autem tertii, septimi, tricesimi uel quadragesimi diei queritur, unde exordium sumpserit?

Ambrosius in libro de obitu Theodosii Imperatoris:

**C. XXIV. Quare certi dies in mortuorum commemoratione seruentur.**



Quia alii tertium diem, alii septimum, alii tricesimum, alii quadragesimum observare consueverunt in offitiis mortuorum, quid doceat lectio consideremus.

“Defuncto, inquit, Iacob, precepit Ioseph pueris suis sepultoribus, ut sepelirent eum, et sepelierunt sepultores Israël, et repleti sunt quadraginta dies.

Sic enim dinumerantur dies sepulturæ.

Et luxit eum septem diebus”.

Hec ergo sequenda sollempnitas, quam prescribit lectio.

Sed etiam in Deuteronomio scriptum est: “Quia planxerunt filii Israël Moysen triginta diebus, et consummati sunt dies luctus”.

Utraque ergo observatio habet auctoritatem, qua necessarium pietatis inpletur offitium.

## X. Pars.

Gratian. Lugere autem et tristari tam pro nostra quam pro aliorum morte Ciprianus prohibet dicens.

**C. XXV.** Nec pro nostra, nec pro morte aliorum tristari debemus.

Quam preposterum est quamque peruersum, ut cum Dei uoluntatem fieri postulemus, quando euocat nos et accersit de hoc mundo, non statim uoluntatis eius imperio pareamus, obnitimur et reluctamur, et pericacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitia et merore perducimur, exeuntes istinc necessitatis uinculo, non uoluntatis obsequio, et uolumus ab eo premiis celestibus honorari, ad quem uenimus inuiti.

Idem:

§. 1. Nobis quoque ipsis minimis et extremis quociens reuelatum est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione preceptum est, ut contestarer assidue, ut publice predicarem, fratres non esse lugendos accersione dominica de seculo liberatos, cum sciamus non amitti, sed premiti, recedentes precedere, ut proficiscentes, ut nauigantes solent.

**C. XXVI.** Ex pusillanimitate mortuos lugere contingit.

Item Iohannes Crisostomus, in epistola ad Ebreos.

Ubi cum sepeliamur, Domini est terra et plenitudo eius.

Scilicet quod oportet fieri efficiatur.

Lugere autem et deplorare et lamentari eos, qui de hac uita decedunt, ex pusillanimitate contingit.

Gratian. Hoc autem ex desperatione futuræ resurrectionis intelligitur.

Unde et Apostolus non simpliciter ait: “Nolumus uos ignorare de dormientibus, ut non contristemini,” sed addidit: “sicut et ceteri, qui spem non habent”.

Pietatis namque affectu et humanitatis intuitu mortuos lugere non prohibemur, sicut nonnullos sanctorum aliorum exequiis pias lacrimas inpendisse legimus.

Hinc etiam Anastasius Papa: [ep. II. ad Nerianum]

**C. XXVII.** Qui spem futuræ resurrectionis habent de mortuis nimium tristari non debent.

Habent forsitan illi iustam longi doloris excusationem, qui uitam alteram nesciunt, qui de hoc seculo ad melius esse transitum non confidunt.

Nos autem, qui hoc credimus et docemus, contristari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit. Nam diffidentiae quodammodo genus est contra hoc, quod quisque predicat, querere, iustitiam amans, dicente Apostolo: “Nolumus autem uos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent”.

**C. XXVIII. De eodem.**

Item ex Concilio Tolletano III. [c. 22].

Qui diuina uocatione ab hac uita recedunt, cum psalmis tantummodo et psallentium uocibus debent ad sepulcrum deferri.

Sufficiat autem, quod in spe resurrectionis Christianorum corporibus famulatus diuinorum inpenditur canticorum.

Prohibet nos sanctus Apostolus lugere defunctos, dicens: “De dormientibus autem nolo uos contristari, sicut et ceteri, qui spem non habent”.

Et Dominus non fleuit mortuum Lazarum, sed ad huius uitae erumpnas plorauit resuscitandum.

Si autem potest hoc episcopus omnibus Christianis prohibere, non moretur agere.

Religiosis tamen omnino aliter fieri non debere censemus.

Sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.

**XI. Pars.**

Gratian. De mortuis etiam queritur, utrum sciant ea, que hic a uiuis geruntur?

Ysaïas ex persona populi afflicti ait: “Abraham pater noster nesciuit”.

Augustinus quoque in libro de agenda cura pro mortuis illud idem testatur, dicens: [c. 15].

**C. XXIX. Mortui ex se nesciunt que hic geruntur.**

Fatendum est, nescire quidem mortuos quid hic agatur, sed dum hic agitur; postea uero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed que sinuntur etiam isti meminisse et que illos quibus hec indicant, oportet audire.

Possunt et ab angelis, qui rebus, que hic aguntur, presto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere iudicat cui cuncta subiecta sunt.

§. 1. Multi quoque ad uiuos aliquos ex mortuis uenire credunt, sicut e contrario Paulum ex uiuis in paradysum raptum esse diuina scriptura testatur.

**XII. Pars.**

Gratian. De his autem, qui in patibulis suspenduntur, queritur, an iuxta ecclesiam sint sepeliendi?

De quibus in Magonciensi Concilio [II. sub Rab ano, c. 27.,] ita statutum est:

**C. XXX. Non est deneganda communio his, qui in patibulis suspenduntur.**

Quesitum est ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadauera eorum ad ecclesias deferenda sint, et oblationes pro eis offerendæ, et missæ celebrandæ, an non?

Quibus respondemus, si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus et digne penitentibus communio in fine secundum canonum precepta danda est, cur

canones communionem uel sepulturam eis interdicut, qui pro peccatis suis penam extremam persoluerunt et confitentur, uel confiteri desiderant?  
Scriptum est enim: “Non iudicat Deus bis in id ipsum”.

[PALEA. C. XXXI.

Fures et latrones, si in furando aut depredando occiduntur, uisum est pro eis non orandum.

Si comprehensi aut uulnerati presbitero uel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus].

[PALEA. C. XXXII. De eodem.

Item ex Concilio Aurelianensi.

Si fur aut latro captus in preda absque occisione potest apprehendi, et tamen interficitur, quia ad imaginem Dei creati et in nomine eius baptizati sunt, interfectores eorum quadraginta diebus non intrent ecclesiam.

Lanea ueste induti ab escis et potibus, qui interdicti sunt, a toro, a gladio, ab equitatu se abstineant.

In tertia, quinta feria et sabbato aliquo genere leguminum uel olerum, et pomis, paruis que pisciculis, cum mediocri cereuisia uicissim utantur et temperate.

Sin autem a ueridicis conprobatur testibus, quod sine odii meditatione se sua que liberando diaboli membra interfecerint, et capi non poterant, penitentiam pro homicidio eis non iniungimus, nisi ipsi uoluerint aliquid quod humanitatis est facere.

At si presbiter est, non deponatur; cunctis tamen diebus uitæ suæ penitentiam agat].

## CAUSA XIV.

### GRATIANUS.

Canonici cuiusdam ecclesiæ questionem mouent de prediis; testes ex fratribus suis producant; negotiatoribus pecuniam crediderunt, ut ex eorum mercibus emolumenta acciperent.

(Qu. I).

Queritur, an liceat eis repetere sua? (Qu. II).

Secundo, an illi testes sint audiendi? (Qu. III).

Tertio, an illud sit usuras exigere? (Qu. IV).

Quarto, an liceat clericis uel laicis a quolibet usuras expetere?

(Qu. V).

Quinto, an elemosinæ de usuris fieri possint? (Qu. VI).

Sexto, an usurarii penitentiam agere ualeant, nisi quod male acceperunt restituant.

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Quod sua repetere non possint, facile posse probari uidetur.

Ait enim Dominus in euangelio: “Si uis perfectus esse, uade, et uende omnia, que habes, et da pauperibus”.

Quia ergo isti iter perfectionis arripiunt, non licet eis sua habere.

Multo ergo minus licet eis repetere, quia non debet repeti quod possideri non licet.

§. 1. Item: “Si quis uoluerit tunicam tuam tollere, et in iudicio te cum contendere, dimitte ei et pallium”.

§. 2. Item Apostolus in epistola ad Corinthios: “Secularia igitur iudicia si habueritis, omnino peccatum est in uobis”.

§. 3. Item Gregorius exponens: “Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate,” inquit: “Cum mens concepta desideria sequitur, seruire rebus conuincitur, quarum amore superatur”.

**C. I.** Pro rebus transitoriis episcopus prouocatus non litiget.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 19].

Episcopus nec prouocatus pro rebus transitoriis litiget.

Gratian. Quia ergo generaliter perfectis prohibetur in iudicio contendere, patet, quod istis non licet stare coram iudice.

§. 1. His ita respondetur: prohibetur perfecto in iudicio stare captando lucrum, sed non euitando dampnum.

Vel aliter: Aliud est sua possidere, aliud est communium procuratorem esse. Canonici non possident sua, quia res Deo oblatae non sunt alicuius.

Utuntur enim rebus ecclesiae, non ut suis, sed tamquam ad dispensandum sibi creditis.

Unde Prosper in libro de uita contemplatiua: “Sacerdos, cui dispensationis cura commissa est, etc.” require in causa eius, a quo pro ingressu monasterii pecunia exigebatur.

Sicut ergo isti non sua possident, ita nec sua repetunt, sed res ecclesiae, quarum procuratorem gerunt.

Similiter quod in iudicio prohibentur contendere sic intelligendum est, uidelicet, ut non sibi stent coram iudice, sed aliis.

Aliis autem coram iudice astitisse, et pro eis iudicem interpellasse nonnullos sanctorum legimus.

Hi autem non sibi stant, sed pauperibus, quorum necessitatibus profutura repetunt, et ita non prohibentur stare coram iudice.

§. 2. Illud uero euangelii: “Si quis abstulerit tibi tunicam, etc.” non precipientis est, sed exhortantis.

Unde Augustinus ait: [lib. XIX. contra Faustum, c. 25].

**C. II.** Peccat, qui ultra debitum exigit, non qui sibi debita reposcit.

Quod debetur, etsi benigne remittitur, non tamen inique repetitur.

Peccat autem qui exigit ultra debitum, ideo que lex modum figens penam talionis instituit.

Sed tu eo longe es a peccato iniusti exactoris, quo omnino non exigis debitum, ideo que bonus magister ait: “Qui te percutit in maxillam, prebe ei et alteram,” presertim ne cogamur et ipsi reddere debitum ab eo, qui nullum habet debitum.

[Gratian.] Sic et cetera accipies.

[[C. III].

Idem de sermone domini in monte.

Quisquis preceptis non obtemperat, reus est et debitor penae.

Et paulo post:

§. 1. Precepto Domini non obedire peccatum est; et consilio si uti nolueris, minus boni adipisceris.

Item Gregorius in epistola ad Iouinianum:

§. 2. Quod precipitur inperatur; quod inperatur necesse est fieri; si non fiat, penam habet.

§. 3. Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi preceptum, necessitas seruientis.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

De eo autem, quod queritur, an de suis fratribus testes possint producere, multis auctoritatibus uidetur esse prohibitum.

Leges enim tam sacrorum canonum quam secularium principum prohibent aduersus alium testem de sua domo produci.

Contra se enim quisque testari potest, pro se uero minime.

Quia ergo isti producuntur, ut pro se ipsis testimonium ferant, (non enim suæ utilitatis ecclesiæ se penitus immunes arbitrantur futuros, patet, quod eorum uox in talibus non est audienda.

Sed distinctio hec et testium examinatio in criminalibus causis seruanda est; in ciuilibus autem non usquequaque.

In criminali enim causa non licet testem de domo propria produci, in ciuili autem prelati ecclesiæ licet.

Unde Pascalii II. Guidoni, Archiepiscopo Viennensi, apostolicæ sedis Legato scribit, dicens:

**C. I.** Clerici pro sua ecclesia testimonium ferre possunt.

Super prudentia tua plurimum admiramur, quod in negocio B. Stephani clericorum ipsorum acceptare nolueris testimonium.

Diuersæ sunt namque species causarum, nec in omnibus causis crimina agitantur.

In criminibus siquidem accusatorum et testium illa districtio obseruanda est, que in canonibus continetur, ne qui ad probationem domestici assumantur.

Ceterum in possessionum uel huiusmodi negociis hi potissimum assumendi sunt, qui eadem negocia tractauerunt, de quorum auditu et uisu hesitatio esse non debeat.

Si ergo idem clerici idonei sunt ad assertionem causæ illius, nullatenus remoueantur, sed, sicut aliis litteris deliberatum est, inter S. Iohannis et S. Stephani canonicos lis illa plenius decidatur.

Gratian. Potest etiam intelligi aliter.

Domestici ad probationem non admittantur, ut pro his uidelicet, quorum sunt domestici, testimonium ferant.

Hii autem (sicut supra de actoribus dictum est) non pro domesticis, sed pro ecclesia, que mater est omnium pauperum, testimonium dicant.

In conficiendis autem instrumentis secularium negociorum presbiteri non uocentur ad testimonium, sed, si casu contractui eos interfuisse acciderit, iubente episcopo testimonium dicant.

Unde in Sinodo habita Romæ ab Eugenio Papa [II]. statutum est: [cap. 13].

**C. II.** In conficiendis instrumentis sacerdotes ad testimonium non uocentur.

Quamquam sacerdotum testimonium credibile habeatur, tamen in ipsis secularibus negociis pro conficiendis instrumentis ad testimonium non rogentur, quia eos talibus rebus interesse non conuenit.

Si autem euentu aliquo causæ interfuerint, et aliquid uiderint uel audierint, ubi nullæ idoneæ secularium personæ inueniantur, ne ueritas occultetur, et malus ut bonus estimetur, in prouidentia proprii sit episcopi, ut aut coram se et competentibus iudicibus, aut aliter ueritatem honorifice testificentur.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Quod autem preter summam emolumenta sectari sit usuras exigere, auctoritate Augustini probatur, qui in psalmo XXXVI. [ad. uers. “Tota die”] scribit, dicens:

**C. I.** Qui plus quam dederit expetit usuras accipit.

Si feneraueris hominem, id est si tu mutuum dederis pecuniam tuam, a quo plus quam dedisti expectes, non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, siue illud triticum sit, siue uinum, siue oleum, siue quodlibet aliud, si plus quam dedisti expectes accipere, fenerator es, et in hoc inprobandus, non laudandus.

**C. II.** Quicquid supra datum exigitur, usura est.

Item Ieronimus super Ezechielem, libro VI. [ad. c. 18].

Putant quidam usuras tantum esse in pecunia.

Quod prouidens diuina scriptura omnis rei superhabundantiam aufert, ut plus non recipias quam dedisti.

Item:

§. 1. Alii pro pecunia fenerata solent munuscula diuersi generis accipere, et non intelligunt scripturam usuram appellare et superhabundantiam quicquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint.

**C. III.** Quicquid sorti accidit usura est.

Item Ambrosius de Nabuthe.

Plerique refugientes precepta legis cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tamquam usurarum emolumenta percipiunt.

Ideo audiant quid lex dicat: “Neque,” inquit, “usuram, escarum accipies, neque omnium rerum”.

Item:

§. 1. Esca usura est, et uestis usura est, et quodcumque sorti accidit usura est; et quodcumque uelis ei nomen inponas, usura est.

Item:

§. 2. Si quis instaurandum conuiuium putet, ad negotiatorem mittit, ut absinthiati cupellam sibi gratis deferat, ad cauponem dirigit, ut Picenum uinum aut Tiriacum requirat; ad lanium, ut uuluam sibi procuret; ad alium, ut sibi poma adornet.

**C. IV.** Quando amplius exigitur quam detur, usura accipitur.

Item ex Concilio Agatensi.

Usura est, ubi amplius requiritur quam quod datur.

Verbi gratia, si solidos decem dederis, et amplius quesieris, uel dederis frumenti modium unum, et super aliquid exegeris.

Gratian. Ecce euidenter ostenditur, quod quicquid ultra sortem exigitur usura est.

#### QUESTIO IV.

##### GRATIANUS.

Quod uero nec clericis, nec laicis liceat usuras exigere, probatur auctoritate Gelasii et aliorum.

Ait enim Gelasius Papa, scribens clericis per Lucaniam et Siciliam: [c. 17].

**C. I.** A questibus negociationis clerici abstineant.

Clerici ab indignis questibus nouerint abstinendum, et ab omni cuiuslibet negociationis ingenio uel cupiditate cessandum.

In quocumque uero gradu sint, si cessare noluerint, mox a clericalibus offitiis abstinere cogantur.

**C. II.** Excommunicentur ministri, qui fenerantur.

Item ex Concilio Arelatensi I., quod confirmauit Siluester Papa. [c. 12].

Ministri, qui fenerantur, placuit iuxta formam diuinitus datam eos a communione abstinere.

**C. III.** Qui uolunt esse in clero a studio negociationis abstineant.

Item ex Concilio Terraconensi. [c. 2].

Canonum statutis firmatum est, ut quicumque in clero esse uoluerit emendi uilius et uendendi karius studio non utatur.

Quod si exercere uoluerit, cohibeatur a clero.

**C. IV.** Alienetur a clero usuras aut superhabundantiam exigens.

Item ex Concilio Martini papæ. [c. 62].

Si quis oblitus timorem Domini, et sacrarum scripturarum, que dicunt: “Pecuniam suam non dedit ad usuram, post hanc cognitionem magni concilii fenerauerit uel centesimam exegerit, aut ex quolibet negocio turpis lucri quesierit, aut per diuersas species uini, uel frugis, uel cuiuslibet rei, emendo uel uendendo aliqua incrementa susceperit, de gradu suo deiectus alienus habeatur a clero.

**C. V.** Pro pecunia, quam dedit mutuo clericus, iusto precio species recipiat.

Item ex eodem.

Si quis clericus in necessitate solidum prestiterit, hoc de uino uel frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum fuerit uenundare.

Ceterum si speciem non habuerit necessariam, ipsum quod dedit, ullo augmento recipiat.

**C. VI.** Clericus non plus accipiat quam commodauit.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 16].

Nullus clericorum amplius accipiat quam conmodauit; si pecuniam, pecuniam accipiat, si speciem, eandem speciem, quam dedit, accipiat, et quicquid aliud tantum, quantum dedit, accipiat.

**C. VII. [VIII]. De eodem.**

Item ex Niceno Concilio. [c. 17].

Quoniam multi clerici, auaritiæ causa turpia lucra sectantes, obliti sunt diuini precepti, quo dictum est: “Qui pecuniam suam non dedit ad usuram,” statuit hoc sanctum concilium, ut, si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem usuras accipere, uel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari, uel etiam species frumentorum ad sescuplum dare, omnis, qui tale aliquid conatus fuerit ad questum, deiciatur a clero, et alienus habeatur ab ecclesiastico gradu.

**C. VIII. [VII]. Etiam laicis usura dampnabilis est.**

Item Leo Papa. [epist. I. c. 3].

Nec hoc quoque pretereundum duximus, esse quosdam turpis lucri cupiditate captos qui usurariam exercent pecuniam, et fenore uolunt ditescere.

Quod nos ut non dicamus in eos, qui sunt in clericali ordine constituti, sed etiam in laicos cadere, qui se Christianos dici capiunt, condolemus.

Quod uindicari acrius in eos, qui fuerint confutati, decernimus, ut omnis peccandi oportunitas adimatur.

**C. IX. Turpe lucrum sequitur, qui minus emit, ut plus uendat.**

Item Iulius Papa.

Quicumque tempore messis uel uindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam uel uinum, uerbi gratia de duobus denariis comparat modium unum, et seruat, usque dum uendatur denariis quatuor aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

**C. X. Rapinam facit qui usuram accipit.**

Item Ambrosius in libro de bono mortis. [c. 12].

Si quis usuram accipit, rapinam facit, uita non uiuit.

**C. XI. Non minus crudelis est qui pauperem trucidat fenore, quam qui diuiti aliqua rapit.**

Item Augustinus ad Macedonium. [ep. LIV].

Quid dicam de usuris, quas etiam ipsæ leges et iudices reddi iubent?

An crudelior est qui subtrahit aliquid uel eripit diuiti, quam qui trucidat pauperem fenore?

Hec utique atque huiusmodi male utique possidentur, et uellem ut restituerentur, sed non est quo iudice repetantur.

Iam uero prudenter intueamur quod scriptum est: “Fideli homini totus mundus diuitiarum est: infideli autem nec obolus,” nonne omnes, qui uidentur sibi gaudere conquisitis, eis que uti nesciunt, alienum possidere conuincimus?

Hoc enim certe alienum non est, quod iure possidetur, hoc autem iure, quod iuste, et hoc iuste, quod bene.

Omne igitur, quod male possidetur, alienum est; male autem possidet qui male utitur.

Gratian. Porro, a quo usuræ exigendæ sint, Ambrosius testatur, dicens: [in libro de Tobia, c. 15].



**C. XII.** Ab illo usuram exigere possumus, cui iure nocemus.

Ab illo exige usuram, cui nocere merito desideras; cui iure inferuntur arma, huic legitime inferuntur usurae; quem bello uincere non potes, ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere.

Sine ferro dimicat qui usuras flagitat, sine gladio se de hoste ulciscitur qui fuerit usurarius exactor inimici.

Ergo ubi ius belli, ibi ius usurae.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero elemosinae non sint faciendae ex fenore uel usuris, nec ex quolibet male acquisito, Augustinus testatur in libro de uerbis Domini tractatu XXXV.:

**C. I.** De usuris elemosinae fieri non possunt.

Nolite uelle elemosinas facere de fenore et usuris.

**C. II.** Oblatis de rapina reprobatur a Deo.

Item Augustinus.

Inmolans ex iniquo oblatio est maculata.

Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.

Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui uictimat filium in conspectu patris sui.

Panis egentium uita pauperis est.

Qui defraudat illum homo sanguinis est.

Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit necessario, fratres sunt.

**C. III.** Non est aliquid rapiendum diuitibus, ut detur egenis.

Item Augustinus in Omelia.

Forte aliquis cogitat et dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi; non habeo peccatum, si illis abstulero, et pauperibus dedero.

Unde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero.

Sed huiusmodi cogitatio ei Diaboli calliditate suggeritur.

Nam si totum tribuat quod abstulerit, potius peccatum addit quam minuat.

[PALEA. **C. IV.** De eodem.

Item Ieronimus.

Nemo, qui rapit, moriens, si habet unde reddat, saluatur.

Si eos, quorum fuit, inuenire non poterit, ecclesiae uel pauperibus tribuat].

[PALEA. **C. V.** De eodem.

Item Ambrosius.

Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui est ablata reddatur].

C. VI. Furtum committit qui inuentum non reddit.

Item eiusdem.

Si quid inuenisti, et non reddidisti, rapuisti; quantum potuisti fecisti.

Quia plus non inuenisti.

Qui alienum negat, si posset et tolleret.

§. 1. Deus cor interrogat, non manum.

C. VII. Qui de rebus concessis et bene quesitis elemosinam inpendit, illa placet Deo.

Item Gregorius. [lib. VII. epist. 110. ad Syagrium].

Elemosina redemptoris nostri oculis illa placet, que non ex illicitis et iniquitate congeritur, sed que de rebus concessis et bene acquisitis inpenditur.

C. VIII. Peccat qui rem inuentam non reddit.

Item Ieronimus in libro Leuitici.

Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod inuenerint, teneant, et dicunt, Deus michi dedit, cui habeo reddere?

Discant hoc peccatum simile esse rapinæ, si quis inuenta non reddat.

C. IX. Bonus usus non iustificat iniuste quesita.

Item Augustinus. [lib. de bono coniugali, c. 14].

Neque enim si agris inique ac perperam inuasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus elemosinas largas faciat, ideo rapinam iustificat.

§. 1. Neque si alius ruri paterno, uel iuste quesito auarus incumbat, ideo culpanda est iuris ciuilibus regula, qua possessor legitimus factus est.

§. 2. Nec tyrannicæ factionis peruersitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannos subditos tractet.

§. 3. Nec uituperetur ordo regię potestatis, si rex tyrannica crudelitate seuiat.

Aliud namque est iniusta potestate iuste uelle uti, et aliud est iusta potestate iniuste uelle uti.

C. X. Cum alterius detrimento alteri subuenire non licet.

Item Ambrosius in libro [III]. de offitiis. [c. 9].

Denique, si non potest alteri subueniri, nisi alter ledatur, commodius est neutrum iuuari quam alterum grauari.

Ideo que in causis pecuniariis interuenire non est sacerdotale in quibus non potest fieri, quin frequenter alter ledatur, qui uincitur, quoniam intercessoris beneficio se uictum arbitrat.

Sacerdotis igitur est nulli nocere, prodesse uelle omnibus; posse autem solius Dei est.

C. XI. Elemosinæ et sacrificia non placent Deo, que offeruntur ex scelere.

Item Gregorius in Registro. [lib. VII. Indict. 2. epist. 126. Reccaredo Regi].

Scriptum est: "Victimæ inpiorum abhominabiles sunt Deo: uota iustorum placabilia;" neque enim in omnipotentis Dei iudicio quid, sed a quo detur inspicitur.

Hinc est enim quod scriptum est: "Respexit Deus ad Abel, et ad munera eius; ad Cain autem et ad munera eius non respexit".

Dicturus quippe, quia Dominus respexit ad munera, premisit sollicitate, quia respexit ad Abel.

Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt.

“Dona quippe iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus eorum, nec in multitudine sacrificiorum propiciabitur peccatis eorum”.

Idem:

“Longe est Dominus ab iniis, et orationes iustorum exaudiet”.

## II. Pars.

Gratian. Contra in Exodo legitur, quod filii Israël, exituri de Egypto, a uicinis suis acceperunt mutuo uasa aurea et argentea, ex quibus postea edificauerunt tabernaculum Domino.

His respondet Augustinus in libro questionum Exodi: [quest. 39].

**C. XII.** Non licet aliena rapere exemplo Israëlitarum spoliantium Egyptios.

Dixit Dominus ad Moysen: “Petat uir a proximo, et mulier a proxima, uasa aurea et argentea, et uestem”.

Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo proximum.

Hoc enim Deus iussit, qui nouerat quid quemque pati oporteat.

Nec Israëlitàe furtum fecerunt, sed Deo iubenti ministerium prebuerunt.

## III. Pars.

Gratian. Item obicitur: Aliena rapere non est contra preceptum: nullo siquidem Dei mandato rapina uidetur prohibita.

Sed nomine furti omnis illicita usurpatio rei alienæ intelligitur.

Unde Augustinus in eodem libro: [quest. 71].

**C. XIII.** Maioris penæ est uiolenter aliquid eripere, quam furari.

Penale est occulte auferre: multo maioris penæ est uisibiliter eripere.

Auferre ergo nolenti, siue occulte siue palam, habet preceptum suum.

Furti enim nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ.

Non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed utique furti nomine in lege ueteris testamenti et rapinam intelligi uoluit.

A parte enim totum significauit, quicquid illicite rerum proximi aufertur.

Gratian. His auctoritatibus probatur, quod neque ex rebus inuentis, neque ex male conquisitis elemosinam quisquam facere potest.

## IV. Pars.

§. 1. Sed Augustinus contra testatur [serm. XXXV. de uerbis Domini] dicens:

**C. XIV.** De male acquisitis bonum fieri potest.

Qui habetis aliquid de malo, facite inde bonum.

Qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo.

Esto tu bonus, qui facis de malo bonum, et cum ceperis aliquid boni facere de malo, noli remanere tu malus.

Nummi tui conuertuntur in bonum, et tu remanes malus?

Gratian. Sed hoc multipliciter intelligitur.

Facit enim de malo bonum qui reddit quod illicite abstulit.

Nomine etiam mali cura et sollicitudo mortalium exprimitur.

De malo ergo bonum facit qui pauperibus dispensat quod cum labore et sollicitudine acquisiuit, iuxta illud euangelii: “Facite uobis amicos de mammona iniquitatis”.

Vel ex malo acquiritur quod ex turpi causa possidetur, ueluti cum mathematicus ex arte, quam docet, uel ex futuris, que pronunciat, nonnulla lucratur.

Que uero de malo sic acquiruntur in bonum possunt conuerti.

De peccato etiam aliqua nonnumquam acquiruntur, que pauperibus iuste erogantur.

Unde Augustinus ad Macedonium: [epist. LIV].

**C. XV.** Que male acquiruntur aliquando bene possunt expendi.

Non sane quicquid ab inuito sumitur iniuriose aufertur.

Nam plerique nec medico uolunt reddere honorem suum, nec operario mercedem; nec tamen hec qui ab inuito accipiunt, per iniuriam accipiunt, que potius per iniuriam non darentur.

§. 1. Sed non ideo debet iudex uendere iustum iudicium, aut testis uerum testimonium, quia uendit aduocatus iustum patrocinium et iurisperitus uerum consilium.

Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur: isti ex una parte consistunt.

Cum autem iudicia et testimonia, que nec iusta et uera uendenda sunt, iniqua et falsa uenduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia scelerate etiam, quamuis a uolentibus, datur.

Ille tamen solet male sibi ablatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit, quoniam uenale esse non debuit.

Qui uero pro iniquo iudicio dedit, uellet quidem repetere, nisi timeret uel puderet emisse.

§. 2. Sunt aliæ personæ inferioris loci, que ab utraque parte non insolenter accipiunt, sicut officialis, et qui amouetur, et cui admouetur officium.

Ab his extorta per inmoderatam improbitatem repeti solent; magis que reprehendimus qui talia inusitate repetiuerunt, quam qui ea de more sumpserunt, quoniam multæ necessariæ personæ rebus humanis uel inuitantur huiusmodi commodis, uel tenentur.

§. 3. Isti, si uiam uitæ mutauerint, aut excellentioris conscenderint sanctitatis gradum, facilius ea, que hoc modo acquisierunt, tanquam sua pauperibus largiuntur, quam eis, a quibus accepta sunt, tamquam aliena restituant.

§. 4. Qui uero contra ius societatis humanæ furtis, rapinis, calumpniis, obpressionibus, inuasionibus aliqua abstulerit, reddenda potius quam donanda censemus, Zachei publicani exemplo.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero penitencia agi non possit, nisi res aliena reddatur, testatur Augustinus in epistola [LIV]. ad Macedonium.

**C. I. Penitentia non agitur, si res aliena non restituitur.**

Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, et non redditur, penitentia non agitur, sed simulatur.

Si autem ueraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; si, ut dixi, restitui potest.

Plerumque enim qui aufert amittit, siue alios patiando malos siue ipse male uiuendo, nec aliud habet unde restituat.

§. 1. Huic certe non possumus dicere, redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus et negare.

Ubi quidem si aliquos sustinet cruciatus repente, dum existimatur habere quod reddat, non est iniquitas, quia, si non est unde reddat ablatam pecuniam, tamen, dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati quo male ablata est, penas luit.

§. 2. Sed non inhumanum est etiam pro talibus intercedere non ad hoc ut minime restituantur aliena, sed ne frustra homo in hominem seuiat.

Et paulo post:

§. 3. Illud uero fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc interuenit, ne male ablata restituat, et qui ad se confugientem (quantum honeste potest) ad reddendum non compellit, socium esse fraudis et criminis.

Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus quam inpendimus.

Non enim opem fert qui ad peccandum adiuuat, ac non potius adiuuat sed obuiat subuertendo atque obprimendo.

§. 4. Sed numquid nos ideo aut exigere aut exigendum tradere uel possumus uel debemus?

Agimus, quantum episcopalis facultas dat, et humanum quidem nonnumquam, sed maxime ac semper diuinum iudicium comminantes.

Nolentes autem reddere, quos nouimus et male abstulisse, et unde reddant habere, arguimus, increpamus, obtestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diuersitas personarum diuersam uidetur posse uel accipere medicinam.

**II. Pars.**

Gratian. Si uero rem alienam quis consecrauerit, non eandem, sed estimationem eius restituere debet.

Unde Gregorius: [lib. VII. Indict. 2. epist. 58. Fantino Defensori]

**C. II. Qui rem alienam consecrat, eius estimationem restituat.**

Conperimus, nullam extitisse causam, pro qua res eorum potuissent rationabiliter occupari, atque eas inconsulte ac temere consecrari.

Idcirco experientiae tuae precipimus, ut, quia quod semel consecratum est eis non ualet ultra restitui, studii tui sit ut ipse episcopus debeat precium dare.

**III. Pars.**

Gratian. Pro malis autem apud principes ecclesia debet intercedere, non eos temerario ausu defendere.

Unde Gregorius Romano Defensori: [lib. VII. Indict. 2. epist. 24].

**C. III.** Ecclesia pro malis intercedat non eos temere defendat.

Hii, qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non uideantur iniuste defendi, ne opinionem male agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos ullo modo transferamus; sed quantum decet ecclesiam ammonendo, uerbum intercessionis adhibendo quibus ualeatis succurrite, ut et aliis opem feratis, et opinionem sanctæ ecclesiæ non inquinatis.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Furtum autem non tam in quantitate rei quam in affectu furantis consideratur. Unde Ieronimus in epistola ad Titum: [ad c. 2].

**C. IV.** Non solum in maioribus sed etiam in minoribus furtum committitur.

Fur autem non solum in maioribus, sed in minoribus etiam iudicatur.

Non enim, quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur.

Quomodo in fornicatione non idcirco diuersa sit fornicatio si mulier pulcra aut deformis, ancilla aut ingenua, paupera aut opulenta sed qualiscumque illa fuerit, una est fornicatio ita in furto, quantumcumque quis abstulerit, furti crimen incurrit.

#### **CAUSA XV.**

##### **GRATIANUS.**

Clericus quidam crimine carnis lapsus esse perhibetur ante, quam sacerdotalem benedictionem consequeretur.

Postquam uero sacerdotium adeptus est, in furorem uersus quendam interfecit.

Recuperata uero sanitate apud episcopum accusatur ab ea, cum qua lapsus esse dicitur.

Episcopus autem die dominico causam examinat.

Sacerdos inficiatur crimen sibi illatum; quorundam clericorum sibi patrocina querit; illi uero non sine precio sibi patrocinantur; tandem episcopus questionibus confessionem extorquet; demum solus et absque sinodali audientia illum sententia ferit.

(Qu. I).

Queritur autem, an ea, que mente alienata fiunt, sint inputanda?

(Qu. II).

Secundo, an pro inpensis patrociniis liceat clericis munera exigere?

(Qu. III).

Tertio, an ex mulieris confessione iste sit condempnandus?

(Qu. IV).

Quarto, an die dominico eius causa sit uentilanda?

(Qu. V).

Quinto, an sibi neganti purgatio sit deferenda? (Qu. VI).

Sexto, an eius confessio cruciatibus sit extorquenda? (Qu. VII).

Septimo, an absque sinodali audientia episcopus ualeat sacerdotem dampnare?

(Qu. VIII).

Octauo, si sponte confessus aut ab aliis conuictus fuerit, quod ante ordinationem peccauerit, an suscepti ordinis offitium sibi exequi liceat?

#### **QUESTIO I.**

**GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem ea, que alienata mente fiunt, non sint inputanda, facile uidetur posse probari.

Peccata namque alia penes uoluntatem animi, alia circa naturæ infirmitatem uidentur consistere.

Est autem uoluntas, ut Augustinus ait in libro 1. retractationum, [cap. 15]. animi motus ad aliquid uel non imitandum, uel adipiscendum.

Quod propterea dictum est, ut hac diffinitione uolens a nolente discerneretur.

§. 1. Ex uoluntate itaque peccata procedunt, que libero mentis arbitrio et delinquendi proposito committuntur.

§. 2. Porro infirmitas alia est animi, alia carnis.

Infirmitas animi est ignorantia; carnis infirmitas est concupiscentia.

Ex utraque autem infirmitate que procedunt inputantur ad penam.

Unde de quibusdam ignorantibus dictum est: “Si quis ignorat, ignorabitur”.

Tales erant illi, de quibus Christus ait apostolis: “Extra sinagogam facient uos, quia arbitrabuntur obsequium se prestare Deo”.

De eisdem etiam Apostolus scribit in epistola ad Romanos: “Testimonium illis perhibeo, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam”.

Nullum tamen eorum in sua perfidia perseuerantem hec ignorantia excusat.

Ex carnis infirmitate procedunt que naturæ languore fiunt, que, nisi inputarentur ad penam, nequaquam Apostolus lege carnis grauatus diceret: “Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? etc.”.

Siue ergo penes uoluntatem, siue penes infirmitatem peccata consistant, semper inputantur ad penam.

§. 3. Cui sententiæ illud Augustini de uera religione

contrarium esse uidetur: “Usque adeo peccatum uoluntarium malum est, ut nisi sit uoluntarium nullo modo sit peccatum, et hoc quidem adeo manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat”.

Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est cum uoluntate committi.

§. 4. Sed hoc non generaliter de omnibus peccatis intelligendum esse, idem Augustinus in 1. libro retractionum [cap. 13]. ostendit, dicens: “Usque adeo peccatum uoluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit uoluntarium.

§. 5. Potest uideri falsa hec diffinitio; sed si diligenter excutiatur, inuenitur uerissima.

Peccatum illud quippe cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pena peccati.

Quamuis et illa, que non inmerito non uoluntaria peccata dicuntur, quia uel a nescientibus, uel coactis perpetrantur, non omnino possint non uoluntaria dici”.

Idem in eodem: [libro c. 15]. “Diffinitio peccati quam diximus: Peccatum est uoluntas retinendi uel consequendi quod iustitia uetat unde liberum est abstinere, propterea uerum est, quia id diffinitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pena peccati”.

C. I. Non sunt peccata uolentium, nisi nescientium.

Idem in libro [IV]. questionum. [qu. 24. ad c. 15. Numerorum]

Merito queritur, que sunt peccata nolentium?

utrum que a nescientibus committuntur, an etiam possit recte dici peccatum esse nolentis, quod facere compellitur?

Nam et hoc contra uoluntatem dici solet; sed utique uult propter quod facit; tamquam si periurare nolit, et facit cum uult uiuere, si quisquam, nisi fecerit, mortem minetur.

Vult ergo facere, quia uult uiuere, et ideo non per se ipsum appetit, ut falsum iuret, sed ut falsum iurando uiuat.

Quod si ita est, nescio, utrum possint ista dici peccata nolentium, qualia hic dicuntur expianda.

Nam si diligenter inspiciatur, forte ipsum peccare nemo uelit, sed propter aliud quod uult peccat.

Omnes quippe homines, qui scientes faciunt quod non licet, uellent licere.

Usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex eo consequitur.

Hec si ita se habent, non sunt peccata nolentium, nisi nescientium, que discernuntur a peccatis uolentium.

[[C. II].

Digestorum titulo de iniuriis. [I. 3].

Illud relatum pereque est, eos, qui iniuriam pati possunt, et facere posse.

Sane sunt quidam, qui facere non possunt, utputa furiosus, et inpubes, qui doli capax non est.

Namque hi pati iniuriam solent, non facere.

Cum enim iniuria ex affectu facientis consistat, consequens erit dicere, hos, siue pulsent siue conuicium dicant, iniuriam fecisse non uideri.

Itaque pati quis iniuriam, etiamsi non sentiat, potest; facere uero nemo, nisi qui scit se iniuriam facere, etiam si nesciat cui faciat.

Quare si quis per iocum percutiat, aut dum certat, iniuriarum non tenetur.

Si quis liberum hominem ceciderit, dum putat seruum suum, in ea causa est, ne iniuriarum teneatur.

Gratian. Ut itaque, ex premissis apparet, siue ex uoluntate siue ex infirmitate peccata procedant, palam est illa inputari.

Sed carnis infirmitas dupliciter intelligitur.

Est enim languor naturæ, qui carnis concupiscentia appellatur, que uerius animæ infirmitas dici potest, sed ideo carnis infirmitas dicitur, quia accidit animæ ex coniunctæ carnis corruptione.

Porro alia est infirmitas, que proprie carnis dicitur, qua (elementorum seu humorum concordia turbata) caro ipsa afficitur, et tandem dissoluitur.

§. 1. Similiter animi infirmitas duplex est: una, que uicium appellatur, qua anima a Deo separatur, ut est ira, odium, et alia huiusmodi; alia infirmitas animæ, que, cum ipsa non sit peccatum, est tamen pena, et causa peccati, ut est obliuio et ignorantia.

Furor autem, cum non sit peccatum, est tamen pena peccati, ut febris et ceteræ passiones, quas proprie carnis dicimus esse, quarum motus, id est ea, que illis perturbantibus fiunt, nulli inputantur ad penam.

§. 2. Sed obicitur de Lamech, qui, cum cecus esset, Cain interfecit, nec eum excusauit cecitatis infirmitas.

Unde dictum est: “Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech septuagies septies”.

Sed cecitas ignorantiae similis est.



§. 3. Ex utraque enim quedam fiunt, que inputantur, quedam uero que minime. Cecus namque, si debitum suæ uxori se credens reddere alienam polluit, non est reus adulterii.

Si autem ludo, uel exercitatione uirium, uel uenatione iaculum mittens aliquem perimat, quia ab eo hoc penitus debet esse alienum, homicidii reus habetur.

Mens uero alienata furore, cum sui compos non sit, eorum, que admittit, reatum non contrahit, quia facultatem deliberandi non habuit.

Unde pupillo et furioso in maleficiis subuenitur, ut non eis inputentur ad penam que ex mentis deliberatione non processerunt.

Quod non solum humanis, sed etiam diuinis legibus noscitur adprobatur.

Ait enim Augustinus de paruulis: [in lib. de fide ad Petrum Diaconum, cap. 30].

[[C. III].

“Firmissime tene et nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum uitam eternam, qui non hic a malis suis fuerit per penitentiam fidem que conuersus, et per sacramentum fidei et penitentiæ, id est per baptismum, liberatus; et maioribus quidem necessarium esse et penitentiam de malis suis agere et fidem catholicam secundum regulam ueritatis tenere, et sacramentum baptismatis accipere: paruulis uero, qui necdum propria uoluntate credere, nec penitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere possunt, sacramentum fidei, quod est sanctum baptisma, quamdiu rationis eorum etas capax esse non potest, sufficere ad salutem”.

[Gratian.] Ex eo autem, quod in fine huius auctoritatis dicitur: “Quamdiu scilicet rationis eorum etas capax esse non potest,” euidenter datur intelligi, nulli post baptismum peccata inputari, siue sit adultus siue inpubes, nisi rationis sit capax.

Unde etiam de brutis animalibus eadem ratio ab Augustino in eodem libro [c. 3]. redditur, quare sua facta eis non inputentur: “Animalia, inquit, enim seculi presentis cursum aut ornatum secundum creatoris incomprehensibilem uoluntatem peragunt, que de suis factis nullam rationem redditura sunt, quia rationabilia non sunt.

Numquid enim de bubus cura est Deo? Homines uero, quia rationales sunt facti, et de se, et de omnibus rebus, quas in usum uitæ presentis acceperunt, rationem reddituri sunt Deo et pro suorum actuum qualitate recipient aut penam aut gloriam”.

Sacræ tamen legis auctoritate animalia iubentur interfici, non propter conscientiam peccati, sed quia refricant memoriam facti.

Unde Augustinus super Leuiticum: [ad. c. 20. quæst. 74].

C. IV. Non propter culpam, sed propter memoriam facti pecus occiditur, ad quod mulier accedit.

Mulier que accesserit ad omne pecus ascendi ab eo, interficietis mulierem et pecus; morte moriatur.

Rei enim sunt.

§. 1. Queritur, quomodo sit reum pecus, cum sit irrationabile, nec ullo modo capax legis est?

Item:

Pecora inde credendum est iussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam.

## II. Pars.

Gratian. De furiosis autem euidentissime scribit Augustinus in libro questionum ueteris et noui testamenti, [qu. 2. in fine] ita dicens:

**C. V.** Culpa non necessitate, sed uoluntate reum constringit.

Aliquos scimus subito dementes factos ferro, fuste, lapidibus, morsibus, multos nocuisse, quosdam et occidisse, captos autem industria et iudiciis oblatos minime reos factos, eo quod non uoluntate, sed inpellente ui nescio qua hec gesserint nescientes.

Quomodo enim reus constituitur qui nescit quod fecerit?

**C. VI.** Reus uoluntate, non necessitate constringitur.

Item Ambrosius in Exameron, in tractatu primi diei.

Illa cauenda sunt, que ex nostra uoluntate prodeunt delicta iuuentutis et irrationabiles corporis passionibus.

Quorum igitur nos sumus domini, eorum principia extrinsecus non requiramus, nec deriuemus in alios, sed agnoscamus ea, que proprie nostra sunt.

Quod possumus non facere, si uolumus, huius electionem mali potius nobis debemus ascribere quam aliis.

Ideo etiam in iudiciis istiusmodi uoluntarios reos, non necessitate compulsos culpa constringit, pena condempnat.

Neque enim, si per furorem aliquis innocentem perimat, obnoxius morti est, quin etiam ipsius legis diuinæ oraculo, si quis per inprudenciam intulerit necem, accipit inpunitatis spem, refugii facultatem, ut possit euadere.

Hoc igitur de eo, quod proprie malum uidetur, dictum sit.

Mala enim non sunt, que nec crimine mentem implicant, nec conscientiam ligant.

Unde paupertatem et ignobilitatem, egritudinem, mortem, nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numerauerit.

**C. VII.** Veniam habent que ignorantibus ebrii committunt.

Idem in libro de patriarchis. [c. 6. libro de Abraham].

Sane discimus uitandam ebrietatem, per quam crimina cauere non possumus.

Nam que sobrii cauemus per ebrietatem ignorantibus committimus.

§. 1. Nesciunt quid loquantur qui nimio uino indulgent, iacent sepulti, ideo que, si qua per uinum deliquerint, apud sapientes iudices uenia quidem facta donantur, sed leuitatis dampnantur auctores.

**C. VIII.** Inobedientia uel concupiscentia non habet culpam in corpore non consentientis.

Item Augustinus I. libro de ciuitate Dei. [c. 25].

Si concupiscentia uel inobedientia, que adhuc in membris moribundis habitat, preter nostræ uoluntatis legem quasi lege sua mouetur, si absque culpa est in corpore dormientis, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis.

**C. IX.** Loth non de incestu, sed de ebrietate culpatur.

Idem contra Faustum, libro II.

Inebriauerunt Loth filia eius, et se nescienti miscuerunt.

Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum ebrietas illa meretur.

C. X. Nemo trahitur ad culpam, nisi ductus propria uoluntate.

Item Ambrosius de beata uita.

Non est quod cuiquam nostram ascribamus erumpnam, nisi nostræ uoluntati.

Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi uoluntate propria deflexerit.

Non habent crimen que inferuntur reluctantibus.

Voluntaria tantum commissa sequitur delictorum inuidia, quam in alios deriuamus.

Voluntarium sibi militem elegit Christus, uoluntarium sibi seruum diabolus actionatur.

Neminem iugo seruitutis astrictum possidet, nisi se ei prius peccatorum ere uendiderit.

C. XI. Minister Dei est qui inuitus homicidium facit.

Idem de paradiso in libro.

Nec is, qui inuitus fecerit aliquod homicidium, extra ministerium est.

Siquidem lex ait de eo: “Quia Deus dedit eum in manus eius”.

Manus ergo eius instrumenti modo diuinæ ultioni ministerium prebuerunt.

Leuita igitur minister remissionis est.

Percussor autem, qui non ex dispositione, sed preter uoluntatem fecerit homicidium, diuinæ minister est ultionis.

§. 1. Illud quoque specta, quia, cum interficitur inpius, Christus infunditur, et, ubi abhominatio aboletur, sanctificatio consecratur, quia Dominus dixit: “In ea die, qua interfecero omne Israël”.

Quod non refertur ad unum diem afflictionis Egypti, sed ad omne tempus.

Gratian. Cum itaque qui inuitus hominem interfecerit minister Dei sit, cum innocentem furore perimens morti nequaquam obnoxius sit, cum subito dementes eorum, que faciunt, reatum minime gement, patet hunc sacerdotem homicidii reum non esse, unde nec sacerdotio priuari debet.

§. 1. Obicitur autem illud, quod inuenitur in penitenciali Theodori:

C. XII. In se reuersus penitentiam agat qui insaniens aliquem occiderit.

Si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem peruenerit, leuior ei penitentia inponenda est.

Gratian. Sed hoc forte de eo intelligitur, quem propria culpa ad furorem perduxit.

§. 1. Item obicitur: Sunt quedam, que, etsi non inputentur ad penam, tamen inpediunt sacramenti signaculum.

Ambicio namque parentum filio non inputatur ad penam, cui tamen obest ad ecclesiæ munus accipiendum.

Sic que mente alienata fiunt, etsi non inputentur ad penam, tamen sacri muneris executionem inpediunt.

Unde Ieronimus ait:

C. XIII. Innocens est qui non iratus, sed propter disciplinam aliquem casu perimit.

Si quis non iratus, sed propter disciplinam palmam alicui dederit, et casu occiderit, sicut fieri solet, quantum ad gratiam, innocens est, quia uoluntatem, non opus requirit.

Quantum autem ad legem, reus est, quia opera querit.

§. 1. Item si in persecutione uirgo fuerit obpressa, repellitur lege, quia opus inspicit, non uoluntatem; in gratia autem quasi uirgo suscipitur, quia non opera querit, sed uoluntatem.

Gratian. Sicut ergo qui propter disciplinam casu homicidium facit, quantum ad legem, reus est, quantum ad gratiam, innocens, sic iste sacerdos, qui furore homicidium fecit,

quantum ad culpam, innocens est, quantum ad suscepti muneris executionem, reus probatur.

§. 1. His ita respondetur: Non omnia, que ordinandum impediunt, ordinatum deiciunt; non enim potest ad sacerdotium prouehi qui aliquando insaniuit.

Verumtamen, si post sacerdotium furere ceperit, non ideo sacerdotio carebit, nisi forte numquam ad sanæ mentis offitium illum redire contingat.

Sicut de quodam episcopo Gregorius scribit in registro ad Eleuterium Episcopum: “Quamuis triste sit nobis etc.”

ut supra: “Longa inualetudine grauatus episcopus”.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Pro inpensis uero patrociniis Terraconensi Concilio clerici munera exigere prohibentur, in quo sic statutum legitur: [c. 10].

C. I. Pro patrociniis inpensis clericus munera exigere non debet.

Obseruandum quoque decernimus, ne quis sacerdotum uel clericorum more secularium iudicum pro inpensis patrociniis munera audeat accipere, nisi in ecclesia gratuito oblata, que non fauore muneris uideantur accepta, sed collatione deuotionis illata.

Quod si quesita probatur accipere, ueluti exactor fenoris aut usurarum possessor secundum statuta Patrum se nouerit degradandum.

Gratian. Hoc autem de illis intelligendum est, qui canonicam uitam professi regulariter se uicturos proposuerunt.

Generali namque ecclesiæ consuetudine receptum est et moribus approbatum, ut clerici more aduocatorum patrocinia inpendant, et pro inpendendis munera exigant, et pro inpensis suscipiant.

## QUESTIO III.

### GRATIANUS.

Tertio queritur, an ex mulieris confessione iste sit condempnandus?

In quo primum uidendum est, an mulier sacerdotem accusare ualeat?

Quod sacris canonibus omnino uidetur esse prohibitum.

Generaliter enim statutum est ex decretis Fabiani Papæ, ut sacerdotes Domini non accusent, nec in eos testificentur, qui sui ordinis non sunt, nec esse possunt.

Mulieres autem non solum ad sacerdotium, sed nec etiam ad diaconatum prouehi possunt, unde nec sacerdotes accusare, nec in eos testificari ualent.

Legibus quoque cautum est, ut ob uerecundiam sui sexus mulier apud pretorem pro alio non intercedat, nisi forte suas uel suorum iniurias persequi maluerit.

Hec autem, que nec suas, nec suorum iniurias persequitur, ad hanc accusationem admitti non debet.

§. 1. Econtra qui iudicis personam gerere ualeat ab accusatoris offitio non remouetur.

Mulieres autem in ueteri testamento populum iudicasse, quicumque librum Iudicum legerit ignorare non poterit.

Non itaque ab accusatione remoueri possunt quas etiam iudicis personam frequenter gessisse constat, nec ulla serie diuinarum scripturarum ab accusatione prohibentur.

§. 2. His ita respondetur: In ueteri lege multa permittebantur, que hodie perfectione gratiæ abolita sunt.

Cum enim mulieribus permetteretur populum iudicare, hodie pro peccato, quod mulier induxit, ab Apostolo eis indicitur uerecundari, uiro subditas esse, in signum subiectionis uelatum caput habere.

Que ergo his omnibus uiro subiecta ostenditur, cui pro alio postulare non conceditur, ad accusationem admittenda non uidetur.

§. 3. Econtra, quamquam passim et indifferenter ad accusationem mulier non admittatur, sunt tamen quedam crimina, quorum accusationem mulier subire non prohibetur.

Unde in libro Codicis [IX., tit. 1. l. 12]. Inp. Diocletianus scribit, dicens:

[[C. I].

“De crimine, quod publicorum fuerit iudiciorum, mulieri accusare non permittitur, nisi certis ex causis, id est si suam suorum que iniuriam persequatur, secundum antiqui iuris statuta tantum, de quibus specialiter eis concessum est, non exacta subscriptione.

Unde aditus preses prouinciæ in primis examinabit an tale sit crimen, cuius accusationem mulier subire non prohibetur”.

[[C. II].

Item in libro Digestorum, Paulus libro II. de adulteriis. [tit. de testibus, l. 18].

“Ex eo, quod prohibet lex Iulia de adulteriis testimonium dicere condempnatam mulierem, colligitur etiam mulieres testimonium dicendi in iudicio ius habere”.

Item de accusationibus et inscriptionibus, lege 1.:

§. 1. “Non est permissum mulieri publico iudicio quemquam reum facere, nisi scilicet parentum liberorum que, et patroni et patronæ, et eorum filii filiæ ue, nepotis neptis ue mortem exequatur”.

[[C. III].

Paulus libro 1. de adulteriis.

“Certis de causis concessa est mulieribus publica accusatio, ueluti si mortem exequantur eorum earum que, in quos ex lege testimonium publicorum inuitæ non dicant”.

§. 1.

Idem et in lege Cornelia testamentaria senatus statuit; sed et de testamento paterni liberti uel materni mulieribus publico iudicio dicere permissum est.

§. 2. “Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillæ aui sui mortem exequi, concessum est lege testamentaria.

Nam de patris quidem testamento pupillis agere diuus Vespasianus permisit.

Sed etsi non exhibeantur tabulæ, per interdictum possunt experiri”.

Codice qui accusare possunt uel non, idem Augustus Dionisio:

“Uxor tua, si consobrini sui necem uindicandam existimat, adeat presidem prouinciæ”.

Digestis ad legem Iuliam maiestatis, [lege 8.,] Papinianus libro 12.

Responsorum:

§. 3. “In questionibus lesæ maiestatis etiam mulieres audiuntur.

§. 4. Coniurationem Sergii Catilinæ Iulia mulier detexit, et M. Tullium consulem iudicium eius instruxit”.

[Gratian.] Quecumque uero persona ad accusationem publicorum iudiciorum uel lesæ maiestatis admittitur, eadem accusationem symoniæ subire non prohibetur. Unde in primo Codicis libro Inp. Leo Augustus Armasio, Prefecto Pretorii:

**C. IV.** Lesæ maiestatis, et publicorum iudiciorum, et symoniæ accusatio equaliter proponatur.

Sane quisquis hanc sanctam et uenerandam antistitis sedem pecuniæ interuentu subisse, aut si quis, ut alterum ordinaret uel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis et lesæ maiestatis accusatione proposita, a gradu sacerdotis retrahatur.

Nec hoc solum deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoque infamiæ dampnari decernimus, ut facinus quos par coinquinat et equat, utrosque similis pena comitetur.

Gratian. Cum autem sacris canonibus accusationes omnino submoueantur, quas leges seculi non asciscunt, e diuerso uidentur admittendæ que legibus seculi non prohibentur.

Verum hoc non infertur.

Quicumque enim clericorum nuptias sacris canonibus contrahere prohibentur, et legibus inperatorum.

Non autem consequenter omnium copulam leges admittunt, quorum coniunctionem sacri canones non prohibent; legibus enim soli cantores et lectores, canonibus autem etiam acoliti uxores ducere possunt.

Quamuis igitur sacris canonibus submoueantur accusationes, quas leges seculi non asciscunt, non ideo consequenter recipiuntur quascumque leges principum admittunt.

§. 1. Sed (sicut circa huius operis initium premissum est) tocies legibus inperatorum in ecclesiasticis negociis utendum est, quociens sacris canonibus obuiare non inueniuntur.

Unde aut specialiter sacris canonibus mulier ab accusatione lesæ maiestatis et symoniæ ostendatur prohibita, aut premissis rationibus ad huiusmodi accusationem admittenda probatur.

§. 2. Nec quisquam distinguere querat, ad aliorum, non ad sacerdotum accusationem in hoc casu symoniæ mulieres esse admittendas.

Cum enim generaliter legibus hoc eis permissum inueniatur, nisi quis specialiter aliqua lege hoc prohibitum ostenderit, eius distinctio locum non habebit.

Verum, cum contra regulas generales quedam crimina specialiter excepta sint, in quibus mulieri accusare permittitur, inter que fornicatio non numeratur, patet, quod huius accusatio duppliciter infirmatur, et quia fornicationis crimen intendit, et quia, dum de se confitetur, super alienum crimen ei credi non oportet.

Unde Iulius Papa scribit, [in decretis, c. 18.,] dicens:

**C. V.** Rei confessio aduersus quemlibet admitti non debet.

Nemini (preterquam de crimine maiestatis) de se confesso super alienum crimen credi oportet, quoniam eius atque omnis rei confessio periculosa est, et admitti aduersus quemlibet non debet.

Gratian. Quia ergo ista de se confitetur, super alienum crimen ei credi non potest, sed contra eam sua confessio interpretanda est.

## QUESTIO IV.

### GRATIANUS.

Quod uero die dominico nec episcopo, nec presbitero causam uentilare aliquam liceat in Terraconensi Concilio prohibetur in quo sic statutum est: [c. 4].

**C. I** Ministri ecclesiæ die dominico causas uentilare non debent.

Nullus episcoporum aut presbiterorum uel clericorum die dominico propositum cuiuscumque causæ negocium audeat uentilare, nisi hoc tantum, ut Deo statuta solempnia peragant.

Ceteris uero diebus, conuenientibus personis, illa, que iusta sunt, habent licentiam iudicandi, excepto criminali.

**C. II.** Sollemnibus diebus et ieiuniorum legitimorum secularia placita non agantur.

Item ex Concilio apud Erphesfurt, habito presente Rege Heinrico.

Placita secularia dominicis diebus, uel aliis precipuis festis, seu etiam in his diebus, in quibus legitima ieiunia celebrantur, secundum canonicam institutionem minime decreuimus fieri.

Insuper etiam sancta sinodus decreuit, ut nulla iudiciaria potestas licentiam habeat sua auctoritate Christianos ad placitum bannire in supradictis diebus, id est septem diebus ante natale Domini usque in octauas epiphaniæ, et a quinquagesima usque ad octauas paschæ, et septem diebus ante natiuitatem sancti Iohannis Baptistæ, quatinus adeundi ecclesiam orationibus que uacandi liberius habeatur facultas.

**C. III.** De eodem.

Item Adrianus Papa. [in capitulis, c. 64].

Nullus episcopus uel infra positus die dominico causas iudicare presumat.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

Purgationem uero neganti prestandam, Stephanus scribit Leoni, Thianensi Episcopo:

**C. I.** Diaconus, si de crimine conuinci non poterit, apud episcopum se ipsum secreto purificet.

De crimine sibi illato diaconus tuus uerissime fatebatur se immunem.

Verumtamen si suspicio habetur, et accusatores ydonei reperiuntur, et testes, quales sacri canones sanciant, accito te cum certo episcoporum numero ueniant accusatores, uocetur et ipse Aldericus diaconus, et, si negauerit, uentiletur causa canonice, et, si uel sponte confessus, uel legitimis testibus fuerit approbatus, canonica feriat sententia.

Quod si nec sponte confitetur, nec accusatores et testes legitimi reperti fuerint, et mala fama crebrescit, non publico examine, sed coram te, et aliquantis reuerentissimis presbiteris et diaconibus tuæ ecclesiæ secreto iuramento se purificet.

Et deinceps boni testimonii eum annuncia, et conpesce et connone ecclesiæ tuæ filios, ne sacerdotem Dei ulterius infamare presumant, timentes, quod Cam maledictus est, qui uerenda patris derisit.

**C. II.** Non est spoliandus presbiter uel diaconus, nisi sponte confessus aut legitime conuictus fuerit.

Item Nicolaus Salomoni Constantiensi Episcopo.

Presbiter aut diaconus, quem asseris crimina nolle publice confiteri, sed uelle cum sacramento defendere se, et si tamen notum sit episcopo esse scelus ipsius perpetratum, non potest per aliquam penitentiam sacerdotali uel diaconali offitio potiri.

Sed mirandum, si ipse confessus non fuerit, quomodo notum possit esse episcopo scelus ab ipso perpetratum, nisi accusatore forte ydoneo per testes ydoneos approbante.

Unde si examinante episcopo causam presbiteri uel diaconi non fuerit per testium approbationem presbiter uel diaconus forte conuictus, non est scelus episcopo legitime manifestum, nisi sua sponte ipsum confiteatur.

Quod nisi fecerit, interim non uidemus suo debere presbiterum uel diaconum offitio priuari.

Sola ergo spontanea confessio, et canonicus numerus, uel qualitas testium (decernentibus episcopis, et accusatore quod obiecerat conprobante) clericum priuat proprio gradu.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero confessio cruciatibus extorquenda non sit, Alexander Papa testatur, scribens omnibus orthodoxis: [epist. I. cap. 2].

**C. I.** Ministrorum confessio non sit extorta, sed spontanea.

Si sacerdotibus uel auctoribus ecclesie quedam scripturae quoquo modo per metum aut fraudem, aut per uim extortae fuerint, uel, ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptae aut roboratae fuerint ingenio, ad nullum eis preiudicium uel nocumentum ualere censemus, neque ullam eos infamiam uel calumpniam, aut a suis sequestrationem bonis umquam, Deo auctore et sanctis apostolis eorum que successoribus, sustinere permittimus.

Confessio enim in talibus non compulsata, sed spontanea fieri debet.

§. 1. Omnis enim confessio, que fit ex necessitate, fides non est.

§. 2. Confessio ergo in talibus non debet extorqueri, sed sponte profiteri.

Pessimum enim est de suspitione aut extorta confessione quemquam iudicare, cum magis cordis inspector sit Dominus, quam operis.

§. 3. Non potest autem humano condempnari examine quem Dominus suo reseruauit iudicio.

Si omnia namque in hoc seculo uindicata essent, locum diuina iudicia non haberent.

Item:

§. 4. Est etiam hoc perlatum ad sanctam sedem (quod pudeo dicere, et non solum sacerdotali, sed etiam omni Christiano nomini est inimicum), id est quod nonnulli episcopos uel sacerdotes aut metu compellunt, aut ui extorquent, aut fraude decipiunt, aliquas confessionis suae in alteram partem, quam debeant, litteras scribere, aut pro suarum non requisitione causarum, aut (quod deterius est) alieni erroris sectae scripturas facere, et propriis manibus roborare, et coram populis recitare atque confiteri.

Alios dicunt carceribus et ergastulis retrudi, ut saltem his territi insidiis Domini sacerdotes, suis faueant uoluntatibus.

Item:



§. 5. Confessio uero in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso testante, qui ait: “Ex corde procedunt homicidia, adulteria,” et cetera, que sunt ad hec pertinentia.

§. 6. Nec tantum, attendenda sunt que fiant, quantum quo animo fiant.

§. 7. Amplius enim respicit Deus ad cogitationes et spontaneas uoluntates, quam ad actus, qui per simplicitatem aut necessitatem fiunt.

### C. II. Auctoritas apostolica penitus illicita in irritum deducit iuramenta.

Item Nicolaus Papa Episcopis Galliæ.

Auctoritatem uenerabilium predecessorum nostrorum secuti, et nominatim beatissimi Papæ et martiris Alexandri a beato Petro quinti, ab omnibus iuramentis et cuiuscumque modi obligationibus, quibus illi se coacti in piorum uolentia obligauerant, absoluimus, et ne illa seruentur uetuimus tam prefatum archiepiscopum Treuerensem, quam eius prepositum, et omnes, qui tunc temporis capti se illis quoquo modo obligauerunt, neque ullam eos proinde infamiam uel calumpniam, aut a suis bonis sequestrationem umquam, Deo auctore, et sanctis apostolis et nostris predecessoribus, sustinere permittimus, sicut per Prophetam Dominus dicit: “Dissolue colligationes impietatis et cetera”.

Quin etiam prefato fratri nostro, filiis que Treuerensis ecclesiæ, illius que defensoribus hec in mandatis damus, ut spirituali simul et materiali gladio tamdiu malignos illos eorum que fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, uel quecumque res ecclesiasticæ hoc facto uel quocumque pacto distractæ sunt seu direptæ reuocentur.

## II. Pars.

Gratian. A fidelitatis etiam iuramento Romanus Pontifex nonnullos absoluit, cum aliquos a suis dignitatibus deponit.

Unde Gelasius Papa Anastasio Imperatori:

### C. III. Pontificalis auctoritas a iuramento fidelitatis nonnullos absoluit.

Alius item Romanus Pontifex, Zacharias scilicet regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit, et Pipinum, Karoli imperatoris patrem, in eius loco substituit, omnes que Francigenas a iuramento fidelitatis absoluit.

Quod etiam ex frequenti auctoritate agit sancta ecclesia, cum milites absoluit a uinculo iuramenti, quod factum est his episcopis, qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur.

### C. IV. Excommunicati uinculo fidelitatis non tenentur obnoxii.

Item Gregorius VII. Romanæ Sinodo presidens dixit.

Nos, sanctorum predecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate a sacramento absoluimus, et ne sibi fidelitatem obseruent modis omnibus prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem ueniant.

### C. V. Ante, quam reconcilientur, fidelitatem excommunicatis nullus seruare cogitur.

Item Urbanus II. Episcopo Vapicensi.

Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, seruiant, prohibeto.

Qui si sacramenta pretenderint, moneantur, oportere Deo magis seruire quam hominibus.

Fidelitatem enim, quam Christiano principi iurarunt, Deo eius que sanctis aduersanti, et eorum precepta calcanti, nulla cohibentur auctoritate persoluere.

## QUESTIO VII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Absque sinodali uero audientia sacerdotem dampnari, in Spalensi Concilio, cui Ysidorus interfuit, [cap. 6]. sic prohibetur:

**C. I.** Sine concilii examine presbiter uel diaconus non deiciatur.

Sexta actione conperimus, Fragitanum Cordubensis ecclesiæ presbiterum iniuste olim a pontifice suo deiectum, et innocentem exilio condempnatum.

Quem rursus ordini suo restitutum esse, id denuo aduersus presumptionem uestram decreuimus, ut iuxta sanctorum Patrum sinodalem sententiam nullus uestrum sine concilii examine quemlibet presbiterum uel diaconum deiciendum putet.

Nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica dampnant.

Et sicut nonnullos gratia fauoris sublimant ita quosdam odio inuidia que humiliant, et leui opinionis aura condempnant quorum crimen non approbant.

Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, solus auferre non potest.

Si enim hi, qui in hoc seculo a dominis suis honorem adepti sunt libertatis, in seruitutis nexum non reuoluuntur, nisi publice apud pretores tribunali foro accusati fuerint, quanto magis hii, qui diuinis altaribus consecrati honore ecclesiastico decorantur?

Qui profecto nec ab uno dampnari, nec uno iudicante poterunt honoris sui priuilegio exui, sed, presentati sinodali iudicio, quod omnino de illis canon preceperit oportet diffiniri.

**C. II.** Causas clericorum episcopus non nisi cum senioribus ecclesiæ audiat.

Item Gregorius Iohanni Episcopo Panormitano. [lib. XI. epist. 49].

Si quid igitur de quocumque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iuste possit offendere, facile non credas, nec te ad uindictam res accendat incognita, sed presentibus ecclesiæ tuæ senioribus diligenter est perscrutanda ueritas, et tunc, si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis.

**C. III.** A quot episcopis presbiteri uel diaconi sunt audiendi.

Item ex Concilio Cartaginensi I. [c. 11].

Si quis tumidus uel contumeliosus extiterit in maiorem natu, uel aliquam causam habuerit, a tribus uicinis episcopis, si diaconus est, qui arguitur, si presbiter est, a sex, si episcopus, a duodecim consacerdotibus audiatur.

Uniuersi episcopi dixerunt: Contundi debet contumacia et superbia in omnibus frangi.

Causæ uero pro personis ab his statuto numero audiantur.

**C. IV.** De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi II. [c. 10]

Felix episcopus Selemselitanus dixit: Etiam hoc adicio secundum statuta ueterum conciliorum, ut, si quis episcopus (quod non optamus) fieri reatum aliquem incurrerit, et si fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare episcopos, ne in crimine maneat, a duodecim episcopis audiatur, et a sex presbiter, et a tribus diaconus, cum proprio suo episcopo.

**C. V. De eodem.**

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 8].

Si autem presbiteri uel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex uicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est una se cum in presbiteri nomine sex, in diaconi tres qui ipsorum causas discutiant eadem dierum et dilatione, et a communione remotionum, et discussione causarum, inter accusatores et eos, qui accusantur, forma seruata.

Reliquorum uero clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat.

## **II. Pars.**

Gratian. Solus autem ad exclusionem aliorum episcoporum, non suorum clericorum dicitur, sine quorum presentia eius sententia irrita erit.

Unde in Cartaginensi Concilio IV. [c. 23]. legitur.

**C. VI. Absque clericorum presentia episcopus nullius causam audiat.**

Episcopus nullius causam audiat absque presentia suorum clericorum; alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi presentia clericorum firmetur.

**C. VII. Nisi in sinodo canonice uocati sacerdotes dampnari non possunt.**

Item ex Concilio Spalensi II. [c. 6].

Episcopus sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, sed solus auferre non potest.

Si enim hii, qui in seculo a dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in seruitutis iugum non reuoluuntur, nisi publice apud pretores ac presides tribunali foro fuerint accusati, quanto magis hii, qui diuinis altaribus consecrati, honore ecclesiastico decorantur?

Qui profecto nec ab uno dampnari, ne uno iudicante poterunt honoris sui priuilegiis exui, se presentati sinodali iudicio, quid canon de illis preceperit diffiniri.

## **QUESTIO VIII.**

### **GRATIANUS.**

De ultima uero questione sic statutum est in Concilio Neocesariensi: [c. 9. et 10].

**C. I. Presbiter, qui confitetur, se ante ordinationem corporaliter lapsum, postea non offerat.**

Qui admiserit corporale peccatum, et hic postea presbiter ordinatus est, si confessus fuerit quod ante ordinationem suam peccauerit, non quidem offerat, maneat autem in aliis offitiis propter eius studii utilitatem.

Cetera uero, peccata censuerunt plurimi etiam ordinatione priuari.

Quod si de his non fuerit confessus, nec aliquibus potest manifeste conuinci, huic ipsi potestas de se est committenda.

Similiter et diaconus, si in eodem culpæ genere fuerit inuolutus, sese a ministerio cohibebit.

**C. II.** Deseruientes altario si carnis fragilitate deliquerint, episcopi arbitrio subiacebunt.

Item ex Concilio Ylerdensi. [c. 5].

Hii, qui altario Dei deseruiunt, si subito in flenda fragilitate carnis corruerint, et Deo respiciente digne penituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti Deo sacrificium offerant, maneat in potestate pontificis uel ueraciter afflictos non diu suspendere, uel desidiosos prolixiore tempore ab ecclesiæ corpore segregare; ita tamen, ut sic offitiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora offitia ulterius promoueri.

Quod si iterato uelut canes ad uomitum reuersi fuerint, non solum dignitate offitii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.

**C. III.** Ex ministris ecclesiæ geniti in seruitutem eiusdem deuocentur.

Item ex Concilio Tolletano IX. [c. 10].

Cum multæ super innocentiam ordinis clericorum hactenus emanauerint sententiæ Patrum, et nullatenus ipsorum formari quiuerit correctio morum, usque adeo sententiam iudicantium protraxere commissa culparum, ut non tantum ferretur ultio in actores scelerum, uerum etiam in progeniem dampnatorum.

Ideo que quilibet ab episcopo usque ad subdiaconum deinceps uel ex ancillæ uel ex ingenuæ detestando conubio in honore constituti filios procreauerint, illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, canonica censura dampnentur; proles autem, aliena pollutione nata, non solum hereditatem numquam accipiet, sed etiam in seruitute eius ecclesiæ, de cuius sacerdotis uel ministri ignominia nati sunt, iure perhenni manebunt.

**C. IV.** Qui confitetur se ante ordinationem peccasse non sacrificet; conuictus autem deponatur.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 35].

Si quis presbiter ante ordinationem peccauerit non offerat, sed tantum pro religione nomen presbiteri portet.

Si autem non ipse confessus fuerit, sed ab alio publice conuictus, nec hoc ipsum habeat ut nomen presbiteri portet.

Similiter et de diaconibus obseruandum est, ut, si ipsi confessi fuerint, ordinem subdiaconi accipiant.

**C. V.** De manu sacerdotis, qui ab ecclesia tolleratur, licite sacramenta sumuntur.

Item Nicolaus ad consulta Bulgarorum. [c. 71].

Sciscitantibus uobis, si a sacerdote, qui fuerit comprehensus in adulterio, siue de hoc sola fama respersus est, debeatis communionem suscipere, necne?

respondemus: Non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, sacramenta diuina polluere, que purgatoria cunctarum contagionum existunt.

Qualiscumque enim sacerdos sit, que sancta sunt coinquinari non possunt.

Idcirco ab eo, usquequo episcoporum iudicio reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona ministrando se tantummodo ledunt, et cerea fax accensa sibi quidem

detrimentum prestat, aliis uero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet inde sibi dispendium prebet.

§. 1. Sumite ergo ab omni sacerdote intrepide Christi misteria, quoniam omnia in fide Christi purgantur.

Fides enim est, que uincit hunc mundum, et quia non danti, sed accipientis sit, dicente B. Ieronimo: “Ad credendum omni animæ baptismum perfectum esse et in omni sacerdote corpus est perfectum”.

Qui rursus sacræ scripturæ concordans ait: “Prius, quam audias, ne iudicaueris quemquam,” atque ante probationem accusationis illatæ neminem a communione tua suspendas, quia non statim qui accusatur reus est, sed qui conuincitur criminosus.

## CAUSA XVI.

### GRATIANUS.

Quidam abbas habebat parrochitanam ecclesiam; instituit ibi monachum, ut officium celebraret populo; possedit eam per quadraginta annos sine aliqua interpellatione; tandem querela aduersus abbatem mouetur a clericis baptismalis ecclesiæ, in cuius diocesi parrochitana ecclesia illa consistebat.

(Qu. I).

Hic primum queritur, utrum monachis liceat officia populis celebrare, penitentiam dare et baptizare?

(Qu. II).

Secundo, si contigerit eos capellas habere episcopali beneficio, an ab eis sint instituendæ, an ab episcopis?

(Qu. III).

Tertio, an iura ecclesiarum prescriptione tollantur? (Qu. IV).

Quarto, si ecclesia aduersus ecclesiam prescribat, an etiam monasterium aduersus ecclesiam prescribere possit?

(Qu. V).

Quinto, si capellam in suo territorio edificatam iure territorii sibi uendicare ualeat?

(Qu. VI).

Sexto, si archipresbiter uel episcopus sua auctoritate, non iudicialia sententia capellam illam inrepperit, an cadat a causa, ut ecclesia, cui presidet, non ultra habeat ius reposedendi quod suus pastor illicite usurpauit?

(Qu. VII).

Septimo queritur, si laici capellam illam tenebant (ut quibusdam moris est) et in manibus abbatis eam refutauerint, et ordinandam tradiderint, an consensu episcopi et clericorum abbas possit eam tenere?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod monachi officia populis celebrare non possint, multis auctoritatibus probatur, quarum prima est illa sanctæ Nicenæ Synodi, qua dicitur:

**C. I.** Monachorum conuersatio ab omnibus debet esse discreta.

Placuit omnibus residentibus in sancta Nicena sinodo, ut monachorum conuersatio et uita secundum ethimologiam nominis ab omnibus discrepet.

Monachus enim grece, latine singularis, unde monachum per omnia singulariter agere oportet.

Quamobrem firmiter et insolubiliter omnes precipimus, ut aliquis monachus penitentiam nemini tribuat, nisi inuicem, ut iustum est; mortuum non sepeliat, nisi monachum in monasterio se cum conmorantem, uel si fortuitu quemquam aduenientium fratrum ibi mori contigerit.

**C. II.** Monasterii districtionem et ecclesiasticum ministerium quilibet simul tenere non potest.

Item Gregorius Iohanni, Rauennati archiepiscopo. [lib. IV. epist. 1].

Nemo potest ecclesiasticis obsequiis deseruire, et in monachica regula ordinate persistere, ut ipse monasterii districtionem teneat, qui cottidie in monasterio ecclesiastico cogitur permanere.

**C. III.** Monachi, qui ad clericatum promouentur, a priori proposito discedere non debent.

Item Innocentius. [ad Victricium, ep. II. c. 10].

De monachis, qui diu morantes in monasteriis si postea ad clericatus ordines peruenerint, statuimus, non debere eos a priori proposito discedere.

Gratian. Si ergo, sicut Innocentius diffinit, a suo proposito eis discedere non licet, et, sicut Gregorius testatur, in monastica regula deuote persistere et ecclesiasticis obsequiis simul deseruire non possunt: patet, quod parrochitanis ecclesiis monachi prefici non possunt.

**C. IV.** Monachus non habet docentis offitium sed plangentis.

Item Ieronimus ad Riparium et Desiderium.

Monachus non doctoris, sed plangentis habet offitium, qui uel se, uel mundum lugeat, et Domini pauidus pretoletur aduentum.

**C. V.** In populari frequentia monachi esse non debent.

Idem ad Paulinum. [de institutione monachi, epist. XIII].

Si cupis esse quod diceris, monachus, id est solus, quid facis in urbibus, que utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?

Et infra:

§. 1. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos, et serpentis astutiam, ne aliorum subplanteris insidiis.

Non multum distat in uicio uel decipere posse uel decipi.

Christianum, quem senseris tibi aut semper aut crebro de nummis loquentem, excepta elemosina, que indifferenter omnibus patet, institorem potius habeto quam monachum.

Preter uictum, et uestitum, et manifestas necessitates nichil cuiquam tribuas, ne filiorum panes canes comedant.

**C. VI.** Monachus pascitur, clerici pascunt.

Idem ad Eliodorum episcopum.

Alia causa est monachi, alia clerici.

Clerici oues pascunt: ego pascor; illi de altari uiuunt: michi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur, si munus ad altare non defero.

§. 1. Michi sedere ante presbiterum non licet.

Illi, si peccauero, licet me tradere satanæ in interitum carnis, ut spiritus sit saluus in die Domini.

C. VII. Non licet aliquid monachis agere sine presbiterorum consilio.

Idem ad Rusticum.

Ecclesia habet senatum cetum presbiterorum, sine quorum consilio nichil monachis agere licet.

Roboam filius Salomonis ideo perdidit regnum, quia audire noluit presbiteros suos.

Senatum quoque Romani habebant, quorum consilio cuncta agebant, et nos habemus senatum nostrum cetum presbiterorum.

C. VIII. Secundum ethimologiam nominis monachus solitariam uitam ducat.

Item Eugenius Papa.

Placuit communi nostro concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu presumat, neque penitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum uisitare, neque mortuum sepelire, neque ad ecclesiam transire secularem, neque qualibuscumque negociis sese implicare; sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret uita, ita sine monasterio monachus.

Sedeat itaque solitarius, et taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem uiuit.

§. 1. Agnoscat nomen suum, (*Graece*) monos enim grece, latine unus: (*Graece*) ACHOS grece, latine tristis.

Unde dicitur monachus, id est unus tristis.

Sedeat igitur tristis, et offitio suo uacet.

C. IX. Absque episcoporum consensu episcopalia iura monachi non usurpent.

Item Pascalis II. Victori, Bononiensi Episcopo.

Peruenit ad nos, unde ualde miramur, quod quidam monachi et abbates in parrochia uestra contra sanctorum patrum decreta episcopalia iura et offitia sibi arroganter uendicant uidelicet penitentiam, remissionem peccatorum, reconciliationem, decimas, et ecclesias, cum absque proprii episcopi licentia uel apostolicæ sedis auctoritate hoc nullatenus presumere debeant, sicut in Calcedonensi concilio a sanctis Patribus de huiusmodi cautum est et sub anathematis uinculo monachis omnibus prohibitum.

Mandamus itaque dilectioni tuæ, ut eos conuenias, et ne talia deinceps presumant omnino prohibeas.

C. X. De eodem.

Item Calixtus Papa. [II].

Interdicimus etiam abbatibus et monachis publicas penitencias dare, infirmos uisitare, et unctiones facere, et publicas missas cantare.

Crisma et oleum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum ab episcopis accipiant, in quorum parrochiis manent.

C. XI. Monachi intra claustra morantes clericorum offitia exterius non administrent.

Item Alexander II.

Iuxta Calcedonensis tenorem optimi concilii monachis quamuis religiosis ad normam S. Benedicti intra claustrum morari precipimus; uicos, castella, ciuitates peragrarè prohibemus, a populorum predicatione omnino cessare censuimus, nisi forte quis, de suæ animæ salute sollicitus, ut eorum habitum assumat eos intra claustrum consulere uoluerit.

**C. XII.** Monachi, qui sunt in ciuitatibus, episcopo debent esse subiecti.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 4].

Qui uere et pure solitariam eligunt uitam digni sunt conuenienti honore.

§. 1. Eos uero, qui per singulas ciuitates seu possessiones in monasteriis sunt, placet nobis episcopo subiectos esse, et quieti operam dare, atque obseruare ieiunia et orationes, in locis, in quibus semel se Deo deuouerint, permanentes, et neque communicare ecclesiasticas, neque seculares aliquas attrectare actiones, relinquentes propria monasteria, nisi forte iubeantur propter urgentes necessitates ab ipsius ciuitatis episcopo.

Et neminem seruorum suscipi in monasterium, ut sit cum eis monachus, nisi cum domini proprii licentia.

Pretereuntem uero hec decreuimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur.

§. 2. Conuenit uero ciuitatis episcopo curam et sollicitudinem necessariam monasteriis exhibere.

Gratian. His ita respondetur: Auctoritas illa Nicenæ sinodi prohibet monachos de monasteriis exire, et per capellas sepulturas mortuorum celebrare, confluere uidelicet more clericorum ad cuiuslibet exequias celebrandas.

Ceterum si apud monasterium aliquis semetipsum tumulari uoluerit, non est prohibendus.

Unde Gregorius scribit Iohanni, Episcopo de urbe ueteri: [lib. I. epist. 12].

**C. XIII.** Missæ celebrari, et mortui sepeliri in monasterio non prohibeantur.

Agapitus abbas monasterii S. Georgii insinuauit nobis, plurima se a uestra sanctitate grauamina sustinere, quod in eodem monasterio missas prohibeas celebrari, mortuos etiam interdicas sepeliri.

A qua inhumanitate uos hortamur suspendi, et sepeliri ibidem mortuos, missas celebrari, nulla ulterius habita contradictione permittas.

**C. XIV.** Non sunt cassandæ piæ uoluntates defunctorum.

Idem Caralitano Episcopo Venerio. [lib. III. ep. 9].

Ammonere te uolumus, ne piæ defunctorum uoluntates tua (quod absit) remissione cassentur.

**C. XV.** Testatoris arbitrium seruari oportet.

Item Gelasius.

Consideratio ecclesiasticæ utilitatis hoc postulat, ex iusta dispensatione testatoris seruandum arbitrium.

[[**C. XVI.**]

Item ex Concilio Triburiensi. [c. 15].

Ubi cumque facultas rem et oportunitas temporum suppetit, etc.



Sicut in eodem capite supra legitur in causa eorum, qui de diocesi ad diocesim transierunt.

Gratian. Ecce his auctoritatibus patet, quod, si quis apud monasterium sepulturam sibi eligere uoluerit, libere a monachis potest sepeliri.

Unde liquido colligitur prohibitionem illam Nicenæ sinodi propter improbitatem circumuagantium factam esse.

Unde in Calcedonensi Concilio [c. 23]. dicitur:

**C. XVII.** Monachi, qui sine licentia episcopi uagantur, ad propria loca redire cogantur. Quidam monachi nichil habentes sibi iniunctum a proprio episcopo, interdum uero etiam illi, qui ab eo fuerant excommunicati, ueniunt ad ciuitatem Constantinopolitanam, et in ea perturbationes tranquillitati ecclesiasticæ inferunt, et diuersorum domos corrumpunt.

Statuit igitur hec sancta synodus, hos primum conmoneri, ut exeant de regia ciuitate; demum eos inuitos deici, ac per defensorem compelli, ut ad sua loca perueniant.

**C. XVIII.** Monachi circumuagantes per defensorem sunt compellendi.

Item Pelagius Papa Paulino Solitario.

Probinum Sabariæ, et Milianum atque Probianum, uel alios pseudomonachos Iohanni defensori precipimus ut eos debeat detinere, quatinus, si quam desiderant suæ contentionis rationem cognoscere, ad nos ut informentur debeant exhiberi.

Certe si sola obstinatione ab ecclesiastico corpore sunt scissi, in Reatina (sicut petisti) insula ut exulentur, predicto defensori duximus iniungendum.

**C. XIX.** Nullus monachus preter Domini sacerdotes audeat predicare.

Item Leo Papa. [ad Theodoritum, Episcopum Cypri, epist. LXI. al. LXIII].

Adicimus illud etiam, quod nobis propter improbitatem quorundam monachorum religionis uestræ uerbo mandastis per uicarios nostros, hoc specialiter statuentes, ut preter Domini sacerdotes nullus audeat predicare, siue monachus siue laicus ille sit, qui cuiuslibet scientiæ nomine gloriatur.

Gratian. Ecce in hoc capitulo et uicium est expressum, et generali constitutione euacuatum.

Monachi autem, et si in dedicatione sui presbiteratus (sicut et ceteri sacerdotes) predicandi, baptizandi, penitentiam dandi, peccata remittendi, beneficiis ecclesiasticis perfruendi rite potestatem accipiant, ut amplius et perfectius agant ea, que sacerdotalis offitii esse sanctorum Patrum constitutionibus conprobantur: tamen executionem suæ potestatis non habent, nisi a populo fuerint electi, et ab episcopo cum consensu abbatis ordinati.

Ecclesiasticas uero atque seculares actiones attractare prohibentur, ut non presumant sibi patrocina causarum, nisi ab episcopo conmoniti fuerint, nec secularibus causis occupentur, ut resideant cognitores dirimendarum litium.

Unde Pelagius scribit Antoninæ Patriciæ, et Deciæ:

**C. XX.** Monachus defensor fieri non debet.

De presentium portitore, quod defensor factus non est, nulla uobis animi molestia sit, quia satis ualde amarissimum habeo de isto proposito ad illud offitium homines deduci, in quo nullo modo que a monachis Deo promissa sunt ualeant adimpleri.

Omnimoda enim est illius habitus et istius offitii diuersitas.

Illic enim quies, oratio, labor manuum: at hic causarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, et quecumque uel ecclesiastica instituta, uel supplicantium necessitas poscit.

Faciat autem Deus, ut tales sint hii, qui uel a nobis in isto habitu nutriuntur, uel in monasteriis crescunt, ut prouecta etate et probata uita non ad litigiorum officia, sed ad sacerdotium ualeant promoueri.

Gratian. Gelasius tamen (sicut in tractatu de promotionibus clericorum inuenitur) in capitulo illo: "Monachus nouicius, etc." permittit illos ex dispensatione defensores fieri.

## II. Pars.

Quod uero sacerdotalium officiorum potestatem habeant, testatur Ambrosius, dicens:

**C. XXI.** Clericorum officia celebrare monachi presbiteri non prohibeantur.

Doctos ac probos monachos, presbiterii honore dedicatos, predicare, baptizare, penitentiam dare, debita miseris relaxare, decimarum, primiciarum, oblationum uiuorum et mortuorum portione iusta perfrui debere, moderata dispensatione commendamus, ut, iuxta Apostolum de altario, cui seruiunt, uiuentes, per obsequium dominicæ plebis panem et uinum immaculata benedictione transforment in corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi.

**C. XXII.** Beneficiis ecclesiasticis monachus libere perfruatur presbiter.

Item Innocentius Papa.

Si monachus ad clericatum promoueatur, beneficia ei pleniter, et annonæ, et decimæ donentur absque ulla minoratione et dilatione, ut, quanto melius possit iuxta possibilitatem quando necessitas extiterit, ad opera ecclesiastica et ipsam restaurandam ecclesiam adiutorium faciat.

**C. XXIII.** De eodem.

Moderamine apostolicæ auctoritatis decernimus, ut monachi, si presbiterii honore dedicati sunt, cum ligandi soluendi que potestate decimarum, primiciarum, oblationum, donationum, que fiunt pro uiuis et defunctis, portionem iusto canone ad suam proximorum que utilitatem merito perfectioris iustitiæ non minus quam ceteri sacerdotes laudabiliter sibi uendicent.

**C. XXIV.** Clericorum officia monachi presbiteri libere administrent.

Idem.

Ex auctoritate huius decreti (quod apostolico moderamine et pietatis officio a nobis est constitutum) sacerdotibus monachis apostolorum figuram tenentibus liceat predicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, penitentiam inponere, atque peccata soluere.

**C. XXV.** Monachi presbiterii honore decorati potestatem habent ligandi et soluendi.

Item ex decreto Bonifatii Papæ.

Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissime quidem, zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt et Deo uiuunt, sacerdotalis officii potentia indignos, neque penitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absoluere posse per sacerdotalis officii diuinitus sibi iniunctam potestatem.

Sed omnino labuntur.

§. 1. Neque enim B. Benedictus, monachorum preceptor almificus, huiusmodi rei aliquo modo fuit interdictor, sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo.

Quod quidem apostolicis documentis, et omnium sanctorum Patrum institutis non solum monachis, sed etiam canonicis magnopere inperatur.

“Nemo enim militans Deo implicat se negociis secularibus”.

§. 2. Tantorum igitur Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus a sacerdotibus monachis ligandi soluendi que offitium Deo operante digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari.

§. 3. Decertantes igitur monachicæ professionis presbiteros sacerdotalis potentia arcere offitio, omnimodo precipimus, ut ab huiusmodi ausibus reprimantur in posterum, quia quanto magis quisque est celsior tanto illis erit potentior.

Gratian. His omnibus auctoritatibus perspicue monstratur, monachos posse penitentiam dare, baptizare, et cetera sacerdotalia offitia licite administrare.

Quod uero populi electione, episcoporum institutione, et abbatis consensu potestatem suam exequi ualeant, Ieronimi, Gelasii et Gregorii auctoritate probatur.

Ait enim Ieronimus ad Rusticum Monachum: [epist. IV].

C. XXVI. Digne in monasterio uiuens per populi electionem ad clericatum poterit promoueri.

Sic uiue in monasterio, ut clericus esse merearis.

§. 1. Multo tempore disce que postmodum doceas, et inter bonos semper sectare meliores.

Quod si populus uel episcopus te in clericum elegerit, age ea, que clerici sunt.

C. XXVII. In ordinem clericatus promoueri monachi possunt.

Idem ad eundem. [eadem epistola superius]

Si clericatus titillat desiderium, discas quod possis docere, et rationabilem hostiam offeras Deo, ne miles ante quam tiro, ne prius magister sis quam discipulus.

§. 1. Non est humilitatis meæ neque mensuræ iudicare de ceteris, et de ministris ecclesiarum sinistram quippiam dicere.

Habeant illi ordinem suum et gradum, quem si tenueris, quomodo in eo tibi uiuendum sit editus ad Nepocianum liber docere te poterit.

§. 2. Nunc monachi cunabula mores que discutimus, et eius monachi, qui liberalibus studiis eruditus in adolescentia iugum Christi collo suo inposuit.

Primum que tractandum est, utrum solus, an cum aliis in monasterio uiuere debeas.

Michi placet, ut habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, et absque doctore ingrediariis uiam, quam numquam ingressus es.

C. XXVIII. In loco, quo abbas iudicauerit, monachus eligatur, et ab episcopo sacerdos ordinetur.

Item Gelasius Papa.

Si quis monachus fuerit, qui uenerabilis uitæ merito sacerdotio dignus preuideatur, et abbas, sub cuius inperio regi Christo militat, illum fieri presbiterum petierit, ab ipso debet eligi, et in loco, quo iudicauerit, ordinari, omnia, que ad sacerdotii offitium pertinent, uel populi uel episcopi electione prouide ac iuste acturus.

**C. XXIX.** Tempore maturitatis ecclesiasticis monachi promoueantur ordinibus.

Item Siricius Papa. [ad Himerium, ep. I. c. 13].

Monachos quoque, quos morum grauitas et uitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum offitiis aggregari et optamus et uolumus, ita, ut qui intra tricesimum annum etatis sunt digni in minoribus, per gradus singulos crescentes tempore promoueantur ordinibus, et sic ad diaconatus uel presbiterii insignia maturæ etatis consecratione perueniant nec saltu ad episcopatus culmen ascendant nisi in his eadem, que singulis dignitatibus superius prefiximus, fuerint tempora custodita.

**C. XXX.** Ecclesiastica offitia nec auidæ elatione monachi suscipiant, nec blandiente desidia respuant.

Item Augustinus ad Eudoxium. [ep. LXXXI].

Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propositum uestrum custodiatis, et usque ad finem perseueretis, ac si qua opera uestra mater ecclesia desiderauerit, nec elatione auidæ suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui uos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos uias suas.

Nec uestrum ocium ecclesiæ necessitatibus preponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare uellent, quomodo nasceremini non inueniretis.

**C. XXXI.** Gelasius quendam Rufinum monachum iubet sacerdotem fieri, et in quadam basilica ordinari.

Item Pelagius Papa Bono Episcopo Sauinati.

In parrochia tua, basilica S. Laurentii, que in possessione filii et consilarii nostri uiri magnifici Theodori fundata est, offitium presbiteri deesse cognouimus.

Et quia prefatus filius noster nobis retulit, inuenisse se Rufinum quendam monachum, olim sibi uita et moribus conprobatum, et hunc postulat ibi presbiterum consecrari (quod subito fieri nos prerogata obseruantia non adqueuimus), ideo que dilectio tua his acceptis sabbato ueniente faciat eum diaconum, et, si Deus uoluerit et uixerimus, mediana ebdomada presbiterum faciemus, quatinus superueniente paschali festiuitate sacra misteria in memorata basilica a persona competenti ualeant adimpleri.

**C. XXXII.** Qui de clerico monachus efficitur proprio episcopo ordinante poterit eligi et consecrari.

Item Gregorius in Registro.

Si quos a clericatu in monachicam conuersationem uenire contigerit, si talis uitæ monachus fuerit, ut episcopus, cui ante militauerat, eum dignum sacerdotio preuideat, in loco, quo iudicauerit, eligi poterit et ordinari.

**C. XXXIII.** Sine testimonio abbatis ad clericatus offitium monachi non eligantur.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 27].

Monachi uagantes ad offitium clericatus (nisi eis testimonium abbas suus dederit), nec in parrochiis, nec in ciuitatibus ordinentur.

§. 1. Si enim necesse fuerit clericum de monachis ordinari, cum consensu et uoluntate abbatis presumat episcopus.

**C. XXXIV.** Cum abbatis uoluntate monachi ordinentur, quos pro utilitate ecclesiæ episcopus ordinare uoluerit.

Item ex Concilio Ylerdensi. [c. 3].

Cum pro utilitate ecclesiæ aliquos monachorum in clericatus officio episcopus probauerit promouendos, cum abbatis uoluntate debent ordinari.

Ea uero, que in iure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo diocesiana lege ab episcopis contingantur.

**C. XXXV.** Sine abbatis inperio ecclesiastica non presumant celebrare ministeria monachi.

Item ex Concilio Terraconensi. [c. 11].

Monachi a monasterio foras egredientes ne aliquod ministerium ecclesiasticum presumant agere prohibemus, nisi forte cum abbatis inperio.

Similiter, ut nullus eorum, id est monachorum, forensis negotii susceptor uel executor existat, nisi id quod monasterii exposcit utilitas, abbate sibi nichilominus inperante.

**C. XXXVI.** Ad clericatus miliciam non eligantur desertores monasteriorum.

Item Augustinus ad Aurelium. [ep. LXXVI].

Legi epistolam benignitatis tuæ de Donato et fratre eius, et quid responderem diu fluctuauit.

Sed tamen etiam atque etiam cogitanti quid sit utile saluti eorum, quibus nutriendis in Christo seruimus, nichil mihi aliud occurrere potuit, nisi non esse uiam dandam seruis Dei, ut se facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores.

Etenim ipsis facilius lapsus, et ordini clericorum fit indignissima iniuria, si desertores monasteriorum ad miliciam clericatus eligantur, cum ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in clerum assumere soleamus, nisi forte (sicut uulgares dicunt) malus coraula bonus simphonicus est; ita idem ipsi uulgares de nobis iocabuntur, dicentes: malus monachus bonus clericus est.

Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subrigimus, et tam graui contumelia clericos dignos putamus, in quorum numero sumus, cum etiam aliquando bonus monachus uix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, et tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.

Sed de istis credo arbitrata sit beatitudo tua, quod nostra uoluntate (ut suis potius conregionalibus utiles essent) de monasterio recessissent.

Sed falsum est; sponte abierunt sponte deseruerunt, nobis, quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus.

### III. Pars.

Gratian. His omnibus auctoritatibus monstratur, quod monachi, qui a populo sunt electi et ab episcopo cum consensu sui abbatis sunt ordinati, legitime potestatem suam exequi ualent.

Illud uero Gregorii: “Nemo potest ecclesiasticis obsequiis deseruire, etc.” de illis intelligendum est, qui, in numero cardinalium uel episcoporum ordinati, monasterii sui dispensationem sibi reseruare contendunt.

Unde idem Gregorius scribit Mariniano Episcopo Rauennati: [lib. VI. epist. 40].

**C. XXXVII.** Pro abbatis uel monachi promotione monasteria non grauentur.

Ne pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione onus aliquod fortasse monasteria sustineant, studendum nobis est, ut, si quispiam monachorum ex quocumque monasterio

ad clericatus officium uel ordinem sacrum accesserit, non ibi aliquam ulterius habeat potestatem.

**C. XXXVIII.** Qui ecclesiis quoquomodo militant abbates esse non possunt.

Idem Maximiano Siracusano Episcopo. [lib. III. epist. 11].

Presbiteros, diaconos, ceteros que cuiuslibet ordinis qui ecclesiis quoquo modo militant, abbates per monasteria esse non permittas; sed aut admissa clericatus militia monachicis non promoueantur ordinibus, aut, si in abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere miliciam.

Satis enim incongruum est, si, cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque uideatur idoneus.

Gratian. Hoc uel generaliter, uel speciali priuilegio dictum potest intelligi, sicut etiam de quodam monasterio in registro Gregorii legitur hoc modo:

**C. XXXIX.** De quodam senodochio, cuius abbas ad episcopatum eligi prohibetur.

Hinc est etiam, quod senodochium seu monasterium, quod in eodem Francorum regno constitutum est, quia per ambitiones et contenciones quorundam non canonice tractabatur, a peruersitate malorum liberare cupiens precepit, ut sine regali prouidentia, et monachorum electione nullus ibi abbas aliqua umquam subreptione introduceretur.

Precepit etiam, ut eiusdem monasterii abbas numquam ad episcopatum eligeretur, ne forte occasione episcopatus abbatia aliquid detrimenti pateretur.

Quod priuilegium ita est illius ecclesiæ, ut communem legem regibus uel abbatibus omnino dare non possit.

Non enim quod uni singillatim conceditur statim omnibus conuenit.

Gratian. Superiori auctoritate non prohibentur abbates sacerdotes fieri, cum B. Benedictus iubeat abbatem fratribus egredientibus et regredientibus benedictionem dare, quod non est nisi sacerdotum.

Lectionem quoque euangelii similiter ad legendum abbati tribuit, quam subsequenti oratione legere similiter sacerdotalis officii est.

Sed tales sacerdotes uel diacones fieri prohibet, qui in ecclesiastica militia cogantur iugiter permanere.

§. 1. Item illud Ieronimi ad Riparium et Desiderium: “Monachus non doctoris, sed plangentis officium habet,” et ad Eliodorum: “Alia causa est monachi, alia clerici,” et ad Rusticum: “Sine consilio presbiterorum monachis nichil agere licet,” non ita generaliter intelligendum est, ut nulli monachorum liceat docendi officium assumere, ne B. Gregorium, aut Augustinum Anglorum episcopum, beatum quoque Martinum, innumeros etiam, quos de monachica conuersatione ad summum sacerdotii gradum scriptura testatur esse promotos, cogamur negare officium docendi habuisse, aut in die consecrationis suæ asseramus eos a proposito priori discessisse, quod (ut Innocentius testatur) nulli facere licet.

Voluit ergo Ieronimus distinguere inter personam monachi et clerici, ostendens quid cuique ex proprio officio conueniat.

§. 2. Aliud enim conuenit cuique ex eo, quod monachus est: aliud ex eo, quod clericus est.

Ex eo, quod monachus est, sua et aliorum peccata deflendi habet officium: ex eo, quod clericus, docendi et pascendi populum.

§. 3. Monachos autem usque ad tempus Eusebii, Zosimi et Siricii, monachos simpliciter, et non clericos fuisse, ecclesiastica testatur ystoria.

Idem etiam Ieronimus refert, monachos Scithiæ conuenisse in unum, ut sacerdotem sibi inuenirent, qui eis missarum solempnia celebraret.

**C. XL.** Omnes clerici uel monachi tutelæ immunitatem habere debent.

Item Leo Augustus. [lib. I. Codicis, de Episcopis et Clericis, lege 51].

Generaliter sancimus, omnes uiros reuerentissimos episcopos, nec non presbiteros seu diaconos et subdiaconos, et precipue monachos, licet non sint clerici, immunitatem ipso iure omnis habere tutelæ, siue testamentariæ siue legitimæ, siue datiuæ, et non solum tutelæ esse eos expertes, sed etiam curæ, non solum pupillorum et adultorum, sed furiosi, et muti, et surdi, et aliarum personarum, quibus tutores uel curatores a ueteribus legibus dantur.

§. 1. Eos tamen clericos et monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui ad sacrosanctas ecclesias uel monasteria permanent, non deuagantes, neque circa ministeria diuina desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgemus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis inhereant ministeriis.

§. 2. Et hoc non solum in ueteri Roma uel in hac regia ciuitate, sed in omni terra, ubicunque Christianorum colitur nomen, obtinere sancimus.

Gratian. §. 3. Nouarum etiam collationum et sordidorum munerum immunitatem acceperunt.

Unde Constantinus cunctis scribit clericis: [tit. eodem, lege prima] “Iuxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, fundos et mancipia uestra nullus nouis collationibus obligabit, sed uacatione gaudebitis”.

Item Imperator Honorius et Theodosius: [eodem libro, titulo de sacrosanctis ecclesiis, lege: §. 4]. “Placet, rationabilis consilii tenore perpenso, districta moderatione perscribere, a quibus specialiter necessitatibus ecclesiæ urbium singularum habeantur immunes.

Prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne predia usibus celestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fece uexentur, nichil extraordinarium abhinc superindictum ue flagitetur, nulla sollicitudo translationis signetur, postremo nichil preter canonicam illationem preter quam aduenticiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit, eius functionibus asscribatur.

Si quis contra uenerit, post debitæ ulcionis acrimoniam, que erga sacrilegos iure promenda est, exilio perpetuæ deportationis uratur”. [Gratian.] Hoc idem datur intelligi ex uerbis B. Siluestri, qui obedientiam minorum erga maiores assignans ait: “Abbas hostiario, monachus abbati sit subditus,” supra in tractatu ordinandorum.

Ostendit ergo Ieronimus, quod simpliciter monachis nichil liceat agere sine consilio presbiterorum.

Nec offitium docendi sibi assumere liceat sine auctoritate clericorum, nisi forte diuina gratia intus conmoniti, sicut B. Gregorius refert in dialogo de B. Benedicto, qui homines montis Cassini ad fidem adduxit, et aram Apollinis, que ibi erat erecta, subuertit; et de quodam Equicio, cui angelus in somniis apparuit, et eum ad predicandum misit, qui, cum de uicio linguæ conquereretur, angelus flebotomo linguam eius tetigit, et totum uicium illud curauit.

§. 1. Quod uero Ieronimus se ipsum talibus connumerat, tale est, quale est illud Apostoli ad Philippenses: “Quicumque imperfecti sumus,” hoc sentiamus, se ipsum imperfectis connumerans.

Hinc idem Ieronimus alibi ait: “Natus in paupere domo et tugurio rusticano”.

Et infra: “Nos suffarcinati auro,” se famelicum fastidientibus mella, pauperem diuitibus connumerans, supra ubi agitur de clericis, qui propria relinquere nolunt, capitulo “Gloria episcopi”.

§. 2. Ecce sufficienter monstratum est, quod monachis presbiterii honore decoratis, a populo electis, ab episcopo institutis, eadem liceant, que et aliis sacerdotibus.

Probatur hoc etiam ex similitudine consecrationis.

Non enim in consecratione eorum aliud dicitur, et aliud in consecratione aliorum.

Utrisque enim in commune a Domino benedictionem infundi episcopus obnixe deposcit. Et dum consecrat, cunctis sacerdotibus singillatim dicit: “Consecrentur et sanctificentur, Domine, manus istæ, ut quicquid consecrauerint consecratum sit, et quecumque benedixerint benedicta sint”.

Ecce communis est benedictio.

Unde igitur diuortium? Sicut ergo in benedictione utriusque communem nanciscuntur potestatem, ita in institutione communiter assecuntur potestatis executionem.

§. 3. Ceterum absque episcoporum licentia non solum monachis, sed etiam omnibus generaliter clericis potestatis executio interdicitur.

Unde Clemens: [epist. III].

**C. XLI.** Sacerdotalia officia sine permissu episcoporum non agant presbiteri.

Cunctis fidelibus et summopere omnibus presbiteris, et diaconibus, et reliquis clericis attendendum est, ut nichil absque episcopi licentia proprii agant; non utique missas sine eius iussu quisquam presbiterorum in sua parrochia agat, non baptizet, nec quicquam absque eius permissu faciat.

#### **IV. Pars.**

Gratian. De his uero, qui intra monasterii claustra consistunt, quibus populus ad regendum non committitur, queritur, utrum decimas debeant dare uel accipere?

In quibus hec discretio seruanda est, ut de agris et uineis, que ad proprium stipendium coluntur, decimas sibi retineant.

Si enim decimæ a populo filiis Leui reddebantur pro ministerio, quo Domino deseruiebant in tabernaculo, offerendo sacrificia et holocausta pro populo, patet, quod monachi de propriis prediis non magis quam alii sacerdotes decimas soluere coguntur.

§. 1. Sed dicitur, predia monachorum, siue precio sint empta siue pro salute animarum oblata, antequam in ius eorum uenirent, baptismalibus ecclesiis siue quibuslibet aliis primicias et decimas persoluebant, illæ autem ecclesiæ suo iure priuari non possunt.

Unde in Maguntiensi Concilio statutum inuenitur:

**C. XLII.** Qui res suas alicui delegauerit, decimationum prouentum priori ecclesiæ auferre non poterit.

Si quis laicus, uel clericus, seu utriusque sexus persona, proprietatis suæ loca uel res alicubi dare delegauerit, decimationum prouentum priori ecclesiæ legitime assignatum inde abstrahere nullam habeat potestatem.

Quod si facere temptauerit, talis traditio irrita prorsus ducatur, et ipse ad emendationem ecclesiastica coherceatur censura.

**C. XLIII.** Antiquiores ecclesiæ nec decimis, nec ulla possessione priuentur.

Item ex Concilio Cabillonensi.



Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec ulla possessione priuentur, ita ut nouis oratoriis tribuantur.

**C. XLIV.** Antiquiores ecclesiæ propter nouas iusticiam suam non perdant.

Item ex Concilio Guarmaciensi.

Quicumque uoluerit in sua proprietate ecclesiam edificare, et consensum et uoluntatem episcopi habuerit, in cuius parrochia est, licitum sit.

Verumtamen omnino prouidendum est episcopo, ut aliæ ecclesiæ antiquiores propter nouas suam iusticiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores ecclesias persoluantur.

Gratian. Decimas autem baptismalibus ecclesiis persolundas, Leo IV. affirmat, dicens:

**C. XLV.** Baptismalibus ecclesiis decimæ dari debent.

De decimis iusto ordine non tantum nobis, sed etiam maioribus uisum est plebibus tantum, ubi sacrosancta baptismata dantur, debere dari.

Gratian. Si ergo nulli licet decimationum prouentum a priori ecclesia, cui assignatus fuerat, abstrahere; si ius antiquioris ecclesiæ nouis tribuendum non est; si decimæ tantummodo baptismalibus ecclesiis dandæ sunt: patet, quod monachi ex propriis prediis decimas dare coguntur.

Sed illa auctoritas Magontiensi concilii de uenditore uel donatore loquitur, diffiniens, quod ille, qui uendit aut donat, non potest prouentum decimationum illi ecclesiæ detrahere, cui prius fuerat legitime assignatus.

Monachi autem decimas et primicias non auctoritate uendentis aut donantis, sed auctoritate eiusdem concilii et Pascalis Papæ detinent, a quibus difinitum est, ut monachi de propriis prediis decimas non soluant.

Sic enim in Magontiensi Concilio statutum est:

**C. XLVI.** De propriis prediis abbates et episcopi decimas non persoluant.

Questi sunt preterea quidam fratres, quod essent aliqui episcopi et abbates, qui decimas non sinerent dari ad ecclesiam, ubi illorum coloni missam audiunt.

Proinde decreuit sacer iste conuentus, ut episcopi et abbates de agris et uineis, que ad suum et fratrum stipendium habent, ad ecclesias suas deferri faciant, familiæ uero ibi dent decimas suas, ubi eorum infantes baptizantur, et ubi per totum anni circulum missas audiunt.

**C. XLVII.** De propriis laboribus monachi et canonici decimas minime soluere cogantur.

Item Pascalis II.

Decimas a populo sacerdotibus ac Leuitis esse reddendas, diuinæ legis sanxit auctoritas.

Ceterum a monachis siue clericis communiter uiuentibus nulla ratio sinit ut milites aut episcopi, aut personæ quelibet decimas de laboribus seu nutrimentis suis propriis extorquere debeant.

Unde B. Gregorius sic ait: “Communi uita uiuentibus iam de faciendis portionibus, uel exhibenda hospitalitate, et adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum?”

cum omne, quod superest, in causis piis et religiosis erogandum sit, dicente Domino: “Quod superest date elemosinam, et ecce omnia munda sunt uobis”.

**V. Pars.**

Gratian. Quod autem dicitur, ut antiquiores ecclesiæ, nec decimis, nec ulla possessione priuentur propter nouas, non ita intelligendum est, ut nullo modo credatur licere episcopo aliquam partem possessionum uel decimationum unius ecclesiæ alteri pro tempore tribuere.

Sicut enim Papa duos episcopatus in unum potest redigere, ita et unus consentiente proprio episcopo in duos potest diuidi, uel etiam metropolitano inuito quelibet ecclesia ab eius iurisdictione apostolica eximi auctoritate.

Unde Gregorius Papa scribit Benenato Episcopo, capitulo XXV.

**C. XLVIII.** Duo episcopatus in unum redigi possunt apostolica auctoritate.

Et temporis qualitas, et uicinitas locorum nos inuitat, ut Cumanam atque Musinatium unire debeamus ecclesias, quoniam nec longe, a se itineris interuallo seiunctæ sunt, nec (peccatis facientibus) tanta multitudo populi est, ut, sicut olim fuit debeant duos habere sacerdotes.

Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum uitæ huius expleuit, utrasque nos ecclesias presentis auctoritatis pagina unisse tibi que commississe cognoscas, utrarumque etiam ecclesiarum scito te esse proprium pontificem.

Et ideo quecumque uel de earum patrimonio uel cleri ordinatione promotione ue iuxta canonum statuta uisa fuerint ordinare atque disponere, habebis ut proprius reuera sacerdos liberam ex nostræ auctoritatis consensu atque permissione licentiam.

Ubi uero commodius ac utilius esse perspexeris, habitato, ita sane, ut alteram ecclesiam cui corporaliter presens non es, sollicita prouidenti que cura disponas, quatinus illic diuina misteria solempniter Domino prestante peragantur.

**C. XLIX.** Duos episcopatus in unum redigere apostolica ualet auctoritas.

Idem Iohanni Episcopo. [Veliterno, lib. II. epist. 35].

Postquam hostilis impietas diuersarum ciuitatum ita (peccatis facientibus) desolauit ecclesias, ut reparandi eas spes nullo modo populo deficiente remanserit, maiori ualde cura constringimur, ne defunctis earum sacerdotibus reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernante per inuia fidei hostis callidi rapiantur (quod absit) insidiis.

Huius ergo rei sollicitudine sepe conmoniti, hoc nostro sedit cordi consilium, ut uicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas.

Ideo que fraternitati tuæ curam gubernationem que Triumtabernensium ecclesiæ preuidimus committendam, quam tuæ ecclesiæ aggregari uniri que necesse est, quatinus utrarumque ecclesiarum sacerdos recte Christo adiuuante possis existere, queque tibi de eius patrimonio, uel cleri ordinatione seu promotione uigilanti ac canonica uisa fuerint cura disponere, quippe ut pontifex proprius liberam habeas ex presenti nostra permissione licentiam.

**C. L.** Non habeant episcopum dioceses, que numquam habuerunt.

Item ex Concilio Cartaginensi II. [c. 5].

Felix episcopus Selemselitanus dixit: Etiam si hoc placet, sanctitati uestre insinuo, ut dioceses, que numquam episcopos habuerunt, non habeant, et illa diocesis, que aliquando habuit, habeat proprium.

Secundum hanc prosecutionem sanctitatis uestre est estimare quid fieri debeat.

Ab uniuersis dictum est: Placet.

C. LI. Nisi cum uoluntate episcopi dioceses, que ab eis retinentur, non accipiant proprios episcopos.

Item ex Affricano Concilio III.

Multis conciliis hoc statutum est a cetu sacerdotali, ut plebes, que in diocesibus ab episcopis retinentur, que episcopos numquam habuerunt, non nisi cum uoluntate eius episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores.

C. LII. Apostolica auctoritas a iurisdictione archiepiscopi episcopos ualet eximere.

Item Gregorius Iohanni Episcopo Lariseo. [lib. II. Indict. 11. epist. 7].

Frater noster Adrianus Thebanæ ciuitatis episcopus, ad Romanam urbem ueniens, lacrimabiliter est conquestus de quibusdam se capitulis a fraternitate tua, nec non a Iohanne, primæ Iustinianæ urbis antistite, iniuste condempnatum.

§. 1. De nequissimo autem eius iudicio dampnando que alias tractaturi sumus iuuante Domino.

Adrianum uero episcopum reperimus et tuo contra sacerdotales mores odio laborasse, et nullo iure pecuniariis in causis eum fraternitatis tuæ condempnatum fuisse sententia.

§. 2. Quia igitur et ab antefato Iohanne primæ Iustinianæ episcopo contra ius canones que depositus honoris sui gradu carere non potuit, in sua eum reformari ecclesia atque in propriæ dignitatis ordine decreuimus reuocari.

Et cum oportuisset te ex eo dominici corporis communionem priuari, quod post ammonitionem sanctæ memoriæ decessoris mei (per quam eum ecclesiam que eius de tuæ iurisdictione potestatis exemit) rursus in eis aliquid tibi iurisdictionis seruare presumpseris, tamen nos humanius decernentes, communionis que tibi sacramentum interim conseruantes decernimus, ut fraternitas tua ab eo ecclesia que eius omnem ante habitæ suæ potestatem iurisdictionis abtineat, et secundum scripta decessoris nostri, si qua causa uel fidei uel criminis, uel pecuniaria aduersus prefatum Adrianum consacerdotem nostrum potuerit euenire, per eos, qui nostri sunt uel fuerint in urbe regia responsales, si mediocris est questio, cognoscatur, uel huc ad apostolicam sedem, si est ardua, deducatur, quatinus nostræ audientiæ sententia decidatur.

Quod si contra hec, que statuimus, quolibet tempore qualibet occasione uel subreptione uenire temptaueris, sacra te communionem priuatum, nec eam te, excepto ultimo uitæ tuæ tempore, nisi cum concessa Romani Pontificis iussione decernimus percipere.

§. 3. Res autem siue sacras, siue alias mobiles immobiles que eius ecclesiæ, quas hactenus dicitur retinere, (quarum noticiam nobis oblatam presentibus adnectimus litteris), sine aliqua ei fraternitas tua dilacione restituat.

De quibus si qua inter uos questio uertitur, uolumus, ut apud responsalem nostrum in urbe regia uentiletur.

Gratian. Si autem necdum in diocesi alicuius episcopi loca illa assignata fuerint, ex uigore apostolicæ sedis proprium episcopum accipiant.

Unde Gregorius iunior scribit Bonifatio: [Episcopo, epist. ult.].

C. LIII. Ubi multitudo excrescit fidelium, episcopi sunt ordinandi.

Precipimus, ut iuxta canonum statuta, ubi multitudo excreuit fidelium, ex uigore apostolicæ sedis debeas ordinare episcopos, pia tamen contemplatione, ut non uilescat dignitas episcopatus.

Quod cum factum fuerit, illa pars populi, que nouis ecclesiis subponitur, a iure prioris ecclesiæ absoluitur.

Hoc nisi fieri posset, multitudo ecclesiarum ad paucitatem redigeretur.

Plures autem baptismales ecclesias in una terminatione facere non potest.  
Unde in Tolletano Concilio legitur.

**C. LIV.** In una terminatione plures baptismales ecclesiæ esse non possunt.  
Plures baptismales ecclesiæ in una terminatione esse non possunt, sed una tantummodo cum capellis suis.  
Et si contentio fuerit de terminatione duarum matricum, plebes utrarumque discernant, et si non conueniunt, lis Dei iudicio discernatur.

## **VI. Pars.**

Gratian. Ius ergo ecclesiarum ita interpretandum est, ut, nisi episcopo disponente aliis ecclesiis fuerit assignatum, in nullo priorum reddituum diminutionem patiantur.  
Unde Anastasius Papa:

**C. LV.** Communionem priuetur qui decimas uel oblationes extra episcopi conscientiam tenere uoluerit.

Statuimus, ut si quis oblationes ecclesiæ, uel decimas, quas populus dare debet, contenderit, uel extra baptismalem ecclesiam dare uoluerit, preter conscientiam episcopi, uel eius, cui huiusmodi officia comissa sunt, nec cum eorum uoluerit agere consilio, bannum nostrum conponat, et communionem priuetur.

Gratian. Cum addit: “extra conscientiam episcopi,” intelligendum relinquit, quod episcopo consentiente aliis ecclesiis dari possunt.

**C. LVI.** Iuxta dispositionem episcopi decimæ distribuuntur.

Item.

In sacris canonibus prefixum est, ut decimæ iuxta episcopi dispositionem distribuuntur. Quidam autem laici, qui uel in propriis, uel in beneficiis suas habent basilicas, contempta episcopi dispositione non ad ecclesias, ubi baptismum, et predicationem, et manus impositionem, et alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant, sed uel propriis basilicis, uel aliis ecclesiis pro suo libitu tribuunt, quod omnimodis diuinæ legi et sacris canonibus constat esse contrarium.

Unde uestram potestatem ut eos corrigatis expetimus.

Gratian. Cum autem reprehenduntur, quia contempta episcopi dispositione hoc faciunt, intelligitur, quod, si episcopo disponente hoc fecerint, inreprehensibiles inueniantur.

**C. LVII.** Anathema sit qui preter conscientiam episcopi decimas uel oblationes dispensare uoluerit.

Item Simacus Episcopus Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ dixit. [in Sinodo sexta Romana]

In canonibus, in Gangrensi ecclesia apostolica auctoritate conditis, de fructuum oblationibus, que ministris ecclesiæ debentur, et de his, que in usus pauperum conferuntur, scriptum habetur: “Si quis oblationes ecclesiæ accipere uel dare uoluerit preter episcopi conscientiam, uel eius, cui huiusmodi officia sunt comissa, nec cum eius uoluerit agere consilio, anathema sit”.

Et iterum in eodem concilio Gangrensi: “Si quis oblata Deo dederit uel acceperit preter episcopum, uel eius consensum qui ab eo constitutus est ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat, et qui accipit anathema sit”.

§. 1. Valde ergo iniquum et ingens sacrilegium est, quecumque uel pro remedio peccatorum, uel pro salute, aut requie animarum suarum unusquisque uenerabili ecclesie contulerit aut certe reliquerit, ab his, a quibus maxime seruari conuenit, id est Christianis et Deum timentibus hominibus, et super omnia a principibus et primis regionum, in aliud transferri uel conuerti.

Et infra:

§. 2. Generaliter uero quicumque res ecclesie confiscare, aut competere, uel peruadere periculosa sua infestatione presumpserit, [§. 3]. similiter et hi, qui res ecclesie iussu uel largitione principum uel quorundam potentum, aut quadam inuasionem aut tyrannica potestate retinuerint, et filiis uel heredibus suis (ut a quibusdam iam factum audiimus) quasi hereditarias reliquerint, nisi cito res Dei, ammoniti a pontifice agnita ueritate reddiderint, perpetuo anathemate feriuntur.

Iniquum enim esse censemus, ut potius custodes cartarum quam defensores rerum creditarum (ut preceptum est) iudicemur.

Et infra:

§. 4. Ferro enim abscondenda sunt uulnera, que fomenta non sentiunt.

§. 5. Similiter et illi extorres debent fieri ab ecclesia, qui sacerdotali ammonitione non corriguntur dicente Domino: "Auferte malum ex uobis".

Uniuersa sinodus surgens acclamauit.

Ut ita fiat rogamus.

Dictum est octies.

Exaudi Christe, Simaco Papae uita.

Dictum est duodecies.

C. LVIII. Eadem plectetur pena qui res ecclesie et episcoporum bona inuadit.

Idem.

Similiter et hoc ad omnium ecclesiarum noticiam uestra cunctorum que exortatione et iudicio censemus peruenire, et ab omnibus firmiter teneri, quia res episcoporum ecclesie esse non dubitantur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, peruasores rerum memoratarum predicta canonum districtione feriantur, ut qui moribus propriis ac nulla conscientie castigatione corriguntur saltem ecclesiasticæ et canonicæ uindictæ perfodiantur aculeis.

C. LIX. Res ecclesiastica principum auctoritate distribui non possunt.

Item ex libro Capitulorum Karoli et Lodowici Imperatorum. [c. 83].

Quia iuxta sanctorum Patrum traditionem nouimus res ecclesie uota fidelium esse, precia peccatorum, et patrimonia pauperum, cuique non solum habita conseruare, uerum etiam, Deo opitulante, conferre temptamus.

Ut autem ab ecclesiasticis de diuidendis rebus ecclesie suspicionem dudum conceptam penitus amoueamus, statuimus, ut neque nostris, neque filiorum, et, Deo dispensante, successorum nostrorum temporibus, ullam penitus diuisionem aut iacturam patiantur.

Gratian. Cum ergo preter conscientiam episcopi, uel eius, cui huiusmodi officia commissa sunt, quilibet prohibetur lationes ecclesie distribuere, liquido apparet, quod cum episcopi consensu quibuslibet ecclesiis possint distribui.

§. 1. Huic interpretationi uidetur contraire auctoritas illa Tolletani Concilii. [IV., c. 32].

C. LX. Nichil de iure sue diocesis episcopi presumant auferre.

Constitutum est a presenti concilio, episcopos dioceses suas ita regere, ut nichil ex earum iure presumant auferre, sed iuxta priorum auctoritatem conciliorum tam de oblationibus quam de tributis ac frugibus tertiam consequantur.

Quod si amplius quippiam ab eis presumptum extiterit, per concilium restauretur, appellantis ipsis conditoribus, aut certe propinquis eorum, si iam illi a seculo discesserunt.

**C. LXI.** Possessiones ecclesiae derelictas nulli sit licentia alienandi.

Item Simacus Papa. [ad Cæsarium fratrem c. 1].

Possessiones, quas unusquisque ecclesiae proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis atque distractionibus, uel sub quocumque argumento non patimur, nisi forte aut clericis bonorum meritis, aut monasteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis, si necessitas largiri suaserit; sic tamen, ut hec ipsa non perpetuo, sed temporaliter perfruantur.

Gratian. Sed illud Tolletani concilii ita intelligendum est, ut episcopi preter quartam uel tertiam, que secundum locorum diuersitates eis debetur, nichil contingant.

Unde in Concilio Leonis Papæ [IV. c. 26]. statutum est:

**C. LXII.** A clericis et piis locis ultra statuta Patrum aliquid episcopus non exigat.

Nulli episcoporum liceat a subiecto sacerdote, uel alio quolibet clerico, et piis locis dationes ultra statuta Patrum exigere, aut superposita in angariis inferre.

Sed cum optimus sit perspector, ita perspiciat, ut uniuersæ sibi oues commissæ a se maxime alantur, atque in necessitatibus adiuuentur, non illicitis exactionibus obprimantur, quia Dominus pascere et docere nos docuit et omnibus ministrare, non terrenis lucris et auaritiis delectari.

**C. LXIII.** De redditibus ecclesiae quarta pars clericis distribuenda est.

Item Gregorius Leoni Episcopo Cathinensi. [lib. VII. epist. 8].

Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit et iudicia esse constituit, ut nec prepositi in obprimendos se frustra ualeant occupare subiectos, nec subiectis iterum contra suos prepositos effrenata sit resultandi licentia.

§. 1. Volumus ergo, ut quicquid ecclesiae tuæ ex redditu uel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbiteris, diaconibus ac clero (ut tibi uisum fuerit) discrete diuidere.

**C. LXIV.** Episcopi turpis lucri gratia nichil a monachis uel clericis suis exigere debent.

Item ex VII. Sinodo. [c. 4].

Predicator ecclesiae Paulus diuinus apostolus, ac si canonem ponens Ephesiorum presbiteris, imo uero et omni sacratæ multitudini ac plenitudini, ita fiducialiter perhibuit: “Argentum et aurum, aut uestem nullius concupiui.

Omnia ostendi uobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, beatius existimans dare quam accipere”.

Propter quod et nos docti ab eo diffinimus, nullatenus episcopum turpis lucri gratia excogitare ad excusandas excusationes in peccatis expetere aurum uel argentum, aut aliam speciem a presbiteris, uel clericis, uel monachis, qui sub ipso sunt.

Ait enim Apostolus: “Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis”.

Et apostolus Petrus: “Pascite, qui in uobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in clero sed forma facti gregis.

Et cum aparuerit princeps pastorum, percipietis inmarcescibilis gloriae coronam”.

Gratian. Illud autem, quod in fine capituli Simaci ponitur: “Hec ipsa non perpetuo, sed temporaliter perfruantur,” ad personales tantum possessiones, clericorum uidelicet et pauperum, non ad monasteriales referendum est.

## VII. Pars.

§. 1. Quam uero sit graue apud Deum decimas, et oblationes, ac primicias sacerdotibus non soluere, auctoritate Ieronimi et Augustini apparet.

Ait namque Ieronimus super Malachiam:

C. LXV. Reus apud Deum habetur qui sacerdotibus decimas non soluerit.

“Reuertimini ad me, et ego reuertar ad uos, dicit Dominus exercituum; et dixistis, in quo reuertemur?

Si homo affiget Deum, quia uos configitis me, et dixistis, in quo configimus te? in decimis et in primiciis.

Et in penuria uos maledicti estis, et me configitis tota gens”.

Nunc sequamur ordinem prophetæ: “Quia michi non reddidistis decimas et primicias, idcirco in fame et penuria maledicti estis, et me uos subplantastis, siue defraudastis”.

Ecce annus expletus est, et nichil in meos thesauros, sed in uestra horrea conportastis et pro decimis et primiciis, que parua erant, ut a uobis darentur, ubertatem possessionum uestrarum et omnem frugum habundantiam perdidistis.

Ut autem sciatis, me hoc irascente perfectum, quia fraudastis me parte mea, hortor uos atque conmono, ut inferatis decimas in horrea hoc est in thesauros templi, et habeant sacerdotes atque Leuitæ, qui michi ministrant, cibos, et probate me, si non tantas pluuias effudero, ut catheractæ celi apertæ esse credantur, “et effundam uobis benedictionem usque ad habundantiam”.

Verbum effusionis nomen largitatis ostendit.

Sed fieri potest, ut agros irrigantibus pluuiis sit quidem fertilitas, uerum aut locusta ueniet, aut brucus, aut erugo, aut eruca, et labores hominum uastabunt.

Propterea subiungit et dicit: “Et increpabo pro uobis deuorantes,” locustam uidelicet, et reliqua, que diximus, “et non corumpent fructum terræ uestræ”.

§. 1. Si quando fames, et penuria, et rerum omnium egestas obrimit mundum, sciamus, hoc ex Dei ira descendere, qui se in pauperibus, si non accipiant elemosinam, fraudari loquitur, et suas possessiones possumus decimas et primicias interpretari.

§. 2. Si quis doctus et eruditus lege Domini potest alios erudire, non debet suæ adsignare prudentiæ ingenio que quod possidet, sed gratias agat Domino primum, qui cuncta largitur, deinde sacerdotibus eius ac ministris, a quibus doctus est.

Si enim non egerit gratias, sed sibi scientiam uendicauerit, in penuria maledicetur.

Quod si intelligens largitorem Deum, et agens his gratias, per quos a Deo eruditus est, humiliauerit se, et in horreum Dei intulerit cibos, hoc est scripturæ alimenta in ecclesia populis ministrauerit, statim aperientur super eum catheractæ celi, et effundetur pluuias spiritualis, et mandabit nubibus suis, ut pluuant super eum imbrem, et habundantia rerum omnium perfruetur.

**C. LXVI.** Decimæ sacerdotibus sunt reddendæ.

Item Augustinus. [serm. CCXIX. de tempore]

Decimæ tributa sunt egentium animarum.

Quod si decimam dederis, non solum habundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis consequeris.

Non igitur Dominus Deus premium postulat, sed honorem.

Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est accipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam.

Sed si tardius dare peccatum est, quanto magis peius est peccatum non dedisse?

De militia, de negocio et de artificio redde decimas.

Cum enim decimas dando et terrena et celestia possis premia promereri pro auaritia duplicem benedictionem fraudas?

Hec est enim Domini iustissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris.

Dabis in pio militi quod non uis dare sacerdoti.

Benefacere Deus semper paratus est, sed hominum malicia prohibetur.

Decimæ etenim ex debito requiruntur, et qui eas dare noluerint res alienas inuadunt.

Et quanti pauperes in locis suis ubi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal eterni iudicis apparebit, quia rem a Domino pauperibus delegatam suis usibus reseruauit.

Qui ergo sibi aut premium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat decimam; etiam de nouem partibus studeat elemosinam dare pauperibus.

**C. LXVII.** Se ipsum condempnat qui euangelizantibus necessaria subtrahit.

Item Ieronimus. [in comm. ad c. 3. epistolæ ad Titum in fine].

Apostolicis uiris et euangelizatoribus Christi in necessariis usibus nolle tribuere, se ipsum condempnare est.

Quod autem decimæ episcoporum consensu monachis licite tribuantur B. Ieronimus Damaso Papæ scribit, dicens.

**C. LXVIII.** Liberum est clericis monachis decimas concedere.

Quoniam quicquid habent clerici pauperum est, et domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum et hospitem inuigilare debent, maxime curandum est illis, ut de decimis et oblationibus cenobiis et senodochiis qualem uoluerint et potuerint sustentacionem inpendant.

Liberum est enim monachis et spiritualibus uiris Deum timentibus et colentibus decimas et oblationes cuncta que remedia concedere, et de iure suo in dominium illorum et usum transferre, nec tam in pauperibus paupertatem quam religionem attendere.

§. 1. Quod autem beatitudo tua quesiuisset, utrum usus decimarum et oblationum secularibus prouenire possit, nouit uestra sanctitas omnino non licere, protestantibus hoc omnibus diuinis auctoritatibus paternorum canonum.

Quamobrem, si aliquando fuerint ab his male detenta, que diuini iuris esse noscuntur, et in usum monachorum transierint et seruorum Dei, episcopo tamen loci illius prebente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate et stabilitate subnixa.

§. 2. Clericos autem illos conuenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum et propinquorum nulli suffragantur.



Qui autem bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto incurrunt et committunt, et per abusionem talium iudicium sibi manducant et bibunt.

Gratian. De prediis autem, que a colonis eorum coluntur, sic diffinitum est in Magontiensi concilio: “Questi sunt preterea etc.”.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De capellis uero, que ab eis possidentur, quod per eorum institutionem a sacerdotibus sint gubernandæ, Iohannes Papa probat, scribens Ysaac Siracusano Episcopo.

**C. I.** Presbiteri in monasteriorum ecclesiis instituantur per abbates.

Visis litteris karitatis uestræ, quibus satis perpenditur, quanto studio huic sanctæ sedi reuerentiam exhibetis, non modice gauisi sumus.

Nunc itaque super ea, que consuluistis, ut karissimo fratri benigne discretum consilium damus.

Delegauit enim nobis pia mansuetudo uestra, utrum ecclesiæ pro quiete monachorum a sanctis conciliis catholicis que episcopis eis traditæ per sacerdotes ab eis ordinatos et inuestitos debeant institui.

Addidit quoque fraternitas tua, litem et seditionem inter clericos monachos que ex hac causa non modicam esse ortam; quod instigatione uersuti hostis nemo fieri ambigat.

Habet enim mille nocendi modos, nec ignoramus astutiam eius.

Conatur namque a principio ruinæ suæ unitatem ecclesiæ rescindere, karitatem uulnerare, sanctorum operum dulcedinem inuidiæ felle inficere, et omnibus modis humanum genus euertere et perturbare.

Dolet enim satis et erubescit karitatem, quam in celo nequiuit habere, homines constantes ex lutea materia in terra tenere.

Unde oportet (quantum fragilitati nostræ conceditur) ut omnes aditus nocendi eius uersuciæ muniamus, ne mors ingrediatur per portas nostras.

§. 1. Consilio itaque multorum fratrum diligenter exquisito decernimus, ut amodo ecclesiæ monachis traditæ per suos sacerdotes instituantur.

Diuinæ enim leges habent et seculares, ut cuius est possessio eius fiat institutio, et si in dando quod maius est facilis fuit karitas, sit facilius in concedendo quod minus est sancta largitas.

Maius enim fuit possessionem dare quam sit inuestituram concedere.

Quomodo possessoris iura cognoscentur, et suarum rerum sibi tributa reddentur, ubi quod suum est per alterum datur, et, cum uoluerit, aufertur?

Humani moris est illum uereri, cuius iudicio et uoluntate nunc erigitur, nunc deprimitur.

Unde fit, ut in partem episcopi ad seruiendum sacerdos procliuior fiat, et sic episcopus quod sancte et religiose dederat quadam simulata auctoritate ad se trahat.

Sic itaque priuatur mercede, quam consecutus fuerat, tum quia ficta karitate aufert quod dederat, tum quia prauorum sacerdotum discordias, et scissuras amantium, uerbis nimis factus credulus, quod prius fucate moliebatur lucrari post detecta fraude conatur quadam usurpatione ex toto auferre.

Quorum auertentes calliditates et hostis uersuti suasiones, deinceps omnino licentiam damus suarum ecclesiarum inuestitores fieri, ita tamen, ut iudicio sinodi, si contra sacerdotium agere presumpserint, multentur, et felici mucrone episcopi sacerdotum piacula resecentur.

## II. Pars.

Gratian. Hac auctoritate monachis conceditur inuestitura suarum ecclesiarum. Sed uidetur contraire Urbanus papa II., dicens:

### [PALEA. C. II.

Admonemus atque precipimus, ut decimas omnino dari Deo non negligatur, quas ipse Deus dari constituit, quia timendum est, ut quisquis Deo debitum suum subtrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua].

### [PALEA. C. III. De eodem.

Item Nicolaus Papa II. epistola unica, c. 5.

Precipimus, ut decimæ et primiciæ, seu oblationes uiuorum et mortuorum ecclesiis Dei fideliter reddantur a laicis, et ut in dispositione episcoporum sint.

Quas qui retinuerint, a sanctæ ecclesiæ communione separentur].

### [PALEA. C. IV. De eodem.

Item Leo Papa.

Nullus decimas ad alium pertinentes accipiat].

### [PALEA. C. V.

Item Ambrosius sermone I. de Quadragesima.

Nam qui Deo non uult reddere decimas, quas retinuit, et homini non studet reddere quod iniuste ab eo abstulit, non timet adhuc Deum, et ignorat quid sit uera penitencia uera que confessio.

Iste talis homo non potest ueram facere elemosinam].

C. VI. Abbates in parrochialibus ecclesiis absque episcopi consilio presbiteros non ordinent.

Sane quia monachorum quidam episcopis ius suum auferre contendunt, statuimus, ne in parrochialibus ecclesiis, quas tenent, absque episcoporum consilio presbiteros collocent, sed episcopi parrochiæ curam cum abbatum consensu sacerdoti committant, ut eiusmodi sacerdotes de populi quidem cura episcopis rationem reddant, abbati uero pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subiectionem exhibeant, et sic sua cuique iura seruentur.

Idem:

§. 1. In parrochialibus ecclesiis presbiteri per episcopos constituentur qui eis respondeant de animarum cura, et his, que ad episcopum pertinent.

C. VII. Quorumcumque monachorum ecclesiæ episcoporum subdantur regimini.

Item ex Concilio apud Flautiam habito.

Statuendum est, quatinus ecclesiae quorumcumque monachorum in singulis parrochiis sitae episcoporum, ut decet, diuinitus subdantur regimini, eis que debita obsequia exhibeant.

Gratian. Ecce Urbanus Papa prohibet inuestituras parrochialium ecclesiarum per monachos fieri, quas Iohannes Papa eis concessit.

Sed illud Iohannis Papae intelligendum est de illis capellis, que cum omni iure suo ab episcopis monachis conceduntur.

Istud autem Urbani intelligendum est de illis, quas abbates in propriis prediis edificant in uillis uel in castellis suis.

## [QUESTIO VI].

### GRATIANUS.

Tales, etsi ius territorii habeant, tamen potestatem gubernandi populum, et spiritualia ministrandi non habent.

Quod etiam de episcopo intelligendum est.

Unde Nicolaus Papa ait:

**C. VIII. [I].** Episcopus, qui in alterius diocesi ecclesiam edificat, eius consecrationem sibi uendicare non audeat.

Si quis episcoporum in alienae ciuitatis territorio pro quacumque suorum opportunitate ecclesiam edificare disponit, non presumat dedicationem, que illius est, in cuius territorio ecclesia assurgit.

Edificatori uero episcopo hec gratia reseruetur, ut quos desiderat clericos in re sua ordinari, ipsos ordinet is, cuius territorium est, uel si ordinati iam sunt, ipsos habere adquiescat, et omnis ecclesiae ipsius gubernatio ad eum, in cuius ciuitatis territorio ecclesia surrexerit, pertinebit.

**C. IX. [II].** Basilicae nouiter conditae ad episcopum pertinent, cuius conuentus constiterit esse.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 34].

Possessio territorii conuentum non adimit ideo que nouae basilicae, que conditae fuerint, ad eum proculdubio pertinebunt episcopum, cuius conuentus esse constiterit.

**C. X. [III].** Edificatori episcopo in diocesi alterius ecclesiam consecrare non licet.

Item Gregorius. [lib. XI. epist. 19. ad Iohannem Subdiaconum]

Lator presentium Iohannes, frater et coepiscopus noster, indicauit nobis, quod quidam Exsuperantius episcopus ausu temerario in diocesi ipsius oratorium construxerit, eum que sine precepti auctoritate contra morem presumpserit dedicare, missas que illic celebrare non metuit.

Quam rem cum summa te celeritate ac districtione conuenit emendare, nec ulterius tale aliquid attemptare permittere.

Gratian. Quod de iure ordinandi, non possidendi intelligendum est.

His auctoritatibus facile potest perpendi, quod siue abbates siue episcopi in suis castellis uel uillis ecclesias edificauerint, non ideo episcopo, in cuius diocesi fuerint, conuentus adimitur, et ideo sacerdotes, iuxta illud Urbani et Nicolai, in eis non nisi per episcopos, cum consensu tamen et electione edificantium, ordinari possunt.

**QUESTIO III.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem prescriptione temporis omnia iura tollantur, probatur auctoritate Calcedonensis Concilii et Gelasii Papæ, et Tolletani Concilii.

Prima hec est:

**C. I.** Rusticanæ parrochiæ apud episcopos, qui eas possident triginta annis sine uiolentia permaneant immobiles.

Per singulas ecclesias rusticanas parrochias, permanere immobiles apud eos, qui eas tenent, episcopos decreuimus, et maxime si eas sine uiolentia per triginta annos gubernauerunt.

Si uero intra triginta annos facta fuerit de eis dubitatio, liceat eis, qui se dixerint lesos propterea, mouere apud sinodum prouinciæ certamen.

**C. II.** Dioceses triginta annis ab episcopis possessæ immobiles permaneant.

Item Gelasius. [epist. II. ad Siculos, c. 1].

Presulum nostrorum auctoritas emanauit, ut facultates ecclesiæ episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen, ut uiduarum et pupillorum atque pauperum, necnon et clericorum stipendia distribuere debeant.

Hoc eis statuimus dari, quod hactenus decretum est; reliquum sibi episcopi uendicent, ut, sicut antea diximus, peregrinorum atque captiuorum largitores esse possint.

§. 1. Illud etiam annecti placuit, ut si, quod absit, facultates ecclesiæ, nec non dioceses ab aliquibus possidentur episcopis, iure sibi uendicent quod tricennalis lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principum ita emanauit auctoritas.

**C. III.** Territorii possessio conuentum non adimit.

Item ex Tolletano Concilio IV. [c. 34].

Sicut diocesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii conuentum non adimit.

**C. IV.** Tricennalis possessio intra unam prouinciam seruari debet.

Item ex eodem. [c. 33].

Quicumque episcopus alterius episcopi diocesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quamuis secundum ius legis eius non uideatur esse diocesis, admittenda tamen non est contra eum actio repossendi.

Sed hoc intra unam prouinciam, extra uero nullo modo, ne, dum diocesis defenditur, prouinciarum termini confundantur.

**II. Pars.**

Gratian. Ecce his auctoritatibus probatur, quod possessionis et gubernationis iura prescriptione tolluntur.

Sed idem Gelasius contra testatur, scribens Maximo et Eusebio Episcopis:

**C. V.** Status parrochiarum nec presumptione, nec temporis prescriptione mutari potest. Licet regulis contineatur antiquis, parrochias unicuique ecclesiæ pristina dispositione deputatas nulla posse ratione conuelli, ne per consuetudinem pessimam, exempli mali temeritate crescente, uniuersalis confusio nasceretur: tamen etiam decretis nostris ante non multum temporis destinatis omnia iussimus, que taliter fuerant inuasa, restitui. Nulla igitur presumptione statum parrochiarum, qui perpetuæ etatis firmitate durauit, patimur inmutari, quia nec negligentia pontificum, nec temporalis obiectio (que per incuriam forte generatur), neque ignauia faciente consensus adhibitus, nec subripiente supplicatione preceptio diuellere potest semel diocesim constitutam, ex qua semper ad regenerationem atque consignationem plebs deuota conuenit. Territorium etiam non facere diocesim, olim noscitur ordinatum. Gratian. Hoc multipliciter distinguitur. Sunt quedam dioceses, quæ certis limitibus distinctæ sunt; hæ nullo modo prescribi possunt. Aliæ uero, que non sunt certis limitibus distinctæ, et de quibus certa diffinitio non olim processit, prescriptione tolluntur. Unde Innocentius Papa ait:

**C. VI.** Limitis possessio prescribi non potest. Inter memoratos fratres nostros, Fulgentium Astigitanum et Honorium Cordubensem episcopos, discussio agitata est propter parrochiam basilicæ cuiusdam, quam horum alter Cellacensem, alter Reginensem asseruit. Et quia inter utrasque partes hactenus limitis actio uentilatæ est, cuius quamuis uetusta retentio nullum iuris preiudicium afferret, ideo que, ne in dubium ultra inter eos nostra deuocaretur sententia, prolatis canonibus sinodalia decreta perlecta sunt. Quorum auctoritas premonet, ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos alienos usurpet; ob hoc placuit inter alternas partes inspectores uiros mittendos, ita ut diocesis possidentis (si tamen basilicam ueris signis limes prouisus monstrauerit) ecclesiæ, cuius est ius retentionis, sit eternum dominium. Quod si limes legitimus eandem basilicam non concludit, et tam longi temporis probatur obiecta prescriptio, appellatio presentis episcopi non ualebit, quia illi tricennalis obiectio silentium inponit. Hoc etiam et secularium principum edicta precipiunt, et presulum Romanorum decreuit auctoritas. Si uero infra metas tricennalis temporis extra alienos terminos basilicæ iniusta retentio reperitur, repetentis episcopi iuri sine mora restituetur.

**C. VII.** Spatia, que diffinita fuerint, tempore prescribi non possunt. Item Gelasius Iusto Episcopo. Dilectio tua studeat, quesita omnium fideliter rerum ueritate, ut si de spaciis, de quibus memoratur orta contentio, diffinito dudum certa processerit, intemerata seruetur; alioquin, si nichil umquam constiterit terminatum, tunc de prescriptione temporum, si qua pars confidit, prebeat sacramentum, ut tamen que hactenus possedissee probabitur, iusiurandum sinatur offerre.

### **III. Pars.**

Gratian. Potest et aliter distingui.

Que quisque sua auctoritate usurpat, quia nullo titulo possidere incipit, prescribere non potest, et in hoc casu intelligenda est illa auctoritas Gelasii: “Temporalis obiectio, que per incuriam forte generatur, non potest diuellere diocesim semel constitutam”.

Intelligendum est, si nullo titulo, sed sola usurpatione eam possidere cepit.

Si uero iudicis auctoritate, et priuilegiorum longa consuetudine possidere cepit, tunc temporalis obiectio actori silentium inponit.

Unde Gelasius Papa ait:

**C. VIII.** Priuilegia per XXX. annos possessa immobilia seruari debent.

Placuit huic sanctæ et magnæ synodo, ut res uel priuilegia, que Dei ecclesiis ex longa consuetudine pertinent, et siue a diuæ recordationis imperatoribus, siue ab aliis Dei cultoribus in scriptis donata, et ab eis XXX. per annos possessa sunt, nequaquam a potestate presulum eorum quecumque persona secularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quelibet auferat; sed sint omnia in potestate ac iussu presulis ecclesiæ, quecumque intra XXX. annorum spacia ab ecclesiis possessa fuisse noscuntur.

Quisquis ergo secularium contra presentem diffinitionem egerit, tamquam sacrilegus iudicetur, et donec se correxerit, et ecclesiæ propria priuilegia seu res restituerit. anathema sit.

Idem Episcopis Dardaniæ.

**C. IX.** Repeti non possunt que XXX. annis quiete possidentur.

Inter cetera inquit: Post quingentos annos constituta Christi quosdam audio uelle subuertere, cum XXX. annorum lex hominum non possit abrumpi.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Item si de rebus ecclesiæ controuersia mota est, et diffinitio subsecuta, etsi iniusta sit, tamen quia non sua, sed diffinientis auctoritate possidere cepit, tricennalis prescriptio petitori silentium inponit, ita tamen, ut subputatio prescriptionis non a tempore diffinicionis, sed a decessu diffinientis exordium sumat.

Unde in Tolletano Concilio [IX. c. 8]. statutum est:

**C. X.** Vita irrite disponentis non poterit pertinere ad tricennium temporis.

Si sacerdotes uel ministri, dum gubernacula ecclesiarum amministrare uidentur, contra Patrum sanctissimas sanctiones de rebus ecclesiæ diffinisse aliqua dinoscuntur, non ex die, quo talia scribendo decreuerunt, sed ex quo talia moriendo diffinita reliquerunt, subputacionis ordo substabit.

Nusquam etenim poterit ad tricennium temporis pertinere uita irrite iudicantis, quia status contractuum non sumpsit incia ab origine equitatis.

#### **V. Pars.**

Gratian. Item ea, que in beneficiis possidentur, siue que metu hostilitatis interueniente diutius possessa fuerint, prescribi non possunt.

Unde in Agatensi Concilio [c. 59]. diffinitum est:

**C. XI.** Que in beneficiis possidentur prescribi non possunt.

Clerici quilibet quantacumque diuturnitate temporis de ecclesiæ remuneratione aliqua possederint, in ius proprium prescriptione temporis non uocentur, dummodo pateat ecclesiæ rem fuisse, ne uideantur etiam episcopi administrationis prolixæ aut precatórias, cum ordinati sunt, facere non debuisse, aut diu retentas facultates in ius proprietatis suæ posse transscribere.

**C. XII.** Que humanitatis intuitu aliquibus prestantur prescribi non possunt.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 25].

Si episcopus humanitatis intuitu mancipiola, uineolas uel terrulas clericis aut monachis, uel quibuslibet prestiterit excolendas uel tempore tenendas, etiamsi longa transisse annorum spatia conprobentur, nullum ecclesia preiudicium patiatur, nec secularis legis prescriptio, que ecclesiam aliquam inpediat obponatur.

**C. XIII.** Temporis prescriptio non obicitur ubi hostilitatis metus interuenerit.

Item ex Concilio Spalensi, [II]. cui interfuit Ysidorus. [cap. 1].

## **VI. Pars.**

Prima actione Theodulfi Malachitanæ ecclesiæ antistitis ad nos oblata precatio est, asserentis antiquam eiusdem urbis parrochiam militaris quondam hostilitatis discrimine fuisse decisam, et ex parte aliqua ab ecclesiis Astigitanæ, Eliberitanæ atque Egabrensis urbium esse retentam.

Pro qua re placuit, ut omnis parrochia quam antiqua ditione ante militarem hostilitatem retinuisse ecclesiam suam quisque conprobaret, eius priuilegio restitueretur.

Sicut enim per legem mundialem his, quos barbarica seueritas captiua necessitate transuexit, postliminium reuertentibus redditur antiqua possessio, non aliter et ecclesia receptura est parrochiam, quam ante tenuit cum rebus suis, siue ab aliis ecclesiis possideatur, siue in cuiuslibet possessionem transfusa sit.

Non enim erit obicienda prescriptio temporis, ubi necessitas intererit hostilitatis.

**C. XIV.** Temporis non currit prescriptio, ubi furor hostilitatis incumbit.

Item Iohannes Papa [VIII]. Paulo Episcopo, fungenti legatione in Germaniam et Pannoniam.

Porro si de annorum numero forte causatur, sciat, quia inter Christianos et eos, qui unius fidei sunt, numerus certus affixus est.

Ceterum, ubi paganorum et incredulorum furor in causa est, quantalibet pretereant tempora, iuri non preiudicat ecclesiarum, que corporalia nescientes arma solum Dominum et propugnatorem suum, quando ei placuerit misereri, patienter expectant.

Verum si annorum prolixitas in talibus inpediat, Deus ipse reprehendendus est, qui post quadringentos et triginta annos filios Israël de durissima seruitute Pharaonis et fornace ferrea liberauit; sed et ipse per se redemptor, hominum genus post annorum milia de inferni claustris eripuit.

## **VII. Pars.**

Gratian. Tolluntur etiam prescriptione illæ dioceses, quas propriis episcopis negligentibus alii ab heresi ad fidei integritatem reuocauerunt.

Unde in IX. Affricano Concilio [c. 88]. legitur:

C. XV. Si qui episcopi dioceses suas Deo lucrari negligunt post triennium constabunt eis episcopis, quorum studio fidei sunt reconciliatæ.

Placuit, ut quicumque negligunt loca ad suam cathedram pertinentia in catholica unitate lucrari, conueniantur a diligentibus uicinis episcopis, ut id agere non morentur.

Quod si intra sex menses a die conuentionis non effecerint qui potuerit eas lucrari, ad ipsum pertineant, ita sane, ut si ille, ad quem pertinuisse uidebantur, probare potuerit, magis illius electam negligentiam ab hereticis, ut inpune ibi sint, et suam diligentiam fuisse preuentam, ut eo modo eius cura sollicitior uitaretur cum hoc iudices episcopi cognouerint, suæ cathedræ loca restituant.

Gratian. Potest etiam aliter intelligi prescriptio illa longi temporis qua Gelasius negat statum parrochiarum posse mutari.

Longum enim tempus, sicut ex legibus habetur, decennium uel uicennium intelligitur.

Huius ergo longi temporis prescriptio auctoritate Gelasii et secularium legum ecclesiis obici non potest.

### VIII. Pars.

§. 1. Prescriptionum aliæ sunt odio introductæ petentis et fauore possidentis: aliæ tantum odio petentis.

Qui enim bona fide et iusto titulo rem presentis per decennium, absentis uero per uicennium tenuerit, perpetua exceptione tutus erit, non solum aduersus alios, sed etiam aduersus creditores, quibus res ipsa obligata fuerat, etiam aduersus uerum dominum.

Si uero aliquo casu a possessione ceciderit, etiam aduersus uerum dominum utiliter rem uendicare poterit.

Si autem nullo titulo, bona tamen fide, per tricennium rem alicuius possederit, simili gaudebit presidio.

Bona uero fides non ad tractum medii temporis, sed ad initium possessionis refertur.

Sufficit enim in initio cuique bona fide possidere cepisse, etiamsi medio tempore conscientiam rei alienæ habuerit.

§. 2. Hæ prescriptiones sunt introductæ fauore possidentis et odio petentis, quia lex fauet his, qui bona fide et iusto titulo, uel bona tantum fide possident, odit autem et punit circa rem suam negligentes et desides.

§. 3. Quod si mala fide rem alienam quis possidere ceperit, post XXX. annos aduersus omnem petentem exceptione tutus erit.

Si uero aliquo casu a possessione ceciderit, actionem non habebit, quia prescriptio hec non fauore malæ fidei possessoris, sed odio tantum rem suam persequi negligentis introducta est.

Si autem res ad creditorem suum uel ad dominum peruenerit, detentionis commodum habebit; si uero ad alium, creditor uel dominus aduersus eum experiri poterit, nec sibi proderit exceptio medii possessoris, quia non ab eo habuerit causam possidendi.

Quod si uiolenter possessio ad eos peruenerit, malæ fidei possessor indistinctæ possessionis commodum recipiet.

§. 4. Hec de prescriptionibus decennii, uel uicennii, uel tricennii intelligenda sunt, si sine interruptione possessa probentur.

Quod si per naturalem detentionem possessio interrupta fuerit, a die recuperatæ possessionis noui triginta anni in omnibus prescriptionis numerabuntur.

Si per litis contestationem, ab ultimo die litigii quadraginta anni computabuntur.



Quod si ab eo, qui in causa prescribendi erat, possessionem aliquis nanciscatur, tempus precedens cum tempore suæ possessionis continuare poterit.

§. 5. Is autem, cuius res prescribitur, si litem contestari non poterit, uel propter aduersarii absentiam, uel infantiam, uel furoris laborem cum neminem tutorem uel curatorem habeat, uel quia in magna potestate constitutus est, intra constituta tempora presidem adeat libellum ei porrigat, et hoc in querimoniam deducat, et sic temporis interruptionem faciat.

Si autem presidem adire non poterit, saltem ad episcopum locorum uel defensorem ciuitatis eat, et suam manifestare uoluntatem in scriptis deproperet.

Quod si preses, uel episcopus, uel defensor abfuerit, liceat ei publice proponere, ubi domicilium habet possessor, seu cum tabulariorum subscriptione, uel, si ciuitas tabularios non habeat, cum trium testium subscriptione; et hoc sufficiat ad omnem temporalem interruptionem siue triennii, siue longi temporis, siue triginta, uel quadraginta annorum sit.

§. 6. Hec de prescriptionibus inter priuatos.

Ceterum aduersus loca religiosa non nisi quadraginta annorum prescriptio currit.

Unde in Autenticis: “Quas actiones tricennalis prescriptio secludit, si loco religioso competant, quadraginta annis clauduntur”.

Et in Nouellis: “Neque decennii, neque uicennii, etc.”.

In canonibus uero ecclesia aduersus ecclesiam triginta annis, monasterium aduersus ecclesiam non nisi quadraginta annis prescribere permittitur.

Quod si priuatus primicias et decimas siue titulo siue sine titulo possederit, nulla temporis prescriptione tutus esse poterit.

Que enim ab inicio de iure effectum sortiri non possunt tractu temporis non conualescunt.

§. 7. Unde si liber homo longo tempore pro seruo detineatur, etiamsi quadraginta annorum curricula excesserint, sola temporis longinquitate libertatis iura minime mutilabuntur.

§. 8. Ad hec ecclesia reipublicæ: primitiæ, decimationes ciuiliū functionum instar obtinent.

§. 9. Porro publicæ functiones prescribi non possunt.

Unde VII. libro Codicis, titulo de triginta uel quadraginta annorum prescriptione, Inp. Anastasius:

[[C. XVI].

“Iubemus eos, qui rem aliquam per continuum quadraginta annorum curriculum sine quadam legitima interpellatione possederunt, de possessione quidem rei seu dominio nequaquam remoueri; functiones autem, seu ciuilem canonem, uel aliam quandam publicam collationem inpositam eis dependere compelli, nec huic parti cuiusque temporis prescriptionem obpositam admitti”.

[Gratian.] Licet predia, sine sint priuati siue ecclesiæ, possunt prescribi.

Prouentus primiciarum decimationum prescriptione tolli non potest, etiamsi a Romano Pontifice quilibet laicus super his rescriptum inpetrauerit.

§. 1. Rescripta enim, que contra ius scriptum inpetrata fuerint, nisi talia sint, que aliquibus prosint, et nulli obsint, nullius momenti esse censentur.

§. 2. Item: Decimæ Deo mandante sacerdotibus et Leuitis separatae sunt, ut de sorte Domini uiuerent qui in eius sorte connumerantur.

Non ergo cuiusquam priuilegio laicis concedi possunt, ne diuinis mandatis auctoritas humana preiudicium inferat.

§. 3. Unde Inp. Valentinianus et Theodosius: “Uniuersas terras, que a colonis, siue emphiteoticariis dominicis iuris, reipublicæ uel templorum in qualibet prouincia uenditæ uel ullo alio pacto alienatæ sunt, ab his, qui perperam atque contra leges eas detinent, nulla longi temporis prescriptione officiente, iubemus restitui, ita, ut nec precium quidem iniquis comparatoribus reposcere liceat”.

### IX. Pars.

§. 4. De prescriptionibus uero longi temporis in Autenticis inuenitur collatione VIII., constitutione sexta: “Quas actiones alias tricennalis, decennalis, uicennalis prescriptio secludit, si loco religioso competunt, quadraginta annis clauduntur usucapione quadriennii prescriptione suum locum habentibus”.

### X. Pars.

[Gratian.] Sed sola prescriptione XXX. annorum et deinceps, a qua tamen prescriptione priuilegia Romanæ ecclesiæ sunt exclusa, que non nisi centum annorum spatio prescribi possunt.

Unde Iohannes VIII. scribit Regi Lodouico:

C. XVII. Priuilegia Romanæ ecclesiæ non nisi centum annorum prescriptione tolluntur. Nemo de annorum numero resultandi sumat fomentum, quia sancta Romana (cui Deo auctore seruimus) ecclesia priuilegia, que in firma Petri stabilitatis petra susceperit, nullis temporibus angustantur, nullis regnorum partitionibus preiudicantur.

Sed uenerandæ Romanæ leges, diuinitus per ora principum promulgatæ, reum eius prescriptionem non nisi per centum annos admittunt.

## QUESTIO IV.

### GRATIANUS.

Ostensum est, quando ecclesia aduersus ecclesiam prescribere possit.

Nunc uidendum est, si monasterium aduersus ecclesiam prescribere ualeat?

Quod Urbanus II. prohibuit, dicens:

C. I. Tricennio temporis aliquid monachi prescribere non ualent.

Possessiones ecclesiarum et episcoporum tricennales abbates uel monachos habere omnimodis prohibemus.

Gratian. Sed si tollitur eis tricennalis possessio, a B. Gregorio conceditur eis quadragenalis prescriptio.

Ait enim Petro Subdiacono: [l. I. c. 9].

C. II. Quadraginta annorum prescriptio religiosis domibus conceditur.

Volumus accedente te ad Panormitanam ciuitatem questionem ipsam tali ratione discutere (dominio rei apud possessorem, sicut hactenus possessum est, uidelicet permanente), ut, si monasterium prefatum S. Theodori fines, de quibus causatio mota

est, inconcussos quadraginta annis possedissee repereris, nullam deinceps (etiam si quid sanctæ Romanæ ecclesiæ competere potuit) patiaris sustinere calumpniam, sed quietem eorum inconcussam omnibus modis procurate.

Sin uero actores ecclesiæ non eos possedissee quadraginta annis inconcussos iure monstrauerint, sed aliquam intra tempora hec motam fuisse aliquando questionem eorundem finium, electis arbitris tranquille et legaliter sopiatur.

### C. III. De eodem.

Item ex Nouellis Iustiniani. [Nouella CXXXI].

Neque decennii, neque uicennii, uel XXX. annorum prescriptio, sed sola XL. annorum curricula religiosis domibus obponantur, non solum in ceteris rebus, sed etiam in legatis et hereditatibus.

Gratian. Sicut ergo religiosis domibus ex lege non nisi quadragenaria est obicienda prescriptio, ita et auctoritate Gregorii aduersus alias ecclesias prescribere possunt eodem spacio temporis.

## QUESTIO V. [VI].

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem ea, que ecclesiæ debentur, rectores eiusdem sua auctoritate iudicis pretermisissis repetere non ualeant, B. Gregorius testatur, [lib. IV. c. 38]. dicens:

#### C. I. Iudicio, non manibus, res ecclesiæ defendantur.

Consuetudo noua in hac ecclesia et ualde reprehensibilis erupit, ut, cum rectores eius patrimonii urbana uel rusticana predia iuri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant, atque, quod competere pauperibus existimant, non iudicio, sed manibus defendant, et, cum predicatorum suos ueritas: “nichil per contentionem” agere precipiat, etiam ipsum litigiosæ contentionis malum transcenditur, et res quelibet, cum estimatur ecclesiæ posse competere, per uim tenetur.

Proinde presenti decreto constituto, ut, si quis ecclesiasticorum umquam titulos ponere siue in rustico siue in urbano predio sua sponte presumpserit, anathema sit.

Et responderunt omnes: “Anathema sit”.

§. 1. Is autem, qui ecclesiæ preest, si hoc uel ipse fieri preceperit, uel sine sua preceptione factum digna punire animaduersione neglexerit, anathema sit.

Et responderunt omnes: “Anathema sit”.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

#### II. Pars.

Gratian. Quod autem quisquis sua auctoritate que sibi deberi putat usurpat, nec per iudicem res poscit cadit a causa ex auctoritate Mileuitani Concilii habetur in quo ita statutum legitur: [c. 21].

**C. I.**

[II].

Causæ suæ detrimentum patiaturs episcopus, qui ecclesias suas ab alio retentas propria auctoritate querit adire.

Placuit, ut quicumque episcopi ecclesias uel plebes, quas ad suam cathedram existimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas episcopis iudicantibus agant, sed alio retinente irruerint, siue nolentibus siue uolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur.

Et quicumque hoc iam fecerint, si nondum inter episcopos finita est contentio, sed adhuc inde contendunt, ille inde discedat, quem constiterit pretermisissis iudicibus ecclesiasticis irruisse.

§. 1. Nec sibi quisque blandiatur, si a primate, ut retineat, litteras inpetrauerit, sed, siue habeat litteras siue non habeat, conueniat eum qui tenet, et eius litteras accipiat, ut eum appareat pacifice tenuisse ecclesiam ad se pertinentem.

Si autem ille aliquam questionem retulerit, per episcopos iudices causa finiatur siue quos eis primas dederit, siue quos ipsi uicinos cum consultu primatis delegerint.

**III. Pars.**

Gratian. Contra Gregorius Iohanni Defensori, eunti in Yspaniam, scribit [lib. XI. epist. 50.,] dicens:

**C. II.**

[III].

Delictum personæ in dampnum ecclesiæ conuerti non potest.

Si episcopum (quod absit) talem culpam commisissis constiterit, ut constet eum non irrationabiliter esse depositum, eadem eius depositio confirmetur, et omnes res suæ ecclesiæ que ablatae fuerant, restituantur, quia delictum personæ in dampnum ecclesiæ non est conuertendum.

Si autem dicitur, quia Comitiolus defunctus est, ab herede eius que ab illo iniuste ablata sunt sine excusatione reddantur.

**C. III.**

[IV].

In personam deliquentis, non in facultates eius ultio procedat.

Idem Petro Subdiacono. [lib. I. epist. 42].

Cognouimus, quod si quis ex familia culpam fecerit, non in ipso, sed in eiusdem substantia uindicetur.

De qua re precipimus, ut quisquis culpam fecerit, in ipso quidem, ut dignum est, uindicetur; a communionem eius autem omnino abstineatur.

**C. IV.**

[V].

Res eorum, qui ex clero labuntur simul cum ipsis monasterio tradantur.

Idem. [in eadem epistola]

De lapsis sacerdotibus, uel quolibet ex clero obseruare te uolumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis: sed pauperrima regularia monasteria require, que

secundum Deum uiuere sciunt, et in eisdem monasteriis lapsos trade ad penitenciam, et res lapsorum in eo loco proficiant, in quo agere penitenciam traduntur, quatinus ipsi ex rebus eorum subsidium habeant, qui de correptione eorum sollicitudinem gerunt.

Si uero parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita autem, ut eorum stipendia, qui in penitenciam dati fuerint, sufficienter debeant procurari.

§. 1. Si qui uero ex familia ecclesiastica sacerdotes uel Leuitæ, uel monachi, uel clerici, uel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in penitenciam uolumus, sed res eorum ecclesiastico iuri non subtrahi.

Ad usum tamen suum accipiant unde ad penitenciam subsistant, ne, si nudentur, locis, in quibus dati fuerint, sint onerosi.

### C. V.

[VI].

Inutilis sacerdos ecclesiam suam dignitate non priuat.

Item Leo IV. Karolo Regi.

Si fortassis (quod non credimus) apud uos inutiles iudicamur, ecclesia tamen, cui permittente Domino presumus, non inutilis, sed caput principium que omnium merito simul ab omnibus uocatur.

### C. VI.

[VII].

Possessiones monasterii pro peccato abbatis episcopo tollere non licet.

Item in Magontiensi Concilio.

Episcopo non licet possessionem monasterii tollere, quamuis abbas peccauerit; sed subiciat eum potestati abbatis alterius monasterii.

### [PALEA. C. VII.

[VIII].

Que sacerdotes dederunt subsequentes pontifices nullatenus auferre presumant.

Item Gelasius.

Illud statuendum censuimus, ut quascumque munificentias clericis aut sibi seruientibus de rebus ecclesiæ in usum, aut de propriis in proprietatem precedentes dederint sacerdotes, subsequentes pontifices nullatenus auferre presumant.

Si quid tamen culpæ extiterit, pro qualitate personarum uel regula precedentium canonum in persona habeatur, non in facultate districtum].

Gratian. Si ergo delictum personæ in dampnum ecclesiæ conuerti non potest, quin procurator condicionem ecclesiæ potest facere meliorem, non deteriolem; si peccato abbatis possessiones monasterii auferri non licet: quomodo delictum episcopi uertetur in dampnum ecclesiæ, ut inde detrimentum causæ suæ patiatur?

Sed detrimentum causæ pati non sic est accipiendum, ut ecclesia suo iure priuetur, potius, quia clericis coram iudice stantibus episcopus tacebit, et pro iniuria illata multabitur, si propria habuerit.

## QUESTIO VII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem ecclesias de manu laicorum nec abbati, nec alicui liceat accipere, omnium canonum testatur auctoritas.

Generaliter enim tam ecclesiæ quam res ecclesiarum in episcoporum potestate consistunt.

Laici autem nec sua, nec episcoporum auctoritate decimas uel ecclesias possidere possunt.

Unde episcopi, siue beneficio siue precio ecclesias uel decimas laicis dederint, domum orationis domum negociacionis et speluncam latronum faciunt.

Unde post eursionem cathedræ a cetu fidelium segregati eterno uerbere a Domino flagellabuntur.

Unde Gregorius VII. ait: [in Concilio Lateranensi, cap. 7. lib. VI. Regesti]

### C. I. Decimæ a laicis non possideantur.

Decimas, quas in usum pietatis concessas esse canonica auctoritas demonstrat, possideri a laicis apostolica auctoritate prohibemus.

Siue enim ab episcopis, uel regibus, uel quibuslibet personis eas acceperint, nisi ecclesiæ reddiderint, sciant, se sacrilegii crimen committere, et eternæ dampnationis periculum incurrere.

§. 1. Oportet autem congruentius nos decimas et primicias, quas iure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quas fideles Domino precipiente offerunt, iuxta uaticinium illud Malachiæ prophetæ: “Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea”.

§. 2. Has uero decimas sub manu episcopi fore censemus, ut ille, qui ceteris preest, omnibus iuste distribuat, nec quicquam personæ honorabilius exhibeat, unde alii scrupuloso corde moueantur, sed sint omnia communia, quia inhonestum uidetur, ut alii sacerdotes habeant, alii uero detrimentum patiantur, sed sicut una est fides catholica, ita necesse est, ut ille, qui prouisor est loci, quamuis multæ sint ecclesiæ, omnibus tamen fideliter distribuat.

PALEA.

### C. II. De eodem.

Unde Urbanus II.:

Congregato apud Claromontensem urbem multorum episcoporum sinodali conuentu, proposita nobis est a quibusdam eorum questio de ecclesiis uel de ecclesiasticis possessionibus, a clericis uel monachis usque in presentiarum inconsultis episcopis adquisitis.

Nos autem usi saniori consilio eorundem episcoporum, condescendentes pro tempore prouidentes que ecclesiasticæ paci, uel quia aliter absque ineuitabilis scandali periculo huiusmodi questio non poterat procedere, apostolica auctoritate decreuimus, ut ea, que a clericis uel monachis, uel a quibuscumque personis, prout potuerint, usque hodie fuerint acquisita, rata perhenniter et inconcussa permaneant, hoc tamen tenore, ne in posterum inconsultis episcopis talia presumant].

[[C. III].

Item Gregorius. [VII].

Peruenit ad nos fama sinistra, quod quidam episcoporum non sacerdotibus propriae diocesis decimas atque Christianorum oblationes conferant, sed potius laicalibus personis, militum uidelicet, siue seruatorum, uel (quod grauius est) consanguineis.

Unde, si quis amodo episcopus inuentus fuerit huius precepti diuini transgressor, inter maximos hereticos et antichristos non minimus habeatur, et, sicut Nicena synodus de symoniacis censuit, et qui dat episcopus, et qui recipiunt ab eo laici, siue precio siue beneficio, eterni incendii ignibus deputentur.

**C. IV.** Fideliter decimas dat qui omnium suorum decimas soluit.

Item Ambrosius in sermone Quadragesimæ. [cuius initium: Ecce nunc tempus]

Quicumque recognouerit in se, quod fideliter non dederit decimas suas, modo emendet quod minus fecit.

Quid est fideliter dare, nisi ut nec peius, nec minus aliquando offerat, de grano, aut de uino, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negocio, aut de ipsa uenatione sua?

**C. V.** Excommunicentur qui sacerdotibus decimas dare noluerint.

Item ex Concilio Rothomagensi.

Omnes decimæ terræ, siue de frugibus siue de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur.

[**PALEA.** Boues, et oues, et capræ, que sub pastoris uirga transeunt; quicquid decimum uenerit sanctificabitur Domino.

Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero conmutabitur.

Si quis mutauerit, et quod mutatum est, et pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, et non redimetur].

Sed quia modo multi inueniuntur, decimas dare nolentes statuimus, ut secundum Domini nostri preceptum admoneantur semel, et secundo, et tertio.

Qui si non emendauerint, anathematis uinculo feriantur, usque ad satisfactionem et emendationem congruam.

**C. VI.** Veterum exemplo decimæ soluuntur.

Item ex Concilio Magontiensi.

Decimas Deo et sacerdotibus Dei dandas, Abraham factis, Iacob promissis insinuat, et omnes sancti sacerdotes commemorant.

Gratian. Non autem sunt redimendæ a populo, si aliter eas dare noluerint.

Unde in eodem Concilio legitur:

**C. VII.** Decimæ non sunt redimendæ a populo.

Decimas, quas populus dare non uult, nisi quolibet munere ab eo redimantur, ab episcopis prohibendum est, ne fiat.

**C. VIII.** Quia decimæ non redduntur, indictio fisci accessit.

Item Augustinus. [lib. L. homiliarum, hom. 48].

Maiores nostri ideo copiis omnibus habundabant, quia Deo decimas dabant, et Cesari census reddebant.

Modo autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci.

Nolumus cum Deo partiri decimas, modo autem tollitur totum.

Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.

C. IX. Columbas uendit qui ecclesiam indisciplinatis committit.  
Item Origenes. [homil. 15. ad c. 21. Matthæi].

Et hec diximus secundum simplicem intellectum.

Iuxta moralem autem talia dicemus, et primum quidem de templo, de quo per Prophetam dixit Dominus: “Domus mea domus orationis uocabitur”.

Ergo secundum corporalem circumcisionem carnis, et secundum corporales legis festiuitates et sacrificia, consequenter et templum Dei estimabitur, quod in lapidibus insensatis erat constructum; primum quidem a Salomone, deinde reparatum ab Esdra, postea uero post Christi aduentum a Romanis destructum, et illa domus est orationis; qua destructa necesse est ut Iudei, quasi iam non habentes domum orationis, iam non habeant priuilegium speculatoris Dei nec possint secundum legem Deo seruire.

§. 1. Hoc ergo facto, omnia Christus eiecit in ministerio spiritualium actuum suorum, et quod tunc fecit uisibiliter egit eiciens uendentes et ementes de templo, et mensas nummulariorum euertens, et cathedras uendentium columbas ad correctionem populi, ut non pro mundanis festiuitates in nomine Dei celebrent, nec emptionibus et uendicionibus uacent in loco non competenti, in quo non debent emere et uendere, sed orationibus tantum uacare, atque congregari quasi in domo orationis.

§. 2. Nunc autem arbitror templum Dei ex lapidibus uiuis constructum ecclesiam Christi.

Sunt autem multi in ea, non, sicut condecet, spiritualiter uiuentes, sed secundum carnem militantes, qui et domum orationis de lapidibus uiuis constructam faciunt speluncam esse latronum, actibus suis non ecclesia Dei dignis, sed spelunca latronum.

Qui enim considerat in multis ecclesiis talium Christianorum peccata, qui arbitrantur questum esse pietatem, et cum deberent de euangelio uiuere, secundum quod uiuere decet seruos Dei, hoc non faciunt, sed diuicias et multas possessiones acquirunt, nonne dices, speluncam latronum factam esse sub illis ecclesiam?

ut recte dicat Christus ad eos propter dissipationem ecclesiæ suæ: “Que utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?”

Item ipse per Oseæ tali modo: “Væ michi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, et sicut racemum in uindemia, cum non sint botri ad manducandum primogenita. Væ animæ meæ, quia periit timoratus a terra, et qui corrigat in omnibus hominibus non est”.

Et cum intellexeris Iesum dicentem talia, et lugentem peccata nostra, aspice simul et illud, quod in euangelio scribitur: “Cum uidisset Iherusalem, fleuit super eam, et dixit, quia si cognouisses et tu”.

Et si rationabiliter fleuit super Iherusalem, fleuit super ecclesiam, rationabilius edificatam quidem, ut esset domus orationis, factam autem propter turpia lucra, speluncam latronum.

§. 3. Et arbitror conuenire uerbum de uenditoribus columbarum eis, qui tradunt ecclesias auaris, et tyrannicis, et indisciplinatis, et irreligiosis episcopis aut presbiteris.

Propter que et cathedras tantummodo appellauit Euangelista euersas esse ab Iesu.

Et utinam audirent hec cum dicentis ammonitione scripturæ qui gloriantur de cathedris Moisi, in quibus sedent, et uendunt omnes cathedras columbarum et tradunt eas talibus prepositis, ad quos recte dicitur a Domino per Iheremiam prophetam: “Principes populi mei me non cognouerunt.



Filii enim sunt insipientes, et non intelligentes: sapientes sunt ad male faciendum, bene autem facere nesciunt”.

Gratian. Cum ergo ecclesiae et oblationes earum non consistant, nisi in potestate episcoporum, patet profecto, quod non sunt ab alio recipiendae, quam de manu eorum. Unde in Aurelianensi Concilio [I. c. 19]. statutum est:

**C. X.** Omnes basilicae ad eum pertinent episcopum, in cuius territorio positae sunt. Omnes basilicae, que per diuersa loca constructae sunt uel cottidie construuntur, in episcopi potestate consistant, in cuius territorio positae sunt.

**C. XI.** Archidiaconus, archipresbiter, prepositus, uel decanus, nec officia, nec beneficia ecclesiastica tribuat sine consensu episcopi.

Item Calixtus Papa.

Nullus omnino archidiaconus, aut archipresbiter, siue prepositus, uel decanus animarum curam uel prebendas ecclesiae sine iudicio uel consensu episcopi alicui tribuat; immo, sicut sanctis canonibus constitutum est, animarum cura et pecuniarum ecclesiasticarum dispensatio in episcopi iudicio et potestate permaneat.

Si quis uero contra hoc facere, aut potestatem, que ad episcopum pertinet, sibi uendicare presumpserit, ab ecclesiae liminibus arceatur.

Item Gregorius VII. in generali Sinodo residens dixit: [cap. 1. et 2].

**C. XII.** De manu laici episcopatus uel abbatia suscipi non debet.

Si quis deinceps episcopatum uel abbatiam de manu alicuius laicae personae susceperit, nullatenus inter episcopos uel abbates habeatur, nec ulla ei ut episcopo seu abbati audientia concedatur.

Insuper gratiam B. Petri, et introitum ecclesiae interdicimus, quousque locum, quem sub crimine tam inobedientiae quam ambitionis ex qua scelus idolatriae cepit, resipiscendo non deserit.

Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus.

Item:

[c. 2]. §. 1. Si quis inperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, uel quilibet secularium potestatum aut personarum inuestituram episcopatum uel alicuius ecclesiasticae dignitatis dare presumpserit, eiusdem sententiae uinculo se obstrictum esse sciat.

**C. XIII.** Excommunicationi subiaceat, nec inuestiturae sentiat fructum, qui de manu laici ecclesiam susceperit.

Idem. [ibidem, cap. 3].

Quoniam inuesturas contra sanctorum Patrum auctoritatem a laicis in multis partibus cognouimus fieri, et ex eo plurimas perturbationes in ecclesia, immo ruinam sanctae religionis oriri, ex quibus Christianae censurae religio conturbatur, decernimus, ut nullus clericorum inuesturas episcopatus, uel abbatiae, uel ecclesiae de manu inperatoris, uel regis, uel alicuius laicae personae, uiri uel feminae, suscipiat.

Quod si presumpserit, recognoscat inuestituram illam apostolica auctoritate irritam esse, et se usque ad dignam satisfactionem excommunicationi subiacere.

**C. XIV.** De eodem.

Item ex Canone Apostolorum. [31].

Si quis episcopus secularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregetur, omnes que, qui illi communicant.

**C. XV. De eodem.**

Item ex Cronica Anastasii.

Sane Thessalonicenses episcopi ob metum inperatoris Anastasii Timotheo Constantinopolitano episcopo consenserunt, qui concilium Calcedonense anathematizauerat.

Quadraginta uero episcopi Illiricæ et Greciæ conuenientes in unum, per professionem in scriptis factam, ut a proprio metropolitano, discesserunt ab eo, et Romam mittentes Romano episcopo communicare in scriptis professi sunt.

Et paulo post:

§. 1. Cum Dioscorus (iunior) manus inpositionem accepisset recesserunt multitudines populorum dicentes quia secundum quod continent canones sanctorum Apostolorum non est factus episcopus et ideo non recipietur.

Principes enim inthronizant eum.

**C. XVI. Excommunicetur qui per laicos ecclesias obtinet.**

Item Pascalis Papa. [II].

Si quis clericus, abbas uel monachus per laicos ecclesias obtinuerit, secundum Apostolorum sanctorum canones et Antioцени capitulum concilii excommunicationi subiaceat.

**C. XVII. Qui per laicos ecclesias obtinet, et qui ei manus inponit, communionem priuetur.**  
Idem.

Constitutiones sanctorum canonum sequentes statuimus, ut quicumque clericorum ab hac hora inuestituram ecclesiæ uel ecclesiasticæ dignitatis de manu laici acceperit, et qui ei manum inposuerit, gradus sui periculo subiaceat, et communionem priuetur.

**C. XVIII. De eodem.**

Idem.

Nullus laicorum ecclesias uel ecclesiarum bona occupet uel disponat.

Qui uero secus egerit, iuxta B. Alexandri capitulum ab ecclesiæ liminibus arceatur.

**C. XIX. De eodem.**

Idem.

Sicut Domini uestimentum scissum non est, sed de eo sortiti sunt, ita nec ecclesia scindi debet, quia in unitate tota consistit.

In potestate ergo proprii episcopi ecclesiæ reducantur, et ab ipso (sicut in sacris canonibus cautum est) ordinentur.

Alioquin et ecclesiæ ipsæ, et clerici earundem diuinis destituantur offitiis.

**C. XX. Nullus clericus per laicos ecclesiam obtineat.**

Item Alexander. [II].

Per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbiter obtineat ecclesiam nec gratis, nec precio.

§. 1. Nullus habitum monachi suscipiat, spem aut promissionem habens, ut abbas fiat.

§. 2. Nullus presbiter duas habeat ecclesias.

C. XXI. Singuli episcopi suos habeant yconomos.

Item Concilio Calcedonensi. [c. 26].

Quoniam in quibusdam ecclesiis, ut rumore conperimus, preter yconomos episcopi facultates ecclesiæ tractant, placuit, omnem ecclesiam habentem episcopum habere yconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam proprii episcopi, ita, ut ecclesiæ dispensatio preter testimonium non sit, et ex hoc dispergantur ecclesiasticæ facultates, et sacerdotio maledictionis derogatio procuretur. Quod si hoc minime fecerit, diuinis constitutionibus subiacebit.

C. XXII. Laici non sunt constituendi yconomi.

Item ex Concilio Spalensi, [II]. cui interfuit Ysidorus. [c. 9].

Nona actione didicimus, quosdam ex nostro collegio contra mores ecclesiasticos laicos habere in rebus diuinis constitutos yconomos.

Proinde pariter tractantes elegimus, ut unusquisque nostrum secundum Calcedonensium Patrum edicta ex proprio clero yconomum sibi constituat.

Indecorum est enim laicum uicarium episcopi, esse et uiros ecclesiasticos iudicare.

In uno enim eodem que offitio non debet dispar esse professio.

Quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente Moyse: "Non arabis in boue simul et asino," id est: homines diuersæ professionis in uno offitio simul non sociabis.

Unde oportet nos et diuinis libris, et sanctorum Patrum obedire preceptis, constituentibus, ut qui in administrationibus pontificibus sociantur, nec professione discrepent, nec habitu.

Nam coherere et coniungi non possunt quibus et studia, et uota sunt diuersa.

§. 1. Si quis autem episcopus posthec ecclesiasticam rem aut laicalem procuracionem administrandam elegerit, aut si testimonio yconomi gubernandam non crediderit, uere ut contemptor canonum et fraudator ecclesiasticarum rerum non solum a Christo de rebus pauperum iudicabitur reus, sed etiam concilio manebit obnoxius.

C. XXIII. Laicus in ecclesia aliquid statuendi facultatem non habet.

Item in Sinodo Simaci Papæ Laurentius Mediolanensis episcopus dixit:

Non placuit, laicum statuendi in ecclesia habere aliquam potestatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas inperandi.

Item in concilio eodem Eulalius, Episcopus Siracusanæ ecclesiæ, dixit:

C. XXIV. Ecclesiasticas dignitates laici disponere non debent.

Laicis quamuis religiosis nulla de ecclesiasticis dignitatibus aliquid disponendi legitur facultas attributa.

C. XXV. Laicus sacrilegus habetur qui dispositionem uel dominationem rerum ecclesiasticarum usurpat.

Item Calixtus Papa. [II].

Si quis principum uel aliorum laicorum dispositionem seu dominationem rerum siue possessionem ecclesiasticarum sibi uendicauerit, ut sacrilegus iudicetur.

C. XXVI. In ecclesia, quam quis edificat, nichil sibi pre ceteris uendicet.

Item Gelasius Senecioni Episcopo.

### III. Pars.

Piæ mentis amplectenda est deuotio, qua Senilius nobis in re Viuiana sui iuris fundasse perhibet ecclesiam, quam in honore S. Viti confessoris eius nomine cupit consecrari. Hanc igitur, frater karissime, si ad tuam diocesim pertinere non ambigis, ex more conuenit dedicari, collata primitus donatione solempni, quam ministris ecclesiæ destinasse prefati muneris testatur oblato, sciturus sine dubio preter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nichil ibidem se proprii iuris habiturum.

#### C. XXVII. De eodem.

Idem.

Trigetius uero petitoria nobis insinuatione suggessit, in re sua, quod Sextilianum uocatur, basilicam se sanctorum Michælis archangeli, et Marci confessoris pro sua defensione fundasse.

Et ideo, frater karissime, si ad tuam pertinet parrochiam, benedictionem supra memoratæ basilicæ solempni ueneratione depende.

Nichil tamen sibi fundator ex hac basilica nouerit uendicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur.

#### C. XXVIII. De eodem.

Item Clemens. [epist. II. ad Iacobum]

Ecclesias per congrua et utilia facite loca, que diuinis precibus sacrari oportet, et non a quoquam grauari.

#### C. XXIX. Laici presbiteros de ecclesiis non eiciant.

Item Leo IV. Karolo Regi.

Contra sanctorum patrum censuras uidetur existere, si secularis uel laicus presbiteros ab ecclesiis, in quibus tempore ordinationis eorum denominati uel introducti fuerint, uidetur expellere.

Gratianus. Si uero fundatores ecclesiarum ad inopiam uergere ceperint, ab eisdem ecclesiis temporalis uitæ suffragia percipiant.

Unde in Tolletano Concilio [IV. c. 37]. legitur:

#### C. XXX. Fundatores ecclesiarum, si inopes esse ceperint, ab eisdem alimenta accipiant.

Quicumque fidelium propria deuotione de facultatibus suis aliquid ecclesiæ contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium uitæ pro temporis usu percipiant.

Gratianus. Si ergo ecclesiasticas facultates potestatem dispensandi non habent multo minus ipsas ecclesias quibuslibet ad regendum committere uel aliis auferre ualent.

§. 1. Hic autem distinguendum est, quid iuris fundatores ecclesiarum in eis habeant, uel quid non?

Habent ius prouidendi, et consulendi, et sacerdotem inueniendi; sed non habent ius uendendi, uel donandi, uel utendi tamquam propriis.

Unde in Canonibus inuenitur.

#### C. XXXI. Heredes eius, qui ecclesiam construxit, nichil aliud quam pro ea sollicitudinem gerere debent.

Filiis, uel nepotibus, ac honestioribus propinquis eius, qui construxit uel ditauit ecclesiam, licitum sit hanc habere sollertiam, ut, si sacerdotem aliquid ex collatis rebus defraudare preuiderint, aut honesta conuentione conpescant, aut episcopo uel iudici corrigenda denuncient.

Quod si talia episcopus agere temptet, metropolitano eius hec insinuare procurent.

Si autem metropolitanus talia gerat, regis hec auribus intimare non differant.

§. 1. Ipsis tamen heredibus in eisdem rebus non liceat quasi proprii iuris potestatem preferre, non rapinam et fraudem ingerere, non uiolentiam quamcumque presumere, sed hoc solum in salutarem sollicitudinem adhibere, quod aut nullam operatio noxam nocens attingat, aut mulctam uel aliquam partem salutaris mercedis assumat.

§. 2. Si quis uero deinceps hec monita temerare uoluerit, et male rapta cum confusione restituet, et excommunicationis annuæ sententiam sustinebit.

C. XXXII. Fundatores ecclesiæ ordinandos in ea episcopo offerant.

Item ex Tolletano Concilio. [IX. c. 2].

Decernimus, ut quamdiu fundatores ecclesiarum in hac uita superstites fuerint, pro eisdem locis curam habeant sollicitam, atque rectores ydoneos in eisdem basilicis idem ipsi offerant episcopo ordinandos.

Quod si spretis eisdem fundatoribus episcopus ibidem rectores presumpserit ordinare, et ordinationem suam irritam nouerit et ad uerecundiam sui alios in eorum loco (quos ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari.

C. XXXIII. A dominio constructoris oratorium non est auferendum.

Item ex Romana Sinodo. [Eugenii II. et Leonis IV. c. 2I].

Monasterium uel oratorium canonicè constructum a dominio constructoris eo inuito non auferatur, liceat que illi presbitero, cui uoluerit, pro sacro offitio illius diocesis cum consensu episcopi, ne malus existat, commendare.

C. XXXIV. De eodem.

Item Gregorius Papa. [lib. VII. Indict. I. Secundino Episcopo Taurominitano]

Rationis ordo non patitur, ut monasterium contra uoluntatem fundatorum ab eorum dispositione ad arbitrium suum quis debeat uendicare.

Gratian. Prouidentia tamen et ammonitione episcopi a fundatoribus ecclesiæ honorari debent.

Unde Gregorius:

C. XXXV. Episcoporum prouidentia a fundatoribus ecclesiæ honorentur.

Considerandum est quatinus si secundum prouidentiam et ammonitionem episcopi ipsi coheredes eas uoluerint tenere, et honorare faciant.

Si autem hoc contradixerint, in episcopi potestate maneat utrum eas consistere permittat, aut reliquias inde auferre uelit.

C. XXXVI. Reliquiæ auferantur ecclesiarum, si plures heredes de eis contendunt

Item ex Concilio Triburiensi. [c. 32].

Si plures heredes contenderint de communi ecclesia, auferri iubeat episcopus reliquias sacras, et ecclesiam claudi, donec communi consensu et consilio episcopi ibi presbiterum statuunt, et unde uiuat.

**IV. Pars.**

Gratian. Ut ergo ex his auctoribus colligitur, de manu laicorum ecclesiæ non sunt recipiendæ, nisi cum consensu episcoporum, iuxta illud Concilii Magontinensis:

**C. XXXVII.** Non liceat laicis de ecclesia eicere presbiteros.

Laici presbiteros de ecclesia non eiciant, neque in eis constituent sine consensu suorum episcoporum.

**C. XXXVIII.** Absque episcoporum consensu laici presbiteros de ecclesiis non eiciant.

Item ex Concilio Cabilonensi. [II. c. 42].

Inuentum est, quod multi arbitrii sui temeritate, et (quod est grauius) ducti cupiditate, presbiteris quibuslibet absque consensu suorum episcoporum ecclesias dant uel auferunt.

Unde oportet, ut canonica regula seruata nullus absque consensu episcopi sui cuiuslibet presbitero ecclesiam det; quam si iuste adeptus fuerit, hanc non nisi graui culpa coram episcopo canonica seueritate amittat.

Gratian. Sicut ergo auctoritate Ieronimi decimas male possessas a laicis episcopo consentiente licet monachis de manu laicorum recipere, et eas perpetua stabilitate tenere, sic et ecclesias a laicis male detentas cum consensu episcoporum licet monachis ad ordinandum accipere, et eis in perpetuum prouidere.

Unde Urbanus II:

**C. XXXIX.** Sine uoluntate episcoporum decimas uel ecclesias a laicis monachi non suscipiant.

Decimas et ecclesias a laicis monachi non suscipiant absque consensu et uoluntate episcoporum.

Quod si aliter presumptum fuerit, canonicæ ultioni subiaceant.

**C. XL.** Nulli liceat in suum ius monasterium conuertere; ad ordinandum tamen alii tradere illud ualet.

Item ex decreto Siluestri Papæ.

Nemini regum aut cuiquam hominum in proprium ius liceat monasterium tradere, nisi ad aliud monasterium, uel conmutare, nisi cum alio monasterio, uel quocumque conmento uendere.

Quod si factum fuerit, non ualebit, sed ipsum monasterium in pristinum reformetur statum.

**C. XLI.** Episcopi et fratrum consilio monasterium ad meliorandum alii subponere quisque non prohibetur.

Item ex decreto Bonifatii.

**V. Pars.**

Si quis uult monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio episcopi et fratrum suorum, et dimittat presbiterum in priori loco ad ministeria ecclesiæ.

[PALEA. C. XLII. Publicæ penitentiæ subiciantur qui circumueniendo aliquos tondere presumunt.

Item ex Concilio Moguntinensi.

## VI. Pars.

Constituit sane sacer iste conuentus, ut episcopi siue abbates, qui, non in fructum animarum, sed in auaritiam et turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumueniendo totonderunt, et res eorum tali persuasione subriperunt, penitentiæ canonicæ utpote turpis lucri sectatores subiaceant.

Hi uero, qui illecti comam deposuerunt, in eo, quod ceperunt, perseuerare cogantur, res uero eorum heredibus reddantur].

C. XLIII. Sine uoluntate fratrum aliquem de suis propinquis abbas sibi substituere non ualet.

Item ex eodem.

Congregatio debet eligere sibi abbatem abbatis sui post mortem, uel eo uiuente, si ipse discesserit uel peccauerit.

Episcopus enim non debet abbatem uiolenter retinere in locum suum.

Ipse autem non potest aliquem ordinare de suis propinquis uel amicis sine uoluntate fratrum.

## CAUSA XVII.

### GRATIANUS.

Quidam presbiter infirmitate grauatus fieri se uelle monachum dixit; ecclesiæ et beneficio in manu aduocati renunciauit.

Postquam conualuit, mox se futurum monachum negauit, ecclesiam et beneficium reposcit.

(Qu. I).

Hic primum queritur, utrum reus uoti teneatur, an liceat ei a proposito sui cordis discedere?

(Qu. II).

Secundo, an ecclesia et beneficium ei reddenda sint que prius libera uoluntate refutauit?

(Qu. III).

Tertio, si contigisset eum se et sua monasterio tradidisse, an licentia abbatis liceret ei ad propria redire?

(Qu. IV).

Quarto, si sine licentia abbatis retro abierit, an sua sibi abbate reddenda sint?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod a uoto discedere non liceat, multis auctoritatibus probatur.

Ait enim Propheta: “Vouete, et reddite Domino Deo uestro”.

**C. I.** Que Deo uouentur necessario reddantur.

Item Augustinus.

Sunt quedam, que etiam non uouentes debemus; quedam etiam, que nisi uouerimus, non debemus, sed postquam ea Deo promittimus, necessario reddere constringimur.

[[**C. II.**]

Item Ieronimus.

Vouentibus non solum nubere, sed etiam uelle dampnabile est.

**C. III.** Dignus est supplicio qui se ipsum Deo subtrahit a uoto resiliens.

Item Gregorius in I. libro Registri. [lib. I. epist. 33. ad Venantium]

Ananias Deo pecunias uouerat, quas post diaboli uictus persuasione subtraxit.

Sed qua morte mulctatus est, scis.

Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit, considera, quanto periculo in diuino dignus eris iudicio, qui non nummos, sed temetipsum omnipotenti Deo (cui te sub monachico habitu deuoueras) subtraxisti.

**C. IV.** Ante Dei oculos cadunt qui bona, que concipiunt agere recusant.

Idem super Ezechielem. [lib. I. homil. 3].

Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, et post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.

Item:

§. 1. Sunt qui cuncta relinquere, et Dei seruicio se subdere, et freno castitatis se restringere deliberant; sed cum post castitatem alios cecidisse conspiciunt, se retrahendo meritum perdunt.

Gratian. Si ergo post uotum quisque necessario cogitur soluere quod uouit; si uouentibus non solum nubere, sed etiam uelle dampnabile est: patet, quod sacerdos iste ad executionem sui uoti cogendus est, et non solum non fieri, sed etiam uelle monachum non fieri sibi dampnabile est.

§. 1. Quod autem inter uouentes iste computandus sit, patet ex uerbis Augustini dicentis: “Dixi, confitebor, etc.

Magna pietas Dei est, ut ad solam promissionem peccata dimittat.

Nondum enim pronunciat ore, et tamen Deus iam audit in corde; uotum enim pro opere reputatur”.

Sicut ergo Propheta inter uouentes reputatur, quia dixit: Ego confitebor; sic et iste inter eosdem computandus est, quia dixit: Fiam monachus.

His ita respondetur: Aliud est propositum corde concipere, et etiam ore enunciare; aliud est subsequenti obligatione se reum uoti facere.

§. 2. Quia ergo iste propositum sui cordis ore simpliciter enunciauit non autem monasterio aut abbati se tradidit, nec promissionem scripsit nequaquam reus uoti habetur.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.



Unde Alexander II.:

**C. I.** Non cogitur aliquis in monasterio manere, nisi professionem fecerit in manu abbatis.

Cosaldus presbiter, quondam infirmitate feruore passionis pressus, monachum se fieri promisit, non tamen monasterio aut abbati se tradidit, nec promissionem scripsit, sed beneficium ecclesiae in manu aduocati refutauit.

At postquam conualuit, mox se monachum negauit fieri.

Quapropter quia et B. Benedicti regula, et precipue patris et predecessoris nostri S. Gregorii Papae canonica institutio interdicat monachum ante unius anni probationem effici, iudicamus et auctoritate apostolica precipimus, ut prefatus presbiter beneficium et altaria recipiat, habeat, et quiete retineat.

**C. II.** Uxor post propositum continentiae ducta dimitti non debet.

Item Augustinus ad Bonifatium Comitem. [ep. LXX].

Nos nouimus, nos testes sumus, quod omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, et te in otium sanctum conferre, atque in ea uita uiuere, in qua serui Dei monachi uiuunt.

Cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, nauigasti, uxorem duxisti.

Si coniugem non haberes, dicerem tibi quod et Tubanis diximus, ut in castitate continenter uiueres.

Sed ut te ad istam uitam non exhorter, coniunx est inpedimento, sine cuius consensu continenter tibi uiuere non licet, quia, et si tu eam post illa uerba Tubanensia ducere non debueras, illa tamen nichil eorum sciens innocenter tibi et simpliciter nupsit.

Gratian. Ecce iste se corde concepit monachum fieri, et ore pronunciauit, se uelle in otium sanctum conferre, non tamen postea coactus est suscipere quod corde concepit, et ore pronunciauit.

Auctoritas illa Alexandri, secuta institutionem B. Gregorii et B. Benedicti, probandis annum indulget, sed notis; incognitis uero triennium conceditur.

Unde in Concilio Tolletano:

**C. III.** Nullus qui incognitus est monasticum habitum sumat ante triennium.

Si quis incognitus monasterium ingredi uoluerit, ante triennium monachi habitus non prestetur.

Et si infra tres annos aut seruus, aut liber uel colonus queratur a domino suo, reddatur ei cum omnibus, que attulit, fide tamen accepta de inpunitate.

Si autem infra triennium non fuerit requisitus, postea queri non potest, nisi sit tam longe, quod inueniri non possit.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Quod autem queritur, an post traditionem sit ei fas cum licentia abbatis ad propria redire?

facile monstratur fieri non posse.

Ipsium enim redire crimosum est.

Qui autem manifesto facinori desinit obuiare, cum potest, consentit.

Hic autem non solum non obuiat, sed etiam permittendo fautor existit.  
Non ergo licet abbati dare licentiam alicui retro abeundi, nec itaque illi licet retrorsum abire, quia ex quo semel se abbati subiecit, absque eius permissione nichil agere potest.

#### QUESTIO IV.

#### GRATIANUS.

##### I. Pars.

Si autem sine licentia abbatis de monasterio discesserit, queritur, utrum sua sint ei reddenda, an non?

Sed possessiones et res ecclesiæ traditas quolibet modo alienare nec abbati, nec alicui licet.

Unde Simacus Papa: "Possessiones quas unusquisque etc."

Et iterum:

**C. I.** Honore priuetur qui de iure ecclesiæ aliquid alienare presumit.

Quicumque episcoporum, presbiterorum, diaconorum oblitus Dei, et decreti huius inmemor in constitutum committens, predium ecclesiæ magnum uel exiguum, uel quicumque de iure ecclesiæ alienare temptauerit, et donator, et alienator, et uenditor honoris sui amissione mulctetur.

[PALEA. C. II.

Item Gregorius Anthemio Subdiacono, libro XI. epistola 31.

Ratio nulla permittit, ut propriis cuiusquam usibus applicetur quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur].

**C. III.** Qui reuocandum putat quod ecclesiæ contulit sacrilegii crimen incurrit.

Item Ambrosius in libro [II]. de penitencia. [c. 9].

Sunt qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, ubi ecclesiæ contulerunt, postea reuocandas putauerunt.

Quibus nec prima merces grata est, nec secunda, quia nec prima iudicium habuit, et secunda habuit sacrilegium.

Sunt quos penituerit opes suas diuisisse pauperibus.

Sic eos, qui penitentiam agunt, hoc solum timere oportet, ne ipsius penitentiæ agant penitentiam.

**C. IV.** Qui sacris locis derelicta retinere contendit sacrilegium committit.

Item Gregorius Sabino Subdiacono. [lib. VIII. epist. 6].

Sacrilegium et contra legem est, si quis quod uenerabilibus locis relinquitur prauæ uoluntatis studiis temptauerit compendiis retinere.

**C. V.** Sacrilegi iudicantur qui ecclesiæ facultates alienant.

Item Lucius Episcopus omnibus Episcopis. [epist. I. cap. 6].

Omnes ecclesiæ raptores atque suarum facultatum alienatores a liminibus eiusdem matris ecclesiæ anathematizamus, apostolica auctoritate pellimus, dampnamus atque

sacrilegos esse iudicamus; et non solum eos, sed omnes consentientes eis, quia non solum qui faciunt rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt.

Par enim pena et agentes et consentientes comprehendit.

**C. VI.** Excommunicetur qui confinia ecclesiæ frangere temptauerit.

Item Nicolaus omnibus Episcopis.

## **II. Pars.**

Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus, ut maior ecclesia per circuitum LX passus habeat, capellæ uero uel minores ecclesiæ XXX. §. 1. Qui autem confinium eorum confringere temptauerit, aut personam hominis, uel bona eius inde subtraxerit, nisi publicus latro erit, quousque emendet, et quod rapuerit reddat, excommunicetur.

**C. VII.** Soluatur altario quod pro emunitate emendatur ecclesiæ.

Item ex Concilio Triburiensi.

Si quis in atrio ecclesiæ pugnam committit aut homicidium fecerit, quicquid pro emunitate uiolata emendandum est altario soluatur, cuiuscumque fuerit illa ecclesia.

**C. VIII.** Non licet alicui hominem de ecclesia rapere.

Item Augustinus ad Bonifatium. [ep. CLXXXVII].

Miror, quomodo subito fidei murum aries ruperit inimici.

Noui enim, qua religione semper sis ecclesiam ueneratus.

Quo instigante facere hominem de ecclesia rapuisti? Tuus si tuo amico forte presumeret fugitiuus, posset proculdubio intercessoris causa ueniam promereri.

Ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed et si de potestate presumitur, Nabucodonosor regem intende, qui causa superbiæ in bouem est ex homine conmutatus.

Non ut confundam te hec scribo, sed ut filium karissimum moneo.

Ecclesiæ igitur illesum reuoca quem irreligiosissimus rapuisti.

Oblatio uero domus tuæ a clericis ne suscipiatur interdixi, communionem que tibi interdico, donec peracta pro ausibus uel errore a me diffinita tibimet penitencia, tempore condonato pro hoc facto corde contrito et humiliato dignum offeras sacrificium Deo.

**C. IX.** Fugientem ad ecclesiam nemo audeat abstrahere.

Item ex libro Capitularium. [V. c. 90].

Reum ad ecclesiam fugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad penam uel ad mortem, ut honor ecclesiarum conseruetur; sed rectores pacem eius, et uitam, et membra obtinere studeant; tamen legitime conponat quod inique fecit.

**C. X.** Ab ecclesiæ arceatur ingressu qui aliquem de ecclesia uiolenter rapuerit.

Item Gelasius Victori, Constantino, Martirio, Felicissimo, Sereno, et Timotheo Episcopis.

Frater et coepiscopus noster Epiphanius sua nobis relatione suggessit, Benenatum et Maurum Beneuentanæ municipes ciuitatis in contumeliam religionis acerba nimis et plectibili contumacia prosiluisse, qui confugientem ad ecclesiæ septa curialem suum ne illic quidem tutum aut de iniuria sua securum esse siuerunt, ausi irreptione temerariæ mentis admittere quod nec potestatibus quidem uel principibus umquam licuit

perpetrare, ut hominem in sanctuariis constitutum (captata sacerdotis absentia) reluctantem reclamantem que uolenter abstraherent.

Quos, quantum sua nobis suggestione patefecit, merito indignos esse sacra communione iudicauit.

Et si reuera tanti facinoris constat admissum, nostra etiam auctoritas in hac parte consentit.

Nec enim ad supplicandum iure debet admitti ubi admittere sacrilegium non dubitauit.

Nullus etenim intra limina tantæ uenerationi deputata utrumque sibi licere existimet pro suæ uoluntatis arbitrio, ut et humilitatem sibi uendicet et furorem.

Et ideo, fratres karissimi, supradictos, si manifesta reos facit conquestio, ab omnibus parrochiarum uestRARUM ecclesiis nostræ preceptionis auctoritate prohibete, ut non solum hi qui in iniuriam sanctorum locorum prosiluisse probantur, merito consequantur pro facti sui qualitate uindictam, uerum etiam ceteri a tali presumptione ultionis istius timore reuocentur.

**C. XI.** Ecclesiarum dignus non est ingressu qui eas uiolat.

Idem Epiphanio Episcopo.

Ad episcopos ceteros direximus iussionem, ut eos, qui ecclesias uiolasse perhibentur, accessu earum iudicent esse indignos.

**C. XII.** Qui ecclesiam Dei uastat, et eius sacerdotes insequitur, sacrilegus iudicatur.

Item Pius Papa. [epist II. Italicis]

Sicut qui ecclesiam Dei uastat, et eius predia et donaria spoliat et inuadit, fit sacrilegus sic ille, qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegus iudicatur.

§. 1. Non ergo grauius peccatum est fornicatio quam sacrilegium.

Et sicut maius peccatum est, quod in Deo committitur, quam quod in homine, sic grauius est sacrilegium agere quam fornicari.

**C. XIII.** Qua pena feriat qui ecclesiæ usibus dedicata predia uexare temptauerit.

Item Urbanus. [in epist. ad omnes episcopos, c. 2].

Adtendendum est omnibus, ne predia usibus secretorum celestium dicata a quibusdam irruentibus uexentur.

Quod si quis fecerit, post debitæ ultionis acrimoniam (que erga sacrilegos iure promenda est) perpetua dampnetur infamia, et carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis seruetur.

[PALEA. **C. XIV.**

Item Hyginus Papa.

Si quis ecclesiam igne conbusserit, quindecim annis peniteat, et eam sedule restituat, et precium suum pauperibus distribuat].

**C. XV.** Iudæ similis probatur qui ornamenta ecclesiæ subripit.

Item Clemens. [epist. II. ad Iacobum]

Si forte quispiam presbiter siue diaconus sacrarii sindonem uel uelum subtractum uendiderit, Iudæ Scariotis similis estimabitur.

Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, nouerit se supradicti Iudæ penam suscepturum.

[PALEA. C. XVI. De eodem.

Item ex penitenciali Theodori.

Pecunia ecclesiastica furata uel rapta reddatur in quadruplum; populi uero duplicetur.

Si quis aliquid de ministerio sanctæ ecclesiæ furatus fuerit, septem annis peniteat, tres in pane et aqua].

[PALEA. C. XVII. De eodem.

Item ex penitenciali Romano.

Si quis clericus furtum fecerit capitale, id est quadrupedem, uel domum fregerit, aut quamlibet rem melioris precii furatus fuerit, septem annis peniteat; laicus quinque.

Si quis autem de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, et uno anno peniteat in pane et aqua, et si reddere non potuerit tribus annis peniteat].

C. XVIII. Sacrilegium facit qui pecuniam ecclesiæ rapit.

Item Anacletus. [epist. I., c. 2].

Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur; qui autem pecuniam uel res ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.

C. XIX. Segregetur ab ecclesia clericus, qui seruum uel discipulum suum ad eam fugientem uerberare presumit.

Item ex Concilio Ylerdensi. [c. 8].

Nullus clericorum seruum aut discipulum suum confugientem ad ecclesiam extrahere audeat, uel flagellare presumat.

Quod si fecerit, donec digne peniteat, a loco, cui honorem non dedit, segregetur.

§. 1. Si qui uero clerici in mutuum cedem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, a pontifice districtius uindicetur.

C. XX. Qui de atrio uel porticibus ecclesiæ fugientem abstrahit excommunicetur.

Item ex Concilio Triburiensi. [c. 20].

Si quis contumax uel superbus timorem Dei uel reuerentiam sanctarum ecclesiarum non habuerit, et fugientem seruum suum, uel quem ipse persecutus fuerit, de atrio ecclesiæ, uel de porticibus quomodolibet ecclesiæ adherentibus per uim abstraxerit, pro emunitate nongentos solidos conponat, et ipse publica penitencia iuxta iudicium mulctetur.

Gratian. Sacrilegium ergo est, quotiens quis sacrum uiolat, uel auferendo sacrum de sacro, uel sacrum de non sacro, uel non sacrum de sacro.

§. 1. Dicitur etiam sacrilegium committere qui uiolentas et inpias manus in clericum iniecerit.

§. 2. Porro ipsum sacrilegium duplicem continet penam, pecuniariam uidelicet et excommunicationis.

Pecuniaria eis persoluenda est, ad quos querimonia sacrilegii pertinet.

Unde Iohannes Papa VIII. scribit omnibus Episcopis:

C. XXI. De multiplici genere sacrilegii, et pena eiusdem.

Quisquis inuentus fuerit reus sacrilegii, episcopis uel abbatibus, siue personis, ad quas querimonia sacrilegii iuste pertinuerit, triginta libras examinati argenti purissimi conponat.

§. 1. Sacrilegium committitur, si quis infregerit ecclesiam, uel triginta passus ecclesiasticos, qui in circuitu ecclesiæ sunt, uel domos, que infra predictos passus

fuerint, aliquid inde diripiendo uel auferendo; seu qui iniuriam uel ablationem rerum intulerit clericis arma non ferentibus, uel monachis, siue Deo deuotis, omnibus que ecclesiasticis personis.

Capellæ, que sunt infra ambitum murorum castellorum, non ponuntur in hac triginta passuum obseruatione.

§. 2. Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, uel non sacrum de sacro, siue sacrum de non sacro.

Idem:

§. 3. Si quis domum Dei uiolauerit, et aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dinoscitur, inde abstulerit, uel ecclesiasticis personis iniuriam fecerit, donec in conuentu ammonitus legitime satisfaciat, sciat se communionem fore priuatum.

Si uero post secundam et tertiam conuentionem coram episcopo satisfacere detrectauerit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita, ut secundum Apostolum nemini fidelium misceatur.

Idem:

§. 4. Hii qui monasteria, et loca Deo dicata, et ecclesias infringunt, et deposita uel alia quelibet exinde abstrahunt, dampnum nouies componant, et emunitatem tripliciter, et uelut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur.

C. XXII. Nisi canonicè iudicatum episcopum comprehendens laicus, excommunicetur.

Item Alexander II.

Si quis deinceps priorum aut cuiuscumque dignitatis uel cuiuscumque ordinis laicorum episcopum comprehenderit, percusserit, aut aliqua uia a propria sede expulerit, nisi forte iudicatum canonicè, auctores et cooperatores tanti sceleris anathematizentur, et bona eorum ecclesiæ ipsius iuri perpetuo tradantur.

§. 1. Si uero in presbiterum uel in quemcunque inferiorum graduum clericum hec eadem presumpserit, canonicæ penitentiæ atque depositioni subiacebit.

Si contumax fuerit, excommunicetur.

C. XXIII. Flagellatores presbiterorum, post tertiam ammonitionem si non resipuerint, excommunicentur.

Item Nicolaus Papa Thadoni Archiepiscopo Mediolani.

De presbiterorum flagellatoribus, et occisoribus, predonibus, scilicet qui seculari brachio minime cohercentur, iuxta preceptum Domini placet fraterno amore conueniantur secundo ac tertio.

Qui si te non audierint, conueniente ecclesia eos sacra communione priuare atque (si in sua obstinatione permanentes sacerdotalia monita forte contempserint) ab ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus.

§. 1. Quos etiam resipiscentes tandem digna satisfactione premissa in gremio sanctæ matris ecclesiæ reuocari noueris posse.

[PALEA. C. XXIV.

Item ex Concilio Moguntino sub Rabano, c. 24.

Qui presbiterum occiderit, duodecim annorum ei penitencia secundum canones inponatur; aut si negauerit, si liber est, cum septuaginta duobus iuret: si autem seruus, super duodecim uomeres feruentes se expurget.

Conuictus uero noxæ usque ad ultimum uitæ tempus miliciæ cingulo careat, et absque spe coniugii maneat].

[PALEA. C. XXV.

Item ex Concilio Triburiensi.

Ut presbyteri non uadant, nisi stola aut orario induti.

Et si in itinere spoliantur, aut uulnerantur, uel occiduntur non stola uestiti, simplici emendatione soluantur, si autem cum stola triplici].

[PALEA. C. XXVI.

Item ex eodem, c. 5.

Omnes presbyteri interfectores compositione episcopi, ad cuius parrochiam pertinent, soluantur, ita uidelicet, ut medietatem Vuirigeldi eius episcopus utilitatibus ecclesiæ, cui prefuit, tribuat, et alteram medietatem in elemosinam illius iuste dispertiat, quia nullus nobis eius heres proximior uidetur, quam ille, qui ipsum Domino sociauit].

C. XXVII. Pro graduum uarietate mulctentur qui clericos occidunt.

Item ex libro V. Capitularium. [c. 25].

Qui subdiaconum occiderit, CCC. solidos conponat; qui diaconum, CCCC.; qui presbyterum, DC.; qui episcopum, DCCCC.; qui monachum, CCCC.

[[C. XXVIII].

Item ex eodem libro VI.

Qui occiderit monachum aut clericum, arma relinquat, et Deo in monasterio seruiat cunctis diebus uitæ suæ, numquam ad seculum reuersurus, et septem annos publicam penitentiam agat.

[[C. XXIX].

Item Innocentius Papa. [II. in Concilio Lateranensi, c. 15].

Si quis suadente diabolo huius sacrilegii uicium incurrerit, quod in clericum uel monachum uiolentas manus iniecerit, anathematis uinculo subiaceat, et nullus episcoporum illum presumat absoluere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui presentetur, et eius mandatum suscipiat.

### III. Pars.

Gratian. Qui autem de ecclesia ui aliquem exemerit, uel in ipsa ecclesia, uel loco, uel cultui, sacerdotibus, et ministris aliquid iniuriæ inportauerit, ad instar publici criminis et lesæ maiestatis accusabitur, et conuictus, siue confessus, capitali sententia a rectoribus prouinciæ ferietur, sicut in primo libro Codicis legitur, titulo de episcopis et clericis et lege: “Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit,” et in Digestis titulo.

Ad legem Iuliam pecuniarum repetundarum, lege ultima.

§. 1. Conmittunt etiam sacrilegium qui contra diuinæ legis sanctitatem aut nesciendo conmittunt, aut negligendo uiolant et offendunt; aut qui de principali iudicio disputant, dubitantes, an is dignus sit, quem princeps elegerit; uel qui intra prouinciam, in qua prouinciales et ciues habentur, offitium gerendæ ac suscipiendæ amministrationis desiderant, libro 9. Codicis titulo de crimine sacrilegii.

§. 2. Similiter de iudicio summi Pontificis alicui disputare non licet.

Unde Nicolaus Papa omnibus Episcopis:

**C. XXX.** Nulli liceat Romanam ecclesiam iudicare, uel eius sententiam retractare. Nemini est de sedis apostolicæ iudicio iudicare, aut illius sententiam retractare permissum, uidelicet propter Romanæ ecclesiæ primatum, Christi munere in beato Petro apostolo diuinitus collocatum.

Gratian. Sacrilegii quoque reatum incurrit qui Iudeis publica offitia committit.

Unde in Tolletano Concilio IV: [c. 64].

**C. XXXI.** Sacrilegium faciunt qui Iudeis publica offitia committunt.

Constituit sanctum concilium, ut Iudei, aut hii, qui ex Iudeis sunt, offitia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt.

Ideo que iudices prouinciarum cum sacerdotibus eorum surreptiones fraudulenter relictas suspendant, et offitia publica eos agere non permittant.

Si quis autem hoc permiserit, uelut in sacrilegum excommunicatio proferatur, et is, qui subrepserit, publicis cedibus deputetur.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Verum ne reuerentia religionis dominos suo iure fraudaret, si famuli ad ecclesiæ septa confugientes inde nequaquam abstrahantur, sacris canonibus est institutum, ut, prestito a domino sacramento inunitatis, ei etiam reddatur inuitus.

Unde Gelasius Papa scribit Bonifatio Episcopo:

**C. XXXII.** Post prestitam securitatem serui restituantur dominis, qui ad ecclesiam confugiunt.

Metuentes dominos famuli, ad ecclesiæ septa si confugerint, intercessionem debent querere, non latebras, ne hec ipsa presumptio tarditatis temeritatem augeat renitendi.

Filius etenim noster uir spectabilis Petrus queritur seruuum suum in ecclesia S. Clementis diutius conmorari, cui cum deputasset sacramenta prestari, illum egredi nulla ratione uoluisse.

Et ideo directus supradicti homo de presenti cum eo, quem elegeris esse mittendum, cum de inunitate eius sacramenta prebuerit, eum statim facies ad dominum suum modis omnibus remeare, aut, si in hac pertinacia forte extiterit, post sacramentum sibi prestitum reddatur inuitus.

**C. XXXIII.** Securitate accepta ad rationem reddendam fugitiui ab ecclesia exire cogantur.

Idem Iohanni, Episcopo Vibonensi.

Uxor Felicis et filiæ Romam, quia sic oportuit, peruenerunt.

Siquidem hunc ipsum primum se ad barbarorum basilicam conferentem, se que bonas causas habere iactantem, egredi sub hac condicione precipimus, ut si actus suos fideliter et rationabiliter allegaret, nichil circa eum prorsus asperum fieri durum que pateremur.

Alioquin si contra fidem et utilitatem dominicam uenisse probatur, ipse sibimet inputaret, atque ordinationi congruæ subiaceret.

Qui superueniente filio nostro, uiro spectabili Ortasio, sic est ad singula queque conuictus, ut os aperire non posset, et uera esse que huic obicerentur, uoce propria fateretur, ideo que tenetur custodia mancipatus.



C. XXXIV. Eripiatur in libertatem seruus, cui Christiano Iudeus circumcisionis signaculum impressit; alioquin ab ecclesia suo domino reddatur inuitus.

Idem Siracusano, Constantio, et Laurentio Episcopis.

Iudas, qui Iudaicæ professionis existit, mancipium iuris sui, quod ante paucos annos se asserit comparasse, nunc ad ecclesiam Venefranam confugisse suggestit, sicut petitorii tenor annexus ostendit, eo quod dicat sibi ab infantia Christiano nuper a prefato domino signaculum circumcisionis infixum.

Quapropter uestra diligenter inter utrumque sollicita cura rerum fideliter examinet ueritatem, quatinus nec religio temerata uideatur, nec seruus hac obiectione mentitus competentis iura domini declinare contendat.

C. XXXV. De atrio ecclesiæ, quod triginta passibus clauditur, nisi prius data securitate fugiens non abstrahatur.

Item ex Concilio Tolletano XII. [c. 10].

Diffiniuit sanctum concilium, ut nullus audeat confugientes ad ecclesiam uel residentes inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis, uel dampni, seu spoli, residentibus in loco sancto inferre; sed esse potius his ipsis, qui ecclesias petunt, per omnia licitum, in triginta passus ab ecclesiæ ianuis progredi, in quibus triginta passibus uniuscuiusque ecclesiæ in toto circuitu reuerentia defendatur, sic tamen, ut hii, qui ad eam confugiunt, in extraneis uel longe separatis ab ecclesia domibus nullo modo abscedant, sed in hoc triginta passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progredientes aditum obtinebunt; qualiter ad requisitæ naturæ usum debitæ exeant locis, et nullo teneantur euentu necessitudinis qui dominicis se defendendos commiserint claustris.

§. 1. Si quis autem hoc decretum uiolare temptauerit, et ecclesiasticæ excommunicationi subiaceat, et seueritatis regiæ feriat sententia.

§. 2. Ipsos autem, qui ad ecclesiam confugium fecerunt, si iuxta priscorum canonum instituta hii, qui eos repetunt, sacramenta reddiderint, et sacerdos ecclesiæ ipsius ab ecclesiæ foribus non abstraxerit, aut fuga talium, si euenerit, sacerdoti querenda est, aut dampnorum sententia secundum electionem principis huiusmodi sacerdotibus irroganda.

C. XXXVI. Ante datam securitatem de atrio ecclesiæ fugitiuus non cogatur exire.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 3. et 5].

Id constituimus obseruandum, quod ecclesiastici canones decreuerunt, et lex Romana constituit, ut ab ecclesiæ atris uel domo episcopi eos abstrahere omnino non liceat, sed nec alteri consignare, nisi ad euangelia datis sacramentis de morte, et debilitate, et omni penarum genere sint securi, ita ut ei, cui reus fuerit crimosus, de satisfactione conueniat.

Quod si sacramenta sua conuictus fuerit uiolasse, reus periurii non solum a communione ecclesiæ uel omnium clericorum, uerum etiam catholicorum conuiuio separetur.

Quod si is, cui reus est, uoluerit sibi intentione faciente conponi, et ipse reus actus de ecclesia timore discesserit, ab ecclesiæ clericis non queratur.

§. 1. Seruus etiam, qui ad ecclesiam confugerit pro qualibet culpa, si a domino pro admissa culpa sacramentum suscepit, statim ad seruitium domini sui redire cogatur, et posteaquam dato sacramento domino suo fuerit consignatus, si aliquid penæ pro eadem culpa, qua excusatur, probatus fuerit pertulisse, pro contemptu ecclesiæ et preuaricatione fidei a communione et conuiuio catholicorum extraneus habeatur.

Si uero seruus pro culpa sua ab ecclesia defensatus sacramenta domini clericis exigentibus de inpunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari.

## V. Pars.

Gratian. Occasione namque religionis seruus dominum suum contempnere, et eius ministerium destituere non debet.

Unde in Gangrensi Concilio [c. 3]. legitur:

**C. XXXVII.** Religionis occasione dominum suum non audeat seruus contempnere.

Si quis seruum alienum occasione religionis docet dominum suum contempnere, et eius ministerium destituere, ac non potius docuerit eum suo domino bona fide et cum omni honorificentia deseruire, anathema sit.

**C. XXXVIII.** Corripiatur durissime qui causa religionis docuerit seruum dominum suum contempnere.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 47].

Si quis seruum alienum causa religionis doceat contempnere dominum suum, et recedere a seruitio eius, durissime in omnibus arguatur.

**C. XXXIX.** Primati insinuetur necessitas, que res ecclesiæ distrahere compellit.

Item ex Concilio Cartaginensi, c. 31.

Nullus res ecclesiæ distrahat.

Quod si redditus non habeat, et aliqua necessitas nimia cogit, hanc insinuandam esse primati ipsius prouinciæ censemus, ut cum statuto numero episcoporum utrum faciendum sit arbitretur.

Et si tanta urget necessitas ecclesiæ, ut non possit ante primatem consulere, saltem uicinos conuocet episcopos, curans ad concilium referre omnem ecclesiæ necessitatem.

Quod si non fecerit, reus Deo et sancto concilio uenditor honore amisso teneatur.

**C. XL.** Sine licentia episcopi quicquid abbas uendiderit, in irritum deducatur.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 56].

In uenditionibus, quas abbates facere presumunt, hec forma seruetur, ut quicquid sine episcopi licentia uenditum fuerit ad potestatem episcopi reuocetur.

**§. 1.** Mancipia uero monachis donata ab abbate manumitti non licet.

Iniustum enim putamus, ut, monachis cottidianum rurale opus facientibus, serui eorum libertatis otio potiantur.

## VI. Pars.

Gratian. Etiam si episcopo consentiente monasterii possessio ab abbate data fuerit, nullius momenti erit donatio, nisi forte in ecclesiæ fabricam erigendam donatio processerit.

Quo casu tantum ei donare licet, quantum ecclesiæ parietes concludunt.

Unde Gregorius scribit: [lib. VII. Indict. 1. epist. 33., Iohanni Episcopo Scyllacæno]

**C. XLI.** Nullo titulo res monasterii ualent ab eius iure segregari.

Questi nobis sunt predicti monasterii monachi abbatem suum terram intra Scillacenum castrum, que in DC. pedes extenditur, sub pretextu fabricandæ ecclesiæ fraternitati tuæ donationis titulo concessisse.

Ideo uolumus, quantum parietes edificatæ ecclesiæ circumdare possunt, iuri ecclesiæ uendicare.

Quicquid uero extra parietes eiusdem ecclesiæ esse potuerit, in iure monasterii sine difficultate aliqua reuertatur, quia nec mundanarum legum, nec sacrorum canonum statuta permittunt res monasterii ab eius iure quolibet titulo segregari.

Ea propter donationem eiusdem terræ, que contra rationem facta est, sine aliqua dilatione restituere.

[PALEA. C. XLII.

Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore a te, ab omnibus episcopis firmam statuimus illibatam que seruari, ut et suæ ecclesiæ iuuante Domino tantummodo sint iure contenti, et monasteria ecclesiasticis condicionibus, seu angariis, siue quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subiaceant, nullis canonicis iuribus deseruiant, sed remotis uexationibus diuinum opus cum summa deuotione perficiant].

## VII. Pars.

Gratian. Sed notandum est, quod aliud est in suos uel propinquorum usus res ecclesiæ conuertere (quam perniciosam cupiditatem sacri canones ubique prohibent, et dampnabilem ostendunt), aliud est quod ex dispensatione karitatis humanæ infirmitati consulitur, ut quondam sua illi reddantur, qui in sacro proposito manere contempnit.

Quod non tam iure fori quam iure poli nonnullos sanctorum fecisse legimus.

Beatus enim Iohannes euangelista duobus iuuenibus, quos penituerat omnia sua pro Christo reliquisse, et pauperibus erogasse, aurum et gemmas reddidit, ut cuncta, que uendiderant, sibi redimerent.

Sed obicitur: B. Iohannes non oblata reddidit, que pauperibus iam erogata fuerant, sed alia recompensauit, que in pauperum uel ecclesiarum facultatibus numquam computata fuerant.

Similiter si abbas uel episcopus aliqua habuerit, que in ecclesiasticis facultatibus nondum sunt annumerata, exemplo B. Iohannis det illa recedenti, oblata uero ecclesiæ retineat.

§. 2. Sequitur ergo aliud exemplum, quo eadem, que ablata sunt, laudabiliter reddita monstrantur.

Augustinus in sermone [II]. de uita clericorum:

C. XLIII. Non debet ecclesia suscipere que filio exheredato sibi offeruntur.

Quicumque uult exheredato filio heredem facere ecclesiam, querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imo, Deo propitio, neminem inueniet.

Quam laudabile factum sancti Aurelii Cartaginensis episcopi? Quidam enim, cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes (retento sibi usufructu) donauit ecclesiæ.

Nati sunt illi filii, reddidit episcopus nec opinanti ea que ille donauerat.

In potestate habebat episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.

Gratian. Ecce, quod aliquando oblata iure et laudabiliter redduntur.

Verum non hoc exemplo recedenti sua reddenda monstrantur.

Aliud est enim in professione suæ uitæ persistere, aliud a proposito sui ordinis discedere.

Si S. Aurelius degenti in laicali habitu oblata reddidit, quia post oblationem filios accepit, non ideo in apostasiam euntibus sua reddenda sunt, quibus utilius necessaria subtraherentur, ut coacti redirent ad ordinem, a quo recesserant.

Sed sicut inimicis et persecutoribus iubemur necessaria subministrare, sicut ab Apostolo monemur tempus redimere, ut expeditius orationi uacemus: sic, ne ecclesia scandalum patiatur, ne discedens in deteriora precipitetur, ne in perniciem monachorum aut incendium monasterii occasione suorum exardescat, laudabilius sua sibi non dico redduntur, sed auferri sinuntur, quam ab illo ista inferantur.

## CAUSA XVIII.

### GRATIANUS.

Quidam abbas consecratus in episcopum prius monasterio multa contulit, postea in episcopatu plura acquisiuit; cui dum fratres successorem quererent, episcopus loci semet electioni uolebat inserere, ut per ipsum abbas in monasterio ordinaretur; fratres renituntur.

(Qu. I).

Queritur, an monasterium possit petere que ab episcopo acquisita sunt?

an episcopalis ecclesia possit sibi uendicare que monasterio fuerant contradita?

(Qu. II).

Secundo, an per episcopum abbas sit eligendus et ordinandus, an tantummodo a propriis fratribus sit instituendus?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Prima questio terminatur in Concilio habito apud Alteum, in quo sic statutum legitur:

**C. I.** Qui de monacho episcopus ordinatur quod ante consecrationem habuerit monasterio, quod uero post consecrationem acquisiuit propriæ ecclesiæ derelinquat.

Statutum est et rationabiliter secundum sanctos Patres a synodo confirmatum est, ut monachus, quem canonica electio a iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, et sacra ordinatio de monacho episcopum facit, uelut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea iure uendicandi potestatem habeat; sed quicquid acquisierat, uel habere uisus fuerat, monasterio relinquat, et abbatis sui, qui fuerat secundum regulam S. Benedicti, arbitrio.

Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur et titulatur, secundum sacros canones quod acquirere poterit restituat.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Secundam uero questionem terminat auctoritas Tolletani Concilii [IV. c. 50]. dicens:

**C. I.** Abbates et alia offitia per episcopos debent institui et ordinari.

Hoc tantum sibi in monasteriis uendicent sacerdotes, quod precipiunt canones, id est monachos ad conuersionem sanctam premonere, abbates alia que offitia instituere, atque extra regulam acta corrigere.

Quod si aliquid in monachos canonibus interdictum presumpserint aut usurpare quicumque de monasterii rebus temptauerint, non deerit ab eis sententia excommunicationis.

## II. Pars.

Gratian. Econtra Gregorius scribit Castorio Ariminensi Episcopo:

**C. II.** Congregatio monasterii, non episcopus abbatem instituat.

Abbas in monasterio non per episcopum aut per aliquem extraneorum ordinetur, neque ab episcopo missa ibi celebretur, ut nulli ecclesie subiciatur.

[[C. III].

Idem Castorio Episcopo. [lib. IV. epist. 43].

Abbatem cuiuslibet monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque actibus monasticæ disciplinæ communi consensu congregatio poposcerit, ordinari uolumus.

Missas autem publicas per episcopos uel clericos in monasteriis omnino celebrari prohibemus.

**C. IV.** Ille debet abbas institui, quem sua congregatio et possessionis dominus ordinari poposcerit.

Item Pelagius Papa Mellito Subdiacono.

Abbatem in monasterio illum uolumus ordinari, quem sibi de sua congregatione et monachorum electio, et possessionis dominus, et, quod magis obseruandum est, ordo uitæ ac meritum poposcerit ordinari.

**C. V.** De libertate monachorum.

Item Gregorius omnibus Episcopis.

Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere,  
etc.

Et infra:

§. 1. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri, ex auctoritate B. Petri apostolorum principis, (cuius uice huic Romanæ ecclesie presidemus), ut episcoporum nullus aut secularium ultra presumat de redditibus, uel cartis monasteriorum, uel de cellis uel uillis, que ad ea pertinent, quocumque modo seu qualibet occasione minuere, uel dolos uel inmissiones aliquas facere.

Et infra:

§. 2. Defuncto uero abbate cuiuscumque congregationis non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria uoluntate concors fratrum societas elegerit.

Quod si aptam inter se personam inuenire nequiverint, sollerter sibi de aliis monasteriis eligant ordinandum.

Et infra:

§. 3. Pariter autem est custodiendum, ut inuito abbate ad ordinandum alia monasteria, aut ad ordines sacros uel clericatus offitium tolli exinde monachi non debeant.

Et infra:

§. 4. Nullus monachum sine testimonio et concessione abbatis in ecclesia aliqua teneat, uel ad aliquem honorem promoueat.

§. 5. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro in tempore ab omnibus episcopis firmam statuimus illibatam que seruari, ut et suæ ecclesiæ iuuante Domino tantummodo sint contenti iure, et monasteria ecclesiasticis condicionibus, seu angariis, uel quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subiaceant, nullis canonicis iuribus deseruiant, sed remotis uexationibus a cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa animi deuotione perficiant.

C. VI. Missas publicas in cenobiis episcopi non celebrent, nec aliquod eis grauamen inferant.

Idem Castorio Episcopo Ariminensi.

Luminoso abbate referente plurimis in monasteriis multa a presulibus preiudicia atque grauamina monachos pertulisse cognouimus.

Oportet ergo, ut tuæ fraternitatis prouisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatinus conuersantes in illis in Dei seruitio, gratia illis suffragante, mente libera perseuerent.

Missas quoque publicas in cenobio fieri omnimodo prohibemus, ne in Dei seruorum recessibus, et eorum receptaculis ulla popularis prebeaturoccasio conuentus, quia non expedit animabus eorum.

Nec audeat ibi episcopus cathedram collocare, uel quamlibet potestatem exercere inperandi, nec aliquam ordinationem, quamuis leuissimam, faciendi, nisi ab abbate fuerit rogatus, quatinus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, ut remotis uexationibus a cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa deuotione animi perficiant.

C. VII. Baptisterium in monasterio non permittatur fieri.

Item Gelasius Papa.

Pridem precepimus, ut de monasterio S. Andreae, quod est super Mascalas, baptisterium propter monachorum molestias debuisset auferri, atque in eodem loco, quo sunt fontes, altare fundari, cuius rei perfectio hactenus est protracta.

Admonemus igitur fraternitatem tuam, nullam iam moram post susceptas litteras nostras insererer, sed repleto loco ipsorum fontium altare illic sine aliqua dilatione fundetur, quatinus et predictis monachis opus Dei secure liceat celebrare, et de negligentia tua non contra fraternitatem tuam animus noster excitetur.

C. VIII. Cum permissione episcopi abbas locum suum potest deserere.

Item ex Concilio Magontino.

Abbas pro humiliatione et cum permissione episcopi locum suum potest relinquere; tamen eligant sibi fratres abbatem de ipsis si habent, sin autem, de extraneis.

### III. Pars.

Gratian. Ecce in Tolletano concilio dicitur, quod sacerdotes abbates et alia officia instituere debeant. B. Gregorius et Pelagius prohibent, dicentes, abbatem a fratribus suæ congregationis eligendum et ordinandum.

Quomodo ergo hec tanta diuersitas ad concordiam reuocabitur?

Sed sciendum est, quosdam monachos esse indomitæ ceruicis et effrenatæ superbiæ, quos dum abbates ad religionem cogere uoluerint, in eorum deiectione conspirant, et alium moribus suis conuenientem sibi perficere contendunt, quales erant illi, qui in necem B. Benedicti conspirasse leguntur.

Pro huiusmodi constitutum est, ut abbates et alia officia per sacerdotes instituantur.

Unde Pelagius Papa scribit Opilioni Defensori dicens:

**C. IX.** Non licet monachis abbates pro suo arbitrio expellere, aut alios ordinare.

Nullam potestatem de cetero, nullam licentiam monachis relinquimus pro arbitrio suo aut abbates expellere, aut sibimet alios ordinare, (quia nulla auctoritas remanebit abbati, si monachorum potestati ceperit subiacere,) ut de cetero fideliter et studiose uniuersa, que uel ad diuini cultus reuerentiam, uel ad utilitates eiusdem monasterii pertinent, abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere conuenit, debeat adimplere.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Hinc etiam constitutum est, ut clerici singulorum monasteriorum sint in potestate episcoporum, nec alicui liceat extra eorum conscientiam monasteria edificare.

Unde in Calcedonensi Concilio [c. 4]. legitur:

**C. X.** Sine conscientia episcopi monasteria nullus edificet.

Quidam monachorum habitu utentes indifferenter per ciuitates, necnon et monasteria et se ipsos presumptione propria commendant.

Placuit igitur neminem aut edificare aut construere monasteria, aut oratorii domum sine conscientia ipsius ciuitatis episcopi.

Item:

[c. 8]. §. 1. Clerici in ptochiis, monasteriis, aut martiriis constituti sub potestate sint eius, qui in ea ciuitate est episcopus, secundum traditionem sanctorum Patrum, neque per presumptionem recedant a suo episcopo.

§. 2. Eos uero, qui ausi fuerint rescindere huiusmodi institutionem quocumque modo, uel si noluerint subiacere proprio episcopo, si quidem fuerint clerici, secundum, personarum ordinationem subiaceant condemnationibus canonum, si uero laici uel monachi fuerint communionem priuentur.

Item:

§. 3. Clerici, qui pauperum dispositioni, uel monasteriorum uel martiriorum presunt, sub potestate singularum ciuitatum episcoporum secundum traditionem canonum perdurent, neque per suam temeritatem episcopi sui moderationem declinent.

Qui autem huiusmodi dispositionem quolibet modo subuertere ausi fuerint, et episcopo suo non obedierint, si quidem clerici fuerint, canonicæ dampnationi subiaceant, si autem monachi uel laici sunt, a communionem suspendantur.

**C. XI.** Examinetur ab episcopo religiosus feminis preponendus.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 97].

Qui religiosus feminis preponendus est ab episcopo conprobetur.

Gratian. Monasterium quoque absque episcopi permissione nulli incipere aut fundare licet.

Unde in Agatensi Concilio [c. 27]. legitur:

**C. XII.** Sine permissione episcopi nullus monasterium presumat incipere.

De monachis monasterium nouum (nisi episcopo aut permittente, aut probante) nullus incipere aut fundare presumat.

**C. XIII.** De eodem.

Item ex eodem. [c. 58].

Cellulas nouas aut congregatiunculas monachorum absque episcopi notitia prohibemus institui.

**C. XIV.** Absque episcopi uel abbatis uoluntate nullus monachorum cellulam construere presumat.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 24].

Nullus monachus, congregatione monasterii derelicta, ambitionis et uanitatis impulsu cellulam construere sine episcopi permissione uel abbatis sui uoluntate presumat.

#### **V. Pars.**

Gratian. Item sunt alii, qui pro executione diuersarum causarum quoslibet admittunt, qui distractionem eorum soluant, et quietem religionis perturbent.

De quibus in Concilio Triburiensi legitur:

**C. XV.** Abbas, qui cautus in regimine non fuerit, a proprio episcopo et a uicinis abbatibus a suo arceatur honore.

Si quis abbas cautus in regimine, humilis, castus, misericors, discretus sobrius que non fuerit, ac diuina precepta uerbis et exemplis non ostenderit, ab episcopo, in cuius territorio consistit, et a uicinis abbatibus et ceteris Deum timentibus a suo arceatur honore, etiamsi omnis congregatio, uicinis suis consentiens, abbatem eum habere uoluerit.

**C. XVI.** In episcoporum potestate abbates consistent.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 21].

#### **IV. Pars.**

Abbates pro humilitate religionis in episcoporum potestate consistent, et si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco, ubi episcopus elegerit, accepta uocatione conueniant.

**§. 1.** Monachi autem abbatibus omni obedientia et deuotione subiaceant.

Quod si quis per contumaciam extiterit indeuotus, ac per loca aliqua uagari, aut peculiare aliquid habere presumpserit, omnia, que acquisierit, ab abbatibus auferantur, secundum regulam monasterio profuturam.

Ipsi autem, qui fuerant peruagati, ubi inuenti fuerint cum auxilio episcopi tamquam fugaces sub custodia reuocentur.



§. 1. Et reum se ille abbas futurum esse cognoscat, qui in huiusmodi personis non regulariter animaduernerit, uel qui monachum susceperit alienum.

[[C. XVII].

Item ex Concilio Arelatensi.

Monasteria uel monachorum disciplina ad eum pertineant episcopum, in cuius sunt territorio constituta.

C. XVIII. Episcopalia nullus ministret abbatibus, qui alicui episcoporum nolunt subesse. Item Pascalis Papa. [II].

Abbatibus, qui neque sub episcopo, neque sub metropolitano, neque sub primate, neque sub patriarcha sunt, nullus prorsus episcoporum episcopalia quelibet amministret.

Cum enim se nulli episcopo omnino subesse profiteantur, consequens est, ut nullus episcoporum que sua sunt eis tamquam extraneis largiatur.

Gratian. Pro huiusmodi ergo statutum est, ut causæ et utilitates monasteriorum per episcopos disponantur.

Unde Gregorius scribit Vitali Defensori Sardiniae: [lib. VII. epist. 65].

C. XIX. Utilitates monasterii a proprio episcopo debent disponi.

Cognouimus, quod monasteria seruorum Dei uel feminarum pro suo quisque libitu et diuersarum causarum executione perturbet.

Quod omnino non grate suscipimus, tuam que ex hoc experientiam commonemus, ut nequaquam hoc usurpare denuo accepta nostra auctoritate permittas, sed episcopo loci illius, sub cuius moderamine degunt, curæ sit causas utilitates que disponere.

Valde est enim indecens, ut omisso eo alius quilibet se illorum causis admisceat, sed ille eorum uitas competenti regulari que debet moderamine disponere, qui pro commissis eorum animabus compellitur rationem reddere.

## VII. Pars.

Gratian. Pro huiusmodi etiam prohibet B. Gregorius mulieres passim ad monasterium accedere, et monachorum conmatres fieri, scribens Valentino Abbati: [lib. III. epist. 40].

C. XX. Neque conmatres sibi facere, neque ad feminas accedere monachis licet.

Peruenit ad nos, quod in monasterio tuo passim mulieres ascendant et (quod est grauius) monachos tuos sibi conmatres facere, et ex hoc incautam cum eis communionem habere.

Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos (quod absit) calliditate decipiat, ideo huius te precepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque monachos tuos sibi conmatres facere.

Nam si hoc denuo ad aures nostras quocumque modo peruenerit, sic te seuerissime noueris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate ceteri sine dubio corrigantur.

## VIII. Pars.

Gratian. Non solum autem incauta familiaritas aliarum mulierum eis interdicitur, uerum etiam sancti monialium habitatione prohibentur.

Unde in VII. Sinodo [c. 20]. legitur:

C. XXI. Cum sanctimonialibus monachis habitare non licet.

Diffinimus minime duplex monasterium fieri, quia scandalum id et offendiculum multis efficitur.

Si uero aliqui cum cognatis abrenunciare et monasticam uitam sectari uoluerint, debent uiri quidem uirorum adire cenobium, feminae uero mulierum ingredi monasterium.

In hoc enim placatur Deus.

§. 1. Que autem hactenus sunt dupla, secundum regulam sancti Patris Basilio et secundum preceptionem eius ita formentur.

Non habitent in uno monasterio monachi et monachæ.

Adulterium enim intercipit cohabitationem, si habeat aditum monachus ad monacham, uel monacha ad monachum secreto ad colloctionem.

§. 2. Non cubet monachus in muliebri monasterio, neque cum monacha singulariter conuiuetur; et quando necessaria uitæ a uirorum parte ad regulares deferuntur, extra portam hec suscipiat abbatissa monasterii feminarum cum quadam uetula monacha.

§. 3. Porro si contigerit, et aliquam propinquam suam uidere uoluerit monachus, in presentia abbatissæ huic confabuletur per modica et conpendiosa uerba, et in breui ab ea discedat.

C. XXII. Monachi et monachæ in nullo simul cohabitent loco.

Item in Registro Gregorii.

In nullo loco monachos et monachas permittimus in unum monasterium habitare, sed nec ea, que duplicia uocantur.

Et si quod tale est, religiosus episcopus mulieres quidem in suo loco manere studeat, monachos autem aliud monasterium edificare cogat.

Si autem plurima sint talia monasteria, separentur in aliis monasteriis monachæ, et in aliis monachi; res autem, quas communes habent, secundum iura eis competentia distribuuntur.

C. XXIII. A monasterio monachorum longius constituentur monasteria puellarum.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 28].

Monasteria puellarum longius a monasterio monachorum aut propter insidias diaboli, aut propter obloctionem hominum collocentur.

C. XXIV. Puellarum monasteria monachorum presidio et ministracione regantur.

Item ex Concilio Spalensi. [II., c. 11].

In decima actione consensu communi decreuimus, ut monasteria uirginum in prouincia Bethica monachorum amministrazione ac presidio gubernentur.

Tunc enim salubria Christo dicatis uirginibus probamus, quando eis patres spirituales eligimus, quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis edificari possint, ea tamen circa monachos cautela seruata, ut remoti ab earum familiaritate nec usque ad uestibulum habeant accedendi familiare permissum.

Sed neque abbatem, uel eum, qui preficitur, extra eam, que preest, loqui uirginibus Christi aliquid, quod ad institutionem earum pertinet, licebit, nec cum ea sola, que preest, frequenter loqui eos oportet; sed sub testimonio duarum uel trium sororum, ita ut rara sit accessio, et breuis omnino locutio.

**IX. Pars.**

Gratian. Prohibentur etiam sanctimoniales propria receptacula habere.  
Unde Innocentius II.: [in Concilio Romæ habito, c. 26. et 27].

**C. XXV. De eodem.**

Perniciosam et detestabilem quarumdam consuetudinem mulierum (que licet neque secundum regulam B. Benedicti, neque Basili, aut Augustini uiuant, sanctimoniales tamen uulgo censi desiderant) aboleri decreuimus.

Cum enim, iuxta regulam degentes in cenobiis, tam in ecclesia quam in refectorio atque dormitorio communiter esse debeant, propria sibi edificant receptacula et priuata domicilia, in quibus sub hospitalitatis uelamine passim hospites minus religiosos contra sacros et bonos mores suscipere nullatenus erubescunt.

Quia ergo omnis, qui male agit, odit lucem, ac per hoc ipsæ absconditæ in iustorum tabernaculo opinantur se posse latere oculos iudicis cuncta conspicientis, hoc tam inhonestum detestandum que flagicium ne ulterius fiat omnibus modis prohibemus, et sub pena anathematis interdicimus.

§. 1. Simili modo prohibemus, ne sanctimoniales simul cum canonicis et monachis in ecclesia in uno choro conueniant ad psallendum.

**X. Pars.**

Gratian. Item sunt alii, quos episcopo pregrauantes salutem ipsarum animarum negligunt, quibuslibet occasionibus bona monasteriorum distrahere cupiunt.

Tales erant quidam clerici Rauennatis ecclesiæ, qui simulata religione monasteriis cupiebant prefici, non transeuntes ad monachicum habitum, neque renunciantes ecclesiasticæ miliciæ.

De quibus Gregorius scribit Iohanni Rauennati Episcopo: [lib. IV. epist. 1].

**C. XXVI. Monasteria clericorum uel laicorum habitacula fieri non debent.**

Peruenit ad me, quod in ecclesiis fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteriis consecrata nunc habitacula clericorum, aut etiam laicorum facta sunt; dum que hii, qui sunt in ecclesiis, fingunt se religiose uiuere, monasteriis preponi appetunt, et per eorum uitam monasteria destruuntur.

Nemo enim potest ecclesiasticis offitiis  
etc.

Et infra:

§. 1. Proinde fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum est, emendare festinet, quia ego nullo modo patiar, ut loca sacra pro clericorum ambitu destruantur.

**C. XXVII. Qui in sacro sunt ordine constituti in monasteriis nullam habeant potestatem. Idem Mariano Episcopo Rauennæ. [lib. VI. epist. 40].**

Dudum ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennatum partibus constituta omnino clericorum uestrorum dominio pregruari, ita ut occasione regiminis ea quidem (quod dici graue est) uelud in proprietate possideant.

Quibus non modicum condolentes predecessori uestro litteras misimus, ut hoc emendare debuisset.

Sed quoniam uitæ termino citius occupatus est, ne hoc onus monasteriis remaneat, fraternitati uestræ eadem nos scripsisse recolimus.

Et quia, ut conperimus, in huius rei hactenus correctione cessatum est, hec audiens iterum preuidimus ad uos scripta dirigere.

Hortamur ergo, ut omni mora omni que excusatione summota ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatinus nullam deinceps in eis clerici, uel, qui in sacro ordine sunt constituti, ob aliud (nisi hortandi tantummodo causa) accedendi habeant licentiam, aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati misteria.

Sed ne pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione etc.

Et infra:

§. 1. Non illic ulterius habeat potestatem aliquam, ne monasteria huius occasionis uelamine ea, que prohibemus, sustinere onera compellantur.

Hec itaque omnia uigilanti cura emendare iam secundo conmonita sanctitas uestra non differat; ne, si post hec negligentes uos esse (quod non credimus) senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur.

Nam notum uobis sit, quia tantæ necessitati seruorum Dei congregationem subiacere non patiemur.

**C. XXVIII.** Gratia uisitandi et exhortandi monasterium episcopus adire potest.

Idem. [eidem, lib. VII. Indict. 1. epist. 18].

## **XI. Pars.**

Visitandi exhortandi que gratia ad monasterium, quotiens placuerit, ab antistite ciuitatis accedatur; sed sic karitatis offitium illic impleat episcopus, ut grauamen aliquod monasterium non incurrat.

**C. XXIX.** Frequenter episcopi monasteria uisitent, et que corrigenda sunt corrigant.

Item ex Concilio Aurelianensi.

Non semel, sed sepius in anno episcopi uisitent monasteria monachorum, et si quid corrigendum fuerit, corrigatur.

## **XII. Pars.**

Gratian. Pro talibus, qui animarum curam non habentes, bona tamen monasteriorum in suos usus conuere cupiebant, statutum est, ut monasteria cum suis rebus penitus sint libera a potestate et dominio episcoporum.

Quod autem nullis canonicis iuribus dicuntur monasteria esse subiecta, non ita intelligendum est, quin ipsi episcopo aliquid nomine eulogiæ, uel in die dedicationis, uel in natali sanctorum, quorum nomine ipsum monasterium dedicatum est, debeat offerri.

Unde Pelagius Papa ait:

**C. XXX.** Non debet episcopus aliquid a monasterio exigere preter condiciones, quas dedicationis tempore constituit.

Eleutherius frater et coepiscopus noster queritur, quod mater eius in casa, que Castellum dicitur, oratorium construxisset ac dedicauerit, et in eodem loco monachos constituerit, ex quibus unus est presbiter.

Hoc autem tempore dedicationis inter episcopum Cardelum (cuius ipsa diocesis est) et matrem suam asserit conuenisse, ut quicquid dedicationis uel natalis martirum die,

quorum in eodem monasterio reliquiæ sunt, per fidelium oblationes intrauerit, medietatem quidem habeat ipsum monasterium, medietas autem episcopo offeratur.

Contra quam conuentionem Marium presbiterum (siue sciente siue nesciente episcopo) monachis ipsis, uel presbitero, qui ex eis est, uim dicitur intulisse, et frequenter molestias generare, ita ut memoratum presbiterum prope ceciderit, et missas eum facere nullo modo permittat, dicens, ut quasi pensionis nomine aliquid statuere debeat.

Hec igitur omnia diligenter te examinare iubemus, et, si apud te euidenti ratione constiterit, quia tempore, quo dedicatum est ipsum monasterium, conditiones superius positæ conuenerint, seruari eas ex nostra auctoritate precipimus, nec aliquid amplius exinde ab aliquo exigatur.

Sin uero nil tale constiterit, mediante te quid ipsi episcopo nomine eulogiæ offerri debeat inter ipsos monachos, et presbiterum uolumus diffiniri, saluo tamen eo, ut presbiter Gaudentius, qui etiam monachus est, missas in monasterio suo sicut consueuit facere a nullo ulterius debeat prohiberi.

**C. XXXI.** Consueta seruitia episcopis monasteria exhibeant.

Item Urbanus II.

Seruitium, quod monasteria aut eorum ecclesiæ a tempore Gregorii VII. usque ad hoc tempus fecerunt, et nos concedimus.

Gratian. Canonica ergo iura, quibus monasteria subiecta non sunt, sinodales exactiones intelliguntur.

Non enim cogendus est abbas (sicut in Turonico concilio statuitur) ad sinodum ire, nisi aliqua rationabilis causa existat.

Sunt etiam quedam seruitutis offitia, ut angariæ operum, crebræ receptiones, annuæ exactiones, mulctationes peccantium, a quibus omnibus monasteria libera sunt.

## CAUSA XIX.

### GRATIANUS.

Duo clerici ad monasterium transire uolunt; uterque licentiam ab episcopo suo petiit; unus relicta propria ecclesia eo inuito, alter dimissa regulari canonica cenobio se contulit.

(Qu. I).

Modo queritur, si episcopus debeat permittere, ut relicta propria ecclesia clericus monasterium ingrediatur?

(Qu. II).

Secundo queritur, si episcopus licentiam dare noluerit, an eo inuito monasterium possit adire?

(Qu. III).

Tertio, si contigerit ipsos regulares canonicos fuisse, utrum concedendus esset eis monasterii ingressus?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Quod episcopus licentiam clericis adeundi monasterium dare debeat, in Tolletano [IV]. Concilio precipitur, in quo [c. 49]. ita statutum legitur:

**C. I.** Non debet negari clericis ingressus, qui monachorum propositum appetunt. Clerici, qui monachorum propositum appetunt, (quia meliorem uitam sequi cupiunt,) liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Inuito uero episcopo clericum eius a nullo esse suscipiendum, Leo Episcopus testatur, scribens Rustico Narbonensi Episcopo:

**C. I.** Inuito episcopo eius clericum nemo suscipiat. Alienum clericum inuito episcopo ipsius nemo suscipiat. Gratian. Sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris uitæ transire uoluerit. Tunc enim liberum est illi, etiam episcopo contradicente, monasterium ingredi. Unde Urbanus Papa [II]. in capitulo sancti Rufi:

**C. II.** Qui monachorum propositum appetit, etiam inuito episcopo recipiendus est. Duæ sunt, inquit, leges: una publica, altera priuata. Publica lex est, que a sanctis Patribus scriptis est confirmata, ut lex est canonum, que quidem propter transgressionem est tradita. Verbi gratia: Decretum est in canonibus, clericum non debere de suo episcopatu ad alium transire sine commendatitiis litteris sui episcopi, quod propter criminosos constitutum est, ne uidelicet infames ab aliquo episcopo suscipiantur personæ. Solebant enim officia sua, cum non in suo episcopatu poterant, in alio celebrare, quod iure preceptis et scriptis detestatum est.

**§. 1.** Lex uero priuata est, que instinctu S. Spiritus in corde scribitur, sicut de quibusdam dicit Apostolus: “Qui habent legem Dei scriptam in cordibus suis,” et alibi: “Cum gentes legem non habeant, si naturaliter ea, que legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex”. Si quis horum in ecclesia sua sub episcopo populum retinet, et seculariter uiuit, si afflatus Spiritu sancto in aliquo monasterio uel regulari canonica saluare se uoluerit, quia lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, ut a publica lege constringatur. Dignior est enim lex priuata quam publica. Spiritus quidem Dei lex est, et qui Spiritu Dei aguntur lege Dei ducuntur; et quis est, qui possit sancto Spiritui digne resistere? Quisquis igitur hoc Spiritu ducitur, etiam episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate. Iusto enim lex non est posita, sed ubi Spiritus Dei, ibi libertas, et si Spiritu Dei ducimini, non estis sub lege.

## QUESTIO III.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Canonicos autem regulares ad monasterium transire multis auctoritatibus prohibetur. Unde in Concilio Educensi, congregato sub VII. Gregorio legitur:

**C. I. Regulares canonici monachi fieri non debent.**

Nullus abbas uel monachus canonicos regulares a proposito professionis canonicæ reuocare, atque ad monasticum habitum trahendo suscipere audeat, ut monachi fiant, quamdiu ordinis sui ecclesiam inuenire quiuerint, in qua canonicè uiuendo Deo seruire, et animam suam saluare possint.

Quod si temerario ausu id agere temptauerint, anathematis uinculo obligentur.

**C. II. De eodem.**

Item Urbanus Papa II.

Mandamus et uniuersaliter interdicimus, ne quis canonicus regulariter professus, nisi (quod absit) publice lapsus fuerit, monachus efficiatur.

Quod si decreto nostro contraire presumens agere temptauerit, ad ordinem canonicum precipimus ut redeat, et deinceps memorialem cucullam deferat, et ultimus in choro maneat.

Gratian. Subaudiendum uero est, nisi cum patris sui licentia religionis propositum induerit.

Unde Urbanus II. scribit Abbati sancti Rufi:

**C. III. Patris sui concessione regulares canonici monachi possunt fieri.**

Statuimus, ne professionis canonicæ quispiam postquam Dei uice supra caput sibi hominem inposuerit, alicuius leuitatis instinctu uel districtioris religionis obtentu ex eodem claustro audeat sine patris et totius congregationis permissione recedere.

Discedentem uero nullus abbatum uel episcoporum, et nullus monachorum sine communi litterarum cautione suscipiat.

**II. Pars.**

Gratian. Queritur, si monasteria, que semel dedicata sunt, possint transire in clericorum uel secularium habitacula?

Quod in Calcedonensi Concilio omnibus modis prohibetur c. 24.:

**C. IV. Que semel sunt dedicata, monasteria semper perseuerent.**

Que semel sunt dedicata monasteria consilio episcoporum, maneant perpetuo monasteria, et res, que ad ea pertinent, monasteriis reseruari oportet, nec posse ea ultra fieri secularia habitacula.

Qui uero permiserint hec fieri, subiaceant his condemnationibus, que per canones constitutæ sunt.

**C. V. Qui loca sacra communia diuersoria fecerit, clericus deponatur, laicus excommunicetur.**

Item in Sinodo VII., c. 13.

Quoniam a quibusdam uiris quedam uenerabiles domus subripiuntur, tam uidelicet episcopia quam monasteria, et facta sunt communia diuersoria, si quidem uoluerint hii, qui hec retinent, reddere ea, ut secundum antiquitatem restaurentur, bene et optime;

alioquin, si de sacro catalogo fuerint, hos deponi precipimus, si uero monachi uel laici, excommunicari, quos nimirum constat condemnatos esse et Patre, et Filio, et Spiritu sancto, et deputantur ubi uermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur, quia Deo aduersantur, qui dicit: “Nolite facere domum patris mei domum negociacionis”.

### III. Pars.

Gratian. Queritur de his, qui ad conuersionem ueniunt, quo tempore debeant tonsurari? De his ita scribit Gregorius Papa Fortunato Episcopo Neapolitano: [lib. VIII. epist. 23].

**C. VI.** Antequam biennium in conuersione compleuerit, aliquis tonsurari non debet. Monasteriis omnibus fraternitas uestra districtius interdicat, ut eos, quos ad conuersionem susceperint, prius, quam biennium in conuersione compleuerint, nullo modo audeant tonsorare.

Sed hoc spacio uita mores que eorum sollicitate conprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus, quod uoluit, aut ratum non habeat quod elegit.

Nam dum graue sit, inexpertos hominum obsequiis sociari, quis possit dicere, quanto sit grauius ad Dei seruitium improbos applicare?

Miles uero, si conuerti uoluerit, prius, quam nobis renunciatur, nullus eum sine nostro consensu qualibet presumat ratione suscipere.

### IV. Pars.

Gratian. Queritur, si ingressis monasterium ultra relinquatur licentia testandi? Hoc Gregorius prohibet, ita scribens Ianuario Caralitano Episcopo: [lib. VII. Indict. 2. epist. 7].

**C. VII.** Post monasterii ingressum nulli relinquatur licentia testandi.

Quia ingredientibus monasterium conuertendi gratia ulterius nulla sit testandi licentia, sed ut res eorum eiusdem monasterii sint, aperta legis diffinitione decretum est.

**C. VIII.** Post ingressum monasterii eidem monasterio omnia sunt conferenda.

Item Gregorius Cipriano Diacono. [lib. III. epist. 6].

Perlatum est ad nos Petronillam nomine, de prouincia Lucania progenitam, per exhortationem Agnelli episcopi fuisse conuersam, res que suas omnes, quas habere potuit, licet iure sibi potuissent competere, tamen eidem monasterio, in quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse.

Gratian. Econtra Paulus primus heremita in testamento colobium suum Athanasio Alexandrino episcopo reliquit, tunicam uero B. Antonio.

Sed aliud est de his, qui monasterium ingressi se et sua tradiderunt: aliud de his, qui solitariam uitam ducentes se nulli ecclesie tradiderunt.

Illi semel tradita nulli tradere possunt: isti nulli oblata libere testari ualent.

[[**C. IX.**] Item constitutio noua.

“Si qua mulier aut uir monasticam elegerit uitam, et intrauerit monasterium, liberis non extantibus, monasterio, quod ingrediuntur, res eius competere iubemus.



§. 1. Sed si persona liberos habens ante, quam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere, legitima nulli diminuta, et quod eis non dederit monasterio competet.

§. 2. Sed si omnem substantiam inter filios diuidere uoluerit, sua persona filiis connumerata partem sibi retineat, que monasterio competere debeat.

§. 3. Sed si post ingressum moriatur, ante, quam inter eos diuidat, filii legitimam percipiant, reliqua substantia monasterio competente”.

Constitutione 5. in collatione 1.

§. 4. “Nunc autem, cum monachus factus esset, hoc ipso res suas omnes obtulisse uideatur, si prius testatus non sit, exinde, iudicio eius cessante, lege disponitur, ut si liberos habet, in quos aut nichil, aut minus legitima portione quoquo donandi titulo contulerit, eatenus substantiæ monasterio destinatæ detrahantur, ne quid contingat circa liberos iniquum”.

[[C. X].

Item ex Nouella. [CXXIII].

“Non liceat parentibus liberos, uel liberis parentes ab hereditate sua repellere monachos factos, quamuis, dum laici fuerant, in causam ingratitude incidissent”.

Item:

§. 1. “Non liceat parentibus liberos suos ad solitariam uitam transeuntes abstrahere de monasterio”.

## CAUSA XX.

### GRATIANUS.

Duo pueritiæ annos agentes a parentibus monasterio traditi sunt; unus inuitus, alter spontaneus cucullam induit.

Ad annos pubertatis uenientes, inuitus ad secularem miliciam redit, spontaneus monasterium districtius petit.

(Qu. I).

Nunc primum queritur, si in pueritiæ annis traditi cogantur religionis propositum tenere?

(Qu. II).

Secundo, si preter uoluntatem parentum tonsuram uel religionis uestem quis in pueritia accipiat, an possit sibi detrahi, an non?

(Qu. III).

Tertio, qui preter propriam uoluntatem cucullam induerit, an cogatur eam retinere, an non?

(Qu. IV).

Quarto, si ab uno monasterio in aliud districtius liceat alicui transire?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Quod intra annos pueritiæ traditi, cum adulti fuerint, liberum habeant arbitrium manendi uel discedendi, probatur auctoritate nonæ Sinodi in qua sic statutum est:

**C. I.** Virginitatis professio quo tempore firma esse incipit.

Firma autem tunc erit professio uirginitatis, ex quo adulta iam etas esse ceperit, et que solet apta nuptiis deputari ac perfecta.

Gratian. Si uirginitatis professio tunc incipit esse firma, cum etas ceperit esse adulta, et religionis professio tunc demum debet esse firma, cum ad adultam etatem peruentum fuerit.

Sed hic de illa professione agitur, que in annis pueritiæ proprio arbitrio Deo offertur, quam non confirmat parentum consensus.

Ceterum, que a parentibus Deo offertur professio, inuiolatam seruari oportet.

Unde Gregorius scribit ad Augustinum Anglorum Episcopum:

**C. II.** Non licet de monasterio egredi quem pater uel mater infra annos infantia fecerit ordinari.

Addidistis adhuc, quod si pater uel mater filium filiam ue intra septa monasterii in infantia annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis postquam ad pubertatis inoleuerint annos, egredi, et matrimonio copulari.

Hoc omnino deuitamus, quia nefas est, ut oblati a parentibus Deo filiis uoluptatis frena relaxentur.

**C. III.** Aut propria professio, aut paterna deuotio monachum facit.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 48].

Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit.

Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit.

Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, et omnes ad seculum interdicimus regressus.

**C. IV.** In monasterio perpetuo maneant qui a parentibus traditi fuerint.

Item Ysidorus.

Quicumque a parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus, nouerit se ibi perpetuo mansurum.

Nam Anna Samuel puerum suum natum et ablactatum Deo pietate obtulit, qui et in ministerio templi, quo a matre fuerat deputatus, permansit, et ubi constitutus est deseruiuit.

**[PALEA. C. V. De eodem.**

Item ex Regesto Gregorii, libro I. epistola 48. ad Anthemium.

Quia autem dura est in insulis congregatio monachorum, etiam pueros in eisdem monasteriis ante XVIII. annorum tempora suscipi prohibemus, uel si qui nunc sunt tua eos prouidentia auferat, et in urbem Romanam transmittat.

Hoc et in Palmaria aliis que insulis te per omnia uolumus custodire].

**C. VI.** Qui a progenitoribus monasterio traditus est, de eo egredi non ualet.

Item ex Concilio Triburiensi.

Quem progenitores ad monasterium tradiderunt, et in ecclesia cepit canere et legere, nec uxorem ducere, nec monasterium deserere poterit: sed si discesserit, reeducatur; si tonsuram dimiserit, rursus tondeatur; uxorem si usurpauerit, dimittere conpellatur.

[PALEA. C. VII.

Item ex Penitenciali Theodori.

Infans pro infante potest dari in monasterio, quamuis alter uocatus sit.

Tamen melius est uotum soluere.

Similiter et pecora equali precio (si necesse est) sunt redimenda].

## II. Pars.

Gratian. Ex his auctoritatibus colligitur, quod paterna professio pueros tenet obligatos, nec licebit eis a proposito discedere, quod paterna deuotione in puerilibus annis susceperint.

Sed obicitur illud Leonis Papæ: [epist. XC. ad Rusticum Episcopum, cap. 13. et 14].

C. VIII. Non licet puellis nuptias eligere, que spontanea uoluntate uirginitatis propositum susceperunt.

Puellæ, que non coactæ parentum inperio, sed spontaneo iudicio uirginitatis propositum atque habitum susceperint, si postea nuptias elegerint, preuaricantur, etiam si nondum eis consecratio accessit, cuius utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.

Ambigi uero non potest crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur, et consecratio uiolatur.

Nam si humana facta non possunt inpune calcari quid de his manebit, qui corruperint federa diuini sacramenti?

Gratian. Cum ergo in principio huius capituli dicatur: “Puellæ, que non coactæ inperio parentum,” datur intelligi, quod si coactæ uirginitatis habitum sumpserint, sine preuaricatione ipsum deserere possunt.

Sed puella hic nubilis intelligitur, cuius (ut in sequentibus monstratur) post duodecimum annum liberum est arbitrium; nec in electione propositi cogitur sequi parentum inperium.

Sic et illud intelligendum est, quod est statutum in Sinodo ab Eugenio Papa habita: [II. c. 32].

C. IX. Extra uoluntatem propriam retrusi in monasteriis non teneantur.

Sicut qui monasteria elegerunt a monasteriis egredi non permittuntur, ita hii qui inuiti sine iustæ offensionis causa sunt intromissi, non nisi uolentes teneantur, quia quod non petunt obseruant.

Ideo que tales considerandi sunt maxime peccata committere quam plangere, sicut in decreto sanctissimi Leonis Papæ manifestissime continetur.

[PALEA. C. X.

Unde Marcellus Papa.

Illud autem statuendum esse censemus, ut, si in minori etate filii monasterio oblati fuerint, et sacram tonsuram uel uelamina susceperint, dignum quidem duximus, ut XV. anno a prelati moniti inquirantur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non?

Si uero permanere professi fuerint, ulterius penitendi locum minime amplecti possunt.

Sin autem ad secularem habitum reuertii uoluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia satis inutile est, ut coacta seruitia Domino prestentur].

**III. Pars.**

Gratian. Velamen uirginibus inponi non licet, nisi certis diebus.  
Unde Gelasius Papa omnibus Episcopis: [per Lucaniam, c. 14. et 15].

**C. XI.** Non nisi certis diebus uelamen inponatur uirginibus.

Deuotis uirginibus, nisi aut in epiphaniarum die, aut in albis pascalibus, aut in apostolorum natalibus sacrum uelamen minime inponatur, nisi forsitan (sicut de baptismo dictum est) graui languore correptis ne autem sine hoc munere de seculo exeant, inplorantibus non negetur.

§. 1. Viduas autem uelare pontificum nullus attemptet.

**IV. Pars.**

Gratian. Tempus quoque consecrationis earum similiter obseruetur.  
Unde Gregorius in Registro: [lib. III. ep. 11].

**C. XII.** Ante sexagesimum etatis suæ annum uirgines non consecrentur.

Iuuenculas fieri abbatissas uehementissime prohibemus.

Nullam igitur fraternitas tua nisi sexagenariam uirginem, cuius uita atque mores hoc exegerint, uelare permittat.

[[**C. XIII.**]

Item ex concilio Cartaginensi III.

Sanctimoniales ante annum quadragesimum non uelentur.

**C. XIV.** Ante uigesimum quintum annum uirgines non consecrentur.

Item ex Concilio Affricano III. [c. 4].

Placuit ut ante XXV. annos etatis nec diacones ordinentur, nec uirgines consecrentur, et ut lectores populum non saluent.

[**PALEA. C. XV.**

Item Pius Papa.

Virgines non uelentur ante XXV. annos, nisi forte necessitate periclitantis pudicitiae uirginalis, et non sunt consecrandæ nisi in epiphania, et in sabbato pascae, et in apostolorum natalitiis, nisi causa mortis urgente].

**V. Pars.**

Gratian. Quamuis autem uiduæ prohibeantur uelari, uiduitatis tamen professio in scriptis ab eis est facienda.

Vestis quoque professioni conueniens est eis tradenda, qua ubique utantur.

Unde in Concilio Tolletano X.: [c. 4].

**C. XVI.** Professionem uiduitatis faciant, et habitum religionis sumant, que castitatem seruare proponunt.

Vidua, que sanctæ religionis obtinere propositum uoluerit, sacerdoti uel ministro, ad quem aut ipsa uenerit, aut quem ad se uenire contigerit, scriptis professionem faciat a se

aut signo, aut subscriptione notatam, continentem, se et religionis propositum uelle, et hoc perhenniter inuiolate seruare.

Tunc accepta a sacerdote uel ministro apta religionis professioni ueste, seu lectulo quiescens siue in quocumque loco consistens, constanter utatur, nec diuersi coloris aut diuersæ partis eadem sit notabilis uestis, sed religiosa et non suspecta.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De his uero, qui preter uoluntatem parentum tonsuram, uel religiosam uestem susceperint, sic diffinitur in concilio X. Tolletano: [c. 6].

**C. I.** Tonsura uel uestis religiosa in minori etate suscepta a parentibus irrita fieri potest. Si in qualibet minori etate uel religionis tonsuram uel religioni debitam uestem, in utroque sexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint forte, aut nolentibus uel nescientibus se susceptam non mox uisam in filiis abdicauerint, sed uel coram se, uel coram episcopo, palam que in conuentu eosdem filios talia habere permiserint, ad secularem reuerti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit, sed conuicti, quod tonsuram aut religiosam uestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitum que reuocentur, et sub strenua distractione huiusce obseruantia inseruire cogantur.

§. 1. Parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius quam usque ad decimum etatis eorum annum licentia poterit esse; postea uero, an cum uoluntate parentum, an si suæ deuotionis sit solitarium uotum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.

§. 2. Quisquis autem uel abolitione tonsuræ, uel secularis uestis assumptione detectus fuerit attigisse transgressionem, et excommunicationis censuram accipiat, et religioni semper inhereat.

**C. II.** Usque ad annos XII. paternæ uoluntatis puella subiaceat arbitrio.

Item ex Concilio Triburiensi. [c. 24].

Puella, si ante XII. etatis annos sponte sua sacrum sibi assumpserit uelamen, possunt statim parentes eius uel tutores id factum irritum facere, si uoluerint.

At si annum et diem dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare poterunt.

§. 1. Si uero in fortiori etate adolescentula uel adolescens seruire Deo elegerint, non est potestas parentibus prohibendi.

#### II. Pars.

Gratian. Velamen autem nulli sanctimonialium alteri inponere licet.

Unde Eutycianus Papa ait:

[[C. III].

Statuimus, ut si abbatissa aut quelibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, ut aut uiduam, aut puellam uirginem uelare presumat iudicio canonico usque ad satisfactionem subdatur.

### III. Pars.

Gratian. Hac auctoritate predicta et paterna professione docetur astringi quilibet in puerilibus annis, et preter uoluntatem eorum proposito suscepto perhibetur teneri, nisi tonsuram uel religiosam uestem parentes mox uisam abdicauerint.

Paruuli uero, dum offeruntur, nonnisi sub multorum testimonio suscipiendi sunt.

Unde in nona Sinodo legitur:

C. IV. Infantes oblati a parentibus sub plurimorum testimonio suscipiantur.

Oportet infantes cum uoluntate et consensu parentum, imo ab ipsis parentibus oblatos, sub testimonio plurimorum suscipi, ut omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum pessimorum.

## QUESTIO III.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem qui inuitus propositum religionis susceperit non sit cogendus ad inuiti propositi obseruationem, testatur Leo Papa, [epist. XC. aliter XCII. ad Rusticum Episcopum, c. 12]. dicens:

C. I. Non potest deseri propositum monachi sponte susceptum.

Propositum monachi proprio arbitrio et uoluntate susceptum deseri non potest absque peccato.

Quod enim quis uouet Deo debet et reddere.

Unde qui relicta singularitatis professione ad miliciam uel ad nuptias deuolutus est, publicæ penitentiæ satisfactione purgandus est, quia, etsi innocens milicia, et honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorum deseruisse transgressio est.

C. II. Qui religiosum habitum sponte susceptum deserere uoluerit ad ipsum redire cogatur.

Item ex Concilio Tolletano VII. [c. 6].

Procliuis autem cursus est ad uoluptatem et imitatrix natura uiciorum.

Quamobrem quisquis uirorum uel mulierum habitum semel induerit spontanee religiosum, aut si uir deditus ecclesiæ, uel femina fuerit delegata puellarum monasterio, in utroque sexu preuaricator inuitus reuerti cogatur, ut uir detondeatur, et puella ad monasterium regrediatur.

Si autem quolibet patrocini desertores permanere uoluerint, sacerdotali sententia a Christianorum cetu habeantur extorres, ut nec locus eis ullus sit communionis.

§. 1. Viduæ quoque (sicut iam dudum uniuersalis statuit sinodus) professionum uel habitus sui desertrices superiori sententia condempnentur.

C. III. Semel in clero taxati, uel monasteriis deputati, ad miliciam non redeant.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 7].

Eos, qui semel in clero taxati fuerint, siue in monasterio deputati, decreuimus neque ad miliciam, neque ad honores seculares uenire.

Eos autem, qui hoc ausi fuerint facere, et non eius rei penitere maluerint, ut ad hoc idem reuertantur, quod ante non obtentu Dei sibi proposuerunt, conuenit anathematizari.

## II. Pars.

Gratian. Cum dicitur, propositum monachi proprio arbitrio et uoluntate susceptum, intelligitur, quod si propria uoluntate susceptum non fuerit, obseruari non cogitur.

Unde Nycolaus Papa scribit omnibus Episcopis in Regno Lodoici:

C. IV. Monasterialibus disciplinis nullus subiciatur inuitus.

Presens clericus, nomine Lambertus, una cum patre suo, nomine Atto, quondam uidelicet comite, nunc autem clerico, ad limina apostolorum properans adiit presentiam nostram, asserens qualiter idem pater eius in laicali adhuc ordine in prediis propriis edificasset duo monasteria, uoluntatem gerens, ut post suum decessum presens eius filius Lambertus in locum ei succederet, quem, infra teneram etatem inter octauum et decimum annum constitutum, memoratus pater proprio arbitrio absque regulari institutione extra omnem illius uoluntatem cucullam induit.

Igitur post quoddam ipsius temporis spacium (ut ipse dicit) Salomon episcopus cum quibusdam aliis absque patris oblatione uel abbatis percepta benedictione eundem Lambertum monastico induere fecit habitu (ut ferunt) inuitum, et sub hac occasione paterna seu materna hereditate a fratribus suis priuatum esse, atque contra omnem (ut dictum est) uoluntatem suam quasi regularem illum monachum permanere uoluit.

Super qua re diligenti cura inuestigantes, etiam sub adiuratione patrem ipsius, si uerum diceret, interrogauimus; sed idem clericus Atto respondit, se talem habuisse et habere uoluntatem, ut filius suus uerus fieret monachus, et in locum ei succederet.

Sub testificatione autem iurando firmauit, quod, quando primitus ei cucullam induit, idem Lambertus semper restitit, et numquam se fieri monachum consensit; sed demum ab insequentibus monachico est habitu uiolenter indutus, asserens, quia numquam regulam aliquando promisit, neque ego, pater eius, palla altaris indutum illum obtuli, neque a quocumque sacerdote uel abbate (ut mos poscit) benedictione percepta regulæ umquam se monachum subiectum futurum promisit.

Super his omnibus protestatus est prefatus clericus Atto, quia si eo tempore tam duræ obseruantiaë monasticam intellexisset regulam, numquam eundem filium suum Lambertum coegisset portare cucullam.

§. 1. Quapropter consulte psalmographi uerba recolentes, quibus uoluntarie se Deo sacrificare pronunciat, et uoluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat, presentem, ut dictum est, clericum nomine Lambertum minime debere existimauimus sub tali uiolentia fieri monachum.

Quod enim quis non elegit, nec optat, profecto non diligit; quod autem non diligit facile contempnit.

Nullum ergo bonum nisi uoluntarium.

Idcirco et Dominus non ferendam in uia uirgam, per quam uiolentia ulli inferatur, precepit.

Quapropter consultius agitur, si piis suasionibus contemptum mundi et amorem Dei predicando, quam uiolentiam inferendo ad celestem amorem illum accenderitis.

Unde omnium uestrum karitati hanc nostri apostolatus mandare decreuimus epistolam, monentes atque precipientes, quatinus (si ita uerum est, ut isti dicunt) nullus episcopus uel abbas, seu monachorum reliquorum conuentus, monasticis regulis inuitum illum subiacere compellat; neque ullo modo fratres eius per hanc occasionem licentiam habeant paterna seu materna illum hereditate priuare; sed usque dum diuina inspiratione compunctus propria uoluntate regulæ se subdat, liceat eum a mundanis et laicalibus remotum uagationibus uel negociis inter religiosos et ecclesiasticos uiros in canonica degere uita.

Non enim putamus (quod absit) religiosos canonicos a sanctorum monachorum consortio seiunctos, quia unusquisque secundum Apostolum propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

### III. Pars.

Gratian. Si uero episcopi uel abbatis promissionibus illecti aliqui tonsuram uel religionis uestem susceperint, ipsi quidem in eo, quod ceperunt, permaneant, res uero eorum heredibus suis restituantur.

Unde in Maguntiensi Concilio legitur:

**C. V.** Restituantur heredibus res eorum, qui ab episcopis uel abbatibus decepti comas deposuerunt.

Constituit sane sacer iste conuentus, ut episcopi siue abbates, qui non in fructum animarum, sed in auariciam et turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumueniendo totonderunt, et res eorum tali persuasione subriperunt, penitentiæ canonicæ utpote turpis lucri sectatores subiaceant.

Hii uero, qui illecti comam deposuerunt, in eo, quod ceperunt, perseuerare cogantur, res uero eorum heredibus reddantur.

## QUESTIO IV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero ab uno monasterio in aliud districtius transire monachis liberum sit, ex Concilio Triburiensi habetur, in quo sic statutum est:

**C. I.** Non sunt prohibendæ uirgines sacræ, que causa religionis aliud monasterium adire desiderant.

Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ propter districtiorem uitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidem que conmanere decreuerint, sinodus concedit. Si uero fuga disciplinæ alium locum quesierint, redire cogantur.

Gratian. Quod autem de uirginibus sacris hoc capitulo statuitur de monachis etiam consequenter intelligitur, de quolibet etiam clerico.

#### II. Pars.



§. 1. Sed obicitur illud Basilii:

C. II. Vota monachi sine consensu abbatis sui irrita sunt.

Monacho non licet uotum uouere sine consensu abbatis sui; si autem uouerit, frangendum erit.

Item illud Agatensis Concilii: [c. 27].

C. III. Monachum nullus suscipiat aut ordinet absque abbatis sui permissu.

Monachum, nisi aut permissu abbatis sui aut uoluntate ad alterum monasterium commigrantem, nullus abbas suscipere aut retinere presumat; sed ubicumque fuerit, abbati suo auctoritate canonum reuocetur.

§. 1.

Item:

Clericis sine commendaticiiis epistolis episcopi sui licentia non pateat euagandi.

In monachis quoque presentis sententiæ forma seruetur, quos si uerborum increpatio non emendauerit, etiam uerberibus statuimus coherceri.

§. 2. Seruandum quoque de monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior abbatis regula remittatur.

Quod ita demum fiet, ut intra eadem monasterii septa manentes, tamen sub abbatis potestate, separatas habere cellulas permittantur.

Abbati quoque singulas diuersas cellulas aut plura monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

Gratian. Verum hoc intelligendum est de monachis religiose uiuentibus, quibus uota specialis abstinentiæ uel alicuius districtiois, que generalem consuetudinem suorum fratrum excedat, sine abbatis consensu uouere non licet, ne super eos fratres scandalizentur.

Causa etiam illorum statutum est hoc, qui regularem disciplinam subterfugientes peregrinationis uota sibi assumunt, quod nec monacho, nec alicui clerico licet, ne hac occasione ad secularem conuersationem redeat.

## CAUSA XXI.

### GRATIANUS.

Archipresbiter cuiusdam ecclesiæ preposituram alterius accepit, nec priorem uult relinquere; secularium quoque negotiorum procurator efficitur; claris et fulgidis uestibus se exornans ab episcopo suo corrigitur; relicto suo offitio ad secularem iudicem habet confugium.

(Qu. I).

Queritur, an clericus in duabus ecclesiis possit conscribi?

(Qu. II).

Secundo, si unam uoluerit relinquere, an liceat ei ad aliam transire?

(Qu. III).

Tertio, an procuraciones secularium negotiorum clericis liceat suscipere?

(Qu. IV).

Quarto, an claris et fulgidis uestibus eis ornari expediat?

(Qu. V).

Quinto, an ab episcopo correpti suum officium relinquere, et ad secularem iudicem confugere ualeant?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

In duabus ecclesiis aliquem posse connumerari, septima Sinodus prohibet, dicens: [c. 15].

**C. I.** In duabus ecclesiis clericus conscribi non debet.

Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesiis.

Negotiationis enim est hoc et turpis lucri commodum, et ab ecclesiastica consuetudine penitus alienum.

Audiuimus enim ex ipsa dominica uoce, quod nemo potest duobus dominis seruire.

Aut enim unum odio habebit, et alterum diligit: aut unum sustinebit, et alterum contempnet.

Unusquisque enim secundum apostolicam uocem in quo uocatus est, in hoc debet manere, et in una locari ecclesia.

Que enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur aliena consistunt a Deo; ad uitæ uero huius necessitatem studia diuersa sunt.

Ex eis ergo, qui uoluerit, acquirat corpori opportuna.

Ait enim Apostolus: “Ad ea, que michi opus erant, et his qui me cum sunt, ministrauerunt manus istæ”.

Et hec quidem in hac seruanda urbe.

Ceterum in uillis, que foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

Gratian. Sed duæ ecclesiæ intelliguntur ecclesiæ duarum ciuitatum, in quibus nullus debet conscribi.

Unde in Calcedonensi Concilio [c. 10]. statutum est:

[[**C. II.**]

“Clericos in duarum ciuitatum ecclesiis conscribi non oportet”.

[Gratian.] Sed econtra nonnumquam episcopus unius ciuitatis efficitur archiepiscopus alterius ciuitatis, nec tamen priorem ecclesiam deserit: sed prior ecclesia quasi commendata relinquitur, secunda quasi titulata habetur.

Unde Leo IV. scribit:

**C. III.** In una ecclesia titulatus alteram sibi commendatam potest habere.

Qui plures ecclesias retinet, unam quidem titulata, aliam uero sub commendatione tenere debet.

Sic et illud Agatensis Concilii [cap. 57]. intelligendum est:

**C. IV.** Duobus monasteriis unus abbas preesse non potest.

Unum abbatem duobus monasteriis presidere interdicimus.

Gratian. Potest etiam utrique tamquam titulato preesse, sed iure speciali, non communi.

Unde Gregorius: [lib. II. epist. 13. ad Agnellum Episcopum]

**C. V.** Unus episcopus duabus preficitur ecclesiis.

Relatio cleri simul et populi Terracinæ degentis nos ualde letificat, ob hoc, quod de tua fraternitate bona testatur.

Et quia defuncto pontifice suo Petro sibi cardinalem postulant te constitui sacerdotem, eorum desideria necessario complenda preuidimus.

§. 1. Tota igitur mentis intentione ita lucrum animarum Domino nostro facere festinato, ut digna te merces ante eius conspectum in die retributionis inueniat.

Quicquid uero de predictæ rebus ecclesiæ uel eius patrimonio, seu cleri ordinatione promotione ue, et omnibus generaliter ad eam pertinentibus sollerter atque canonice ordinare facere que prouideris, liberam habebis, quippe ut sacerdos proprius, modis omnibus facultatem.

[[C. VI].

Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te predictæ Terracinensis ecclesiæ cardinalem esse constituimus sacerdotem, ut et Fundensis ecclesiæ pontifex esse non desinas, nec curam gubernationem que eius pretereas, quia ita fraternitati tuæ sepe dictæ Terracinensis ecclesiæ curam iniungimus ut Fundensis ecclesiæ tibi iura potestatem ue nullo modo subtrahamus.

Gratian. Non enim potest utrique presidere tamquam titulata, sed uni tamquam commendatæ, alteri uero tamquam titulata preesse ualet.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Qui uero relicta sua ecclesia ad aliam transire uoluerit nequaquam sine dimissoriis litteris sui episcopi suscipiatur.

Unde in septima Sinodo [c. 17]. legitur:

**C. I.** Sine dimissoriis litteris in aliena ecclesia clericus non ordinetur.

Quoniam diuersarum ecclesiarum clerici suas, in quibus ordinati sunt, ecclesias relinquentes, ad alios concurrunt episcopos, et ignorante proprio episcopo in alienis constituuntur ecclesiis, ubi contingit eos sine sui examinatione permanere, precipimus amodo, ut nullus omnino clericorum, in quocumque gradu sit, licentiam habeat sine dimissoriis litteris sui episcopi in altera constitui ecclesia.

Qui uero hoc amodo non obseruauerit, ad obprobrium eius, qui ordinauerit eum, deponatur tam ipse, quam qui eum sine ratione suscepit.

**C. II.** Ad aliam ecclesiam clerico transire non licet, si propriis ministris sua fuerit destituta.

Item ex Concilio Spalensi. [II. c. 3].

Placuit, ut si quis clericus ministris ecclesiæ propriæ destitutis ad aliam transitum fecerit, compellente, ad quem confugerit, sacerdote, ad ecclesiam, quam prius incoluerat, reuertatur.

Qui uero eum susceperit, nec statim sine ullo nisu exceptionis ad propriam ecclesiam remittendum elegerit, quamdiu eum restituat, communione se priuatum cognoscat.

Desertorem autem clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum aliquo tempore monasterio religari conuenit, sic que postea in ministerio ecclesiastici ordinis reuocari.

Nam non poterit in talibus propagationis aboleri licentia, nisi fuerit in eis per correctionem disciplinæ subsecuta correctio.

Gratian. Obicitur autem illud Calcedonensis Concilii: [c. 10].

**C. III.** Nichil commune habeat cum priori qui ab una in aliam transfertur.

## **II. Pars.**

Si quis iam translatus est ab una ecclesia in aliam, nichil habeat commune cum priori siue sub ecclesia constitutis martiribus, siue in ptochiis, uel xenodochiis, aut eorum negociis.

Eos uero, qui ausi fuerint post ordinationem huius magnæ et uniuersalis sinodi agere que prohibita sunt statuit sancta sinodus cadere de proprio gradu.

Gratian. Sed aliud est transferri, atque aliud propria temeritate transire.

Illud apostolica auctoritate fieri licet, hoc uero omnibus modis prohibetur.

## **III. Pars.**

**§. 1.** Sicut autem duabus ecclesiis unus preponi non debet, ita nec una ecclesia inter plures diuidi ualet.

Unde in Remensi Concilio legitur:

**C. IV.** Una ecclesia duobus sacerdotibus diuidi non potest.

Sicut in unaquaque ecclesia unus presbiter debet esse, ita ipsa, que sponsa uel uxor eius dicitur, non potest diuidi inter plures presbiteros, sed unum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam caste et sinceriter regat.

Unde interdicimus, ut nullus presumat ecclesiam inter duos uel plures diuidere quia ecclesia Christi uxor et sponsa debet esse, non scortum, sicut Papa Calixtus testatur.

## **IV. Pars.**

Gratian. Conductitiis quoque presbiteris ecclesia conmitti non debet.

Unde Innocentius II.: [in Sinodo Romana, c. 10].

**C. V.** Conductitiis presbiteris ecclesiæ non conmittantur.

Precipimus etiam, ne conductitiis presbiteris ecclesiæ conmittantur, et unaquaque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

## **QUESTIO III.**

### **GRATIANUS.**

Quod autem clerici secularium negociorum procuratores esse non ualeant, auctoritate Cartaginensis Concilii I. probatur, in quo Nicasius Episcopus Culusitanus dixisse legitur capitulo 6.:

[PALEA. C. I.

Peruenit in sanctam sinodum, quia de eis, qui in clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam alienarum possessionum conductiones et seculares causas suscipiunt, et se ipsos quidem a ministeriis sanctis per desidiam separant, ad domos autem secularium concurrunt, et substantiarum eorum gubernationes auariciæ causa suscipiunt.

Decreuit igitur sancta et magna sinodus, neminem deinceps eorum, hoc est non episcopum, siue clericum, aut monachum, conducere possessiones, aut misceri secularibus procurationibus, nisi forte qui legibus ad minorum etatem tutelas siue procurationes inexcusabiles attrahantur, aut cui ipsius ciuitatis episcopus ecclesiarum rerum commiserit gubernacula, uel orphanorum, aut uiduarum, que indefensæ sunt, aut earum personarum, que maxime ecclesiastico indigent amminiculo propter timorem Dei.

Si quis uero transgressus fuerit hec statuta, correctioni ecclesiasticæ subiaceat].

C. II. Qui annexi sunt clero secularium possessionum procuratores non fiant.

Credo placere suggestionem meam sanctitati uestræ, et displicere uobis, ut qui seruiunt Deo, et annexi sunt clero, accedant ad actiones, seu amministrationes uel ad procurationes domorum.

Gratus episcopus dixit: Apostolorum statuta sunt, que dicunt: “Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus”.

Proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum.

Uniuersi dixerunt: “Hoc obseruemus”.

C. III. De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi IIII. [c. 15].

Placuit, ut episcopi, presbiteri, et diaconi, uel quicumque clerici non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi uel inhonesto negotio uictum querant, quia respicere debent scriptum esse: “Nemo militans Deo implicat se secularibus negociis”.

C. IV. Secularium negociorum procurationem clerici non suscipiant.

Item ex epistola Cipriani ad Presbiteros, et Diacones, et plebem Furnensem. [lib. I. epist. 9].

Ciprianus presbiteris, et diaconibus, plebi Furnensi consistentibus salutem.

Iampridem concilio episcoporum statutum est, ne quis de clericis et Dei ministris tutorem et curatorem testamento suo nominauerit, quando singuli diuino sacerdotio honorati et in clericorum ministerio constituti non nisi altari et sacrificiis deseruire, et precibus atque orationibus uacare debeant.

Scriptum est enim: “Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus, ut possit placere ei, cui se probauit”.

§. 1. Quod episcopi et antecessores nostri religiose considerantes et salubriter prouidentes censuerunt, ne quis excedens ad tutelam uel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur.

Neque enim ante altare Dei merentur nominari in sacerdotum prece qui ab altari sacerdotes et ministros uolunt auocare.

**C. V.** Non licet clericis molliciis et secularibus rebus obligari.

Item ex eadem.

Molliciis et secularibus rebus laqueis que obligari non debent qui diuinis rebus et spiritualibus occupati sunt nec ad terrenos et seculares actus uacare.

**C. VI.** Secularibus negociis clerici non alligentur.

Item ex eadem.

Hii, qui in ecclesia Domini ad ordinationem clericorum promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis et negociis secularibus alligentur, nec ab altariis et sacrificiis recedant, sed die ac nocte celestibus rebus et spiritualibus seruiant.

**C. VII.** De eodem.

Item, ut supra, Ciprianus.

Sacerdotum religiose secretum et necessarie factum seruetur a nobis, simul et ceteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes et ministros Dei altari eius et ecclesiae uacantes ad seculares molestias deuocet.

Obseruari de cetero poterit, ne quis ultra hoc faciat circa personam clericorum, si quod factum est fuerit uindicatum.

#### QUESTIO IV.

#### GRATIANUS.

Quod uero fulgidis et claris uestibus eis ornari non liceat, in septima Sinodo iubetur, in qua sic statutum est: [c. 16].

**C. I.** Corripiantur clerici, qui in unguentis et claris uestibus et fulgidis lasciuunt.

Omnis iactantia et ornatura corporalis aliena est a sacro ordine.

Eos ergo episcopus uel clericos, qui se fulgidis et claris uestibus ornant, emendari oportet.

Quod si in hoc permanserint, epithimio contradantur.

Similiter et eos, qui unguentis unguuntur.

§. 1. Quoniam uero radice amaritudinis exorta contaminatio facta est in ecclesia catholica, Christianos calumpniantium hereticorum, hii, qui hanc receperunt, non solum imaginarias scripturas abhominati sunt, sed et omnem reuerentiam repulerunt, eos, qui religiose ac pie uiuunt, offendentes, ac per hoc conpletur in eis quod scriptum est: “Abhominatio est peccatoris Dei cultus,” igitur si inuenti fuerint deridentes eos, qui uilibus et religiosis uestimentis amicti sunt, per epithimium corrigantur.

§. 2. Priscis enim temporibus omnis sacratus uir cum mediocri ac uili ueste conuersabatur.

Omne quippe, quod non propter necessitatem suam, sed propter uenustatem accipitur, elationis habet calumpniam, quemadmodum magnus ait Basilius.

Sed neque ex sericis texturis uestem quis uariatam induebat, neque apponebant uariorum colorum ornamenta in summitate uestimentorum.

Audierant enim, quia “qui mollibus uestiuntur in domibus regum sunt”.

**C. II.** Clerici siue in itinere ambulantes, siue alibi degentes, congruis sibi uestibus utantur.

Item ex VI. Sinodo. [c. 27].

Nullus eorum, qui connumerantur in clero, uestimentum indecens habeat, siue in ciuitate degens siue in itinere ambulans, sed stolis utatur, que concessæ sunt clericis.

Si uero quis tale quid fecerit, per unam ebdomadam suspendatur.

**C. III.** Non secularibus uestibus, sed ordini suo conuenientibus clerici utantur.

Item Zacharias Papa. [in Sinodo Romana, c. 3].

Episcopi, presbiteri, diaconi, secularibus indumentis non utantur, nisi, ut condecet, tunica sacerdotali; sed neque dum ambulauerint in ciuitate, aut in uia, aut in plateis, sine operimento presumant ambulare, preterquam si in itinere longo ambulauerint, quia sicut mulier orans in ecclesiis non uelato capite deturpat caput suum, iuxta Apostolicam uocem, ita sacerdos sine operimento deturpat sacerdotium suum.

Quod si temere presumpserit contra statuta agere, communionem priuetur, donec que statuta sunt adimplere maturet.

**C. IV.** Extra domos sine proprio ornatu sacerdotes non appareant.

Item Leo Papa. [IV. in Sinodo Romana, c. 12].

Sine ornatu sacerdotali extra domos sacerdotes apparere nullo modo conuenit, ne, ut aliquis secularium, iniurias patiantur.

Contrarius denique inuentus aut desinat, aut canonicæ subiaceat disciplinæ.

**C. V.** De eodem.

Item Innocentius II. [in Concilio Lateranensi, cap. 4].

Precipimus, ut tam episcopi quam clerici in statu mentis, in habitu corporis, Deo et hominibus placere studeant, et nec in superfluitate, fissuræ, aut colore uestium, nec in tonsura intuentium (quorum forma et exemplum esse debent) offendant aspectum, sed potius quod eorum deceat sanctitatem.

Quod si moniti ab episcopis emendare noluerint, ecclesiasticis careant beneficiis.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

Suum uero episcopum relinquere, uel ab officio suo discedere, atque ad secularem iudicem confugere nulli licet.

Unde in Agatensi Concilio [c. 8]. legitur:

**C. I.**

Placuit, ut clericus, si relicto officio suo propter distractionem ad secularem iudicem fortasse confugerit, et is, ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de ecclesiæ communionem pellatur.

**C. II.** Presbiter uel diaconus ab episcopo depositus inperatorem non adeat.

Item ex Concilio Antiocheno. [c. 12].

Si quis a proprio episcopo depositus presbiter uel diaconus, aut etiam si a synodo quilibet episcopus fuerit exauctoratus, molestiam inperialibus auribus inferre non presumat, sed ad maiorum episcoporum sinodum sese conuertat, et que se putat habere iusta in eorum concilio alleget, atque ab his de se expectet que fuerit deprompta sententia.

Quod si deficiens pusillanimitate hoc noluerit facere, sed inportunus fuerit inperatori, huiusmodi nullam ueniam habere, neque locum ullius assertionis suæ, nec spem recipiendi gradus habeat in futurum.

**C. III.** Non defensetur ab aliquo qui episcoporum iudicio dampnatur.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 2].

Si quis cuiuslibet honoris clericus iudicio episcoporum quocumque crimine fuerit dampnatus, non liceat eum siue ab ecclesiis, quibus prefuit, siue a quolibet homine defensari; interposita pena dampni pecuniæ atque honoris, quo nec etatem, nec sexum excusandum esse precipimus.

**C. IV.** Communione priuetur qui ecclesiasticæ disciplinæ regulam fugientem defensare presumit.

Item ex Concilio Arelatensi III.

Si forte aliquis clericorum regulam disciplinæ ecclesiasticæ subterfugiens fuerit euagatus, quicumque eum susceperit, et illum pontifici suo non reconciliauerit, sed magis defensare presumpserit, ecclesiæ communionem priuetur.

**C. V.** Spe reconciliationis careat qui ab episcopis condempnatus inperatorem adierit.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 35].

Si quis episcopus, presbiter aut diaconus excommunicatus in concilio iniuste se queritur condempnatum, ad maiorum episcoporum concilium reuertatur, ut eorum inquisitionem et iudicium expectans, si quas se iustas causas habere putat, illis exponat.

Si autem contempserit, et inportans se palatio aures principum inquietare uoluerit, hic ad nullam ueniam poterit peruenire, neque spem futuræ reconciliationis habebit.

**C. VI.** Episcoporum causæ coram principibus examinari non debent.

Item Gregorius Constantinæ Augustæ. [lib. IV. epist. 34].

Si episcoporum causæ michi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrocinio disponuntur, infelix ego in ecclesia ista quid facio?

Sed ut episcopi mei me despiciant, et contra me refugium ad seculares iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo.

Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto, et si ad me uenire distulerint, exercere in eos distractionem canonicam nullo modo cessabo.

## **CAUSA XXII.**

### **GRATIANUS.**

Quidam episcopus iurauit falsum quod putabat uerum, quo conperto archidiaconus eius iurauit se numquam prestatum ei obedientiam.



Compellitur archidiaconus ab episcopo ad exhibendum sibi consuetam reuerentiam; accusatur episcopus de dupplici periurio, et de eo, quod falsum iuravit, et quia archidiaconum ad peierandum compellit.

(Qu. I).

Primum queritur, an iuramentum sit prestandum, uel non?

(Qu. II).

Secundo, si sit periurus qui iurat falsum quod putat uerum?

(Qu. III).

Tertio, si licuit archidiacono denegare episcopo consuetam obedientiam?

(Qu. IV).

Quarto, si constiterit esse illicitum quod iuravit archidiaconus, an sit seruandum?

(Qu. V).

Quinto, si constiterit illud seruandum esse, an episcopus sit reus periurii, qui contra iuramentum archidiaconum suum ire compellit?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod iuramentum prestandum non sit, auctoritate scripturæ canonicæ probatur.

Ait enim Christus in euangelio apostolis: “Sit sermo uester: Est est, non non; quod autem amplius est a malo est”.

Item Iacobus in epistola: “Ante omnia, fratres mei, nolite iurare omnino”.

Utraque auctoritate iuramentum prohibemur prestare.

Sed aliud est ad iurandum sponte accedere, aliud uel ad asserendam innocentiam suam, uel ad federa pacis confirmanda, uel ad persuadendum auditoribus, quando pigri sunt credere quod eis utile est, iuramentum offerre.

Primum prohibetur, secundum conceditur.

Non enim iurare omnino peccatum est.

Unde in Tolletano Concilio VIII. [c. 2]. legitur:

#### C. I. Iuramentum pro federe pacis est faciendum.

Omne, quod in federa pacis uenit, tunc solidius subsistit, cum iuramenti hoc interpositio roborat.

Sed et omne, quod amicorum animos conciliat, tunc fidelius durat, cum eos sacramenti uincola ligant.

Omne enim, quod testis adstipulatur, uerius constat, cum id iurationis adiectio affirmat.

Quod et si testis deficiat, innocentis fidem sola iurisiurandi taxatio manifestat.

#### C. II. Iuratio non est prohibenda, nec tamquam bonum appetenda.

Item Augustinus super epistolam ad Galathas. [cap. 1. in fine]

Non est contra preceptum Domini iuratio, que a malo, non iurantis est, sed increduli a quo iurare cogitur.

Nam hinc intelligitur, ita Dominum prohibuisse a iureiurando, ut, quantum in ipso est, quisque non iuret; quod multi faciunt, in ore habentes iurationem tamquam magnum atque suaue aliquid.

Nam utique Apostolus nouit preceptum Domini, et tamen iurauit.

Non enim audiendi sunt qui has iurationes esse non putant.

Quid enim facient de illa: “Cottidie morior, per gloriam uestram, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro”: quam greca exemplaria manifestissimam iurationem esse ostendunt.

Prohibemur ergo iurare cupiditate aut dilectione iurandi.

Quamuis enim iuramentum amplius sit, quam est est, non non, et ideo a malo sit, non tamen a malo tuo, sed infirmitatis aut incredulitatis eorum, qui non aliter mouentur ad fidem.

**C. III.** Peierare peccatum est, non iurare.

Item Augustinus in epistola [CLIV]. ad Publicolam.

In nouo testamento dictum est, ne omnino iuremus.

Quod michi quidem propterea dictum uidetur, non quia iurare peccatum est, sed quia periurare inmane peccatum est, a quo nos longe esse uoluit qui omnino ne iuremus conmonuit.

**C. IV.** In necessariis uerum iurare non est peccatum.

Idem. [sermone XXX. de uerbis Apostoli]

Ut noueritis, uerum iurare non esse peccatum, inuenimus etiam apostolum Paulum iurasse: “Cottidie morior ego, per uestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro”.

Per uestram gloriam iuratio est; non enim sic ait, per uestram gloriam morior, quasi uestra gloria me facit mori, quomodo, si diceretur per uenenum, per gladium, per bestiam, per inimicum mortuus est, intelligeretur faciente inimico, faciente gladio, faciente ueneno mortuus est.

**C. V.** Nec tamquam bonum appetendum, nec tamquam malum iuramentum est uitandum.

Idem de sermone Domini. [lib. I. c. 30].

Ita ergo intelligitur precepisse Dominum, ne iuraretur, ne quisquam sicut bonum appetat iusiurandum, et assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem delabatur.

Quapropter qui intelligit non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrenat se quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitas cogat, uidelicet, cum uidet pigros esse homines ad credendum quod eis utile est credere, nisi iuratione firmetur.

Ad hoc utique pertinet quod sic dicitur: “Sit autem sermo uester: Est est, non non”.

Hoc bonum est et appetendum, “quod autem amplius est a malo est;” id est: si iurare cogaris, scias de necessitate uenire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades, que infirmitas utique malum est, unde nos cottidie liberari deprecamur, cum dicimus: “Libera nos a malo”.

Itaque non dixit, quod autem amplius est malum est.

Tu enim non malum facis, qui bene uteris iuratione.

**C. VI.** Iurare non est peccatum.

Item Augustinus de sermone Domini in monte libro I.

Tu malum non facis, qui bene uteris iuratione, que, etsi non bona, tamen necessaria est, ut alteri persuadeas quod utiliter suades.

Sed a malo est illius, cuius infirmitate iurare cogaris.

**C. VII.** Per Deum iurare permittitur, ne per idola iuretur.

Item Ieronimus in Iheremia. [ad c. 4].

Et iurabunt, uiuit Dominus in ueritate, et in iudicio, et in iustitia, et benedicent eum gentes, ipsum que laudabunt.

Quomodo ergo euangelium iurare nos prohibet? Sed hic: iuramentum, pro confessione dicitur, et ad condemnationem idolorum, per que iurabat Israhel.

Denique auferuntur offendicula, et iurat per Dominum, quodque dicitur: “uiuit Dominus;” in testamento ueteri iusiurandum est ad condemnationem mortuorum, per quos iurauit omnis idolatra.

**C. VIII.** Infirmis iurare conceditur.

Item Ieronimus super Mattheum in libro I. [in c. 5].

Considera, quod Saluator non per Deum iurare prohibuerit, sed per celum, et per terram, et per Iherosolimam, et per caput tuum.

Et hoc quasi paruulis fuerat lege concessum, ut quomodo uictimam inmolabant Deo, ne eas inmolarent idolis, sic et iurare permetterentur in Deum; non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere quam demoniis.

**C. IX.** Excommunicetur clericus per creaturas pertinaciter iurans.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 61. et 62].

Clericum per creaturas iurantem acerrime obiurgandum; si perstiterit in uicio, excommunicandum.

Inter epulas uero cantantem supradictæ sententiæ seueritate coerendum.

**C. X.** Clericus deponatur, laicus anathematizetur, per capillum uel caput Dei iurans.

Item Pius Papa.

Si quis per capillum Dei uel caput iurauerit, uel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si ex ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus, anathematizetur.

Et si quis per creaturas iurauerit, acerrime castigetur, et iuxta id, quod sinodus diiudicauerit, peniteat.

§. 1. Si quis autem talem hominem non manifestauerit, non est dubium, quin diuina condemnatione coerceatur.

§. 2. Et si episcopus ista emendare neglexerit, acerrime corripiatur.

## **II. Pars.**

Gratian. Queritur, quis magis teneatur, an ille, qui per Deum, an ille, qui super sacra euangelia iurat?

Huic questioni Iohannes Crisostomus respondet, dicens:

**C. XI.** Non est maius per euangelia, quam per Deum iurare.

Si aliqua causa fuerit, modicum uidetur facere qui iurat per Deum.

Qui autem per euangelium, maius aliquid fecisse uidetur.

Quibus dicendum est: Stulti, scripturæ propter Deum sanctæ sunt, non Deus propter scripturas.

C. XII. Non solum in altari uel reliquiis, sed etiam in communi loquela periurium caueatur.

Item Ieronimus.

Habemus in lege Dei scriptum: “Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui in uanum”.

Ideo ammonendi sunt omnes, ut diligenter caueant periurium, non solum in altari seu sanctorum reliquiis, sed etiam in communi loquela.

C. XIII. Non prohibet Deus iurare.

Item Ysidorus Sententiarum libro II. [c. 31].

Non est contra Dei preceptum iurare; sed dum iurandi usum facimus, periurii crimen incurrimus.

C. XIV. Iuratio non est peccatum.

Item Augustinus de uerbis Apostoli, sermone 28. [al. 30].

Si peccatum esset iuratio, nec in ueteri lege diceretur: “Non periurabis; reddes Domino iuramenta tua”.

Non enim peccatum preciperetur nobis.

Item:

§. 1. Non uobis dicimus, nos non iurare.

Si enim hoc dicimus, mentimur.

Quantum ad me pertinet, non iuro, sed quantum michi uidetur, magna necessitate compulsus, cum uideo, nisi faciam, michi non credi, et ei, qui michi non credit, non expedire, quod non credit.

Hac perpensa ratione et consideratione librata cum magno timore dico: “Coram Deo,” aut, “testis est michi Deus,” aut, “scit Christus, quod sic est in meo animo,” et uideo, quod plus est, id est quod amplius est quam est, non non.

Sed hoc quod est amplius a malo est, non iurantis, sed non credentis.

### III. Pars.

Gratian. Ex premissis colligitur, quod iurare non est peccatum; non tamen tamquam bonum est appetendum, ne consuetudine iurandi labamur in periurium.

Sed cum dicatur procedere a malo non credentis, uidetur, quod, etsi iurare peccatum non sit, iuramentum tamen recipere malum sit.

Sed nomine mali non malicia, sed pena peccati intelligitur.

Ex penali enim infirmitate incredulitas illa processit, qua ad iurandum conpellimur.

Ipsam autem iurare sicut peccatum non est, ita iuramentum ab aliquo recipere malum non est.

Unde Augustinus scribit ad Publicolam: [epist. CLIV].

C. XV. Iuramentum accipere non prohibemur.

Quamuis dictum sit, ne iuremus, nusquam in scripturis sanctis me legisse memini, ne ab aliquo iurationem recipiamus.

### IV. Pars.

Gratian. Sed queritur, an sit utendum fide eius, qui per demonia iurat?

De his ita scribit Augustinus [eadem epist. CLIV]. ad Publicolam:

**C. XVI.** Licet uti fide eius, qui, ut eam seruet, per demonia iurat.

Mouet te, utrum eius fide utendum sit, qui, ut eam seruet, per demonia iurauerit.

Ubi te uolo prius considerare, utrum si quispiam per Deos falsos iurauerit se fidem seruaturum, et eam non seruauerit, non tibi uidetur bis peccasse?

Si enim tali iuratione promissam seruaret. fidem ideo tantum peccasse iudicaretur, quia per Deos falsos iurauerit.

Illud autem nemo reprehenderet, quia fidem seruauit.

Nunc uero, quia et iurauit per quos non debuit, et contra pollicitam fecit fidem quod non debuit, bis utique peccauit, ac per hoc qui utitur fide illius, quem constat iurasse per falsos Deos, et utitur non ad malum, sed ad licitum et bonum, non peccato illius se sociat, quo per demonia iurauit, sed bono pacto eius, quo fidem seruauit.

Neque hic eam fidem dico seruari, qua fideles uocantur qui baptizantur in Christo.

Illa enim longe alia est longe que discreta a fide humanorum placitorum atque pactorum.

Verumtamen sine ulla dubitatione minus malum est per Deos falsos iurare ueraciter, quam per Deum uerum fallaciter.

Quanto enim per quod iuratur magis sanctum est, tanto magis penale est periurium.

§. 1. Alia questio est, utrum non peccet qui per falsos Deos sibi iurari facit?

quia ille, qui ei iurat, iurat per falsos Deos, quos colit.

Cui questionem possunt illa testimonia suffragari, que ipse commemorasti de Laban et Abimelech, si tamen Abimelech per Deos suos iurauit, sicut Laban per Deum Sabaoth.

Gratian. Sic etiam cum in libro Machabeorum Romani legantur pacem firmasse cum Iudeis, intelligendi sunt iurasse per falsos Deos, sicut et Iudei iurauerunt per Deum uerum.

Sic etiam de iuramento, quod fit per creaturas, intelligendum est, quod ipsum quidem iurare per creaturas, malum est, quia a Deo prohibitum est; sed seruare quod iuratur, bonum est, ut euitetur peccatum mendacii et dolositatis.

§. 1. Sed obicitur, quod Ioseph, uir sanctus, per creaturas iurauit, dum dixit fratribus suis: “Per salutem Pharaonis, non exhibitis hinc”.

§. 2. Sed sciendum est, quod sancti non tam per creaturas, quam per auctorem creaturarum iurabant, nec in creaturis aliud quam creatorem ipsarum uenerantur, sicut Ioseph, qui per Pharaonem iurando hoc in eo ueneratus est, quod Dei iudicio positus erat in infimis.

Unde Apostolus ait: “Omnis potestas a Domino Deo est”.

Item Christus Pilato: “Non haberes in me potestatem, nisi esset tibi datum desuper”.

Deus autem per creaturas iurare prohibuit, ne uel more gentilium aliquod numen deitatis creaturis inesse crederetur, uel ne creaturas contemptibiles iudicando per eas promissa pro nichilo duceremus.

§. 3. Sed queritur, quid grauius sit, an per creaturas, an per creatorem iurare fallaciter?

Dupliciter enim reus est qui per creaturas iurat mendaciter, quia et contra prohibitionem iurat per quod sibi iurare non licet, (a quo peccato est immunis, qui non nisi per creatorem iurat,) et proximum dolo capit, quod facit etiam per creatorem mendaciter iurans.

Sed si periurium tanto magis penale est, quanto sanctius illud, per quod iuratur, apparet, quod, etsi per creaturas mendaciter iurans dupliciter peccet, grauiori tamen se subicit penæ qui per creatorem iurat mendaciter.

**V. Pars.**

§. 4. Periurii autem pena grauissima est, quam si quis timens ad confessionem uenire noluerit, a fidelium consortio est abiciendus.

Unde Euticianus Papa:

C. XVII. Fidelium consortio careat qui penitentiam periurii agere noluerit.

Predicandum est etiam, ut periurium fideles caueant, et ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, et in lege, et in Prophetis, et in euangelio prohibitum.

Audiuimus autem, quosdam paruipendere hoc scelus, et leuem quodammodo periuris penitentiæ modum inponere; qui etiam nosse debent, talem de periurio penitentiam inponi debere, qualem et de adulterio, de fornicatione, et de homicidio sponte commisso, et de ceteris criminalibus uiciis.

§. 1. Si quis uero perpetrato periurio aut quolibet criminali peccato, timens penitentiam longam, ad confessionem uenire noluerit, ab ecclesia repellendus est, siue a communione et consortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque in sua domo eum recipiat.

**QUESTIO II.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem periurium sit falsum iurare, facile probatur.

Ait enim Augustinus in libro Psalmorum super: “Domini est terra”:

C. I. Peierat qui aliter facturus est quam promittit.

In dolo iurat qui aliter facturus est quam promittit, cum periurium sit nequiter decipere credentem.

C. II. Quos debeat habere comites iusiurandum.

Item Ieronimus super Iheremiam, libro II.

Animaduertendum est, quod iusiurandum hos habeat comites, ueritatem, iudicium atque iusticiam.

Si ista defuerint, nequaquam iuramentum erit, sed periurium.

Gratian. Item, qui falsum iurat mentitur.

Mentiendo autem iurare nichil est aliud quam peierare.

§. 1. Cum ergo omnes, qui locuntur mendacium, perdendi sint, iuxta illud Psalmistæ: “Perdes omnes, qui locuntur mendacium,” multo magis dampnabiles sunt, qui deierare mentiendo conuincuntur, quia nomen Dei sui in uanum assumunt.

§. 2. Sed aliud est falsum iurare, aliud iurare in dolo.

Non enim omnis, qui aliter facturus est quam promittit, in dolo iurat.

Licet enim Apostolus aliter facturus esset quam Corinthiis promitteret in prima epistola, cum ait: “Veniam ad uos,” non tamen in dolo iurauit, aut mendaciter promisit.

Ille enim in dolo iurat, aut mendaciter promittit, in cuius mente est, non sic se esse facturum, ut promittit; ille autem, qui promittit falsum quod putat uerum, nec iurat, in dolo nec mendaciter promittit.

Unde Augustinus de uerbis Apostoli, sermone XXVIII.: [al. XXX].

**C. III.** De eo, qui iurat falsum quod putat uerum.

Homines falsum iurant, uel cum fallunt, uel cum falluntur.

Putat homo uerum esse quod falsum est, et temere iurat; aut scit uel putat falsum esse, et tamen pro uero iurat, et nichilominus cum scelere iurat.

Distant autem ista periuria, que duo commemorauimus.

Fac illum iurare, qui uerum putat esse pro quo iurat; uerum putat esse, et tamen falsum est; non ex animo iste periurat, fallitur: hoc pro uero habet, quod falsum est, non pro re falsa sciens iurationem interponit.

Da alium.

Scit falsum esse, et dicit uerum esse, et iurat tamquam uerum sit quod scit falsum esse.

Videtis, quam ista detestanda sit belua, et de rebus humanis exterminanda?

Quis enim fieri uelit? Omnes homines detestantur talia.

Fac alium.

Putat esse falsum, et iurat tamquam uerum sit.

Forte uerum est.

Verbi gratia (ut intelligatis) pluit in illo loco; interrogas hominem, et dicit pluuisse, et ad negocium ipsius competit, ut dicat, pluit, sed putat non pluuisse: periurus est.

Interest, quemadmodum uerbum procedat ex animo.

Ream linguam non facit nisi rea mens.

Gratian. Quia ergo mens huius non erat rea (nesciebat esse falsum quod iurauit uerum), nec temere uel negligenter, sed cum magna diligentia uidebatur sibi deprehendisse uerum quod iurauit falsum, periurii reus nequaquam est iudicandus.

Item, quod dicitur, qui falsum iurat mentitur, non uniuersaliter hoc intelligi debet.

Non enim omnis, qui falsum dicit, mentitur, sicut nec omnis, qui mentitur, falsum dicit.

Unde Augustinus in Enchiridion: [c. 22].

**C. IV.** Non est mentiri dicere falsum quod putat uerum.

Is autem, qui mentitur, contra id, quod animo sentit, loquitur uoluntate fallendi.

§. 1. Et utique uerba propterea sunt instituta, non ut per ea se inuicem homines fallant, sed ut eis quisque in alterius noticiam cogitationes suas proferat.

Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est.

§. 2. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo.

Possumus enim et furando, si pauper, cui palam datur, sentit commodum, et diues, cui clam tollitur, non sentit incommodum, nec ideo tale furtum quisquam dixerit peccatum non esse.

Et infra:

[c. 18]. §. 3. Nemo mentiens iudicandus est qui dicit falsum quod putat uerum, quia, quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur.

Non itaque mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est qui falsa incautius credit ac pro ueris habet, potius que e contrario, quantum in ipso est, ille mentitur, qui dicit uerum quod putat falsum.

Quantum enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit, hoc dicit, non uerum dicit, quamuis uerum inueniatur esse quod dicit.

Nec ullo modo liber est a mendacio qui ore nesciens uerum loquitur, sciens autem uoluntate mentitur.

Non consideratis itaque rebus ipsis, de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciens falsum dicit, quoniam id uerum putat, quam qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens uerum esse quod dicit.

**C. V.** Non mentitur qui animum fallendi non habet.

Item Gelasius Papa.

Beatus Paulus apostolus non ideo (quod absit) fefellisse credendus est aut sibi extitisse contrarius, quoniam, cum ad Ispanias se promisisset iturum, dispositione diuina maioribus occupatus ex causis implere non potuit quod promisit.

Quantum enim ipsius uoluntatis interfuit, hoc pronunciauit, quod reuera uoluisset efficere.

Quantum enim ad diuini secreta consilii, (que, ut homo, omnia non potuit, licet spiritu Dei plenus, agnoscere) superna pretermisit dispositione preuentus.

§. 1. Nec quia B. Petrus apostolus pro affectu diuinæ reuerentiæ ipsi Domino respondit: “Non lauabis mihi pedes in eternum,” fefellisse (quod absit) aut in sua putabitur minime constitisse sententia, quia mox eidem diuinæ uoluntati cesserit, et quod se dixerat non esse facturum, causis asstrictus humanæ salutis, passus est prona uoluntate faciendum.

## **II. Pars.**

Gratian. Ille ergo falsum iurando mentitur, qui scit falsum esse quod iurat.

Est enim mendacium (ut Augustinus ait) “falsa significatio cum uoluntate fallendi”.

§. 1. Sed cum fallere semper sit uoluntatis, falli autem uel infirmitatis, uel temeritatis, grauius autem sit quod ex uoluntate, quam quod ex temeritate uel infirmitate procedit: aliquando contingit falli uel nullum, uel minimum esse peccatum, aliquando ex ipsa rerum uaria consideratione minus esse fallere quam falli.

Unde idem Augustinus in Enchiridion: [c. 21].

**C. VI.** Falli in his, que ad fidem non pertinent, aut paruum, aut nullum peccatum est.

In quibus rebus nichil interest ad capessendum regnum Dei, utrum credantur, an non, et utrum uera putentur, an falsa; in his errare, id est aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum, aut si est, minimum esse atque leuissimum.

**C. VII.** In his, que ad fidem pertinent, grauius est falli quam alios decipere.

In eodem. [c. 18].

In ipsarum consideratione rerum, que dicuntur, tantum interest, quia, siue quisque fallatur siue mentiatur, utcumque falli quam mentiri minus est malum, quantum pertinet ad hominis uoluntatem; tamen longe tollerabilius est in his, que a religione seiuncta sunt, mentiri, quam in his, sine quorum fide uel noticia Deus coli non potest, falli.

## **III. Pars.**

Gratian. Item, quod dicitur: “Perdes omnes, qui locuntur mendacium,” non de omni mendacio intelligendum est.



Sunt enim quedam mendacia, in quibus etsi sit aliqua culpa, non tamen dampnabilia sunt, immo tamquam non mendacia habenda sunt.

Sunt et alia mendacia, que sunt grauioris culpæ, de quibus intelligitur: “Perdes omnes, qui locuntur mendacium”.

§. 1. Ut autem appareat, que mendacia sint uenialia, et que dampnabilia, distinguendum est, quot sint genera mendacii.

De quibus Augustinus scribit in libro de mendacio: [c. 14].

### C. VIII. Quot sint genera mendacii?

Primum est capitale mendacium et longe fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla condicione quiuis debet adduci.

Secundum, ut aliquem ledat iniuste, quod tale est, ut nulli prosit, et obsit alicui.

Tertium, quod prodest alteri ita, ut obsit alteri, quamuis non ad inmundiciam obsit corporalem.

Quartum, sola mentiendi fallendi que libidine, quod mirum mendacium est.

Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaui eloquio.

His omnibus penitus euitatis atque reiectis, sequitur sextum genus, quod et nulli obest, et prodest alicui, uelut si quispiam pecuniam alicuius iniuste tollendam, sciens ubi sit, nescire se mentiatur.

Septimum, quod et nulli obest, et prodest alicui, uelut si nolens hominem ad mortem quesitum prodere, mentiatur.

Octauum genus est mendacii, quod et nulli obest, et ad hoc prodest, ut ab inmunditia corporali aliquem tueatur.

§. 1. Non igitur est mentiendum in doctrina pietatis; magnum scelus est, primum genus detestabilis mendacii.

Non est mentiendum igitur secundo genere, quia nulli facienda est iniuria.

Non est mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius iniuria est consulendum.

Non est mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, que per se ipsam uiciosa est.

Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa ueritas placendi causa hominibus enuncianda est; quanto minus mendacium, quod per se ipsum, quia mendacium est, utique turpe est?

Non est mentiendum sexto genere, neque enim recte testimonii ueritas pro cuiusque temporali commodo ac salute corrumpitur; ad sempiternam uero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.

Neque septimo genere mentiendum est, non enim cuiusque commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei preferenda est, nec se quisquam in recte factis nostris tam male moueri sentiat, ut fiat etiam animo deiectionis longe que a pietate remotior.

Nec octauo genere mentiendum est, quia et in bonis castitas animi pudicitia corporis prefertur, et in malis, quod ipsi facimus, eo, quod fieri sinimus, nobis dampnabilius est.

§. 2. In his autem octo generibus tanto quisque minus peccat, cum mentitur, quanto magis a primo recedit.

Quisquis autem esse aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putauerit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum.

### C. IX. Non licet alicui humilitatis causa mentiri.

Item Augustinus de uerbis Apostoli. [sermone XXXI. al. XXIX].

Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator ante, quam mentireris, mentiendo efficeris quod euitaueras.

Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas.

Veritas autem ipsa est, ut quod est dicas.

Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?

**C. X. De eodem.**

Item Gregorius. [lib. XXVI. Moraliū, c. 2].

Incaute sunt humiles qui mendacio se illaqueant.

**C. XI. Non licet mentiri, ut arrogantia uitetur.**

Item Augustinus super Iohannem. [tractatu XLIII].

Non ita caeatur arrogantia, ut ueritas relinquatur.

**C. XII. Non omne mendacium eque peccatum est.**

Item in Enchiridion. [c. 18].

Michi autem non absurde uidetur omne quidem mendacium esse peccatum, sed multum interesse, quo animo et de quibus rebus quisque mentiatur.

Non enim ita peccat, qui consulendi, quomodo ille, qui nocendi uoluntate mentitur, nec tantum nocet qui uiatorem mentiendo in aduersum iter mittit, quantum is, qui uiam uitæ mendacio fallente deprauat.

**C. XIII. Non est aliquo modo decipiendus quilibet.**

Item Augustinus in libro de conflictu uiciorum atque uirtutum. [c. 19].

Nec artificioso mendacio, nec simplici uerbo oportet quemquam decipere, quia quomodolibet mentitur quis, occidit animam.

**C. XIV. Pro temporali uita alicuius perfectus mentiri non debet.**

Item Augustinus in quinto Psalmo. [ad uersic.: “Perdes omnes, qui locuntur”].

Ne quis arbitretur perfectum et spiritualement hominem pro ista temporali uita, morte cuius sua uel alterius non occiditur anima, debere mentiri, sed quoniam aliud est mentiri, aliud uerum occultare; siquidem aliud est falsum dicere, aliud uerum tacere; ut si quis forte non uelit ad istam uisibilem mortem hominem prodere, paratus esse debet uerum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, nec occidat animam suam pro corpore alterius.

§. 1. Duo uero sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa; cum aut iocamur, aut, proximo consulendo, mentimur.

Illud autem primum in iocando ideo non est perniciosum, quia non fallit.

Nouit enim ille, cui dicitur, iocandi causa fuisse dictum.

Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam beniuolentiam.

§. 2. Illud uero, quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est, uerbi gratia, tamquam, si cui gladius commendetur, et promittat se redditurum, cum ille, qui commendauit poposcerit; si forte gladium suum repetat furens, manifestum est, non esse reddendum, ne uel se occidat, uel alios, donec ei sanitas restituatur.

Hic ideo non habet duplex cor, quia ille, cui commendatus est gladius, cum promittebat, se redditurum poscenti, non cogitabat furem posse repetere.

§. 3. Manifestum est non esse culpandum aliquando uerum tacere, falsum autem dicere non inuenitur concessum sanctis.

**C. XV.** Nostro peccato alterius saluti consulere non debemus.

Idem in libro de mendacio. [c. 17].

Faciat homo etiam pro temporali salute hominum quod potest.

Cum autem ad hoc uentum fuerit, ut tali saluti nisi peccando consulere non possit, iam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse prospexerit, quod recte faciet.

**C. XVI.** De eodem.

Item Ysidorus in Sinonimis. [c. 10].

Omne genus mendacii summopere fuge, nec casu, nec studio loquaris falsum, nec, ut prestes, mentiri studeas, nec qualibet fallacia uitam alicuius defendas.

Caue mendacium in omnibus.

[PALEA. **C. XVII.** De eodem.

Item Augustinus in libro de mendacio, c. 6.

Si quis ad te confugiat, qui mendacio, tuo possit a morte liberari, non es mentiturus.

Os enim, quod mentitur, occidit animam.

Et infra:

§. 1. Cum ergo mentiendo uita eterna amittitur, numquam pro cuiusquam uita temporali mentiendum est].

**C. XVIII.** Non deputantur mendacia, cum ea, que non sunt, ioco dicuntur.

Item Augustinus in libro questionum Genesis c. 45. [quest. 145].

Quod ait fratribus suis Ioseph: “Nesciebatis, quia non est in augurio homo, qualis ego?” de hoc augurio etiam mandauit eis dicendum per hominem, quid sibi uelit, queri solet.

Aut quia non serio, sed ioco dictum est, ut exitus docuit, non est habendum mendacium?

Mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non ioco.

Cum autem que non sunt tamquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia.

Gratian. Sed in ueteri testamento multa permittebantur, quorum exemplis hodie uti non licet.

Unde Gregorius: [lib. XVIII. Moral., c. 3].

**C. XIX.** Veterum exemplo mentiri non licet.

Si quis per testamentum uetus uult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat necesse est, rerum alienarum raptum, dicat retributionem iniuriæ, que infirmis illic concessa sunt, sibi nocere non posse.

Que omnia cunctis liquet quanta animaduersione ueritas insequitur, que nobis iam significationis suæ umbra postposita in uera carne declaratur.

**C. XX.** Obstetrices de pietate remuneratæ de mendacio sunt punitæ.

Idem. [eodem lib. cap. 2].

Si quelibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hec facile abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur?

Nonnulli uero obstetricum fallacia conantur asserere, hoc mendacii genus non esse peccatum, maxime quia illis mentientibus scriptum est: “quod edificauit eis domos Dominus”.

In qua magis reconpensatione cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur.

Nam benignitatis earum merces, que eis in eterna potuit uita retribui, premissa culpa mendacii in terrena est reconpensatione declinata.

Gratian. Abraham quoque loquens ad pueros suos ait: “Sedete hic cum asina; ego et puer illuc usque pertransibimus, et, cum adorauerimus, reuertemur ad uos;” licet aliud se facturum deliberaret, tamen excusatur a mendacio.

Unde Ambrosius in libro de Patriarchis: “Prophetauit, quod ignorabat.

Ipse solus disponebat redire inmolato filio.

Sed Dominus per os eius locutus est quod parabat.

Captiose autem loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio aut inpediret eum aliquis, aut gemitu obstreperet aut fletu”.

## V. Pars.

§. 1. Quandoque aliquid iubendo significamus uelle fieri, quod tamen fieri nolumus, sed experimentum obedientiæ querimus, sicut Abraham a Deo temptatus legitur, cum iussus est inmolare filium, quem Dominus nolebat ab eo occidi.

Unde in eodem libro idem Ambrosius: “Non enim uolebat Deus inmolari a patre filium, nec inpleri hoc munus uolebat, qui ouem pro filio inmolandam obtulit, sed temptabat affectum patris, si Dei precepta preferret filio”.

Et infra: “Non incias, inquit, manum in puerum, neque facias ei quicquam.

Affectum tuum inquisiui, non factum exegi; temptaui mentem tuam, si etiam filio dilectissimo non parceres propter me.

Non aufero quod ipse donauit, nec heredem inuideo, quem largitus sum non habenti”.

C. XXI. Simulatio utilis est et in tempore assumenda.

Item Ieronimus. [in epist. ad Galatas, c. 2].

Utilem simulationem et in tempore assumendam, Ieu regis Israël nos doceat exemplum, qui, cum non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi finxisset se ydolum uelle colere, dicens: “Congregate michi omnes sacerdotes Baal.

Achab seruiuit ei in paucis, ego seruam sibi in multis”.

Et Dauid, quando mutauit faciem suam coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.

Nec mirum quamuis iustos homines tamen aliqua simulare pro tempore ob suam et aliorum salutem, cum et ipse Dominus noster, non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpsit, ut, condemnans, in carne peccatum, nos in se faceret iusticiam Dei.

Gratian. Ecce, que mendacia sint uenialia, et que dampnabilia.

§. 1. Sed queritur, quare Augustinus dicat, non esse mentiendum pro temporali uita alicuius, cum Abraham descendens in Egiptum rogauerit Saram, ut sororem eius se esse mentiretur, dicens: “Noui, quod pulcra sis mulier, et quod, cum uiderint te Egiptii, dicturi sunt, uxor illius est, et interficient me, et te reseruabunt.

Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit michi propter te, et uiuet anima mea ob gratiam tui”.

Sed Abraham non mendacium dici, sed uerum taceri uoluit.

Unde idem Augustinus ait in questionum Genesis: [quest. 26].

C. XXII. Quomodo Abraham excusetur de mendacio, qui Saram sororem suam esse dixit.

Queritur, cur Patriarcha mentiri uoluit, ut diceret Saram sororem suam, et non potius Deo commisit, qui, si uellet, eius pudicitiam apud Pharaonem seruare posset.

Sed ueritatem uoluit celari, non mendacium dici.

Soror enim dicitur, quia filia fratris erat.

Et in hoc ostenditur, quod nemo debet temptare Deum suum, dum habet quod rationabili consilio faciat.

Fecit quod potuit: quod non potuit Deo commisit, in quem sperauit, nec eum fides aut spes fefellit.

Si autem interrogatus illam uxorem suam indicaret, duas res committeret Deo, et uitam suam, et uxoris pudicitiam.

Gratian. Item opponitur, quod Iacob mentiendo et sibi profuit, et alii nocuit, nec tamen reprehenditur, sed commendatur.

Sed Iacob dicendo se esse Esau primogenitum, non est mentitus.

Non enim dixit, se esse primogenitum nascendo, sed ius primogenituræ, illo uendente, rite adeundo.

Sic et Christus Iohannem dixit esse Heliam, non persona, sed imitatione uirtutis.

Erat ergo Iacob Esau, non nascendo, ut diximus, sed emptione primogenitorum, de non primogenito in primogenitum transeundo, sicut et ipse Esau primogenita uendendo de primogenito non primogenitus fieri meruit.

Sic et Iudei, cum essent filii Abrahæ carne, quia non fuerunt filii eius imitatione, non deputantur inter filios Abrahæ, sed dicuntur filii diaboli, cuius filii sunt, non nascendo, sed imitando.

Unde a Domino audire meruerunt: “Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite; nunc autem queritis me interficere, hominem, qui ueritatem locutus sum uobis.

Hoc Abraham non fecit.

Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris uestri facere uultis”.

§. 1. Econtra gentiles, cum secundum originem carnis ab Abraham essent alieni, tamen imitatione fidei et iusticiæ successerunt in filios Abrahæ.

Unde ab Apostolo dicitur eisdem: “Si autem Christi, ergo Abrahæ semen estis”.

Hinc idem Apostolus scribens Romanis ait: “O tu Iudee, si circumcidaris, nec legem eius obserues, circumcisio tua preputium facta est, quomodo et preputium, si iusticias legis custodiat, in circumcisionem reputatur”.

Prefertur ergo, ut ex premissis colligitur, imitatio operis origini carnis.

Veraciter ergo, non mendaciter, Iacob se dixit Esau esse; nec mentiendo, sed uerum dicendo sibi profuit, alteri uero non nocuit, quia benedictionem sibi debitam accepit, non alienum subripuit.

§. 2. Episcopus uero iste, de quo agitur, etsi falsum iurauit, tamen quia, ut supra dictum est, ream linguam non facit nisi rea mens, nequaquam reus periurii habetur.

Probatum etiam hoc exemplo Saulis, qui, cum esset in castris pugnaturus contra Philisteos, iurauit se interfectorum quicumque ante solis occasum comederet.

Ionathas autem filius eius non audito regis iuramento, cum pugnando magnam hostium stragem dedisset, et salutem fecisset in Israël, fame laborans uidit fauam mellis, quem regia uirga, quam gestabat in manibus, accepit et comedit, statim que oculi, quos fere fames cluserat, aperti sunt, et facies eius est exhilarata.

Quo conperto Saul uoluit eum dare neci; sed precibus et pia populi supplicatione placatus mortis reuocauit sententiam, ne interficeretur ille, per quem salus data erat in Israël, et quo pugnante de manibus hostium populus ille liberatus fuerat.

Ecce Saul falsum iuravit, quia quod iurando se facturum decreuit precibus populi prouocatus non fecit.

Nec tamen periurii reus arguitur, quia quantum in ipso fuit, quod iuravit inpleuit, dum sententiam mortis in filium dedit, quam non carnali affectu, sed populi supplicatione reuocauit.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Cum ergo, ut ratione et exemplo monstratum est, episcopus reus periurii non esset, consueta obedientia ab archidiacono sibi denegari non debuit, cum etiamsi criminose illum esse constaret ante diffinitiuam tamen sententiam, ut supra monstratum est, nulli suorum clericorum ab eo liceret discedere.

Constat ergo illicitum esse quod archidiaconus iuramento firmavit.

Unde merito queritur, an debeat seruari, uel non?

### QUESTIO IV.

#### GRATIANUS.

III. Pars. Quod autem illicita iuramenta seruari non debeant, in Tolletano Concilio VIII. [cap. 2]. legitur, in quo sic statutum est:

**C. I.** Melius est uota stultæ promissionis non implere quam crimen admittere.

Si publicis sacramentorum gestis (quod Deus auertat) a quibuslibet illicita uel non bona extitisset conditio allegata, que aut iugulare animam patris, aut gerere compelleret stuprum sacratissimæ uirginis, numquid non tollerabilius esset stultæ promissionis uota reicere, quam per inutilium promissorum custodiam exorrendam criminum implere mensuram?

**C. II.** Aliquando non expedit promissum soluere sacramentum.

Item Ambrosius de offitiis, libro I. [cap. 50].

Est etiam contra offitium nonnumquam promissum soluere sacramentum, ut Herodes, qui iuravit, quoniam quicquid petitura esset daret filiæ Herodiadis, necem Iohannis prestauit, ne promissum negaret.

Gratian. Item in sermone S. Augustini Episcopi de decollatione S. Iohannis Baptistæ, qui sic incipit: “Cum sanctum euangelium legeretur”:

**C. III.** Pietas fuit, quod Daud Nabal, sicut iurauerat, non occidit.

Quod Daud iuramentum per sanguinis effusionem non inpleuit, maior pietas fuit.

Video Daud pium hominem et sanctum in iurationem temerariam incidisse, et maluisse non facere quod iurauerat, quam iurationem suam hominis fuso sanguine implere.

**C. IV.** De eodem.

Item.

Iuravit Daud temere, sed non inpleuit iurationem maiori pietate.

§. 1. Ecce Daudid S. iuramento quidem astrictus non fudit sanguinem hominis: sed eum falsum iurasse negare quis poterit?

De duobus peccatis minimum elegit; sed minus fuit illud in comparatione peioris.

Nam, per se ipsum appensum, magnum malum est falsa iurare.

C. V. Turpia uota seruanda non sunt.

Item Ysidorus in Sinonimis, libro secundo.

In malis promissis rescinde fidem.

In turpi uoto muta decretum.

Quod incaute uouisti non facias.

Inpia est promissio, que scelere adinpletur.

C. VI. Non est obseruandum iuramentum, quo malum incaute promittitur.

Item Beda in omelia XLIV. [in natali decollationis S. Iohannis]

Si aliquid forte nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum peiorem uergat in exitum, libere illud salubriore consilio mutandum nouerimus, ac magis instante necessitate peierandum nobis, quam pro uitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum.

Denique iurauit Daudid per Deum occidere Nabal uirum stultum et inpium, atque omnia, que ad eum pertinebant demoliri.

Sed ad primam intercessionem Abigail feminæ prudentis mox remisit minas, reuocauit ensem in uaginam, neque aliquid culpæ se pro tali periurio contraxisse doluit.

C. VII. De duobus malis minus eligi oportet.

Item. [ibidem]

Non solum in iurando, sed in omne, quod agimus, hec est moderatio sollicitius obseruanda, ut, si talem forte in lapsum uersuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possumus, illum potius euadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernimus.

C. VIII. Tollerabilius est iuramentum non implere, quam quod turpe est facere.

Item Ambrosius de offitiis. [lib. III., c. 12].

Unusquisque simplicem sermonem proferat; uas suum in sanctificatione possideat, nec fratrem circumscriptione inducat uerborum; nichil promittat inhonestum, aut, si promiserit, tollerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit.

Sepe plerique constringunt se iurisiurandi sacramento, et cum ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod sponderunt, sicut de Herode supra scripsimus, qui saltatrici premium turpiter promisit, crudeliter soluit.

Turpe est, quod regnum pro saltatione promittitur; crudele, quod mors Prophetæ pro iurisiurandi religione donatur.

Quanto tollerabilius tali fuisset periurium sacramento? Si tamen periurium dici posset quod ebrius inter uina iurauerat, quod et iuratus inter saltantium choros promiserat.

Infertur disco Prophetæ caput, et hoc estimatum est fidei esse, quod amicitia fuit.

Et post pauca de Iepte disserens:

§. 1. Miserabilis,

inquit,

necessitas, que soluitur patricidio.

Melius est non uouere id, quod sibi is, cui promittitur, nolit exsolui.

Et post paululum:

§. 2. Non semper igitur promissa soluenda sunt omnia.

Denique ipse Dominus, sicut scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam.

C. IX. Inconmutabilis Deus quandoque sua mutat statuta.

Item ex Concilio Tolletano. [VIII. c. 2].

Inconmutabilis idem que semper existens Dei summi natura sua sepe in sacris litteris legitur mutasse promissa, et pro misericordia temperasse sententiam.

Unde licet sit impassibilis atque inconmutabilis, crebro tamen eius et iuramenta leguntur, et penitencia, que sacris extant misteriis adoperta.

Iurare namque Dei est a se ipso nullatenus ordinata conuellere: penitere uero eadem ordinata, cum uoluerit, inmutare.

Sic enim per Iheremiam dicit: “Repente loquar aduersum gentem, et aduersum regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud.

Si penitenciam egerit gens illa malo suo, agam ego penitenciam a malo, quod cogitauit, ut facerem ei”.

C. X. Sapientis est quod male loquitur reuocare.

Item Augustinus.

Magnæ sapientiæ est reuocare hominem quod male locutus est.

C. XI. Qua pena feriat qui illicitum iuramentum facit.

Item ex Concilio Ylerdensi. [c. 8].

Qui sacramento se obligauerit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio uno anno a comunione corporis et sanguinis Domini segregatus, reatum suum elemosinis, fletibus et quantis potuerit ieiuniis absoluat.

Ad karitatem uero, que operit multitudinem peccatorum, celeriter uenire festinet.

C. XII. Non omnia promissa soluenda sunt.

Item.

Non semper promissa omnia soluenda sunt.

Denique ipse Dominus frequenter mutat sententiam, sicut scriptura indicat.

C. XIII. De eodem.

Item Ysidorus Sentenciarum libro II. [c. 31].

Non est obseruandum sacramentum, quo malum incaute promittitur, ueluti si quispiam adulteræ perpetuam fidem cum ea permanendi polliceatur.

Tollerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio.

C. XIV. Male iurans penitenciam agat.

Item ex Concilio Tolletano, c. 9.

Necesse est, ut male iurans dignam penitenciam agat, eo quod nomen Domini contra preceptum illius sumpsit in uanum, quia in Exodo scriptum est: “Neque enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpsit nomen Domini Dei sui frustra”.

[[C. XV].

Item in Leuitico.



“Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, ego Dominus”.  
Malum tamen, quod facturum se sacramento deuouerit, omnino non faciat, quia stulta uota frangenda sunt.

**C. XVI.** Iuramentum, quo malum incaute promittitur, non est seruandum.

Item ex Decreto Sotheris Papæ, c. 3.

Si aliquid forte incautius nos iurasse contigerit, quod obseruatum peiorem uergat in exitum, illud consilio salubriori mutandum nouerimus, et magis instante necessitate periurandum nobis, quam pro facto iuramento in aliud crimen maius esse diuertendum.

**C. XVII.** Temeritas emendetur, cum diffinitio incauta soluitur.

Item ex Concilio Eliberitano, c. 1.

Diffinitio incauta laudabiliter soluenda est, nec est preuaricatio, sed temeritatis emendatio.

**C. XVIII.** Illicitum iuramentum non est seruandum.

Item. Actio quarta septimæ sinodi.

Iohannes apocrisarius orientalium sedium dixit: Significat sermo patris nostri Sophronii, quod melius sit iurantem periurare, quam seruare sacramentum in fractione sacrarum ymaginum.

Hoc autem dicimus, quia sacramento quidam se excusant.

Tarasius patriarcha dixit: Quia pater Sophronius nouerat bonitatem Dei, propterea transgredi uoluit inpium iuramentum.

Item:

§. 1. Tarasius patriarcha dixit: Herodes obseruauit iuramentum, et periit: Petrus uero negauit cum iuramento, et conuersus fleuit, et saluatus est.

Omne enim peccatum bonus Deus indulget, si quis ex toto corde peniteat.

Sancta sinodus dixit: Sic docet sancta scriptura.

Item Leontius episcopus Fociæ dicit:

Scriptum est: “Iuramentum mendax ne diligatis”.

Qua de causa iuramentum nostrum mendax dissoluatur, quasi nullam habens uirtutem.

**C. XIX.** Non obseruentur iuramenta, que fiunt contra diuina mandata.

Item Ysidorus.

Si quis preuentus fuerit, ut diffiniat agere aliquid eorum, que non placent Deo, penitentiam agat, et quod contra mandatum Domini statutum est in irritum reuocetur.

Item Ieronimus in libro de natura rerum:

§. 1. Tribus siquidem modis iuramenta contracta soluenda sunt.

Primo, cum quis male iurat.

Secundo, cum quis incaute iurat, non putans hoc esse peccatum.

Tertio, si pueri uel puellæ in domo parentum se iuramento constrinxerint, patribus post, quam audierint, contradicentibus.

## II. Pars.

Gratian. Ecce, quod iuramenta illicita laudabiliter soluuntur, dampnabiliter obseruantur. Quod tunc intelligendum est, quando iuramentum illicitum deseritur, ut ad bonum redeatur.

§. 1. Ceterum si propterea deseritur, ut in aliud malum transeat, illicitum sacramentum dampnabiliter seruatur, sed dampnabilius contempnitur.

Unde Augustinus de bono coniugali: [c. 4].

C. XX. Non est appellanda fides, que ad peccatum faciendum admittitur.

Si ad peccatum admittendum fides adhibetur mirum, si fides appelletur.

Verumtamen, qualiscumque sit, si et contra ipsam fit, peius est, nisi cum propterea deseritur, ut ad fidem ueram legitimam que redeatur, id est ut peccatum emendetur uoluntatis prauitate correcta, tamquam si quisque, cum hominem solus expoliare non possit, inueniat socium iniquitatis, et cum eo paciscatur, ut simul id faciant, spolium que partiantur, quo facinore commisso totum solus auferat.

Dolet quidem ille, et seruatum sibi non esse fidem conqueritur; uerum in ipsa sua querela cogitare debet, potius in bona uita ipsi humanæ societati fuisse seruandum, ne preda iniqua ex homine fieret, si sentit, quam inique sibi in peccati societate seruata non fuerit.

Ille quippe utrobique perfidus ac profecto sceleratior iudicandus est.

C. XXI. Si propterea fides non seruatur, ut ad bonum redeatur, non ideo uiolari dicitur.

Item.

Mulier, si fide coniugali uiolata fidem seruet adultero, utique mala est; si nec adultero, peior.

Porro si eam flagicii peniteat, et ad castitatem rediens coniugalem pacta ac placita adulterina rescindat, miror, si eam fidei uiolatricem uel ipse adulter putabit.

Gratian. Ex his itaque apparet, quod si quisquam, ut diximus, illicitum iuramentum non seruauerit, ut in aliud malum perniciosum declinet, tanto grauius delinquit, quanto dampnabilius accumulatur peccata peccatis.

Si autem propterea deseritur, ut ad bonum redeatur, nichil culpæ pro tali periurio contrahitur; potius deflendum est, si in aliquo illius iuramenti occasione nos deliquisse contigerit.

Unde Augustinus scribit Seuero Mileuitano Episcopo, consulenti de quodam Hubaldo, qui a consanguineis cuiusdam pelicis coactus fuerat iurare, se illam ducturum in coniugem, nec matri suæ uel fratribus ulterius necessaria subministraturum.

Rescribit ergo B. Augustinus, ut diximus, Seuero Mileuitano Episcopo, ita dicens:

C. XXII. De quodam Hubaldo, qui iurauit se non ministraturum necessaria matri et fratribus.

Inter cetera, ut rogaueras, a patre nostro Ambrosio quesui, quid tibi, karissime, agendum sit de Hubaldo parrochiano tuo, qui captus et timore necis impulsus suæ concubinæ iuramento firmauit ipsam in coniugem suscipere, propriam que matrem de domo cum fratribus expellere, nichil que eis alimonix umquam inpendere.

Quia uero quam prius habuerat non est peccatum in coniugem suscipere, matrimonium sit in Deo firmum et stabile.

§. 1. Porro iuramentum non ob hoc inuenitur fuisse institutum, ut esset uinculum iniquitatis, uel matricidii, uel fratricidii, seu cuiuscumque criminis.

Nec credo sacramentum ad hoc debere fieri, ut iniusta iuratio suorum bonorum sit iniuste iurantibus expoliatio, et accipienti eterna dampnatio.

Periurii namque pena percutitur, et uelut homicida in extremo examine a iusto iudice degrandinabitur, per quem sacrosanctum euangelium ad iniustum et illicitum, et Deo minime amabile, quasi testimonium iustæ et humanæ petitionis adducitur.

§. 2. Foueat itaque Hubaldus matrem et fratres, et lugeat, si coactione et timore iuramenti aliquid defuit matri.

Qui uero eum iurare coegerunt quod non debuit, reatu periurii impliciti teneantur.

Iniuria quippe iniuste irrogata eius est infamia, qui facit.

Nec enim ullo modo ad obprobrium coactæ uoluntatis trahitur quod illicita conditio necessitatis extorsit.

### III. Pars.

Gratian. Sed cum his omnibus illicita iuramenta non seruanda probentur, obponitur, quod Iosue Gabaonitas contra preceptum Domini non deleuerit, quia seniores Israël cum eis iuramento pacem firmauerant.

Sed notandum est, quod seniores Israël, etsi scirent a Domino esse inperatum, ut delerent gentes terræ promissionis, decepti tamen a Gabaonitis eos nesciebant esse incolas terræ sibi promissæ.

Venerunt enim (ut historia refert) attritis calciamentis, et cum aridis panibus, dicentes: Viri pacifici, uenimus de terra longinqua, calciamenta sunt attrita in pedibus nostris; panis defecit in sistarciis nostris; audiuimus Dominum esse uobis cum, et uenimus componere pacem.

Quod uerbum placuit senioribus Israël, et fecerunt pacem cum eis.

Post diem autem tertium, cum filii Israël appropinquarent Gabaonitis, occurrerunt eis, quibus iurauerant seniores Israël.

Illi autem uidentes se esse deceptos, uoluerunt delere eos, sed pepercit eis Iosue propter iuramentum seniorum Israël.

Unde Ambrosius in libro de Offitiis: [III., c. 10].

C. XXIII. Quedam, licet a Deo prohibeantur, tamen iuramento firmata non sunt euitanda.

“Innocens credit omni uerbo”.

Non uituperanda facilitas, sed laudanda bonitas.

Hoc est innocentem esse, ignorare quid noceat, et si circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen iudicat qui fidem in omnibus esse arbitratur.

Hac igitur mentis suæ dote inclinatus Iesus, ut crederet Gabaonitis, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmauit societatem.

Sed ubi in terras eorum uentum est, deprehensa fraude, quod, cum essent finitimi, aduenas esse se simulauerint, circumscriptum se populus patrum indignari cepit.

Iesus tamen pacem, quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, ne, dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solueret.

Mulctauit meliori tamen eos obsequio ministerii.

Clementior sententia, sed diuturnior.

Gratian. Illicitum ergo iuramentum, quod seruari prohibetur, intelligendum est, quod scitur illicitum esse, dum iuratur.

Si autem nescitur illicitum esse, ipsa ignorantia excusetur si putetur licitum esse, non ex ignorantia iuris, sed facti.

Aliud enim est, si alicuius copula credatur esse licita, quia nescitur esse consanguinea, uel quia creditur esse uidua; aliud, si ideo putatur licita, quia consanguinearum coniunctio uel relictarum copula nullo iure credatur esse prohibita.

Hic est enim ignorantia iuris, que neminem excusat, nisi cui permittitur ius ignorare; ibi uero ignorantia facti, qua quisque uere excusatur.

Seniores autem Israël non ignorabant gentes terræ promissionis ex precepto Domini esse delendas; sed ignorabant Gabaonitas esse incolas terræ promissionis.

Ignorabant siquidem factum, sed non ignorabant ius facti, atque ideo, etsi illicitum esset quod iurauerunt, tamen licite seruari debuit quod iuramento firmauerunt.

§. 1. Quod autem illicitum iuramentum seruari prohibetur, non est generaliter intelligendum.

Iuramentum namque (ut Ieronimus testatur super Iheremiam), debet habere tres comites, ueritatem, iudicium, et iusticiam; ubi autem ista defuerint, non est iuramentum, sed periurium.

Unde datur intelligi illicitum esse iuramentum, cui aliquod istorum defuerit; non tamen cuicumque contigerit aliquod istorum deesse prohibetur seruari.

§. 2. Aliquando namque iuramento deest iusticia; ueluti, cum quispiam post uotum castitatis ducit uxorem, iuramento firmans, numquam ab ea se discessurum, quod, quamuis illicitum sit, quia iusticia sibi probatur deesse, tamen auctoritate Augustini seruari precipitur.

Hoc autem si quis contendat prerogatiua coniugii, non propter religionem iurisiurandi seruari, animaduertat, Gabaonitas ob solam religionem contra inperium Domini reseruatos.

Cum ergo omne preceptum Domini iustum sit, patet ei iusticiam deesse, quod eius precepto contrarium inuenitur.

§. 3. Iudicium quoque aliquando iuramento constat deesse, ueluti, cum propria temeritate aliquis ductus iurat se manducaturum et bibiturum.

Hoc quamuis leuitate indiscreta illicitum probetur, non tamen ideo uiolari iubetur.

§. 4. Iuramentum itaque multipliciter illicitum intelligitur.

Est enim illicitum aliquando ex eo, quod iuratur, aliquando ex modo iurandi.

Ex eo, quod iuratur, tunc est illicitum iuramentum, quando id, quod iuratur, in sui natura uiciosum est uel uitam adimens, ut adulterium, homicidium, et his similia; uel reparari non permittens, ueluti cum inimico ad pacem non redire, indigenti misericorditer non subuenire.

Ista, quia perspicuam habent in se iniusticiam, etsi iuramento firmentur, tamen seruari non debent.

Circa hec itaque iuramenta intelligenda sunt que de illicitis iuramentis non obseruandis supra statuta leguntur.

Quisquis ergo se iuramento firmauerit aliquid facturum, quo uel corporalis, uel spiritualis salus adimatur, uel sine quo utraque salus reparari uel conseruari non possit, fidem promissam seruare prohibetur; quorum exempla premissæ auctoritates subiciunt, dum eum, qui homicidium facere, uel alimenta matri et fratribus non subministrare, in adulterio perseuerare, uel ad pacem cum aduersario non redire, iuramentum prestando promiserit, salubriori consilio illicita uota obseruare non permittunt.

§. 5. Est etiam id, quod iuratur, aliquando uiciosum, non in natura sui, sed ex causis extra uenientibus; ueluti cum aliquis post uotum castitatis iurat alicui, se habiturum eam in coniugem.

Coniugem namque habere in se ipso malum non est: tamen huic ex uoto perniciosum est.

Hoc autem iuramentum, etsi illicitum sit, non tamen obseruari prohibetur, sed de uiolatione uoti penitentia sibi iubetur indici.

§. 6. Ex modo iurandi tunc est illicitum iuramentum, quando inconsiderate et incircumspecte aliquid iuratur, quo nec corporalis, nec spiritualis salus adimitur, et sine quo utraque salus reparari et uita conseruari ualet: ueluti dum aliquis a parentibus coactus, ut clericatus tonsuram uel religionis uestem suscipiat, se neutrum facturum iuramento firmauerit.

Hoc, quamuis aliquibus uideatur reprehensibile, quia opus karitatis iuramento se non facturum promisit, nulla tamen auctoritate seruari prohibetur, quia, etsi numquam clericatus tonsuram uel religionis uestem suscipiat, non tamen ideo minus salutem promereri malet, cum nonnulli in laicali habitu sanctissimi et Deo delecti inueniantur.

Quo exemplo euidenter datur intelligi, quotiens aliquis iurat, se non facturum aliquid, quo expeditior sibi uia preparatur ad beatitudinem, dummodo sine eo salutem ualeat inuenire, quod iuramentum non prohibetur obseruare.

Unde, cum nos iuramus, non duros alicui aliquid, sine quo utraque salus eius potest esse incolumis, etsi aliqua ex eo sibi commoditas prestaretur, nulla tamen auctoritate iuramentum seruare prohibemur, dummodo sit nobis alia uia necessitatibus eius subueniendi.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem quinto loco queritur, si licitum esset quod archidiaconus iurauerat, an episcopus esset reus periurii, qui ad peierandum archidiaconum cogebat? facile potest discerni.

Si enim consentiens pari pena cum faciente puniendus est, multo magis ille, qui cogit, reus admissi criminis probatur.

Unde Pius Papa ait:

**C. I.** Qui peierare compellit, et qui compellitur, periurus uterque habetur.

Qui compulsus a domino sciens periurat, utriusque sunt periuri, et dominus, et miles: dominus, quia precepit; miles, quia plus dominum quam animam dilexit.

Si liber est, quadraginta dies in pane et aqua peniteat, et septem sequentes annos; si seruus eiusdem, tres quadragésimas et legitimas ferias peniteat.

**C. II.** Penitentia eius, qui in manu episcopi aut in cruce consecrata periurat.

Item.

Qui periurat se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, tres annos peniteat; si uero in cruce non consecrata, annum unum peniteat.

Qui autem coactus fuerit, et ignorans se periurauerit, et post cognoscit, tres quadragésimas peniteat.

**C. III.** Qua pena sit feriendus qui necessitate coactus periurat.

Item ex Penitenciali Theodori.

Si quis coactus pro uita redimenda, uel pro qualibet causa uel necessitate periurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas peniteat.

Alii iudicant tres annos, unum ex his in pane et aqua.

**C. IV.** Qui deierat et alios deierare facit, qua pena sit feriendus.

Item Gelasius Papa.

Si quis se periurauerit, et alios sciens in periurium duxerit, quadraginta dies peniteat in pane et aqua, et septem sequentes annos, et numquam sit sine penitencia.

Et alii, si conscii fuerint, similiter peniteant.

**C. V.** Homicidam uincit qui sciens ad periurium conpellit.

Item Augustinus in sermone de decollatione S. Iohannis. [id est serm. XI. de sanctis]

Ille, qui hominem prouocat ad iurationem, et scit, eum falsum esse iuraturum, uincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, immo duas animas, et eius, quem iurare prouocauit, et suam.

Scis, uerum esse quod dicis, et falsum quod ille dicit, et iurare conpellis?

Ecce iurat, ecce periurat.

Tu quid inuenisti? immo et tu peristi, qui de illius morte saciari uoluisti.

**C. VI.** Non peccat qui iuramentum exigit ab eo, quem nescit falsum iurare.

Idem in sermone de periuriis. [id est in sermone de uerbis Apostoli, XXX. ad XXVIII].

Qui exigit iurationem, multum interest, si nescit illum iuraturum falsum, an scit.

Si enim nescit, et ideo dicit: Iura michi, ut fides ei sit, non est peccatum: tamen humana temptatio est.

Si autem scit, eum fecisse, et cogit eum iurare, homicida est.

Ille enim se suo periurio interimit: sed iste manum interficientis et inpressit, et pressit.

**C. VII.** Usque ad exitum uitæ non communicet qui ad periuria alios trahit.

Item ex Concilio Maticensi. [I. c. 17].

Si quis conuictus fuerit alios ad falsa testimonia uel periuria adtraxisse, uel quacumque corruptione sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum uitæ non communicet; hii uero, qui ei in periurio consensisse probantur, postea ab omni testimonio sunt remouendi, et secundum legem infamia notabuntur.

## **II. Pars.**

Gratian. Item, qui audit aliquem falsum iurare, et tacet, delinquit.

Unde Augustinus ait in questionibus Leuitici c. 1.: “Anima, que audierit uocem iurantis falsum etc.”:.

**C. VIII.** Cui sit indicandum falsum, quod ab aliquo iuratur.

Hoc uidetur dicere, peccare hominem, quo audiente iurat aliquis falsum, et scit, eum falsum iurare, et tacet.

Tunc autem scit, si eius rei, de qua iuratur, testis fuit, aut uidens, aut conscius fuit, id est aliquo modo cognouit, aut oculis suis conspexit, aut ille ipse, qui iurat, illi indicauit.

Ita enim potuit esse conscius.

§. 1. Sed inter timorem huius peccati, et timorem proditionis hominum non parua existit plerumque temptatio.

Possumus enim paratum ad periurium admonendo uel prohibendo a tam graui peccato reuocare; sed si non audierit, et coram nobis de re, quam nouimus, falsum iurauerit, utrum prodendus sit, ita ut proditus etiam periculum mortis incurrat, difficillima questio est.

Sed quia hic non expressit, cui hoc indicandum sit, utrum illi, cui iuratur, an sacerdoti cuiuspiam, qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest: uidetur michi, quod se soluat ab hoc peccati uinculo, si indicet talibus, qui magis possunt prodesse quam obesse periuro, siue eum corrigendo, siue Deum pro eo placando, si et ipse confessionis sibi adhibeat medicinam.

Gratian. Si ergo iste, ut supra dictum est, qui audit falsum iurare, et tacet, delinquit, multo magis ille reus est, qui ad deierandum aliquem conpellit.

### III. Pars.

§. 1. Queritur de eo, qui uerborum calliditate se circumuenire putat illum, cui iuramentum defert, an sit reus periurii, nisi seruauerit quod iurasse creditur.

De hoc ita scribit Ysidorus Sententiarum libro II.: [c. 31].

C. IX. De eo, qui calliditate uerborum iurat.

Quacumque arte uerborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit.

Dupliciter autem reus fit, qui et nomen Dei in uanum assumit, et proximum dolo capit.

C. X. Periurus est qui super lapidem falsum iurat.

Item ex sermone S. Augustini: [XXX. de uerbis Apostoli]

Ecce, karitati uestrae dico, et qui per lapidem iurat falsum periurus est.

Unde hoc dico? quia multi et in hoc falluntur, et putant, quia nichil est per quod iurant, non se crimine teneri periurii.

Prorsus periurus es, quia per id, quod sanctum non putas, falsum iuras.

Si tu illud sanctum non putas, sanctum putat, cui iuras.

Non enim quando, iuras, tibi aut lapidi, sed proximo iuras.

Homini iuras ante lapidem, sed numquid non ante Deum?

Non te audit lapis loquentem, sed punit Deus te fallentem.

Sed obicitur illud Gregorii in XXVI. libro Moralium: [c. 7].

C. XI. Apud Deum uerba nostra non ex ore, sed ex corde procedunt.

Humanæ aures talia uerba nostra iudicant, qualia foris sonant.

Diuina uero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.

§. 1. Certe nouerit ille, qui intentionem et uoluntatem alterius uariis uerbis explicat, quia non debet aliquis uerba considerare, sed uoluntatem et intentionem, quia non debet intentio uerbis deseruire, sed uerba intentioni.

Gratian. Si ergo diuina iudicia uerba nostra talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur, si intentio non debet deseruire uerbis, sed uerba intentioni: patet, quod Deus non sic accipit iuramentum, sicut ille, cui iuratur, sed potius sicut qui iurat intelligit, cum recipienti non ex intimis, sed ex his que proferuntur foris, uerba nostra sonent.

§. 1. Item obicitur, qui iurat super lapidem, putans se iurare super sacrosanctum euangelium, perinde tenetur, ac si super euangelium iurauerit, licet ille, cui iurat, ideo super lapide illum iurare fecerit, ne, non seruando quod promittit, reatu periurii teneatur.

§. 2. Item obicitur de ciuibus, qui credunt se iurare obedituros consulibus suis in omnibus, que sibi inperata fuerint pro honore suæ ciuitatis; ne uero, obedientiam recusantes, reatu periurii illaqueentur, supponitur breue iuraturis, in quo aliud continetur, quam se iuratos arbitrentur, uidelicet ne Padum in Nilum conuertant, uel aliquid huiusmodi faciant.

Si ergo contra hoc, quod se iurasse crediderant, consulibus suis obedientiam denegarent, numquid secundum intentionem recipientis, an non potius secundum intentionem iurantis Deus iuramentum illud acciperet?

§. 3. Item, si innocens de adulterio uel furto inpetitus innocentiam suam uellet asserere, iuraret autem se ab obiectis sic esse immunem, sicut in breui illo continetur, quod manibus suis se scripsisse arbitretur, contineatur autem in illo, hunc esse reum obiectorum, numquid a Domino periurus reputabitur?

aut numquid poterit argui, se iurasse, adulterii aut furti reatum incurrisse? Non.

Hinc et Iohannes Crisostomus ait:

**C. XII.** Inter iuramentum et locutionem fidelium nulla debet esse differentia.

Iuramenti huius causa est, quia omnis, qui iurat, ad hoc iurat, ut quod uerum est loquatur.

Et ideo Dominus inter iuramentum et loquelam nostram nullam uult esse distantiam, quia, sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in uerbis nostris nullum debet esse mendacium, quia utrumque, et periurium et mendacium, diuini iudicii pena dampnatur, dicente scriptura: “Os, quod mentitur, occidit animam”.

Quisquis ergo uerum loquitur, iurat, quia scriptum est: “Testis fidelis non mentietur”.

**C. XIII.** Ante, quam aliquis iuret, peierat, si contra conscientiam iurare parat.

Idem.

Qui periurare paratus est, ante, quam periuret, iam periurus uidetur, quia Deus non ex operibus iudicat, sed ex cogitationibus et ex corde.

Gratian. Ex his omnibus colligitur, quod iuramenta secundum intentionem prestantis, non recipientis, a Deo iudicantur.

Quomodo ergo, secundum Ysidorum, quecumque arte uerborum quis iuret, Deus sic accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit?

Sed sicut aliud est callida arte uerborum iurare, aliud simpliciter intentionem suam iurando enunciare, sic aliud est simplici intentione iuramentum factum recipere, et aliud in recipiendo calliditate uti, quia, sicut quisquam apud Deum non ualet aliquem ledere, sic nec preter eius intentionem ualet quis alicui subuenire.

Deus autem duplicitatis aspernator simplicem intentionem utriusque considerat, et tam ex parte recipientis quam ex parte prestantis uerborum artem aspernatur et odit.

## **VI. Pars.**

§. 1. De etate uero iurantium queritur, qua etate quisque ad iurandum debeat cogi?

De quo in primo libro Capitularium [c. 63]. sic inuenitur diffinitum:

**C. XIV.** Ante annos rationabiles aliqui non cogantur iurare.



Paruuli, qui sine etate rationabili sunt, non cogantur iurare.

Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hec, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa uel alterius iurator existat.

**C. XV.** Ante quatuordecim annos nullus iurare cogatur.

Item ex Concilio Eliberitano.

Pueri ante quatuordecim annos non cogantur iurare.

Puella quoque, si in puerili etate sita in domo patris, illo nesciente, se iuramento constrinxerit, et pater eius, ut audierit, statim contradixerit, uota eius et iuramenta irrita erunt, et facilius emendabitur.

**C. XVI.** De eodem, et ut a ieiunis iuramenta prestentur.

Item Cornelius Papa.

Honestum etiam uidetur, ut, qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate et timore Dei, ut et pueri ante quatuordecim annos non cogantur iurare.

Gratian. Preterea sunt quedam tempora, quibus iurare prohibemur.

Unde in Concilio apud S. Medardum habito:

**C. XVII.** Quibus temporibus iurare prohibemur.

Decreuit sancta sinodus, ut a septuagesima usque in octauam pascae, et ab aduentu Domini usque in octauam epiphaniae, nec non et in ieiuniis quatuor temporum, et in letaniis maioribus, et in diebus dominicis, et in diebus rogationum (nisi de concordia et pacificatione) nullus super sacra euangelia iurare presumat.

## **V. Pars.**

Gratian. De forma uero fidelitatis, et quid quisque debeat domino, uel e conuerso, sic inuenitur in epistola Filiberti Episcopi:

**C. XVIII.** Que in fidelitate sunt obseruanda.

De forma fidelitatis aliquid scribere monitus, hec uobis, que secuntur, breuiter ex librorum auctoritate notauit.

Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex in memoria semper habere debet: incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile.

Incolume uidelicet, ne sit in dampnum domino suo de corpore suo.

Tutum, ne sit ei in dampnum de secreto suo, uel de munitionibus, per quas tutus esse potest.

Honestum, ne sit ei in dampnum de sua iusticia, uel de aliis causis, que ad honestatem eius pertinere uidentur.

Utile, ne sit ei in dampnum de suis possessionibus.

Facile uel possibile, ne id bonum, quod dominus suus facere leuiter poterat, faciat ei difficile, neue id, quod possibile erat, reddat ei impossibile.

Ut fidelis hec documenta caueat, iustum est.

§. 1. Sed quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat, quod bonum est, restat, ut in eisdem sex supradictis consilium et auxilium domino suo fideliter prestat, si beneficio dignus uideri uult, et saluus esse de fidelitate, quam iurauit.

§. 2. Dominus quoque fidei suo in his omnibus uicem reddere debet.

Quod si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille, si in eorum preuaricatione uel faciendo, uel consentiendo deprehensus fuerit perfidus et periurus.

[PALEA. C. XIX. De eodem.

Augustinus.

Si quis laicus iuramentum uiolando profanat, quod regi et domino suo iurat, et postea peruerse et dolose eius regnum tractauerit, et in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit, in Christum Domini manum mittens, anathema sit, nisi per dignam penitentiæ satisfactionem emendauerit, sicut constitutum a sancta synodo est, id est seculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, et peniteat omnibus diebus uitæ suæ.

Verumtamen communionem in exitu uitæ suæ cum eucharistia percipiat.

§. 1. Episcopus uero, presbiter, diaconus, si hoc crimen commiserit, degradetur].

## VI. Pars.

Gratian. Ut itaque ex premissis apparet, mendacium nec simplici sermone debet proferri, nec iuramento firmari.

Mendacium autem non solum in uerbis, sed etiam in simulatis operibus esse probatur.

Unde Ambrosius ait in sermone habito in dominica de Abraham:

C. XX. Mentitur qui professionem suam operibus non ostendit.

Cauete, fratres, mendacium, quia omnes, qui amant mendacium, filii sunt diaboli.

§. 1. Non solum in falsis uerbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est.

Mendacium namque est, Christianum se dicere, et opera Christi non facere.

Mendacium est episcopum, sacerdotem uel clericum se profiteri, et contraria huic ordini operari.

C. XXI. Quociens sermo malus de ore nostro procedit.

Item Ieronimus. [in c. 4. epist. ad Ephesios]

Quociens uero loquimur, aut non in oportuno tempore, aut non in oportuno loco, aut non ut conuenit audientibus, tociens sermo malus procedit de ore nostro ad destructionem eorum, qui audiunt.

Consideremus itaque quid loquamur, quia pro omni otioso uerbo reddituri sumus rationem in die iudicii.

## VII. Pars.

Gratian. Iuramentum uero clericus laico prestare non debet.

Unde in Remensi Concilio legitur:

C. XXII. Cuiquam laico clericus nichil iurare presumat.

Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quicquam super sacra euangelia iurare presumat, sed simpliciter cum ueritate et puritate dicat: est aut non.

Sed si est aliquid, quod sibi obiciatur, prout iudicauerint qui eiusdem sunt ordinis, aut corrigatur, aut expurgetur.

[**PALEA.** Episcopo similiter clericus iuramentum prestare non debet, nisi forte is, cui ecclesiæ procuracionem committit.

Unde Urbanus II. ait:

**C. XXIII.** De eodem.

Nullus episcopus clericos suos, nisi forte quibus ecclesiasticarum rerum dispensatio conmissa fuerit, sibi iurare compellat].

## **CAUSA XXIII.**

### **GRATIANUS.**

Quidam episcopi cum plebe sibi conmissa in heresim lapsi sunt; circumadiacentes catholicos minis et cruciatibus ad heresim compellere ceperunt, quo conperto Apostolicus catholicis episcopis circumadiacentium regionum, qui ab inperatore ciuilem iurisdictionem acceperant, inperauit, ut catholicos ab hereticis defenderent, et quibus modis possent eos ad fidei ueritatem redire compellerent.

Episcopi, hec mandata Apostolica accipientes, conuocatis militibus aperte et per insidias contra hereticos pugnare ceperunt.

Tandem nonnullis eorum neci traditis, aliis rebus suis uel ecclesiasticis expoliatis, aliis carcere et ergastulo reclusis, ad unitatem catholicæ fidei coacti redierunt.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an militare peccatum sit? (Qu. II).

Secundo, quod bellum sit iustum, et quomodo a filiis Israël iusta bella gerebantur?

(Qu. III).

Tertio, an iniuria sociorum armis sit propulsanda? (Qu. IV).

Quarto, an uindicta sit inferenda? (Qu. V).

Quinto, an sit peccatum iudici uel ministro reos occidere?

(Qu. VI).

Sexto, an mali sint cogendi ad bonum? (Qu. VII).

Septimo, an heretici suis et ecclesiæ rebus sint expoliandi, et qui possidet ab hereticis ablata an dicatur possidere aliena?

(Qu. VIII).

Octauo, an episcopis uel quibuslibet clericis sua liceat auctoritate, uel Apostolici, uel inperatoris precepto arma mouere?

## **QUESTIO I.**

### **GRATIANUS.**

Quod militare alienum uideatur ab euangelica disciplina, hinc uidetur posse probari, quia omnis milicia uel ob iniuriam propulsandam, uel propter uindictam inferendam est instituta, iniuria autem uel a propria persona, uel a socio repellitur, quod utrumque euangelica lege prohibetur.

Cum enim dicitur: “Si quis te percusserit in unam maxillam, prebe ei et alteram,” et iterum: “Qui angariauerit te mille passus, uade cum eo duo milia;” item cum Apostolus dicat ad Romanos: “Non uos defendentes, karissimi, sed date locum iræ:” quid aliud prohibemur, quam propriæ personæ iniuriam repellere?

§. 1. Item, cum Petro gladio defendenti magistrum, Christus dixerit: “Conuerte gladium tuum in uaginam; an putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit michi plus quam duodecim milia legiones angelorum?”

denique, sicut de B. Andrea legitur, cum fieret concursus populorum, ut de manibus iniqui iudicis eum eriperent, et ab iniuria mortis illum defenderent, ipse econtra et exemplo et uerbo patientiam docens, rogabat eos, ne suum martirium inpedirent, quid aliud monemur, quam sicut proprias, ita et sociorum iniurias patienter tollerare, nec ad arma concurrere, sed eorum exemplo ad similia ferenda animum preparare?

§. 2. Item cum in Prouerbiis dicatur: “Michi uindictam, et ego retribuam, dicit Dominus;” item, cum in euangelio dicatur: “Nolite iudicare, et non iudicabimini;” item, cum pater familias dicat seruis uolentibus colligere zizania: “Sinite utraque crescere usque ad messem, et tunc dicam messoribus, colligite zizania, et alligate fasciculos ad comburendum;” §. 3. item, cum rex ille, qui nuptias fecerat filio suo, missis exercitibus suis, angelorum uidelicet, dicatur perditurus homicidas prophetarum et apostolorum, qui uocati ad nuptias uenire contempserunt credendo; item, cum Paulus apostolus dicat in epistola ad Romanos: “Nolite iudicare inuicem;” item: “Tu quis es, qui iudicas seruum alienum?”

Suo domino stat, aut cadit.

Siue ergo uiuimus siue morimur, Domini sumus.

In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit, ut et uiuorum, et mortuorum dominetur:” in his omnibus quid aliud precipitur, quam ut uindicta delinquentium diuino reseruetur examini?

Cum ergo, ut supra dictum est, milicia uideatur instituta uel ob iniuriam propulsandam, uel ad uindictam inferendam, utrumque autem lege euangelica prohibeatur, apparet, quod militare peccatum est.

Hinc etiam Gregorius:

**C. I.** Bella carnalia bellorum spiritualium figuram gerunt.

Nisi bella ista carnalia figuram bellorum spiritualium gererent, numquam, opinor, Iudaicarum historiarum libri discipulis Christi, qui uenit pacem docere, legendi in ecclesiis fuissent ab Apostolis traditi.

Quomodo enim eis bellorum proficeret ista descriptio, quibus dicitur ab Iesu: “Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis?”

et quibus per Apostolum iubetur et dicitur: “Non uosmetipsos uindicantes, sed magis iniuriam percipite, et magis fraudem patimini?”

Unde denique sciens Apostolus, iam nobis ultra bella non esse carnaliter peragenda, sed animæ certamina contra spiritales aduersarios desudanda, uelut magister miliciæ preceptum dat militibus Christi, dicens: “Induite uos armatura Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli?”

Gratian. His ita respondetur: precepta pacienciæ non tam ostentatione corporis quam preparatione cordis sunt retinenda.

Unde Augustinus ait in sermone de puero centurionis:

**C. II.** Precepta pacienciæ uirtute animi, non ostentatione corporis seruanda sunt.

Paratus debet esse homo iustus et pius patienter maliciam eorum sustinere, quos fieri bonos querit, ut numerus potius crescat bonorum, non ut pari malicia se quis numero addat malorum.

Denique ista precepta magis sunt ad preparationem cordis, quam ad opus, quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi paciencia cum beniuolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis uidetur prodesse, quibus bene uelle debemus.

§. 1. Hinc liquido ostenditur, quod ipse Dominus Iesus, exemplum singulare pacienciæ, cum percuteretur in facie, respondit: “Si male locutus sum, exprobra de malo; si autem bene, quid me cedis?”

Nequaquam igitur preceptum suum, si uerba intueamur, impleuit.

Neque enim prebuit percutienti alteram partem, sed potius prohibuit, ne faceret et iniuriam auget.

Et tamen paratus aduenerat non solum in faciem percuti, uerum etiam pro his quoque, a quibus hec paciiebatur, crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens: “Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt”.

§. 2. Neque Paulus apostolus preceptum Domini et magistri sui uidetur inplesse, ubi etiam percussus in faciem dixit principi sacerdotum: “Percutiet te Deus, paries dealbate; sedes me iudicare secundum legem, et contra legem iubes me percuti?”

Et cum a circumstantibus diceretur: “Iniuriam facis principi sacerdotum?”

irridens eos ammonere uoluit quid dixerit, ut qui saperent intelligerent iam destruendum esse in aduentu Christi parietem dealbatum, hoc est ypocrisin sacerdotii Iudeorum.

Ait quippe: “Nesciui fratres, quia princeps est.

Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices,” cum proculdubio qui in eodem populo creuerat, atque in lege fuerat eruditus, illum principem sacerdotum nescire non posset, nec eos, quibus ita notus fuerat, ullo modo falleret, quod nesciret.

Sunt ergo ista precepta pacienciæ semper in cordis preparatione retinenda, ipsa quoque beniuolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in uoluntate complenda.

§. 3. Agenda sunt autem multa etiam cum inuitis quadam benigna asperitate plectendis, quorum potius utilitati consulendum est quam uoluntati.

Nam in corripiendo filium quamlibet aspere numquam profecto paternus amor amittitur.

Fiat tamen quod nolit, et doleat qui etiam inuitus dolore uidetur sanandus.

§. 4. Ac per hoc, si terrena ista respublica Christiana precepta custodiat, etiam ipsa bella sine beniuolentia non gerentur, sed ut ad pietatis iusticiæ que societatem uictis facilius consulatur.

Nam cui licentia iniquitatis eripitur utilius uincitur, quoniam nichil est infelicius felicitate peccantium, qua penalis nutritur impunitas, et mala uoluntas, uelut interior hostis, roboratur.

Et paulo post:

§. 5. Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius, consilium salutis petentibus, in euangelio diceretur, ut abicerent arma, se que miliciæ omnino subtraherent.

Dictum est autem eis: “Neminem concusseritis; estote contenti stipendiis uestris”.

Quibus proprium stipendium sufficere debere precepit, militare utique non prohibuit.

**C. III. In bellicis armis multi Deo placere possunt.**

Item eiusdem ad Bonifatium. [epist. CCVII].

Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat.

In his erat sanctus Daud, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium.

In his etiam plurimi illius temporis iusti.

In his erat ille centurio, qui Domino dixit: “Non sum dignus, ut intres sub tectum meum”.

§. 1. Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia uirtus tua etiam ipsa corporalis donum Dei est.

Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Dominum.

Fides enim, quando promittitur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur; quanto magis amico, pro quo pugnatur?

Pacem habere uoluntatis, bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus a necessitate, et conseruet in pace.

Non enim pax queritur, ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.

Esto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem uincendo perducas.

“Beati enim pacifici” (ait Dominus) “quoniam filii Dei uocabuntur”.

Si autem pax humana tam dulcis est pro temporali salute mortalium, quanto dulcior est pax diuina pro eterna salute angelorum?

Itaque hostem pugnans necessitas deprimat, non uoluntas.

Sicut bellanti et resistenti uiolentia redditur, ita uictoriis capto misericordia iam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.

Item eiusdem contra Manicheos: [id est, libro XXII. contra Faustum, c. 74. et 75].

#### C. IV. Que sint in bello iure reprehendenda.

Quid culpatur in bello? An quia morituri quandoque moriuntur, ut domentur in pace uicturi?

Hoc reprehendisse timidorum est, non religiosorum.

Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, inplacatus atque inplacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia, hec sunt, que in bellis iure culpantur.

Que plerumque ut etiam iure puniantur, aduersus uiolentias resistentium (siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente) gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, ubi eos uel iubere aliquid tale, uel in talibus obedire iuste ipse constringit.

Unde neque Iohannes ab armis iubet discedere milites, et tributa Christus Cesari monet reddi, quia propter bella necessario militi stipendium prebeat.

Ordo autem ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit.

§. 1. Sed si humana cupiditate bellum geritur, non nocet sanctis, in quos non habet quisquam potestatem, nisi desuper datam.

Non enim est potestas, nisi a Deo, siue iubente siue sinente.

Ergo uir iustus, si forte etiam sub rege, homine sacrilego, militet, recte potest illo iubente bellare, si, uice pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur uel non esse contra Dei preceptum, certum est, uel utrum sit, certum non est, ita, ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.

#### C. V. Militare non est peccatum.

Item eiusdem in libro de uerbis Domini, tractatu [siue sermone] XIX.

Militare non est delictum, sed propter predam militare peccatum est; nec rempublicam gerere criminis est, sed ideo agere rempublicam, ut diuitias augeas, uidetur esse dampnabile.

Propterea enim quadam prouidentia militantibus sunt stipendia constituta, ne, dum sumptus queritur, predo crassetur.

Item:

§. 1. Dominus ipse dixit: “Reddite que Dei sunt Deo, et que sunt cesaris cesari”. Igitur quod cesar precipit ferendum est, quod inperat tollerandum est; sed fit intollerabile, dum predam exactores accumulunt.

Item:

§. 2. “Interrogauerunt Iohannem milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Ait illis, neminem concutiatis, neque calumpniam faciatis, sed estote contenti stipendiis uestris”.

Sic autem se cognoscere debet omnis homo, qui militat.

Non enim de his tantum militantibus scriptura loquitur, qui armata milicia detinentur, sed quisquis miliciæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles asscribitur, atque ideo hec sententia potest dici (uerbi gratia) militibus, protectoribus, cunctis que rectoribus.

Quicumque sibi stipendia publice decreta consequitur, si amplius querit, tamquam calumpniator et concussor Iohannis sententia condempnatur.

C. VI. Pacata sunt bella, que geruntur, ut mali coherceantur et boni subleuentur.

Item eiusdem de diuersis ecclesiæ obseruationibus.

Apud ueros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, que non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur ut mali coherceantur, et boni subleuentur.

C. VII. Summa est laus miliciæ reipublicæ utilitatibus obedientiam exhibere.

Item Gregorius uniuersis militibus Neapolim. [lib. XII. epist. 24].

Summa laus miliciæ inter alia bona merita hec est, obedientiam reipublicæ utilitatibus exhibere, quicquid sibi utiliter inperatum fuerit obtemperare, sicut etiam nunc deuotionem uestram fecisse didicimus, que epistolis nostris, quibus magnificum uirum Constantium tribunum custodiæ ciuitatis deputauimus preesse, paruit, et congruam militaris deuotionis obedientiam demonstrauit.

Unde scriptis uos presentibus curauimus admonendos, uti predicto magnifico uiro tribuno, sicut et fecistis, omnem debeatis pro serenissimorum dominorum utilitate uel conseruanda ciuitate obedientiam exhibere, quatinus quicquid a uobis hactenus bene gestum agnoscitur per presentem temporis uigilantiam ac sollicitudinem augmentetis.

Gratian. Ex his omnibus colligitur, quod militare non est peccatum, et quod precepta pacienciæ in preparatione cordis, non ostentatione corporis seruanda sunt.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Quod autem queritur, quod sit bellum iustum Ysidorus Ethimologiæ libro XX. inquit:

C. I. Quid sit iustum bellum.

Iustum est bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hominum causa.

§. 1. Iudex dictus est, quia ius dictat populo, siue quod iure disceptet.

Iure autem disceptare est iuste iudicare.

Non enim est iudex, si non est iusticia in eo.

C. II Nichil interest ad iusticiam, siue aperte siue ex insidiis aliquis pugnet.

Item Augustinus in libro questionum. [VI., quest. 10].

Dominus Deus noster iubet ad Iesum Naue, ut constituat sibi retrorsum insidias, id est insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus.

Hinc admonemur, hoc non iniuste fieri ab his, qui iustum bellum gerunt, ut nichil iustus precipue cogitet in his rebus, nisi ut bellum suscipiat cui bellare fas est.

Non enim fas est omnibus.

Cum autem iustum bellum susceperit, utrum aperte pugnet, an ex insidiis, nichil ad iusticiam interest.

Iusta autem bella solent diffiniri, que ulciscuntur iniurias, sic gens et ciuitas, petenda est, que uel uindicare neglexerit quod a suis inprobe factum est, uel reddere quod per iniurias ablatum est.

Sed et hoc genus belli sine dubio iustum est, quod Deus inperat, qui, nouit quid cuique fieri debeat; in quo bello ductor exercitus uel ipse populus non tam auctor belli, quam minister iudicandus est.

Gratian. Cum ergo iustum bellum sit, quod ex edicto geritur, uel quo iniuriæ ulciscuntur, queritur, quomodo a filiis Israël iusta bella gerebantur.

De his ita scribit Augustinus in questionibus Numeri: [quest. 44. ad c. 20].

**C. III.** Innoxius transitus filiis Israël negabatur, atque ideo iusta bella gerebantur.

Notandum sane est, quemadmodum iusta bella gerebantur a filiis Israël contra Amorreos.

Innoxius enim transitus negabatur, qui iure humanæ societatis equissimo patere debebat.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Quod uero iniuria sociorum armis propulsanda non sit, exemplis et auctoritatibus probatur.

Dominus enim, cum ab Herode quereretur ad interficiendum, non patrociniū sibi quesiiuit armorum, cum occulto instinctu posset in eum conuertisse manus Iudeorum, sed fugiens in Egyptum latuit ibi per septennium.

Sic etiam, cum a Iudeis lapidibus peteretur, abscondit se, et exiuit de templo.

Sic etiam, cum duceretur ad crucem, noluit conuocare aduersus seniores Iudeorum turbam, que nuper ei obuiam processerat, et cum palmis et laudibus eum receperat.

Sic etiam interrogatus a Pilato, an rex esset, ait: “Regnum meum non est de hoc mundo.

Si enim esset de hoc mundo, ministri utique mei decertarent, ut ego non traderer Iudeis,” insinuans illos ad regnum huius mundi pertinere, qui auxilio humanarum uirium, non diuino presidio ab inminente iniuria se tueri contendunt.

Item, cum discipulis suis ait: “Si uos persecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliam,” non arma armis, sed fugam persequentibus docuit obponi.

§. 1. Item, sicut in Ysaia legitur, Egyptus a Nabuchodonosor deuastata est, quia filiis Israël contra Assyrios et Chaldeos protectionis et defensionis auxilium promisit.

Unde dictum est: “Baculus harundineus rex Egypti, super quem si aliquis innisus fuerit, confringetur, et perforabit manum innitentis”.

Ipsi etiam Iudei captiui ducti sunt, quia spem suæ liberationis non in solo Deo, sed etiam in homine posuerunt.



Sic etiam de primis credentibus legitur, quod rapinam suorum bonorum cum gaudio suscipiebant, non querentes sibi aliorum patrocina, sed gaudentes, quoniam digni inueniebantur pro nomine Iesu contumeliam pati.

Sic et Apostolus in prima epistola persuadet Chorinthiis, ut iniuriam et fraudem patienter ferant potius, quam repetendo fratres scandalizent.

Sic ab ydolatris et a qualibet esca censet abstinendum potius, quam cum scandalo fratrum edamus.

Sic et a sumptibus abstinere, ne aliquod offendiculum euangelio Christi prestaret.

Cum ergo ille, qui ab iniuria armis arcetur, non minus scandalizetur quam ille, a quo ablata coram iudice reposcuntur, patet, quod ad propulsandam iniuriam non sunt petenda armorum auxilia.

Quod autem petendum non est, illud iure prestari non debet.

§. 2. Sed multa rite prestantur, que tamen iure non petuntur.

Bonus enim non rite iniuriæ uindictam peteret quia malum pro malo redderet quam tamen iudex recte infligeret, nec nisi bonum pro malo redderet.

Unde Augustinus in expositione Psalmi CVIII. ait:

### C. I. Quot sint differentiæ retributionis.

Sex differentiæ sunt: reddere pro malis bona, non reddere mala pro malis; hec bonorum sunt, et prius melius.

Non reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis; hec duo malorum sunt, et posterius deterius.

Reddere pro bonis bona, et pro malis mala; hec duo mediocrius sunt: prius propinquum bonis, quod Christus non arguit, sed plus oportere dicit, quia et ethnici hoc faciunt; posterius propinquum malis, tamen conuenit et bonis.

Unde et lex modum ultionis statuit: "Oculum pro oculo".

Que, si dici potest, iniustorum iusticia est, non quia iniqua est ultio, quam lex statuit, sed quia uiciosa est libido ulciscendi, magis que ad iudicem hoc pertinet inter homines decernere, quam bonum hominem sibi expetere.

Hic enim malum pro malo redderet, iudex uero non, sed delectatione iustitiæ, iustum iniusto, quod est bonum pro malo, quod etiam Deus facit iudex.

Gratian. Item ab aliquo capto iniuste sua exiguntur, pro uita tamen redimenda iuste offeruntur.

Item uasa sacra ab aliquo barbaro exiguntur iniuste, pro redemptione tamen captiuorum iuste prestantur.

Sic etiam iniuriæ propulsatio, licet iniuste postuletur, tamen iuste prestatur, quamquam et ipsa postulatio non usquequaque iniusta probetur.

§. 1. Aliud est enim iniuriam propellere, ut sibi liceat uoluptuose uiuere, aliud, ut aliorum utilitati libere possit uacare.

Sic que aliud est suffragium ab homine tamquam a ministro iustitiæ postulare, ut mala uoluntas aduersantium eius ministerio careat effectu, et bonorum uoluntas eius suffragio sortiatur effectum; aliud spem suam a Deo in hominem transferre, ut aduersa, que inferuntur a Deo ad uitæ correctionem, humano pellantur auxilio nulla precedente correctione, sicut Israelitæ, qui captiuitatem sibi inminentem Egyptiorum suffragio se putabant posse euadere sine penitentiâ preteritæ uitæ, non reuocantes ad memoriam: "Da nobis auxilium de tribulatione, quia uana salus hominis".

Et item: "Hii in curribus, et hii in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus".

Petere ergo uel prestare in tribulatione subsidium, ut uoluptuose quis in crimine uiuat, dampnabile est.

Petere autem uel prestare solacium, ut malis facultas delinquendi adimatur, ut ecclesia pacem adipiscatur, ut aliquis multorum utilitati seruetur, utile est et honestum; dissimulare uero est grauissimum.

Hinc de Paulo legitur, quod, cum quidam Iudeorum iurassent, se non comesturos panem, nisi eum interficerent, petiit milites a pretore, quorum presidio illesus seruaretur ab iniuria Iudeorum, non suæ uoluptati, sed omnium utilitati uicturus.

Hinc in euangelio mercenarius uocatur qui uidet lupum uenientem, et dimittit oves, et fugit.

§. 2. Hinc etiam ecclesia auxilium ab inperatore ad sui defensionem petere monetur. Unde Augustinus ad Bonifatium ait: [epist. L].

**C. II. Ab inperatore ecclesia auxilium postulare debet.**

Maximianus episcopus Vagiensis auxilium petiuit ab inperatore Christiano contra hostes ecclesiæ, non tam sui ulciscendi causa, quam tuendæ ecclesiæ sibi creditæ.

Quod si pretermisisset, non eius fuisset laudanda paciencia, sed negligentia merito culpanda.

Neque enim apostolus Paulus uitæ suæ transitoria, sed ecclesiæ Dei consuluit, quando contra illos, qui eum occidere conspirauerant, consilium illorum ut tribuno proderetur effecit.

Unde factum est, ut eum ad locum, quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateret insidiis.

**C. III. Catholici aduersus hereticos a potestatibus ordinatis defensionem postulare possunt.**

Item Augustinus ad Emeritum. [epist. CLXIV].

Nostri aduersus illicitas et priuatas uestrorum uiolentias (quas et uos ibi, qui talia facitis, doletis et gemitis) a potestatibus ordinatis ultionem petunt, non quod hos persequantur, sed quia se defendant.

**C. IV. Quantum interest inter persecutionem hereticorum et catholicorum.**

Item eiusdem contra Petilianum. [I. II. c. 88].

Pro membris Christi aduersus uos seuiunt, et uobis resistunt, quicumque in ecclesia eo animo sunt, quo tunc Petrus fuit, cum ferrum pro Christi nomine strinxit.

Sed multum interest inter uestram persecutionem, et istorum.

Vos similes estis seruo sacerdotis, quia seruientes principibus uestris aduersus ecclesiam catholicam, id est aduersus corpus Christi, armamini.

Isti autem tales sunt, qualis Petrus tunc fuit, qui pro Christi corpore, id est pro ecclesia, etiam corporaliter pugnauit.

**C. V. Iusticia plenus est qui patriam bello tuetur a barbaris.**

Item Ambrosius libro I. de offitiis. [c. 27].

Fortitudo, que bello tuetur a barbaris patriam, uel domi defendit infirmos, uel a latronibus socios, plena iustitia est.

**C. VI. Prodest latroni uel piratæ qui membra eius debilitat.**

Item Ieronimus super Sophoniam. [ad c. 1].

Si quis fortitudinem latronis, uel piratæ eneruat et infirmos reddit, prodest illis sua infirmitas.

Debilitata enim membra, quibus prius non bene utebantur, a malo opere cessabunt.

**C. VII.** Qui a socio non repellit iniuriam similis est ei, qui facit.

Item Ambrosius libro I. de officiis. [c. 36].

Non in inferenda, sed in depellenda iniuria lex uirtutis est.

Qui enim non repellit a socio iniuriam, si potest, tam est in uicio quam ille, qui facit.

Unde S. Moyses hinc prius orsus est temptamenta inbecillæ fortitudinis.

Nam cum uidisset Hebreum ab Egyptio iniuriam accipientem, defendit ita, ut Egyptium prosterneret, atque in arena absconderet.

Salemon quoque ait: “Eripe eum, qui ducitur ad mortem”.

**C. VIII.** Malorum impietati fauet qui eis obuiare cessat.

Item Anastasius et Damasus.

Qui potest obuiare et perturbare peruersos, et non facit, nichil est aliud quam fauere impietati eorum.

Nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare.

**C. IX.** Qui diuina mandata contempnunt seueris coherceantur uindictis.

Item Calixtus. [epist. II. ad Episcopos Galliæ]

Iustum est, ut qui diuina contempnunt mandata et inobedientes paternis existunt iussionibus, seuerioribus corrigantur uindictis, quatinus ceteri talia committere timeant, et deus gaudeat fraterna concordia, et cuncti sumant seueritatis atque bonitatis exemplum.

Nam si (quod absit) ecclesiasticam sollicitudinem uigorem que negligimus, perdit desidia disciplinam, et animabus fidelium profecto nocebitur.

**C. X.** Inperatores cum episcoporum prouisione ecclesiæ defensionem aduersus diuitum potenciam debent suscipere.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 9].

Ab inperatoribus uniuersis iustum est postulandum propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur ecclesia, ut defensores eis aduersus potencias diuitum cum episcoporum prouisione delegentur.

Gratian. Ecce, quod nonnumquam est obuiandum peruersis, et iniuria sociorum armis est propulsanda, ut et malis adempta facultas delinquendi prosit, et bonis optata facultas libere consulendi ecclesiæ ministretur.

Hoc qui non facit, consentit.

Unde Augustinus ait in Psalmo LXXXI.:

**C. XI.** Non sunt immunes a scelere qui non liberant eos, quos possunt liberare a facto.

Ostendit Propheta nec illos immunes a scelere esse, qui permiserunt principibus Christum interficere, cum pro multitudine timerentur, et possent illos a facto, et se a consensu liberare.

Qui desinit obuiare, cum potest, consentit.

#### **QUESTIO IV.**

**GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem uindicta inferenda non sit, multis modis probatur.

Mali enim tollerandi sunt, non abiciendi; increpatione feriendi, non corporaliter expellendi.

Unde Augustinus ait in libro de uerbis Domini: [sermone XVIII].

**C. I. Quomodo mali sunt tollerandi, et quomodo ab eis sit recedendum.**

Tollerandi sunt quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur; sed spiritualiter exire est facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cuiusque, salua pace; displicere est non tangere.

Non enim prophetæ, qui hoc dicebant, populum suum dimiserunt, sed inter eos habitabant, quos increpabant, unum templum cum eis intrabant, eadem sacramenta celebrabant.

Hoc ergo est exire, ore non parcere, hoc est inmundum non tangere, uoluntate non consentire.

**C. II. Quod mali sint tollerandi a bonis.**

Idem.

Tu bonus tollera malum.

Nam et Christus Iudam, cum sciret furem esse, tollerauit et ad predicandum misit, ei que cum aliis eucharistiam dedit.

**C. III. Pro pace ecclesiæ mali sunt tollerandi.**

Idem super Iohannem. [tractatu L., ad c. 12].

Quid ergo uoluit Dominus noster Iesus Christus, fratres mei, ammonere ecclesiam suam, quando unum perditum inter duodecim habere uoluit, nisi ut malos tolleremus, ne corpus Christi diuidamus?

Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, et, ne contendas, fur et sacrilegus, non qualiscumque fur, sed loculorum dominicorum, sed sacrorum.

Sic crimina discernuntur in fure qualiscumque furti et peculatus (peculatus enim dicitur furtum de re publica, et non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ), quanto uehementius est iudicandus sacrilegus fur, non undecumque tollere hoc est, sed de ecclesia.

Qui aliquid de ecclesia furatur Iudæ proditori comparatur.

**C. IV. De eodem.**

Idem. [serm. XVIII. de uerbis Domini]

Ecce, inquiunt, dicit Propheta: "Recedite, exite inde, et inmundum ne tetigeritis".

Quomodo ergo malos tollerabimus pro pace, a quibus exire et recedere iubemur, ne tangamus inmundum?

Nos istam recessionem spiritualiter intelligimus: illi corporaliter.

Nam et ego clamo cum Propheta; equalia sumus uasa, utitur nobis Deus in dispensatione uestra.

Clamamus nos, et dicimus uobis, recedite et exite inde, et inmundum ne tetigeritis, sed contactu cordis, non corporis.

Quid est enim tangere immundum, nisi consentire peccatis?

Quid est autem exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro uniuscuiusque gradu atque persona, salua pace, fieri potest?

Et paulo post:

§. 1. Ergo, fratres mei, quotquot habetis inter uos, qui adhuc amore seculi pregrauantur, auaros, periuros, adulteros, spectatores nugarum, consultores mathematicorum, phanaticorum, augurum, aruspicum, ebriosos, luxuriosos, quicquid inter uos malorum esse nostis, quantum potestis, improbate, ut corde recedatis, et redarguite, ut exeatis inde, et nolite consentire, ut immundum non tangatis.

**C. V.** Pacificus est qui corrigit quod potest, uel excludit a se quod non potest.

Idem in secundo libro contra Parmenianum, c. 1.

Quisquis uel quod potest arguendo corrigit, uel quod corrigere non potest saluo pacis uinculo excludit, uel quod saluo pacis uinculo excludere non potest equitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, et ab isto maledicto, quo scriptura dicit: “Væ his, qui dicunt quod nequam est bonum, et quod bonum est nequam,” omnino liber, prorsus securus, penitus est alienus.

§. 1. Quomodo, inquit Parmenianus, incorruptus poteris permanere, qui corruptis sociaris?

**C. VI.** Quid sit malis sociari.

Idem. [in eodem capite continuo]

Ita plane, sociatur, id est si mali aliquid cum eis committit, aut committentibus fauet.

Si autem neutrum facit, nullo modo sociatur.

Porro, si addat tertium, ut non sit in uindicando piger, sed uel corripiat iustus in misericordia et arguat, uel etiam, si eam personam gerit, et ratio conseruandæ pacis admittit, et coram omnibus peccantes arguat, ut ceteri timeant, remoueatur etiam uel ab aliquo gradu honoris, uel ab ipsa comunione sacramentorum, et hec omnia cum dilectione corrigendi, non cum odio persequendi faciat, plenissimum offitium non solum castissimæ innocentiae, sed etiam diligentissimæ seueritatis impleuit.

Ubi autem cetera impediuntur, illa duo semper retenta incorruptum castum que custodiunt, ut nec faciat malum, nec approbet factum.

**C. VII.** Aliena peccata in ecclesia alicui non preiudicant.

Idem in epistola Concilii ad Donatistas.

Si quis a catholica ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se uiuere existimet, hoc solo scelere, quod a Christianitate disiunctus est, non habebit uitam, sed ira Dei manet super eum.

Quisquis autem in hac sancta ecclesia bene uixerit, nichil ei preiudicant aliena peccata; quia in ea unusquisque proprium onus portabit, sicut Apostolus ait.

§. 1. Ergo comunio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensio factorum.

Nam si in malis factis non eis quisque consentiat, malus causam suam portat, nec preiudicat alteri, quem in consensione mali operis non habet socium criminis.

**C. VIII.** Non te maculat malus, si ei non consentis, sed ipsum redarguis.

Idem in sermone [XVIII]. de uerbis Euangelii.

A malis disiungimini semper corde: ad tempus caute corpore copulamini.

§. 6. Duobus modis non te maculat malus: si non consentias, et si redarguas.  
Hoc est non communicare, non consentire; communicatur quippe, quando facto eius consortium uoluntatis uel approbationis adiungitur.

§. 2. Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultantes arguatis.

C. IX. Inmundum tangere est peccatis consentire.

Item in eodem.

Recedite, exite inde, et inmundum ne tetigeritis.

Sed contactu cordis, non corporis.

Quid enim est tangere inmundum, nisi consentire peccatis?

Quid est exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem illorum, quantum pro uniuscuiusque gradu atque persona, salua pace, fieri potest?

Displicuit tibi quod quisque peccauerit? non tetigisti inmundum.

Redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exigat, congruam, et que unitatem non uiolet disciplinam?

existi inde.

§. 1. Clamauit Moyses ista, clamauit Ysaias, clamauit Hieremias, clamauit Ezechiel.

Videamus, si dimiserunt populum Dei, et se ad gentes alias transtulerunt.

Quam multa, et quam uehementer Hieremias increpauit in peccatores et sceleratos populi?

Inter eos tamen erat, unum cum eis templum intrabat, eadem sacramenta celebrabat, in eadem sceleratorum hominum congregatione uiuebat; sed clamando exibat inde.

Hoc est exire inde, hoc est inmundum non tangere, et uoluntate non consentire, et ore non parcere.

C. X. Non maculant innocentes facta nocentium, que ab eis credi non possunt.

Idem in epistola [XLVIII]. ad Vincentium.

Quam magnum est crimen ab istorum innocentium communione separari?

Nam et facta nocentium, que innocentibus demonstrari, uel ab innocentibus credi non possunt, non inquinant quemquam, si propter innocentes etiam cognita sustinentur.

Non enim propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tollerandi sunt, sicut tollerauerunt Prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant; sicut ipse Dominus nocentem Iudam usque ad condignum eius exitum tollerauit, et eum sacramentum cum innocentibus communicare permisit, sicut tollerauerunt Apostoli eos, qui per inuidiam (que ipsius diaboli est uicium) Christum annunciabant.

C. XI. Mali, quos ecclesia recipit, nec expellit, a bonis sunt tollerandi.

Idem in libro I. de unico baptismo.

Forte in populo Dei stat iuxta te auarus, raptor, inhians rebus alienis, quem nosti talem, et fidelis est, uel potius fidelis uocatur.

Non eum potes de ecclesia pellere, non habes aliquem aditum castigando et corripiendo illum corrigere, accessurus est te cum ad altare.

Noli timere: unusquisque onus suum portabit.

Item:

§. 1. Quomodo (inquis) ferrem quem noui malum?  
nonne melius ipsum ferres, quam te foras efferres?

Ecce, quomodo ferres: adtende Apostolum dicentem: “Unusquisque proprium onus portabit”.

Liberet te ista sententia.

Non enim communicares cum illo auariciam, sed communicares cum illo Christi mensam.

Et quid tibi obsesset, si cum illo communicares mensam Christi?

Apostolus dicit: “Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit:” sibi, non tibi.

Sane si iudex es, si iudicandi potestatem accepisti, ecclesiastica regula, si apud te accusatur, si ueris documentis testibus que conuincitur, coherce, corripe, excommunica, degrada.

Gratian. Est et alia distinctio tollerandorum et cauendorum, quam ex uerbis Augustini licet colligere, dicentis: [serm. XLIX. de uerbis Domini]

**C. XII. Pastor est diligendus, mercenarius tollerandus, latro cauendus.**

Tres personas dixit Dominus (et debemus illas inuestigare) in euangelio, pastoris, et mercenarii, et furis.

Pastorem dixit animam suam ponere pro ouibus, et intrare per ianuam.

Furem dixit et latronem ascendere per aliam partem.

Mercenarium dixit, lupum uel etiam furem si uideat, fugere, quia non est illi cura de ouibus: mercenarius autem est, non pastor.

Ille intrat per ianuam, qui pastor est; ille ascendit per aliam partem, qui fur est; ille uidens eos, qui uolunt oues tollere, timet et fugit, quia mercenarius est, nec illi cura est de ouibus, mercenarius est enim.

Si inuenerimus tres istas personas, inuenit sanctitas uestra quos diligatis, quos tolleretis, quos caueatis.

Diligendus est pastor, tollerandus est mercenarius, cauendus est latro.

Gratian. Ecce, quod mali tollerandi sunt, nec corporali, sed spirituali uindicta sunt puniendi.

Unde, cum discipuli non recepti a Samaritanis ignem celitus super eos deducere uoluerunt, dicentes magistro: “Vis dicimus descendat ignis de celo, et consumat eos?” audierunt: “Nescitis, cuius spiritus estis?” Item: “Omnis, qui gladium acceperit, gladio peribit”.

**C. XIII. Spiritualis carnalem non persequitur, sed e conuerso.**

Hinc etiam Ieronimus ait. [in comment. ep. ad Gal. c. 4].

Qui secundum carnem natus est, persequebatur spiritualem: numquam uero spiritualis carnalem persequitur, sed ignoscit ei, quasi rusticano fratri.

Scit, eum proficere posse per tempus, et si quando Egyptiæ filium uiderit irascentem, recordabitur unius patris, qui boues creauit, et culicem, et in magna domo non solum esse uasa aurea et argentea, sed lignea et fictilia uoluit.

**C. XIV. Boni a malis numquam in hac uita penitus possunt separari.**

Item Augustinus in libro [IV]. de baptismo. [c. 12].

Quantus arrogantiae tumor est, quanta humilitatis et lenitatis obliuio et arrogantiae quanta iactatio, ut quis se posse credat facere, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania uidelicet a frumento putet se posse discernere?

C. XV. Presens ecclesia simul recipit bonos et malos.

Item Gregorius. [homilia XXXVIII. Euang.].

Hec autem uita, que inter celum et infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium ciues communiter recipit: quos tamen sancta ecclesia et indiscrete suscipit, et postmodum in egressione discernet.

Si igitur boni estis, quamdiu in hac uita subsistitis, equanimiter tollerate malos.

Nam quisquis malos non tollerat, ipse sibi per intollerantiam testis est, quia bonus non est.

Abel enim esse rennuit, quem Cain malicia non exercet.

## II. Pars.

Gratian. Ex his omnibus colligitur, quod malorum uindicta Deo reseruanda est, nec sunt corporaliter puniendi, sed crebra ammonitione, et karitatis beneficio ad correctionem inuitandi.

Unde Christus ait in euangelio: “Audistis: quia dictum est in lege,” (quem modum ulcionis lex statuit) “Oculum pro oculo, dentem pro dente”.

Ego autem hanc uicissitudinem tollens, et ad mansuetudinem et karitatis perfectionem uos inuitans, dico uobis: “Nolite resistere malo, sed diligite inimicos uestros, benefacite his, qui oderunt uos, ut sitis filii patris uestri, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos”.

Hinc Paulus ait: “Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi”.

Omnis autem iniquus bonorum est inimicus; omnis enim amicus huius seculi inimicus est Dei.

Inimicus autem Dei bonitatis et iusticiæ est inimicus, ac per hoc amatorem iusticiæ et bonitatis diligere non potest.

Cum ergo inimicos diligere, uel illis benefacere, cibum et potum subministrare iubemur: inimicos persequi et punire prohibemur.

§. 1. In lege enim ueteris testamenti corporalis pena statuta est: in lege uero euangelii omni peccanti per penitentiam uenia promittitur.

Unde illa a terrore incepit, dicens: “Ego sum Dominus Deus zelotes, uisitans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem”.

Hec uero a lenitate mansuetudinis et misericordiæ, ita inquit: “Beati pauperes spiritu, beati mites, beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur”.

In illa dicebatur: “Qui fecerit hoc uel illud, morte moriatur”.

In ista dicitur: “Gaudeo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia”.

Item: “Non ueni uocare iustos, sed peccatores”.

Item: “Estote misericordes, sicut et pater uester misericors est”.

Inicium quoque predicationis saluatoris nostri, et preconis eiusdem, ad penitentiam peccatores inuitauit.

Sic enim uterque exorsus est: “Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum”.

Sic et in Actibus Apostolorum, cum Iudei, conpuncti de scelere mortis Christi, dicerent Petro: “Quid faciemus, uiri fratres?”

legitur Petrus his respondisse: “Penitentiam agite, et baptizetur unusquisque uestrum”.

Et, ut uniuersaliter dicatur, in lege populus ille rudis seruili timore penarum cogebatur: unde et legem in pedagogum accepit.



In euangelio autem populus gratiæ liber et adultus filiali amore, et hereditatis certitudine ad cultum diuinæ seruitutis inuitatur.

Unde, cum quidam legem, quasi cohercentem, predicarent esse tenendam simul cum gratia, ait Apostolus: “Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater”.

§. 2. Hinc etiam Gregorius ait in expositione euangelii: “Simile factum est regnum celorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo”.

**C. XVI.** In lege cuique permittebatur diligere amicum, et odire inimicum.

Cum in lege scriptum sit: “Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum,” accepta tunc licentia iustis fuerat, ut Dei suos que aduersarios, quanta possent uirtute, comprimerent, eos que iure gladii ferirent.

Quod in nouo proculdubio testamento conpescitur, cum per semetipsam ueritas predicat, dicens: “Diligite inimicos uestros, benefacite his, qui oderunt uos”.

Quid ergo per tauros, nisi ueteris testamenti patres signantur?

Nam dum ex permissione legis acceperant, quatinus aduersarios suos odii retributione percuterent (ut ita dicam), quid aliud quam tauri erant, qui inimicos suos cornu corporeæ uirtutis feriebant?

Quid uero per altilia, nisi patres noui testamenti figurantur?

qui dum gratiam internæ pinguedinis percipiunt, a terrenis desideriis innitentes, contemperationis penna ad sublimia quasi se subleuant.

Gratian. His ita respondetur: Sunt quedam, que salubri tantum ammonitione sunt corripienda, non corporalibus flagellis sunt animaduertenda; sed eorum uindicta diuino examini tantum est reseruanda, quando in delinquentes disciplinam uidelicet exercere non possumus, uel quia non sunt nostri iuris, uel quia illorum crimina, etsi nobis nota sunt, tamen manifestis iudiciis probari non possunt.

§. 1. De his, qui non sunt nostri iuris, ait Apostolus in epistola prima ad Chorinthios: “Quid enim michi attinet de his, qui foris sunt, iudicare? de his enim Dominus iudicabit”.

Quod Augustinus exponens ait:

**C. XVII.** Infidelium colloquia et conuiuia non sunt euitanda.

Infideles non possumus Christo lucrari, si colloquium eorum uitamus et conuiuium.

Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus manducauit et bibit.

In his uero, qui intus sunt, id est infidelibus, putredo resecanda est.

Gratian. Hinc etiam, cum Propheta dicit: “Facit Dominus iudicium omnibus iniuriam patientibus,” exponendo addidit Augustinus: “ab his, qui non sunt sui iuris, in quos nequit disciplina exerceri”.

§. 1. Item, quando multitudo est in scelere, nec salua pace ecclesiæ mala puniri possunt, tolleranda sunt potius, quam uiolata pace ecclesiæ punienda.

Unde Augustinus ait: [in libro de fide et operibus, c. 4. et 5].

**C. XVIII.** Quedam mala sunt punienda, et quedam tolleranda.

Quidam, cum bonorum malorum que commixtionem in ecclesia demonstratam uel predictam esse perspexerint, et precepta pacienciæ didicerint, (que nos firmissimos reddunt, ut etiamsi uiderentur in ecclesia zizania, tamen non impediatur aut fides, aut karitas nostra, et quoniam zizania in ecclesia esse cernimus, non ideo ipsi de ecclesia recedamus) destituendam putant ecclesiæ disciplinam, quandam peruersissimam

securitatem prepositis tribuentes, ut ad eos non pertineat, nisi dicere quid cauendum sit, quid ue faciendum sit; quodlibet autem quisque faciat non curare.

Nos uero ad sanam doctrinam pertinere arbitramur utrisque testimoniis uitam sententiam que moderare, ut et canes in ecclesia propter pacem ecclesiæ tolleremus, et canibus sanctum, ubi est pax ecclesiæ tuta, non demus.

Cum uero per negligentiam prepositorum, siue per aliquam excusabilem necessitatem, siue per occultas obreptiones inuenimus in ecclesia malos, quos ecclesiastica disciplina corrigere aut coercere non possumus, tunc, ne ascendat in cor nostrum inopia et perniciosa presumptio, qua estimemus nos ab his esse separandos, ut peccatis eorum non inquinemur, atque ita post nos trahere conemur, ueluti mundos sanctos que discipulos ab unitatis conpage quasi a malorum coniunctione separatos, ueniant in mentem illæ de scripturis similitudines, et diuina oracula, uel certissima exempla, quibus demonstratum et pronunciatum est, malos in ecclesia bonis permixtos usque in finem seculi tempus que iudicii futuri, malos tollerandos nichil que bonis in unitate ac participatione sacramentorum, qui eorum factis non consenserint, obfuturos.

§. 1. Cum uero eis, per quos ecclesia regitur, adest pace salua potestas disciplinæ aduersus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rursus, neque socordia neque segnitia dormiamus, sed aculeis preceptorum, que ad seueritatem coercionis pertinent, excitandi sumus, ut gressus nostros in uia Domini ex utrisque testimoniis illo duce atque adiutore dirigentes, nec pacienciæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentia seuiamus.

**C. XIX.** Leuius occulta, seuerius autem ab ecclesia punienda sunt delicta manifesta.

Idem contra epistolam Parmeniani. [lib. III. c. 2].

Cum quisque fratrum et Christianorum, intus in ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum scismatis nullum est.

Infra:

§. 1. Quando cuiusquam crimen notum est, et omnibus execrabile apparet, ut uel nullos prorsus, uel non tales habeat defensores, per quos possit scisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ.

### III. Pars.

Gratian. Est etiam alia causa, qua correctio uerborum uel uerberum uidetur esse inutilis uel superflua.

Predestinati enim ad uitam sine correctione mutantur, sicut Petrus, quem Dominus respiciens nemine corripiente conuoluit ad lacrimas.

Presciti ad mortem inter flagella deteriores fiunt, sicut Pharao.

Bonis ergo superflua, dampnandis inueniuntur hec esse inutilia.

His ita respondetur auctoritate Gregorii et Augustini:

**C. XX.** Sicut ab oratione cessandum non est, sic nec a correctione.

Sicut non est cessandum ab oratione pro eis, quos corrigi uolumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro Dominus respexit eum, et fecit eum suum flere peccatum: ita non est negligenda correctio, quamuis Deus, quos uoluerit, non correctos faciat esse correctos.

Tunc autem ex correctione proficit homo, cum miseretur atque adiuuat qui facit, quos uoluerit, etiam sine correctione proficere.

Item in Dialogo: [lib. I. c. 8].

**C. XXI.** Soli predestinati saluantur, quod tamen postulando suo labore merentur.

Obtineri nequaquam possunt que predestinata non fuerint.

Sed ea, que sancti uiri orando efficiunt, ita predestinata sunt, ut precibus obtineantur.

Nam ipsa quoque perhennis regni predestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perueniant, quatinus postulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.

[[**C. XXII**].

Item Augustinus. [in libro de predestinatione et gratia, c. 15].

Nabuchodonosor penitentiam meruit fructuosam.

Nonne post innumeras impietates flagellatus penituit, et regnum, quod perdiderat, rursus accepit?

Pharao autem ipsis est flagellis durior effectus et periit?

Hic michi rationem reddat qui diuinum consilium nimium altum sapienti corde diiudicat, cur medicamentum unius medici confectum alii ad interitum, alii ualuerit ad salutem, nisi quia Christi bonus odor aliis est odor uitæ in uitam, aliis est odor mortis in mortem?

Quantum ad naturam, ambo homines erant.

Quantum ad dignitatem, ambo reges.

Quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidebant.

Quantum ad penam, ambo flagellis clementer ammoniti.

Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod unus Dei manum sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam ueritatem pugnavit arbitrio?

[[**C. XXIII**]. Idem.

Vasis iræ numquam Deus redderet interitum, si non spontaneum homo inueniretur habere peccatum, quia nec Deus peccanti homini iuste inferret iram, si homo ex predestinatione Dei cecidisset in culpam.

Idem:

§. 1. Predestinationem Dei siue ad bonum siue ad malum in omnibus operari ineptissime dicitur, ut ad utrumque homines quedam necessitas uideatur impellere, cum in bonis uoluntas sit intelligenda non sine gratia, in malis autem uoluntas intelligenda sine gratia.

§. 2. Cum uero aliquos a Deo aut traditos desideriiis suis, aut obduratos legimus aut relictos, magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profiteamur, quo quia talia eorum crimina precesserunt, ut ipsi sibi penam debuerint, qua eis etiam supplicium uerteretur in reatum.

Atque ita nec de iudicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri, et misericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari.

§. 3. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtrahit, quia eum non predestinauit, sed ideo eum non predestinauit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse preuidit.

§. 4. Predestinatio quoque Dei semper in bono est, que peccatum sola hominis uoluntate commissum aut remittendum nouit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iusticiæ.

In malis autem operibus nostris sola prescientia Dei intelligenda est, quia, sicut presciuit et predestinauit que ipse fecit, et ut faceremus dedit, ita presciuit tantum, non etiam predestinauit, que nec ipse fecit, nec ut faceremus exegit.

§. 5. Hi autem, de quibus dicitur: “Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis.

Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobis cum,” uoluntate exierunt, uoluntate ceciderunt, et quia presciti sunt casuri, non sunt predestinati; essent autem predestinati, si essent reuersuri, et in sanctitate ac ueritate mansuri.

Ac per hoc predestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi.

Gratian. Non ergo necessitatem facit correctionis uel obdurationis diuina predestinatio seu prescientia, cum boni per gratiam corrigantur, et libero arbitrio mali pereant.

Neque enim, quia predestinatio seu prescientia Dei non falli potest, necessario eueniunt que predestinantur uel presciuntur, sicut nec necessario predestinantur uel presciuntur que futura sunt: sed quia bona absque eius gratia, mala preter eius scientiam euenire non possunt.

§. 1. Quamuis ergo conuenienter dicatur, si hec predestinata sunt uel prescita, necessario euenient: non tamen ideo absolute uerum est, necessario euenient que predestinata sunt uel prescita; quia hic necessitas refertur ad rerum euentum, ibi ad intuitum diuinæ prescientiæ.

Unde Augustinus: “Duæ sunt,” inquit, “necessitates, simplex una, ueluti, necesse est omnes homines esse mortales: altera conditionis, ut, si aliquem ambulare quis scit, eum ambulare necesse est.

Quod enim quisque nouit, id esse aliter, ac notum est, nequit.

Sed hec minime se cum illam simplicem trahit.

Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed condicionis adiectio.

Nulla enim necessitas cogit incedere gradientem uoluntate, quamuis eum tunc, cum gradiatur, incedere necessarium sit.

Eodem igitur modo, si quid prouidentia presens uidet, id necesse est esse, tametsi nullam naturæ habeat necessitatem.

At quidem ea futura, que ex libertate arbitrii proueniunt, prescientia contuetur.

Hec igitur, ad intuitum relata diuinum, necessaria fiunt per dispositionem diuinæ nocionis.

Per se uero considerata absolutam naturæ suæ libertatem non deserunt.

Fient igitur proculdubio cuncta, que futura Deus esse prenoscit; sed eorum quedam de libero proficiscuntur arbitrio, que, quamuis eueniant, existendo tamen naturam propriam non amittunt, qua prius, quam fierent, etiam non euenire potuissent”.

§. 2. His omnibus mala nostra libero asscribuntur arbitrio, cum alibi diuinæ asscribantur indignationi.

Unde Gregorius: “Cum superna indignatio sese, ut ita dixerim, medullitus mouet, hanc opinio humana non remouet, nec se cuiuslibet utiliter deprecatio obicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit.

Hinc est enim, quod Moyses, qui reatum totius plebis apud Dominum suis precibus tersit, dum que se obicem obtulit, diuinæ iracundiæ uim placauit, ad petram Oreb ueniens, et pro aquæ exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi Domino irascente non potuit”.

§. 3. Item Augustinus: “De Tyriis uero et Sydoniis quid aliud possumus dicere, quam non datum esse eis ut crederent, quos credituros fuisse ipsa ueritas docet, si talia qualia apud non credentes facta sunt, uirtutum signa uidissent?”

Quare autem hoc negatum eis fuerit, dicant, si possunt, qui calumpniantur, et ostendant, cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit, et apud eos, quibus erant profutura, non fecerit.

Nos etenim, si ratione facti profunditatem iudicii eius penetrare non possumus, manifestissime tamen scimus, et uerum esse quod dixit, et iustum esse quod fecit, et non solum Tyrios et Sydonios, sed etiam Corozaim et Bethsaida potuisse conuerti, et fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus uoluisset operari.

Neque enim ulli falsum uideri potest, quod ueritas ait: ‘Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo’.

Item qui per Prophetam plebi Iudaicæ promisit: ‘Ecce, ego sepiam uias tuas spinis, et muniam eas lapidibus quadris,’ id est adimam tibi facultatem peccandi.

Idem per Psalmistam de dampnandis dixerat: ‘Fiant uiæ eorum tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eos’.

Sed in his omnibus uicia nostra humanæ asscribuntur mentis arbitrio, quod diuina clementia in electis misericorditer uertit ad bonum, in dampnandis iuste relinquit ad malum.

Sicut ergo, quamuis certissime sciamus, neminem ultra terminum a Deo sibi prefixum esse uicturum, omnibus tamen languentibus non incongrue medemur: sic, quamuis nemo saluetur, nisi predestinatus ad uitam, omni tamen delinquenti est adhibenda correctio. nec malorum est negligenda disciplina”.

Unde idem Augustinus Bonifatio:

C. XXIV. Non semper in eos, qui peccant, uindicta exercenda est.

Ipsa pietas, ueritas, karitas, nos non permittit contra Cecilianum eorum hominum accipere testimonium, quos in ecclesia non uidemus, cui Dominus perhibet testimonium.

Quos enim diuina testimonia non secuntur, pondus humani testimonii perdiderunt.

Item:

§. 1. Molestus est medicus furenti frenetico, et pater indisciplinato filio: ille ligando, ille cedendo, sed ambo diligendo.

Si autem illos negligant, et perire permittant, ista potius falsa mansuetudo est crudelitas.

Item:

§. 2. Quapropter si potestate, quam propter religionem ac fidem, tempore quo debuit, diuino munere accepit ecclesia, hii, qui inueniuntur in uitiis et sepius, id est in heresibus et scismatibus coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, sed quo coguntur attendant.

Conuiuium Domini est unitas corporis Christi non solum in sacramento altaris, sed etiam in uinculo pacis.

In eodem:

§. 3. Theodosius inperator legem generaliter in omnes hereticos promulgauit, ut quisquis eorum episcopus uel clericus uilibet esset inuentus, decem libris auri mulctaretur.

Item:

§. 4. Si duo aliqui in una domo simul habitarent, quam certissime sciremur ruituram, nobis que id prenunciantibus nollent credere, atque in ea manere persisterent, si eos inde

possemus eruere uel inuitos, quibus inminentem illam ruinam predemonstrauimus, ut ulterius redire sub eius periculum non auderent, puto, nisi faceremus, non inmerito crudeles iudicaremur.

Porro, si illorum unus nobis diceret, quando intraueritis eruere nos, me ipsum continuo trucidabo; alter autem nec exire quidem inde, nec erui uellet, sed neque necare se auderet; quid eligeremus, utrum ambos ruinæ obprimendos relinquere, an, uno saltim per nostram operam liberato, alterum non nostra culpa, sed sua potius interire?

Nemo est tam infelix, qui non quid fieri in talibus rebus oporteat facillime iudicet.

Item post pauca:

§. 5. Quod si plurimi essent in domo ruitura, et inde saltim unus liberari posset, atque, id cum facere conarer, alii semetipsos precipitio necarent, dolorem de ceteris, uerum de unius saltim salute consolaremur; non tamen, ne se ipsos alii perderent, perire uniuersos nullo liberato permetteremus.

Quid igitur de opere misericordiæ, quod pro uita eterna adipiscenda et pena eterna uitanda hominibus deberemus impendere, iudicandum est, si pro salute ista non solum temporali, sed etiam breui et ad tempus exiguum liberanda sic nos subuenire hominibus ratio uera et benigna compellit?

Item:

§. 6. Si (inquiunt Donatistæ) oportet, ut nos extra ecclesiam et aduersus ecclesiam fuisse peniteat, ut salui esse possimus, quomodo post istam penitentiam apud uos clerici uel etiam episcopi permanemus?

Hoc non fieret, quoniam reuera (quod fatendum est) fieri non deberet, nisi pauci ipsa compensatione sanarentur.

Sed sibi hoc dicant, et multo maxime doleant humiliter, qui in tanta morte precisionis iacent, ut isto quodam uulnere matris catholicæ reuiuiscant.

Cum enim precisus ramus inseritur, fit aliud uulnus in arbore, quo possit recipi, ut uiuat, qui sine uita radicis peribat; sed cum receptus recipienti coaluerit, et uigor consequitur et fructus; si autem non coaluerit, ille quidem arescet, sed uita arboris permanebit.

Est enim et tale inserendi genus, ut nullo preciso ramo, qui intus est, ille, qui foris est, inseratur; non tamen nullo, sed uel leuissimo uulnere arboris.

Ita ergo et isti, cum ad radicem catholicam ueniunt, nec eis, postquam uix erroris sui penitet honor clericatus aut episcopatus aufertur, si quidem fit aliquid tamquam in cortice arboris matris contra integritatem seueritatis; uerumtamen, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordiam precibus fuis, coalescente pace ramorum suorum, karitas cooperuit multitudinem peccatorum.

Et paulo post:

§. 7. Verum in huiusmodi causis, ubi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, ut maioribus malis sanandis sincera karitas subueniat.

Habeant ergo de preterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendacii timore, amarum dolorem, et ueniant ad ecclesiam Christi ueram, id est catholicam matrem: sint in illa clerici, sint episcopi utiliter, qui contra eam fuerunt hostiliter.

Non inuidemus, imo amplectimur, hortamur, optamus, et quos in uis aut sepibus inuenimus, intrare cogimus, et sic nondum quibusdam persuademus, quia non res eorum, sed ipsos querimus?

C. XXV. Medicinali seueritate mali coguntur ad bonum.  
Idem Fausto. [epist. CLXVII].

Quid faciet ecclesiae medicina, salutem omnium materna karitate conquiens, tamquam inter freneticos et lethargicos estuans?

Numquid contempnere, numquid desistere uel debet, uel potest?

Utrisque si necesse est sit molesta, que neutris est inimica.

Nam et frenetici nolunt ligari, et lethargici nolunt excitari, sed perseuerat diligentia karitatis freneticum ligare, lethargicum stimulare, ambos amare.

Ambo offenduntur, sed ambo diliguntur.

Ambo molestari, quamdiu egri sunt, indignantur, sed ambo sanati gratulantur.

In eodem:

§. 1. Catholici esse non incipiunt, nisi heretici destiterint esse.

Neque enim sacramenta eorum inimica sunt nobis, que in illis nobis communia sunt, quia non humana sunt, sed diuina.

Proprius error eorum est auferendus, quem male inierunt, non sacramenta, que similiter acceperunt, que ad penam suam portant et habent, quanto indignius habent, sed tamen habent.

#### IV. Pars.

Gratian. Ecce, quod crimina sunt punienda, quando salua pace ecclesiae feriri possunt; in quo tamen discretio adhibenda est.

Aliquando enim delinquentium multitudo diu per patientiam ad penitentiam est expectanda: aliquando in paucis est punienda, ut eorum exemplo ceteri terreantur, et ad penitentiam prouocentur.

Hinc, cum discipuli celesti igne Samaritanos uellent consumere, prohibiti sunt, et Samaritani ad penitentiam sunt expectati, ut Christo predicante conuerterentur ad fidem. Unde Ambrosius ait: [lib. VII. commentariorum ad c. 9. Lucae u. 54].

C. XXVI. Non semper est in eos, qui peccant, uindicta exercenda.

Quod Christus discipulos increpauit, quia ignem descendere super eos gestiebant, qui ipsum non receperant, ostenditur nobis, non semper in eos, qui peccant, uindicandum, quia nonnumquam amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, quam lapso ad correctionem.

Denique Samaritani citius crediderunt, a quibus hoc loco ignis arcetur; nec discipuli peccant, qui legem secuntur.

Sciebant enim et Finees reputatum ad iusticiam, quod sacrilegos interemerat, et ad preces Helyae ignem descendisse de celo.

Gratian. Potest in hac prohibitione Apostolorum aliud intelligi.

Apostoli non zelo iusticiae, sed amaritudinis odio ob iniuriam suae expulsionis uindicandam Samaritanos igne uoluerunt consumere; Dominus autem uolens eos iniuriam propriae personae cum patientia et gaudio tollerare, iniuriam uero seruitutis diuinae non inultam relinquere, ait: “Nescitis, cuius spiritus estis?”

Hinc etiam Petrus, qui, cum aliis audierat: “Beati eritis, cum maledixerint uobis homines, et dixerint omne malum aduersum uos; gaudete in illa die, et exultate, quoniam merces uestra copiosa est in celis,” contumelias sibi illatas cum gaudio suscipiebat; peccata uero, que in Deum committebantur, acerrime puniebat.

Unde Ananiam et Saphiram Spiritui sancto mentientes mortis sententia perculit.

Sic etiam Paulus, dum a suo contemptu pia ammonitione et multimoda commendatione sui Chorinthios reuocaret, magum illum Elymam qui credituros a fide retrahebat,

cecitate percussit, ut ceteri perterriti predicationem eius non inpedirent, sed in Christum credentes animæ cecitatem effugerent.

Et Chorinthium illum fornicatorem, quia in Deum peccauerat, sathanæ ad uexandum tradidit.

Hinc etiam Gregorius scribit Ianuario Episcopo, reprehendens eum, quod ob iniuriam propriæ personæ quendam excommunicauerat, dicens: [I. II. Indict. 10. epist. 34].

**C. XXVII.** Pro iniuria propria episcopo aliquem excommunicare non licet.

Inter querelas multiplices Ysidorus uir clarissimus a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatum que conquestus est.

Quod quam ob rem factum fuerit, dum a clerico tuo, qui presens erat, uoluissimus addiscere, pro nulla alia causa, nisi pro eo, quod te iniuriauerat, factum innotuit.

Que res nos uehementer afflixit, quia, si ita est, nichil te cogitare de celestibus ostendis, sed terrenam te habere conuersationem significas, dum pro uindicta propriæ iniuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis inuexisti.

Unde de cetero omnino esto circumspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione tuæ iniuriæ inferre denuo non presumas.

Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea esse uindicandum.

Gratian. Hinc idem in omeliis, ostendens, quod peccata, que in Deum uel in proximum committuntur, a nobis punienda sunt, ea uero, quibus in nos delinquitur, patienter tolleranda, uel potius dissimulanda sunt ait:

**C. XXVIII.** Valde offendit qui dominica debita inpune dimittit.

Si is, qui prelatus est, debitori dominico culpas inpune dimittit, non mediocriter profecto offendit, qui debita celestis regis et Domini sua presumptione resoluit.

Ea namque, que in nobis committuntur, facile possumus dimittere; ea uero, que in Deum commissa sunt, cum magna discretione, nec tamen sine penitencia possumus relaxare.

## **V. Pars.**

Gratian. Semel uero culpa remissa reciduo dolore iterum ad animum reuocari non debet.

Unde Gelasius Gerontio, Iohanni, Germano et Petro Episcopis:

**C. XXIX.** Iniuria, cui semel remittitur, iterum reuocari non debet.

Si illic, ubi hec acta sunt, presentibus utrisque constiterit, et satisfecisse Stephanum, et supplicatione suscepta eum, qui male tractatus est, ignouisse, semel in abolitione missa punitio reciduo dolore non debet iterari, diuinæ scilicet imitatione clementiæ, que dimissa peccata in ulcionem redire non patitur.

Sin uero nichil uel de satisfactione probabitur, uel de remissione transactum dilectionis uestræ sermone monstretur, quatinus, siue nunc saltim poterit competens satisfactio prouenire, illud potius exerceatur, ubi animum sanare possit afflictus, siue irremissibilis prestat acerbitas, ibidem nichilominus uindicetur, ubi plectibilis est orta presumptio.

## **VI. Pars.**

Gratian. Sed obicitur illud Ambrosii: “Ad preces Helyæ ignis descendit de celo, ut Prophetæ uindicaretur iniuria”.



Quod tunc intelligitur factum, quando Achab rex Israël post sterilitatem illam trium annorum et sex mensium, que facta est, quando precibus Helyæ celum clausum est annis tribus et mensibus sex, misit duos quinquagenarios ad Helyam, qui dicerent ei: “Homo Dei, rex Israël uocat te, qui ait: Si homo Dei sum, descendat ignis de celo, et consumat uos, et statim ignis de celo descendit, et consumpsit eos”.

Quo facto non cuius meriti apud Deum esset uoluit ostendere, sed quod ille esset uerus Deus, quem colebat, non ille, ad cuius culturam stupro corporis proprii Iezabel nonnullos prouocabat, euidentissimis indiciis monstrare curauit.

Iniuria ergo Prophetæ non alia, quam iniuria ipsius Domini intelligitur, que in paucis uindicanda est, ut ceteri terreantur.

Item obicitur illud Siluerii: [ad Amatorem Episcopum]

### C. XXX.

Guilisarius patricius noster mandauit me ad se uenire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palacium principis, et ad primum et ad secundum uelum retinuit omnem clerum et populum, qui me cum ueniebat, et nullum permisit introire, nisi me solum, et Vigilium diaconem nostrum.

Me uero ui retento, et ante predictam patriciam deducto, miserunt in exilium, in quo modo sustentor pane tribulationis et aqua angustiae.

Ego tamen non dimisi, nec dimitto propterea offitium meum, sed cum episcopis, quos congregare potui, eos, qui talia erga me egerunt, anathematizauit, et una cum illis apostolica auctoritate statui, nullum umquam taliter decipiendum, sicut deceptus sum, et, si aliquis deinceps ullum umquam episcoporum taliter deceperit anathema maranatha fieret in conspectu Dei et sanctorum angelorum.

Idem Vigilio:

§. 1. Habeto itaque cum his, qui tibi consentiunt, plenæ dampnationis sententiam, sublato que tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus iudicio et apostolica a nobis auctoritate dampnatus.

Gratian. Sed et hic non suam, sed ecclesiae iniuriam ultus est.

Quod autem peccatum populi in paucis puniendum sit, Moyses exemplo docuit, qui peccatum ydolatriæ in paucos cultores uituli uindicauit, morte paucorum expians peccata multorum, in presens terrens, in posterum disciplinam sanctiens.

Sic et ipse Christus peccata totius populi morte paucorum puniuit, dum pro fornicatione totius populi una die XXIII. milia perierunt.

Sic et pro peccato murmurationis uel temptationis nonnulli puniti sunt, ut eorum exemplo ceteri ad penitentiam cogerentur.

Sic et cottidie nonnullos punit Deus, ut diuina prouidentia etiam circa humana uigilare cognoscatur, et nonnullos etiam per longa tempora ad penitentiam expectat, ut patientiam suæ benignitatis nobis ostendat.

Sic Helyas etiam culturam Baal uindicauit, sacerdotes et prophetas eius interficiendo, morte auctorum expians peccata imitantium populorum.

§. 1. Quod uero peccata, que publicis indiciis deseruntur, punienda non sint, illo exemplo probatur, quo Christus, qui Iudam solus furem nouerat, non abiecisse, sed patienter tollerasse asseritur.

Unde Ambrosius super primam epistolam ad Chorinthios [cap. 5.] ait:

C. XXXI. Iudicis non est sine accusatore dampnare.

Si quis potestatem non habet quem scit reum abicere, uel probare non ualet, immunis est, et iudicis non est sine accusatore dampnare, sicut Christus non abiecit Iudam.

Gratian. Similiter non est ferenda sententia, quando multitudo est in causa, uel quando ille peccat, qui sociam habet multitudinem.

Unde Augustinus in libro II. [c. 2]. contra Parmenianum:

**C. XXXII.** Quod a multitudine peccatur, uel ab eo, qui multitudinem habet sociam, ab ecclesia non punitur, sed defletur.

Non potest esse salubris a multis correctio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem.

Cum uero idem morbus plurimos occupauerit, nichil aliud restat bonis, quam dolor et gemitus, ut per illud signum, quod Ezechieli sancto reuelatur, illesi euadere ab illorum uastatione mereantur.

Et infra:

§. 1. Reuera cum contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est.

Nam consilia separationis et inania sunt, et perniciosas atque sacrilegas, quia inopia et superba sunt, et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos.

Et infra:

§. 2. Turba autem iniquorum, cum facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est, et maxime, si occasionem atque oportunitatem prebuerit aliquod flagellum desuper Domini, quo eos appareat pro suis meritis uapulare.

Gratian. Precepta uero euangelica de dilectione inimicorum, et misericordia inpendenda proximis, exhortationes quoque Apostoli de cibandis uel potandis inimicis, non eatenus intelligenda sunt, ut peccandi relaxetur impunitas, sed ut delinquenti correctio et naturæ ministretur subsidium, donec per sententiam iudicis, adempta spe correctionis, malorum tollatur exercitium.

In hoc ergo iubemur diligere inimicos, et miseri eorum, ut de eorum perditione doleamus, eorum salutem desideremus, et pro illorum correctione cottidie laboremus et oremus, penitentibus solacia inpendamus, alter alterius onera portantes; ut non pertinaces et in malo persistentes impunitate donemus.

Sicut enim erga penitentes non seueri, sed misericordes esse monemur, iuxta illud: “Noli esse nimis iustus, quia est iustus qui perit in iusticia sua,” et iterum: “Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam;” et item illud Apostoli in secunda epistola ad Corinthios: “Cui aliquid donastis, et ego.

Nam et ego si quid donauit, propter uos donauit, ac si ipse Christus donaret, ut non circumueniamur a sathana, Non enim ignoramus cogitationes eius,” qui quos nequit consentiendo decipere facit nimis asperos, sicut, inquam, penitentibus, ut dictum est, misericordes esse iubemur, sic inpenitentibus et obstinatis in malo inpendere prohibemur misericordiam.

Unde Ambrosius in libro de officiis:

**C. XXXIII.** De iusta et iniusta misericordia.

Est iniusta misericordia.

Denique in lege scriptum est de quodam: “Non misereberis illius, “et in libris Regum legitur, quia Saul contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat diuina sententia seruari.

Ita, si quis latronem filiis deprecantibus motus, et lacrimis coniugis eius inflexus absoluendum putat cui adhuc latrocinandi aspiret affectus, nonne innocentes tradet exitio qui liberat multorum exitia cogitantem?

Certe si gladium reprimit, uincula dissoluit, laxat exilium?

cur latrocinandi qua potest clementiori uia non eripit facultatem, qui uoluntatem extorquere non potuit?

Deinde inter duos, hoc est accusatorem et reum, pari periculo de capite decertantes, alterum, si non probasset, alterum, si esset ab accusatore conuictus, si non id, quod iusticiæ est, iudex exequatur: sed miseretur alterius, aut dampnabit probantem, aut, dum accusatori fauet, quod probare non possit, addicet innoxium; non potest igitur hec dici iusta misericordia.

In ipsa ecclesia, ubi maxime quis misereri debet, teneri quam maxime debet forma iusticiæ, ne quis a consortio criminationis abstractus, breui lacrimula atque ad tempus parata, uel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus a facilitate sacerdotis extorqueat.

Nonne cum uni indulget indigno, ad prolapsionis contagium prouocat uniuersos?

Facilitas enim ueniæ incentiuum tribuit delinquendi.

**C. XXXIV.** Non debemus in mala causa pauperi misereri.

Item Augustinus in libro Psalmorum. [Psal. 32].

Ne amisso iudicio sis pauperi in mala causa misericors, cuius si parcis saccello, percutis cor, et tanto nequiores reddis, quanto iustum fauere uidet sibi.

**C. XXXV.** Homini est miserendum, peccatori est irascendum.

Idem.

Duo ista nomina cum dicimus, homo peccator, non utique frustra dicuntur.

Quia peccator est, corripere: et quia homo, miserere, nec omnino liberabis hominem, nisi eum persecutus fueris peccatorem.

Huic offitio omnis inuigilat disciplina, sicut cuique regenti apta et accommodata est, non solum episcopo regenti plebem suam, sed etiam pauperi regenti domum suam, diuiti regenti familiam suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, iudici regenti prouinciam suam, regi regenti gentem suam.

Et paulo post:

§. 1. Ita nulli homini claudenda est misericordia, nulli peccato impunitas relaxanda.

Hinc itaque intelligendum est, quam non sit contempnenda elemosina, que quibusque pauperibus iure humanitatis inpenditur, quandoquidem Dominus subleuabat indigentiam pauperum etiam his oculis, quos ex opibus inplebat aliorum.

Et paulo post:

§. 2. Non ergo suscipiamus peccatores, propter quod sunt peccatores, sed tamen eos ipsos, quia et homines sunt, humana consideratione tractemus; persequamur in eis propriam iniquitatem, misereamur communem naturam.

Gratian. Item illud euangelii, quod obieciatur: “Qui gladio usus fuerit gladio cadet,” Augustinus exponit in libro 2. contra Manicheos, [cap. 70]. ita dicens:

**C. XXXVI.** Qui dicatur gladium accipere.

Ille gladium accipit, qui, nulla superiori ac legitima potestate uel iubente, uel concedente, in sanguinem alicuius armatur.

**VII. Pars.**

Gratian. Porro illud Ieronimi, quo ecclesia negatur aliquem persequi, non ita intelligendum est, ut generaliter ecclesia nullum persequatur, sed quod nullum iniuste persequatur.

Non enim omnis persecutio culpabilis est, sed rationabiliter hereticos persequimur, sicut et Christus corporaliter persecutus est eos, quos de templo expulit.

Unde Augustinus ait Vincentio Donatistæ:

**C. XXXVII.** Potestatis offitio utiliter inquieti corriguntur.

Nimum sunt inquieti, quos per ordinatas a Deo potestates cohiberi atque corrigi michi non uidetur inutile.

Nam de multorum iam correctione gaudemus.

Et post pauca:

§. 1. Si enim quisquam inimicum suum periculosis febribus freneticum factum currere in preceps uideret, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si sic eum ire permetteret, quam si corrigendum curandum que ligaret?

Et tamen ei tunc molestissimus et aduersissimus uideretur, quando utilissimus et misericordissimus extitisset.

Sed plane salute reparata tanto uberius ei gratias ageret, quanto minus sibi pepercisse sensisset.

Et post pauca:

§. 2. At quibusdam ista non prosunt.

Numquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia?

Item post aliqua:

§. 3. Non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis, qui uerberat, inimicus.

Meliora sunt uulnera amici, quam oscula inimici.

Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere.

Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iusticiam negligebat, quam esurienti panis frangitur, ut iniusticiæ seductus adquiescat.

Item post pauca:

§. 4. Putas, neminem debere cogi ad iusticiam, cum legas patremfamilias dixisse seruis: “Quoscumque inueneritis cogite intrare;” cum legas etiam ipsum primo Saulum, postea Paulum, ad ueritatem cognoscendam et tenendam magna uiolentia Christi cogentis compulsus esse.

Item post pauca:

§. 5. Et noueritis furem aliquando auertendis pecoribus pabulum spargere, et aliquando pastorem flagello errantia pecora reuocare.

Item:

§. 6. Si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in libris sanctis: “Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequeris”.

Aliquando ergo et qui eam patitur iniustus est, et qui eam facit iustus est.

Sed plane sepe et mali persecuti sunt bonos, et boni malos; illi nocendo per iniusticiam, illi consulendo per disciplinam; illi inmaniter, illi temperanter; illi seruientes cupiditati illi karitati.

Nam qui trucidat non considerat quemadmodum secet.

Ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem.

Occiderunt inpii Prophetas: occiderunt inpios et Prophetas.

Flagellauerunt Iudei Christum: Iudeos flagellauit et Christus; traditi sunt Apostoli ab hominibus humanæ potestati: tradiderunt Apostoli homines potestati sathanæ.

In his omnibus quid attenditur, nisi eorum quis pro ueritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causa, quis emendandi?

Et paulo post:

§. 7. Constantinus inperator constituit, ut res conuictorum et unitati peruicaciter resistentium fisco uendicarentur.

Et post pauca:

§. 8. Certe nullius crimen maculat nescientem.

Item:

§. 9. Facta nocentium, que innocentibus demonstrari uel ab innocentibus credi non possunt, non inquinant quemquam, sed propter innocentium consortium etiam cognita sustinentur.

Non enim propter malos boni sunt deserendi, sed propter bonos mali sunt tollerandi, sicut tolerauerunt Prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant.

C. XXXVIII. Heretici ad salutem etiam inuiti sunt trahendi.

Item Donato Presbitero. [epist. CCIV].

Displicet tibi, quod traheris ad salutem Dei, cum tamen multos nostros traxeris ad perniciem?

Quid enim uolumus, nisi te conprehendi, et presentari, et seruari, ne pereas?

Quod autem in corpore lesus es, ipse tibi fecisti, qui iumento tibi mox admoto uti noluisti, et te ad terram grauiter collisisti.

Nam utique alius, qui adductus est te cum, collega tuus illesus uenit, quia ipse sibi talia non fecit.

Sed neque putas hoc tibi fieri debuisse, quia neminem existimas cogendum ad bonum.

Adtende quid dixerit Apostolus: “Qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat”.

Et tamen tam multi ut episcopatum suscipiant tenentur inuiti, producuntur, includuntur, patiuntur tanta que nolunt, donec eis adsit uoluntas suscipiendi operis boni.

Quanto magis uos ab errore pernicioso, in quo uobis inimici estis, trahendi estis et perducendi ad ueritatem uel cognoscendam, uel eligendam, non solum ut honorem salubriter habeatis, sed etiam ne nequissime pereatis?

§. 1. Dicis, Dominum dedisse arbitrium liberum, ideo non debere hominem cogi ad bonum.

Quare ergo illi, de quibus supra diximus, coguntur ad bonum?

Adtende ergo et considera quod non ideo uoluntas bona misericorditer inpenditur, ut mala uoluntas hominis diligatur.

Nam quis nesciat, nec dampnari hominem, nisi merito malæ uoluntatis, nec liberari, nisi bonam habuerit uoluntatem?

Non tamen ideo qui diliguntur malæ suæ uoluntati inpune et crudeliter permittendi sunt, sed, ubi potestas datur, et a malo prohibendi, et ad bonum cogendi.

Nam, si uoluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Isrælitæ recusantes et murmurantes tam duris flagellis a malo prohibebantur, et ad terram repromissionis compellebantur?

Si uoluntas mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima uoluntate, qua persequebatur ecclesiam, sed prostratus est, ut cecaretur, et

cecatu est, ut mutaretur, et mutatu est, ut mitteretur, missu est, ut qualia fecerat in errore, talia pro ueritate pateretur?

Si uoluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur pater in scripturis sanctis filium durum non solum uerbis corripere, sed etiam latera eius tundere, ut ad bonam disciplinam coactus ac domitus dirigatur?

Unde idem Salomon dicit: “Tu percutis eum uirga, animam autem eius liberat a morte”.

Si mala uoluntas semper suæ permittenda est libertati, quare corripiuntur negligentes pastores, et dicitur eis: “Errantem non reuocastis, perditum non requisistis?”

Et uos oues Christi estis; characterem dominicum portatis in sacramento, quod accepistis; sed erratis et peritis.

Non ideo uobis displiceamus, quia reuocamus errantes, et querimus errantes perditos.

Melius enim facimus uoluntatem Domini monentis, ut uos ad eius ouile redire cogamus, quam consentiamus uoluntati errantium, ut perire uos permittamus.

§. 2. Noli ergo iam dicere, quod te assidue audio dixisse: Sic uolo errare, sic uolo perire. Melius hoc omnino non permittimus, quantum possumus.

Modo, quo quod te in puteum, moreris, misisti, utique libera uoluntate fecisti.

Sed quam crudeles essent serui Dei, si huic malæ uoluntati tuæ te permitterent, et non te de illa morte liberarent?

Quis eos non merito culparet? Quis non inpios recte iudicaret?

Et tamen tu te uolens in aquam misisti, ut moreris; illi te nolentem leuauerunt de aqua, ne moreris.

Tu fecisti secundum uoluntatem tuam, sed in perniciem tuam; illi contra uoluntatem tuam, sed contra mortem tuam.

Si ergo salus ista corporalis sic custodienda est, ut etiam in nolentibus ab eis, qui eos diligunt, seruetur: quanto magis illa spiritualis, in cuius desertione mors eterna metuitur?

Quamquam et in ista morte, quam tu ipse tibi uoluisti inferre, non solum ad tempus, sed etiam in eternum moreris, quia, etsi non ad salutem, non ad ecclesiæ pacem, non ad Christi corporis unitatem, non ad sanctam et indiuiduam karitatem, sed ad mala aliqua cogeres, nec sic tibi ipse inferre mortem debuisti.

Considera scripturas diuinas, et discute quantum potes, et uide, utrum hoc fecerit aliquis aliquando iustorum atque fidelium, cum ab eis mala tanta perpassi sunt, qui eos ad interitum, non ad uitam, quo conpelleris, adigebant.

Et post pauca:

§. 3. Repetis, sicut audio, quod in euangelio scriptum est, recessisse a Domino LXX. discipulos, et arbitrio suæ malæ atque impiæ discessionis fuisse permissos; ceteris que duodecim, qui remanserant, fuisse responsum: “Numquid et uos uultis abire?”

Et non attendis quia tunc primum ecclesia nouello germine pullulabat, nondum que completa fuerat illa prophetia: “Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei?”

Quod utique quanto magis inpletur, tanto maiore ecclesia utitur potestate, ut non solum non inuitet, sed etiam cogat ad bonum.

Hoc Dominus significare uolebat, qui, quamuis magnam haberet potestatem, prius tamen elegit commendare humilitatem.

Hoc et in illa conuiuii similitudine satis euidenter ostendit, ubi misit ad inuitatos, et noluerunt uenire, et ait seruo: “Exi cito in plateas et uicos ciuitatis, et pauperes ac debiles, cecos et claudos introduc huc.

Et ait Domino seruus: Factum est, ut inperasti, et adhuc locus est.

Et ait Dominus seruo: Exi in uias et sepes, et conpelle intrare, ut impleatur domus mea”. Vide nunc, quemadmodum de his, qui primi uenerant, dictum est: introduc eos; nunc dictum est: conpelle.

Ita significata sunt ecclesiae primordia adhuc crescentis, ut essent uires etiam conpellendi.

**C. XXXIX.** Heretici utiliter patiuntur que utiliter catholici inferunt.

Idem super Iohannem. [tractatu XI. ad c. 3].

Quando uult Deus concitare potestates aduersus hereticos, aduersus scismaticos, aduersus dissipatores ecclesiae, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores Christi baptismi non mirentur.

Quia Deus uocitat, ut a Sara uerberetur Agar, cognoscat se Agar, ponat ceruicem; que, cum humiliata discederet a domina sua, occurrit ei angelus, et dixit: “Quid tibi est Agar, ancilla Saræ?”

Cum conquesta esset de domina, quid audiuit ab angelo: “Reuertere ad dominam tuam”. Ad hoc ergo affligitur, ut reuertatur, atque utinam reuertatur, quia proles eius, sicut Iacob, cum fratribus hereditatem tenebit.

Mirantur autem, quia conuolentur potestates Christianae contra dissipatores detestandos ecclesiae.

Si non mouerentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo?

Intendat karitas uestra quid dicam, quia hoc pertinet ad reges seculi Christianos, ut temporibus suis pacatam uellent suam matrem ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt.

Et paulo post:

§. 1. Nabuchodonosor rex decreuit, dicens: “Quicumque dixerint blasphemiam in deum Sydrac, Mysac, et Abdenago, in interitu erunt, et domus eorum in dispersione”.

Ecce quomodo rex alienigena seuit, ne blasphemetur Deus Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare.

Et nolunt, ut seuiant reges Christiani, quia Christus exsufflatur, a quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus a gehennarum igne liberatur?

Et infra:

§. 2. Quomodo ergo reges isti non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed se ipsos de flamma gehennae, quando uident Christum, a quo liberati sunt, exsufflari in Christianis?

quando audiunt dici Christiano: Dic te non esse Christianum?

Talia facere uolunt, sed saltem talia pati nolunt.

Nam uidete, qualia faciunt, et qualia patiuntur; occidunt animas, affliguntur in corpore; sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur.

**C. XL.** Ecclesia ratione hereticos persequitur.

Idem contra Petilianum. [lib. II. c. 79].

Qui peccat, non peccat legis auctoritate, sed contra legis auctoritatem.

Quia uero interrogas, que sit ratio persequendi, uicissim te interrogo, cuius sit uox in Psalmo dicentis: “Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequerbar”.

Quere itaque causam, et modum persecutionis, et noli tanta impericia malorum generaliter persecutores reprehendere. [c. 82]. Non enim persequimur uos, nisi quemadmodum ueritas persequitur falsitatem.

Item:

[c. 10]. §. 2. Petilianus dixit, si Apostoli persecuti sunt aliquem, aut aliquem tradidit Christus?

Augustinus respondit: Possem quidem dicere, ipsum sathanam omnibus malis hominibus esse peiorem, cui tamen tradidit Apostolus hominem in interitum carnis, ut spiritus sit saluus in die Domini Iesu, item alios, de quibus dicit: “Quos tradidi sathanæ, ut discant non blasphemare”.

Et Dominus flagellatos expulit de templo improbos mercatores, ubi etiam connexum est testimonium scripturæ dicentis: “Zelus domus tuæ comedit me”.

Ecce, inuenimus Apostolum traditorem, Christum persecutorem. [c. 19]. §. 3. Quare per uolentissimas turbas etiam ultro improbi estis ecclesiis catholicis, ubi potueritis aduertere quod innumerabilibus exemplis res ipsa indicat?

Sed dicitis, uos loca uestra defendere, et resistitis fustibus et cedibus, quibuscumque potueritis.

Quare non audistis ibi uocem Domini dicentis: “Ego autem uobis dico, non resistere malo?”

Aut, si fieri potest, ut aliquando recte per uim corporalem resistatur uiolenti, nec ideo preceptum uiolentur, quod audiuimus a Domino: “Ego autem dico uobis, non resistere malo:” cur non etiam hoc fieri potest, ut per ordinatas et legitimas potestates de sedibus, que illicite usurpantur uel ad iniuriam Dei retinentur, pius expellat inpium, et iustus iniustum?

Neque enim eo modo persecutionem passi sunt pseudoprophetæ ab Helya, quomodo ipse Helyas a rege nequissimo, aut, quia flagellatus est Dominus a persecutoribus, passionibus eius comparandi sunt quos ipse de templo flagellatos eiecit.

§. 4. Restat ergo, ut nichil aliud requirendum esse fateamini, nisi utrum iuste, an inpie feceritis, non miremini, si non desunt ministri Deo, per quos flagellemini, quia persecutionem patimini non a nobis, sed, sicut scriptum est, ab ipsis factis uestris.

Et infra:

§. 5. De persecutione uestra querela sedabitur, si cogitetis prius et intelligatis, non omnem persecutionem esse culpabilem.

Alioquin non laudabiliter diceretur: “Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar”.

Nam cottidie uidemus et filium de patre tamquam de persecutore suo conquiri, et coniugem de marito, et seruum de domino, et colonum de possessore, et reum de iudice, et militem uel prouincialem de duce uel rege, cum illi plerumque ordinatissima potestate homines sibi subditos per terrores leuium penarum a grauioribus malis prohibeant atque conpescant, plerumque autem a bona uita, et a bonis factis minando et seuiundo deterreant.

Sed cum a malo et illicito prohibent, correctores et consultores sunt; cum autem a bono et licito, persecutores et obpressores sunt.

Culpantur etiam qui prohibent a malo, si modum peccati modus correctionis excedat.

**C. XLI.** A regibus terræ contra inimicos suos ecclesia auxilium petat.

Idem in epistola [XLVIII]. ad Vincentium.

Non inuenitur exemplum in euangelicis et apostolicis litteris, aliquid petatum a regibus terræ pro ecclesia contra inimicos ecclesiæ.

Quis negat non inueniri? Sed nondum implebatur illa prophetia: “Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram”.



Adhuc enim inplebatur illud, quod in eodem psalmo paulo superius legitur: “Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes conuenerunt in unum”.

Verumtamen si facta preterita in propheticis libris figuræ fuerunt futurorum, in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, utrumque tempus prefiguratum est, et quod sub Apostolis habuit, et quod nunc habet ecclesia.

Temporibus itaque Apostolorum et martirum illud inplebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus pios et iustos cogeat adorare simulacrum, et recusantes in ignem mittebat.

Nunc illud inpletur, quod paulo post in eodem rege figuratum est, cum conuersus ad honorandum Deum uerum decreuit in regno suo, ut, quicumque blasphemaret Deum Sydrach, Mysach et Abdenago, penis debitis subiaceret.

Prius ergo tempus illius regis significabat priora tempora regum infidelium, quos patiuntur Christiani pro impiis.

Posterius uero tempus illius regis tempora regum fidelium, quos patiuntur inpii pro Christianis.

Sed plane in eis, qui sub nomine Christi erant seducti a peruersis, ne forte oues Christi sint errantes, ad gregem aliter reuocandæ sint, temperata seueritas, et magis mansuetudo seruatur, ut coercione exiliorum atque dampnorum ammoneantur considerare, quid et quare patiantur, et discant preponere rumoribus et calumpniis hominum scripturas, quas legunt.

Quis enim nostrum, quis uestrum non laudat leges ab inperatoribus datas aduersus sacrificia paganorum?

Et certe longe ibi pena seuerior constituta est.

Illius quippe impietatis capitale supplicium constitutum est.

De uobis autem corripendis atque coercendis habita ratio est, qua potius ammoneremini ab errore discedere, quam pro scelere puniremini.

### C. XLII. Malos ecclesia iuste persequitur.

Idem eiusdem ad Bonifatium Comitem. [ep. L].

Si ecclesia uera ipsa est, que persecutionem patitur, non que fecit, querant ab Apostolo, quam ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillæ.

Liberam quippe matrem uestram, celestem Ierusalem, id est ueram Dei ecclesiam, in illa muliere dicit figuratam, que affligebat ancillam.

Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quam Sara coercendo.

Illa enim faciebat dominæ iniuriam, ista inponebat superbæ disciplinam.

Deinde quero, si boni et sancti uiri nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cuius putant in Psalmo uocem esse, ubi legitur: “Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non conuertar, donec deficient?”

Ergo si uerum dicere uel agnoscere uolumus, est persecutio iniusta, quam faciunt inpii ecclesiæ Christi.

Ista namque beata est, que persecutionem patitur propter iusticiam; illi uero miseri, qui persecutionem patiuntur propter iniusticiam.

Proinde ista persequitur diligendo, illa seuiendo: ista ut corrigat, illa ut euertat: ista ut reuocet ab errore, illa ut precipitet in errorem.

§. 1. Quod autem dicunt qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt, non petisse a regibus terræ Apostolos talia non considerant, aliud tempus tunc fuisse, et omnia suis conuenire temporibus.

Quis enim tunc in Christum crediderat inperator, quis ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret.

Tunc enim illud adhuc propheticum complebatur: “Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?”

Astiterunt reges terræ, et principes conuenerunt in unum aduersus Dominum, et aduersus Christum eius”.

Nondum enim agebatur quod paulo post in eodem psalmo dicitur: “Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.

Seruite Domino in timore, et exultate ei cum tremore”.

Quomodo ergo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea, que contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo?

Aliter enim seruit, quia homo est, aliter etiam quia rex est.

Quia homo est, seruit uiuendo fideliter; quia rex est, seruat leges iusta precipientes et contraria prohibentes conuenienti uigore sanctiando.

**C. XLIII.** Exemplo Christi mali sunt ad bonum cogendi.

Idem. [in eadem epistola]

Quis potest nos amplius amare, quam Christus, qui animam suam posuit pro ouibus suis?

Et, cum Petrum et alios apostolos uocasset uerbo solo, Paulum, ecclesia suæ postea magnum edificatorem, sed horrendum antea uastatorem, non solum uoce conpescuit, uerum etiam potestate prostrauit, atque infidelitatis tenebris seuientem, ad desiderandum lumen cordis, ut surgeret, prius cecitate corporis percussit.

Si pena illa non esset, non ab ea postmodum sanaretur, et quando apertis oculis nichil uidebat si eos saluos haberet, non ad inpositionem manus Ananiæ, ut eorum aperiretur intuitus, tamquam squamas, quibus clausus fuerat, inde cecidisse scriptura narraret.

Ubi est quod isti clamare consueuerunt, liberum est credere uel non credere?

cui uim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum apostolum; agnoscant in eo prius cogentem Christum, et postea docentem, prius ferientem, et postea consolantem.

Mirum est autem, quomodo ille, qui pena corporis ad euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui solo uerbo uocati sunt, in euangelio laborauit, et quem maior timor compulit ad karitatem, eius perfecta karitas foras mittit timorem.

Cur ergo non cogeret ecclesia perditos filios, ut redirent?

**C. XLIV.** Non crudelitate, sed dilectione Moyses populum flagellauit.

Idem contra Faustum. [lib. XXII. c. 79].

Quid crudele Moyses mandauit aut fecit, cum commissum sibi populum sancte zelans, uiuo et uni uero Deo subditum cupiens, posteaquam cognouit ad fabricandum et colendum ydolum defluxisse, mentem que inpudicam prostituisse demonibus, in paucos eorum uindicans gladio, quos Deus ipse, quem offenderant, alto et secreto iudicio feriendos uoluisset mox feriri, et in presenti salubriter terruit, et disciplinam in posterum sanxit?

Nam eum nulla crudelitate, sed magna dilectione fecisse quod fecit, quis non in uerbis eius agnoscat, orantis pro peccatis eorum, et dicentis: “Si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo”.

§. 1. Sic plane et Apostolus non crudeliter, sed amabiliter tradidit hominem sathanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini Iesu; tradidit et alios, ut discerent non blasphemare.

C. XLV. Non inputatur fidelibus, qui ex offitio aut tormenta exercent, aut capitalem sententiam ferunt.

Item Innocentius. [epist. III. ad Exsuperium, Episcopum Tolosanum, c. 3].

Quesitum est etiam super his, qui post baptismum amministrauerunt, et aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam.

Nichil de his legimus a maioribus diffinitum.

Meminerant enim a Deo potestates has fuisse concessas, et propter uindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei ministerio esse datum in huiusmodi uindices.

Quomodo igitur reprehenderent factum, quod auctore Domino uiderent esse concessum? De his ergo, ut hactenus seruatum est, sic habeamus, ne aut disciplinam auertere, aut contra auctoritatem Domini uenire audeamus.

Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia seruabuntur.

C. XLVI. Inmunis est dictator a culpa, cum legum auctoritas in improbos exercetur.

Idem ad Tolosanum episcopum.

Illud etiam sciscitari uoluisti, an preces dictantibus liberum concedatur utique post baptismi regenerationem a principibus poscere mortem alicuius uel sanguinem de reatu.

Quam rem principes numquam sine cognitione concedunt, sed ad iudices comissa ipsa uel crimina semper remittunt, ut causa cognita uindicentur; que cum quesitori fuerint delegata, aut absolutio aut dampnatio pro negotii qualitate profertur.

Et dum legum auctoritas in improbos exercetur, erit dictator immunis.

C. XLVII. In correptione malorum Deus omnipotens placatur.

Item Gregorius Brunichildæ, Reginæ Francorum. [lib. VII. Indict. 1. epist. 5].

Si quos igitur uiolentos, si quos adulteros, si quos fures, uel aliis prauis actibus studere cognoscitis, Deum Deorum correctione placare festinate, ut per uos flagellum perfidarum gentium, quod (quantum uidemus) ad multarum nationum uindictam excitatum est, non inducat; ne, si, quod non credimus, diuinæ ulcionis iracundia sceleratorum fuerit actione comota, belli pestis interimat quos delinquentes ad rectitudinis uiam Dei precepta non reuocant.

C. XLVIII. Ecclesiasticæ religionis inimici etiam bellis sunt coercendi.

Idem Genadio, Patricio et Exarcho Affricæ. [lib. I. epist. 72].

Sicut excellentiam uestram hostilibus bellis in hac uita Dominus uictoriarum fecit luce fulgere, ita oportet etiam inimicis ecclesiæ eius omni uiuacitate mentis et corporis obuiare, quatinus eius ex utroque triumpho magis ac magis enitescat opinio, cum et forensibus bellis aduersariis catholicæ ecclesiæ pro Christiano populo uehementer obsistitis, et ecclesiastica prelia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis.

Notum est enim hereticæ religionis uiros, si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra catholicam fidem uehementer insurgere, quatinus hereseos suæ uenena ad tabefacienda, si ualuerint, Christiani corporis membra transfundant.

Cognouimus enim eos contra catholicam ecclesiam, Domino eis aduersante, colla subrigere, et fidem Christiani nominis inclinare uelle; sed eminentia uestra conatus eorum conprimat, et superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premat.

Concilium uero catholicorum episcoporum ammoneri precipite, ut primatem non ex ordine loci postpositis uitæ meritis faciat, quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed uitæ melioris actio conprobatur.

Ipse uero primas non passim (sicut moris est) per uillas, sed in una ciuitate eorum iuxta electionem resideat, quatinus adeptæ dignitatis meliori ingenio resistendi Donatistis possibilitas disponatur.

Ex concilio uero Numidiæ si qui desiderant ad apostolicam sedem uenire, permittite, et, si quilibet eorum uiæ contradicere putauerint, obuiate.

Magis profecto excellentia uestra apud Creatorem gloria proficit, si per eam dispersarum ecclesiarum potuerit societas restaurari.

Cum enim largita munera ad nominis sui conspicit gloriam reuocari, tanto largiora tribuit, quanto per ea religionis suæ dignitatem uiderit ampliari.

Persoluentes preterea paternæ karitatis affectum, Dominum petimus, quo brachium uestrum ad comprimendos hostes forte efficiat, et mentem eius fidei zelo uelut mucrone gladii uibrantis exacuat.

**C. XLIX.** Merito fidei bellorum prestatur uictoria.

Idem ad eundem. [lib. I. epist. 73].

Si non ex fidei merito et Christianæ religionis gratia tanta excellentiæ uestræ bellicorum actuum prosperitas eueniret, non miranda fuerant, cum sciamus, hec etiam antiquis bellorum ducibus fuisse concessa.

Sed cum futuras, Deo largiente, uictorias non carnali prouidentia, sed magis orationibus preuenitis, fit, ut hoc in stuporem ueniat, quod gloria uestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat.

Ubi enim meritorum uestrorum loquax non discurrit opinio?

que bella uos frequenter appetere non desiderio fundendi sanguinis, sed dilatandæ causa reipublicæ in qua Deum coli conspicimus, loquitur, quatinus Christi nomen per subditas gentes fidei predicatione circumquaque discurreret.

Sicut enim exteriora uos uirtutum opera eminentes in hac uita constituunt, ita et interna morum ornamenta ex corde mundo procedentia in futuram uitam celestium gaudiorum participatione glorificant.

Plurima enim pro pascendis ouibus B. Petri apostolorum principis utilitatibus excellentiam uestram prestitisse didicimus, ita, ut non parua loca patrimonii eius propriis nudata cultoribus, largitis Dacorum habitatoribus, restaurasset.

Quecumque igitur illi Christianissima mente confertis, horum retributionem per spem in futuro iudicio sustinetis

### **VIII. Pars.**

Gratian. Breuiter monstratum est, quod boni laudabiliter persecuntur malos, et mali dampnabiliter persecuntur bonos.

Illud autem Apostoli: “Tu autem quis es, qui iudicas seruum alienum?”

de occultis alieni cordis intelligendum est.

Quod uindicta inferri possit, monstratum est.

Nunc restat ostendere, quod debet inferri, et quod magis diliguntur illi, qui puniuntur, quam qui inpuniti relinquuntur; quod utrumque multorum auctoritate probatur.

Ait enim Augustinus.

C. L. Ad iram Deus prouocatur, cum peccata puniri differuntur.

Si ea de quibus uehementer Deus offenditur, insequi uel ulcisci differimus, ad irascendum utique diuinitatis pacienciam prouocamus.

“Nonne Achan filius Zare preteriit mandatum Domini, et super omnem populum Isræl ira eius incubuit?

Et ille erat unus homo, atque utinam solus perisset in scelere suo”.

C. LI. Vindicta, que ad correctionem ualet, non est prohibenda.

Item Augustinus de sermone Domini in monte, libro I. [c. 37. et 38].

Ea uindicta, non prohibetur, que ualet ad correctionem, que etiam ad misericordiam pertinet, nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo, quem correctum esse uult, plura perferre.

Sed huic uindictæ inferendæ non est idoneus, nisi qui odium, quo flagrare solent qui se uindicare desiderant, dilectionis mansuetudine superauerit.

Non enim metuendum est, ne odisse paruulum filium parentes uideantur, cum ab eis uapulatur peccans, ne peccet ulterius.

Et certe perfectio dilectionis ipsius Dei patris imitanda nobis proponitur, cum in sequentibus dicitur: “Diligite inimicos uestros, benefacite his, qui oderunt uos, et orate pro his, qui uos persecuntur”.

Et tamen dicitur de ipso per Prophetam: “Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit”.

Et dicit etiam Dominus: “Seruus, qui nescit uoluntatem Domini sui, et facit non digna plagis, uapulabit paucis; seruus autem, qui scit uoluntatem Domini sui, et non facit digna plagis, uapulabit multis”.

Non ergo, nisi ut ipse uindictet, cui rerum ordine potestas data est, et ea uoluntate uindictet, qua pater filium paruulum flagellat, quem tamen per etatem non potest odisse.

Hinc enim apertissimum exemplum dicitur, quo satis apparet, posse peccatum amore potius uindicari, quam inpunitum relinqui, ut illum, quem uindicat, non pena miserum, sed correctione beatum esse uelit; paratus tamen sit, si opus fuerit, equo animo plura tollerare ab eo illicita, quem uult esse correptum, siue in eum habeat potestatem coercedi, siue non habeat.

§. 1. Magni autem et sancti uiri, qui iam optime scirent mortem istam, que animam dissoluit a corpore, formidandam non esse, secundum eorum tamen animum, qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quo et uiuentibus utilis metus incuteretur, et illis, qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si uiuerent, diminueretur.

Non temere illi iudicabant, quibus tale iudicium Deus donauerat.

Inde est, quod Helyas morte multos affecit propria manu, et igne diuinitus inpetrato, quod et alii multi magni et diuini uiri eodem spiritu consulendo rebus humanis non temere fecerunt.

De quo Helya cum dedissent exemplum discipuli, commemorantes quid ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret potestatem petendi de celo ignem ad consumendum eos, qui sibi hospicium non prebuerant, reprehendit in eis Dominus non exemplum prophetæ sancti, sed ignorantiam uindicandi, que adhuc erat in rudibus, animaduertens eos non amare correctionem, sed odio desiderare uindictam.

Itaque posteaquam eos docuit, quid esset diligere proximum tamquam se ipsum, infuso etiam Spiritu sancto, quem decem diebus completis post ascensionem suam desuper, ut

promiserat, misit, non defuerunt tales uindictæ, quamuis multo rarius quam in ueteri testamento.

Ibi enim ex maiori parte seruiantes timore premebantur; hic autem maxime dilectione liberi nutriebantur.

Nam et uerbis apostoli Petri Ananias, et uxor eius (sicut in Actibus Apostolorum legimus) exanimis ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti.

**C. LII.** Que ueritati contraria sunt Christianus persequi debet.

Item Augustinus contra Cresconium Grammaticum, libro I.

Quisquis Christianus iniquum persequitur, Christi est inimicus.

Verum dicis, si non hoc in illo persequitur, quod Christo est inimicum.

Neque enim dominus in seruo, pater in filio, maritus in coniuge, cum sint utriusque Christiani, non debent persequi uicia Christianæ contraria ueritati.

An uero, si non persequantur, non rei negligentia merito tenebuntur?

**C. LIII.** Quemadmodum homo debet diligere proximum sicut se ipsum.

Item Augustinus ad Macedonium. [ep. LII].

Debet homo diligere proximum tamquam se ipsum, ut quem potuerit hominem beneficentiæ consolatione, uel informatione doctrinæ, uel disciplinæ coercione, adducat ad colendum.

[PALEA. **C. LIV.** De eodem.

Item Augustinus ad Donatum Presbiterum, epistola CCIV.

Mali sunt prohibendi a malo, et cogendi ad bonum].

Gratian. Ex his omnibus colligitur, quod uindicta est inferenda non amore ipsius uindictæ, sed zelo iusticiæ; non ut odium exerceatur, sed ut prauitas corrigatur.

Sed cum uindicta aliquando inferatur dampnis rerum, aliquando flagellis, aliquando etiam morte: queritur, an sit peccatum iudici uel ministro reos morti tradere?

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem nulli liceat aliquem occidere, illo precepto probatur, quo Dominus in lege homicidium prohibuit, dicens: "Non occides".

Item in euangelio: "Omnis, qui gladium acceperit, gladio peribit".

**C. I.** Mali non sunt interficiendi, sed flagellis emendandi.

Item Augustinus ad Marcellinum Comitem, de Donatistis captis. [epist. CLIX].

Circumcelliones illos, et clericos partis Donati, quos de Yponensi ad iudicium pro factis eorum publicæ disciplinæ causa deduxerat, a tua nobilitate conperi auditos, et plurimos eorum de homicidio, quod in Restitutum catholicum presbiterum commiserunt, et de cede Innocentii alterius catholici presbiteri, atque de oculo eius effosso et digito preciso fuisse confessos.

Unde michi sollicitudo maxima incussa est, ne forte sublimitas tua censeat eos tanta legum seueritate plectendos, ut qualia fecerunt talia patiantur.

Ideo que his litteris obtestor fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini nostri misericordiam, ut hoc non facias, nec omnino fieri permittas.

Quamuis enim ob illorum interitum dissimulare possemus, quia non accusantibus nostris, sed illorum notariis, ad quos tuendæ publicæ pacis uigilantia pertinebat, presentati uideantur examini; nolumus tamen passiones seruorum Dei, quasi in alienæ partis suppliciis uindicari; non quo scelestis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere uolumus, ut uiui et nulla parte corporis truncati uel ab inquietudine insana ad sanitatis otium legum coercione dirigantur, uel a malignis operibus alicui utili operi deputentur.

Vocatur quidem et ista dampnatio; sed quis non intelligat magis beneficium quam supplicium nuncupandum, ubi nec seuiendi relaxatur audacia, nec penitendi salutaris medicina subtrahitur?

Inple, Christiane iudex, pii patris offitium, sic succensere iniquitati memineris, ut non in peccatorum atrocitatibus exerceas ulciscendi libidinem, sed peccatorum uulneribus curandi adhibeas uoluntatem.

Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione seruasti, quando tantorum scelerum confessionem non extendendo eculeo, non sulcantibus unguis, non urentibus flammis, sed uirgarum uerberibus eruisti, qui modus coercionis et a magistris artium liberalium, et ab ipsis parentibus adhibetur, ut sepe etiam in iudiciis ab episcopis solet haberi.

Noli ergo atrocius uindicare quod lenius inquirendi quam puniendi maior necessitas est. Ad hoc enim et mitissimi homines facinus admissum diligenter atque instanter examinare debent, ut quibus parcant inueniant.

### C. II. Preter supplicium mortis rei sunt puniendi.

Idem Marcellino. [epist. CLVIII].

Pena illorum, quamuis de tantis sceleribus confessorum, rogo te ut preter supplicium mortis sit, et propter conscientiam nostram, et propter catholicam mansuetudinem commendandam.

Ipsa enim fructus ad nos peruenit confessionis illorum, quia inuenit ecclesia catholica, ubi erga atrocissimos inimicos seruet atque exhibeat lenitatem.

Quod etsi modo quibusdam nostris illa atrocitate commotis uidetur indignum, et quasi dissolutionis et negligentiae simile, transactis tamen motibus animorum (qui recentioribus factis solent turbulentius excitari) egregie luculenta bonitas apparebit.

### C. III. Mali sunt prohibendi a malo, et cogendi ad bonum.

Idem Donato. [epist. CXXVII].

Unum solum est, quod in tua iusticia pertimescimus, ne forte (quoniam quicquid mali contra Christianam societatem ab hominibus inpiis ingratis que committitur, profecto grauius est et atrocius, quam si in alios committatur) tu quoque pro inmanitate facinorum, ac non potius pro lenitatis Christianæ consideratione censeas coercendum.

Quod te per Iesum Christum ne facias obsecramus.

Et paulo post:

§. 1. Ex occasione terribilium iudicium et legum, ne eterni iudicii penas luant, corrigi eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos negligi uolumus, nec suppliciiis, quibus sunt digni, coerceri.

Sic ergo eorum peccata conpescere, ut sint quos peniteat peccauisse.

Et paulo post:

§. 2. Proinde si occidendos in his uiros putatis, deterrebitis nos, ne per nostram operam iudicium tale quid perueniat.

Quo conperto in nostram perniciem licentiori audacia grassabuntur, necessitate nobis incompacta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos uestris iudiciis inferamus.

C. IV. Quies ecclesiæ principum seueritate iuuatur.

Idem. [Macedonio, epist. LIV].

Prodest seueritas uestra, cuius ministerio quies adiuuatur et nostra.

Prodest intercessio nostra, cuius ministerio seueritas temperatur et uestra.

Non uobis displiceat, quod rogamini a bonis, quia nec nobis, quod timemini a malis.

§. 1. Nam hominum iniquitatem etiam apostolus Paulus non tantum iudicio futuro, uerum etiam de presentibus uestris secularibus potestatibus terruit, asserens et ipsas ad dispensationem diuinæ prouidentiae pertinere.

“Omnis,” inquit, “anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etc.”.

Hec uerba Apostoli utilitatem uestræ seueritatis ostendunt.

Proinde sicut dilectionem iussi sunt terrentibus debere qui timent, ita dilectionem iussi sunt timentibus debere qui terrent.

Nichil nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi karitate, et nichil fiat inmaniter, nichil inhumaniter.

Ita formidetur ulcio cognitoris, ut nec intercessoris religio contempnatur, quia et plectendo, et ignoscendo hoc solum bene agitur, ut uita hominum corrigatur.

Quod si tanta est peruersitas et impietas, ut corrigendæ rei nec disciplinæ, nec ueniæ remedia suffragentur ab omni tamen intentione atque conscientia, quam Deus cernit, siue seueritate siue lenitate, non nisi offitium dilectionis inpletur.

[PALEA. C. V.

Hoc tamen intelligendum est de illis, quos presentia supplicia in melius conmutant, non de illis, qui obstinati sunt in malo, qui, si semper uiuerent, semper peccarent, quorum pena hic incipit, et in eternum durabit].

C. VI. In presentiarum nonnulli puniuntur, ne in eternum flagellentur.

Item Ieronimus in Naum. [Prophetam, ad c. 1].

Quid ergo, ait, contra Dominum cogitatis?

Ipse, qui creauit mundum, et eius consummationem faciet.

Quid si uobis uidetur crudelis et rigidus et cruentus, quod in diluuiio genus deleuit humanum, super Sodomam et Gomorram ignem et sulphurem pluit, Egyptios submersit fluctibus, Isrælitarum cadauera prostrauit in eremo, scitote, eum ideo ad presens reddidisse supplicia, ne in eternum puniret.

Certe aut uera sunt que Prophetæ loquuntur, aut falsa.

Si uera sunt que de seueritate eius uidentur dicere, ipsi dixerunt: “Non iudicabit Dominus bis in id ipsum in tribulatione;” sin autem falsa sunt, et falsum est quod dicitur: “Non consurget duplex tribulatio:” falsa est ergo et crudelitas, que in lege scripta est.

Quod si uerum est, et negare non poterunt, dicente Propheta: “Non iudicabit Deus bis in id ipsum in tribulatione:” ergo qui puniti sunt postea non punientur.

Si autem postea punientur, scriptura mentitur, quod nefas est dicere.

Receperunt ergo et qui in diluuiio perierant, et Sodomitæ, et Egyptii, et Isrælitæ in solitudine mala sua in uita sua.



§. 1. Querat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat?

Aut enim punietur, et falsum est hoc, quod dicitur: “Non iudicabit Deus bis in id ipsum in tribulatione,” aut non punietur, et optandum est adulteris, ut in presentiarum breui et cita pena cruciatus frustrentur eternos.

Ad quod respondebimus, Deum, ut omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras, et non preueniri sententia iudicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc penæ auferri potestatem, et magnum peccatum magnis diuturnis que cruciatibus lui.

Si quis autem punitus sit ut ille in lege, qui Isrælitis maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpa leuis presenti supplicio compensata sit.

C. VII. Qui rei sunt sanguinis ab ecclesia debent defendi.

Item Gregorius.

Reos sanguinis defendat ecclesia, ne effusione sanguinis particeps fiat.

## II. Pars.

Gratian. Hinc apparet, quod mali flagellis sunt coercenti, non membrorum truncatione uel temporali morte plectendi.

§. 1. Sed obicitur illud, quod ait Dominus ad Moysen: “Maleficos non patieris uiuere;” item: “Qui coierit cum iumento morte moriatur”.

Adulterii etiam uel blasphemix crimine notatus in misericorditer lapidari iubetur.

Item Moyses, qui legem acceperat, cultores ydoli morte puniuit.

Samuel etiam Agag regem pinguissimum in frustra conscidit.

Finees quoque Iudeum cum Madianita coeuntem gladio transfixit, quod ei reputatum est ad iusticiam.

Similiter nonnulli in ueteri testamento inueniuntur malos trucidasse, nec transgressores legis, sed defensores appellantur.

§. 2. Prohibetur ergo illo precepto quisque sua auctoritate in necem alicuius armari, non legis inperio reos morti tradere.

Qui enim, publica potestate functus, ipsius legis inperio malos perimit, nec illius precepti transgressor, nec a celesti patria alienus habetur.

Unde Augustinus ad Publicolam: [epist. CLIV].

C. VIII. Ex offitio non est peccatum hominem occidere.

De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non michi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, uel pro ciuitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ.

Qui uero repelluntur aliquo terrore, ne mala faciant, etiam ipsis fortasse aliquid prestatur.

Hinc autem dictum est: “Non resistamus malo,” ne nos uindicta delectet, que alieno malo animum pascit, non ut correctionem hominum negligamus.

Unde nec reus est mortis alienæ, qui cum suæ possessioni murorum ambitum circumduxerit, aliquis ex ipsorum usu percussus interiit.

Neque enim reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, uel equus calcem iaciendo aliquem occidat, aut ideo non debent Christianorum boues habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canes.

Aut uero, quoniam apostolus Paulus satis egit, ut in tribuni noticiam perferretur, insidias sibi a quibusdam perditis preparatas, et ob hoc deductores accepit armatos, si in illos scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret?

Absit, ut ea, que propter bonum ac licitum facimus aut habemus, siquid per hec preter nostram uoluntatem cuiquam mali acciderit, nobis inputetur.

Alioquin nec ferramenta domestica et agrestia sunt habenda, ne quis ex eis uel se uel alterum interimat, nec arbores plantandæ, ne quis se inde suspendat, nec fenestra facienda, ne per hanc se quisquam precipitet.

Et quid plura commemorem, cum ea commemorando finire non possem?

Quid est in usu hominum bono ac licito, unde non possit inrogari pernicies?

### III. Pars.

Gratian. Se ipsum autem perimere nulla legis auctoritate alicui permittitur.

Unde Augustinus libro I. de ciuitate Dei: [c. 17].

**C. IX.** Qui Deo auctore bella gesserunt, preceptum non occidendi nequaquam transgressi sunt.

Si non licet priuata potestate alicui hominem occidere innocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui se ipsum occidit homicida est, et tanto fit nocentior, cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit.

Nam si Iudæ merito factum detestamur, eum que ueritas iudicat, cum se laqueo suspendit, sceleratæ illius traditionis auxisse potius, quam expiasset commissum, quoniam, de Dei misericordia desperando excrucianter penitens, nullum sibi salubris penitentiæ locum reliquit: quanto magis a sua cede se abstinere debet qui tali supplicio quid in se puniat non habet?

Iudas enim, cum se occidit, sceleratum hominem occidit, et tamen non solum Christi, uerum etiam suæ mortis reus finiuit hanc uitam, quia, licet propter scelus, alio tamen suo scelere occisus est.

§. 1. Cur autem homo, qui nichil mali fecit, sibi malefaciat, et se ipsum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum?

Item:

[c. 20]. §. 2. In sanctis canonicis que libris nobis nusquam diuinitus preceptum permissum ue reperiri potest, ut uel ipsius immortalitatis adipiscendæ, uel ipsius cauendi curandi ue causa nobismetipsis necem inferamus.

Nam et prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait: “Non occides,” presertim, quia non addidit, proximum tuum, sicut falsum testimonium cum uetaret: “Falsum,” inquit, “testimonium non dices aduersus proximum tuum”.

Nec ideo tamen, si aduersus se ipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc se putauerit crimine alienum, quoniam regulam diligendi proximum a semetipso accepit, quandoquidem scriptum est: “Diliges proximum tuum sicut te ipsum”.

Porro si falsi testimonii non minus reus est qui de se ipso falsum fatetur, quam si aduersus proximum hoc faceret, cum in eo precepto, quo falsum testimonium prohibetur, aduersus proximum prohibeatur, possit que non recte intelligentibus uideri non esse prohibitum, ut aduersus se ipsum quisque falsus testis assistat: quanto magis

intelligendum est, non licere homini se ipsum occidere, cum in eo, quod scriptum est: “Non occides,” nichil deinde addito, nec ipse utique, cui precipitur, intelligatur exceptus?

Item:

§. 3. “Non occides,” nec te, nec alterum.

Neque enim qui se occidit aliud quam hominem occidit.

§. 4. Quasdam uero exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas, sed his exceptis, quos Deus occidi iubet, siue data lege, ad personam pro tempore expressa iussione, siue ipse qui occidit, ministerium debet iubenti, sicut gladius ammiculum utenti.

Et ideo nequaquam contra hoc preceptum fecerunt, quod dictum est: “Non occides,” qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ius legis, hoc est iustissimæ rationis inperium, sceleratos morte punierunt.

Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, uerum etiam laudatus est nomine pietatis, quod uoluit filium nequaquam scelerate, sed obedienter occidere.

Et merito queritur, utrum pro iussu Dei sit habendum, quod Iephte filiam, que patri occurrit, occidit, cum id uouisset se inmolaturum, quod ei uictori redeunti de prelio primitus occurrisset.

Nec Samson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus obpressit, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat.

His igitur exceptis, quos uel lex iusta generaliter, uel ipse fons iustitiæ Deus specialiter iubet occidi, quisquis hominem uel se ipsum uel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.

Item:

[c. 26]. §. 5. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, uelut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium; neminem propter sua preterita peccata, que magis in hac uita opus est, ut possint penitendo sanari; neminem uelut desiderio melioris uitæ, que post mortem speratur, quia reum suæ mortis melior post mortem uita non suscipit.

C. X. Nemini licet sibi manus inicere.

Idem contra Petilianum. [lib. II. c. 49].

Tu dixisti, laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit.

Hoc ad nos non pertinet omnino.

Neque enim ueneramur nomine martirum eos, qui sibi collum ligauerunt.

C. XI. De eodem.

Item Ieronimus in Iona Propheta. [ad cap. I., non longe a fine].

Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter excipere.

Unde et in persecutionibus non licet propria perire manu (absque eo, ubi castitas periclitatur), sed percutienti colla submittere.

C. XII. Nulla fiat pro illis oratio, qui se ipsos interficiunt.

Item ex Concilio Bracaren. [I., c. 34].

Placuit, ut hii qui sibi ipsis uoluntarie aut per ferrum, aut per uenenum, aut per precipitium aut per suspendium, uel quolibet modo inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur.

Multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpant.  
Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus moriuntur.  
Gratian. Inpenitentes subaudiatur.  
Idem in eodem libro I:

**C. XIII.** Non est reus homicidii miles, qui potestati obediens hominem occidit.

#### **IV. Pars.**

Miles, cum obediens potestati, sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla ciuitatis suæ lege reus est homicidii; immo, nisi fecerit, reus inperii deserti atque contempti est.

Quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque unde punitur, si fecerit iniussus, inde punietur, si non fecerit iussus.

**C. XIV.** Homicida est qui sponte occidit quos iudex iubet occidi.

Item in questionibus Exodi. [quest. XXXIX. ad c. 11].

Cum minister iudicis occidit eum, quem iudex iussit occidi, profecto, si id sponte facit, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit a iudice debuisse occidi.

**C. XV.** Sicut iure laudatur obedientia, ita reprehenditur qui sibi non concessa usurpat.

Idem. [lib. XXII. contra Faustum, c. 73].

Lex eterna ita medio quodam posuit loco aliqua, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis iure laudetur obedientia.

Abraham, si spontaneus motus fuisset in occidendo filio, execrabilis haberetur: at iubenti Deo obsecundans famulatus est.

**C. XVI.** Bono animo offitia uindictæ possunt impleri.

Idem in questionibus super Matheum. [lib. I. qu. 10].

Offitia uindictæ possunt implere boni bono animo, quomodo iudex, quomodo lex.

**C. XVII.** Non est iniquus, sed humanus, qui crimen persequitur, ut hominem liberet.

Idem ad Macedonium. [epist. LIV].

Non est iniquitatis, sed potius humanitatis societate deuinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator.

**C. XVIII.** Quare sint instituta regia potestas et legalia tormenta.

Idem. [in eadem epistola]

Non frustra sunt instituta potestas regis, ius cognitoris, unguis carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris; habeant ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates.

Hec cum timentur, et mali cohercentur, et boni quieti inter malos uiuunt.

**C. XIX.** Nonnumquam potius peccat qui causam mortis prebet, quam ille, qui occidit.

Item.

Cum homo ab homine occiditur, multum distat, utrum fiat nocendi cupiditate, uel iniuste aliquid auferendi (sicut fit ab inimico, sicut a latrone), an ulciscendi uel

obediendi ordine (sicut a iudice, sicut a carnifice), uel euadendi uel subueniendi necessitate, sicut interimitur latro a uiatore, hostis a milite.

§. 1. Et aliquando qui causa mortis fuit potius in culpa est, quam ille, qui occidit; uelut si quispiam decipiat fideiussorem suum, atque ille pro isto supplicium legitimum luat.

Nec tamen omnis, qui causa alienæ mortis est, reus est.

Velut si stuprum quisquam petat, sese que, si non inpetrauerit, interimat?

Quid si filius timens patris pia uerba precipitio pereat?

Quid si alius homine liberato, uel ne alius liberetur, sibi ipsi mortem inferat?

Num propter istas alienarum mortium causas aut sceleri consentiendum est, aut uindicta peccati, que non fit nocendi, sed corrigendi studio, etiam paterna tollenda, aut opera misericordiæ cohibenda sunt?

Hec cum accidunt, debemus eis humanum dolorem, non propter illa, ne accidunt, recte factorum reprimamus uoluntatem.

C. XX. Quod sacerdotes efficere docendo non ualent; disciplinæ terrore potestas extorqueat.

Item Ysidorus. [lib. III. Sent. de summo bono, c. 53].

Principes seculi nonnumquam intra ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant.

Ceterum intra ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi ut quod non preualent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem potestas hoc inperet per disciplinæ terrorem.

Sepe per regnum terrenum celeste regnum proficit, ut qui intra ecclesiam positi contra fidem et disciplinam agunt rigore principum conterantur, ipsam que disciplinam, quam ecclesiæ utilitas exercere non preualet, ceruicibus superbiorum potestas principalis inponat, et, ut uenerationem mereatur, uirtutem potestatis inperiat.

Cognoscant principes seculi Deo se debere esse rationem reddituros propter ecclesiam, quam Christo tuendam suscipiunt.

Nam siue augeatur pax et disciplina ecclesiæ per fideles principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit.

C. XXI. Et regia, et sacerdotalis defendant auctoritas que ad diuinam confessionem pertinent.

Item Leo Papa. [epist. XXIX. ad Pulcheriam Augustam].

Res omnes aliter tutæ esse non possunt, nisi que ad diuinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas.

C. XXII. Sacerdotalis ammonitio quos corrigere non ualet secularis potentia corrigat.

Item ex Concilio Turonensi III. [c. 41].

Incestuosi, patricidæ, homicidæ multi apud nos reperiuntur; sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt ammonitionibus aurem accommodare, uolentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per secularis potentiae disciplinam a tam praua consuetudine coherceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt reuerti.

C. XXIII. Malos conprimere, et bonos subleuare regum offitium est.

Item Ieronimus super Hieremiam. [ad c. 22].

Regum est proprium, facere iudicium atque iusticiam, et liberare de manu calumpniantium ui obpressos, et peregrino pupillo que et uiduæ, qui facilius obprimuntur a potentibus, prebere auxilium.

Et, ut curam eis preceptorum Dei maiorem iniceret, intulit: “Nolite contristare,” ut non solum eripiatis, sed ne patiamini quidem ut uestra conniuentia eueniat eos ab aliis contristari, “et sanguinem innocentem non effundatis in loco isto”.

Homicidas enim, et sacrilegos etc.

Et post pauca:

“Si,” inquit, “hec feceritis, o reges Iuda, tenebitis pristinam potestatem”.

## V. Pars.

Gratian. Ipsis autem principibus et potestatibus fidem et reuerentiam seruari oportet, quam qui non exhibuerit apud Deum premia inuenire non poterit.

Unde idem Ieronimus: [in epist. ad Titum, c. 2. ad uers. Serui dominis]

**C. XXIV.** Eterna mercede fraudatur qui fidem et reuerentiam potestatibus seruare contempnit.

Si apud dominos carnales in minimis fideles fuerint, incipient eis apud Dominum maiora committi.

Ornat autem doctrinam Domini qui ea, que condicioni suæ apta sunt, facit, ut e diuerso confundit eam qui non est subiectus in omnibus, cui condicio sua displicet, qui contradictor atque fraudator in nullo bonam fidem ostendit.

Quomodo enim potest fidelis esse in substantia Dei qui carnali domino fidem exhibere non potuit?

**C. XXV.** Militaris disciplina regi omnia seruat.

Item Ambrosius in libro I. de Patriarchis. [id est de Abraham cap. 3].

Dicat aliquis, cum ipse uicerit, quomodo dicit Abraham ad regem Sodomorum: “Nichil sumam abs te,” cum preda fuerit utique in potestate uictoris?

Docet militarem disciplinam, ut regi seruentur omnia.

Sane his, qui se cum fuissent in adiumentum fortasse sociati, partem emolumentum tribuendam asserit tamquam mercedem laboris.

Ideo que, quoniam sibi mercedem ab homine non quesiuit, a Deo accepit, sicut legimus scriptum, quia post hec uerba factum est uerbum Domini ad Abraham in uisu, dicens: “Noli timere Abraham; ego protegam te, et merces tua magna erit ualde”.

## VI. Pars.

Gratian. Preterea, sicut principibus et potestatibus fidem et reuerentiam exhibere cogimur, ita secularium dignitatum amministratoribus defendendarum ecclesiarum necessitas incumbit.

Quod si facere contempserint, a communione sunt repellendi.

Unde Iohannes VIII.:

**C. XXVI.** Querimonias ecclesiarum qui in dignitatibus agunt attentius debent audire.

Amministratorum plane secularium dignitatum, qui ad ecclesiarum tuicionem, pupillorum ac uiduarum protectionem, rapacium que refrenationem constituti esse proculdubio debent, quotiens ab episcopis et ecclesiasticis uiris conuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant, et secundum quod necessitas expetierit absque negligentia examinent et diligenti studio corrigant.

Quod si Dei timorem pre oculis non habentes negligere post secundam et tertiam ammonitionem inuenti fuerint, omni communione usque ad condignam se nouerint satisfactionem priuatos.

**C. XXVII.** Contrariæ fortitudines non solum homines sunt sed ultrices iræ Dei.  
Item Ieronimus super Iohel. [ad c. 2].

## **VII. Pars.**

Non solum homines ministri sunt et ultores Dei iræ his, qui malum operantur (unde non sine causa gladium portant), sed et contrariæ fortitudines, que appellantur furor et ira Dei.

**C. XXVIII.** Qui crudeles iugulat non est talis, qualis patientibus uidetur.  
Idem super Ysaiam. [ad c. 13].  
Non est crudelis qui crudeles iugulat: sed crudelis patientibus esse uidetur.  
Nam latro suspensus patibulo crudelem iudicem putat.

**C. XXIX.** Minister Domini est qui malos percutit in eo, quod mali sunt.  
Idem super Ezechielem libro III. [ad c. 9].  
Qui malos percutit in eo, quod mali sunt, et habet uasa interfectionis, ut occidat pessimos, minister est Domini.

**C. XXX.** Non scelus admittit iudex, qui hominem uincit.  
Idem super epistola ad Galathas libro II. [ad c. 3].  
Iudex non est auctor sceleris, homines uinciendo.

**C. XXXI.** Non sanguinem fundit qui homicidas et sacrilegos punit.  
Idem super Hieremiam. [lib. IV., ad c. 22].  
Homicidas, et sacrilegos, et uenenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.

**C. XXXII.** Principes seculi pessimis parcere non debent.  
Item Ciprianus. [libro de exhortatione martyrii, c. 5].  
Si audieris in una ex ciuitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic, dicentes: Eamus, et seruiamus Diis alienis, quos non nostis, interficiens necabis omnes, qui sunt in ciuitate, cede gladii, et incendes ciuitatem igni, et erit sine habitaculo in eternum: non reedificabitur etiam nunc, ut auertatur Dominus ab indignatione iræ suæ.  
Et dabit misericordiam tibi, et miserebitur tui, et multiplicabit te, si exaudieris uocem Domini Dei tui, et obseruaueris precepta eius.  
Cuius precepti et uigoris memor Matathias interfecit eum, qui ad aram sacrificaturus accesserat.  
Quod si ante aduentum Christi circa Deum colendum et ydola spernenda hec precepta sunt seruata, quanto magis post aduentum Christi seruanda sunt, quando ille ueniens non uerbis nos hortatus sit, sed et factis?

**C. XXXIII.** Tribulationum flagellis aliquando perfidia castigatur.  
Item Augustinus contra Petilianum. [lib. II. c. 83].

Ad fidem nullus est cogendus ut dicitis, sed per seueritatem, immo et per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari.

Numquid, quia mores optimi libertate uoluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur?

Sed tamen male uiuendi ultrix disciplina prepostera est, nisi cura precedens bene uiuendi doctrinam pretendat.

Sic igitur que aduersus uos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini.

Nam benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera uoluntate.

§. 1. Cum aliquid aduersus uos leges constituunt, admoneri uos credite, ut cogitetis, quare ista patiamini.

Si propter iusticiam, reuera illi persecutores uestri sunt, uos autem beati, qui persecutionem passi propter iusticiam possidebitis regnum celorum.

Si autem propter iniquitatem scismatis uestri, illi quidem correctores uestri sunt; uos autem, sicut ceteri diuersorum scelerum rei, qui penas legibus pendunt, profecto infelices et in hoc, et in futuro seculo.

**C. XXXIV.** Iniuria sacramentorum Christi a regibus est uindicanda.

Idem. [in eodem lib., c. 92].

Si propterea persecutor non fuit Nabuchodonosor, quia scelus in sanctum Danielem commissum uindicauit iustissime: quomodo uindicandum est a regibus, quod Christi sacramenta exsufflantur, si Prophetæ membra, quia in periculum missa sunt, sic uindicari meruerunt?

**C. XXXV.** Diligentissimi rectores sunt, qui malos, ut a malo fugiant, persequuntur.

Idem. [in libro de unitate ecclesiæ, c. 17].

Si uos contra ecclesiam Christi altaria erexisse, et a Christiana unitate, que toto orbe diffunditur, sacrilego scismate separatos esse, et corpori Christi (quod est ecclesia toto orbe diffusa), rebaptizando, et blasphemando, et quantum potestis obpugnando aduersarios sancta et canonica scriptura conuincit, non inpii atque sacrilegi: illi autem, qui uos pro tanto scelere tam leuiter dampnorum ammonitionibus, uel locorum, uel honorum, uel pecuniæ priuatione deterrendos coercendos que decernunt, ut cogitantes, quare ista patiamini, sacrilegium uestrum cognitum fugiatis, et ab eterna dampnatione liberemini, diligentissimi rectores, et piissimi consultores deputantur.

**C. XXXVI.** Non amatur seruus uel filius, cum non corripitur.

Idem super epistolam Iohannis. [tractatu VII].

Non putes, te tunc amare seruum tuum, quando eum non cedis, aut tunc amare filium tuum, quando non das disciplinam, aut tunc amare uicinum tuum, quando non corrigis eum.

Non est ista karitas, sed languor.

Ferueat karitas ad emendandum, ad corrigendum.

Si sunt boni mores, delectent: si sunt mali, emendentur.

**C. XXXVII.** Innocentis offitium est nulli nocere, et peccantem punire.

Idem super libro [XIX]. de ciuitate Dei. [c. 16].

Non est innocentia parcendo sinere, ut in malum grauius incidatur.



Pertinet ergo ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, uerum etiam a peccato cohibere, uel punire peccatum, ut aut ipse, qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.

**C. XXXVIII.** Non est misericors qui uicis nutriendis parcat.

Idem ad Letarium.

Qui uicis nutriendis parcat et fauet, ne contristet peccantium uoluntatem, tam non est misericors, quam qui non uult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, et non timet, ne uulneratum doleat uel extinctum.

**C. XXXIX.** Enormia flagicia per seculi iudices corripantur.

Item Aimo super epistolam ad Romanos. [c. 13].

Sunt quedam enormia flagicia, que potius per mundi iudices, quam per antistites et rectores ecclesiarum uindicantur, sicut est cum quis interficit Pontificem apostolicum, episcopum, presbiterum, siue diaconum.

Huiusmodi reos reges et principes mundi dampnant.

Ergo non sine causa gladium portat qui talia scelera diiudicat.

Sunt enim maxime constituti propter homicidas, raptos, ut et illos dampnent, et alios suo timore conpescant.

**C. XL.** Furta et cetera crimina a rege sunt cohibenda.

Item Ciprianus in nono genere abusionis.

Rex debet furta cohibere, adulteria punire, inpios de terra perdere, patricidas et periuros non sinere uiuere, filios suos non sinere in pie agere.

**C. XLI.** Non peccat qui ex officio nocentem interficit.

Item Augustinus de libero arbitrio, libro I. [c. 4].

Si homicidium est hominem occidere, potest occidere aliquando sine peccato.

Nam et miles hostem, et iudex uel minister eius nocentem, et cui forte inuito atque imprudenti telum manu fugit, non michi uidentur peccare, cum hominem occidunt.

Sed nec etiam homicidæ isti appellari solent.

Idem in questionibus Leuitici:

[quest. 68. ad cap. 19]. §. 1. Cum homo iuste occiditur, lex eum occidit, non tu.

**C. XLII.** Non qui ad bonum, sed qui ad malum cogit persequitur.

Item Pelagius Papa.

Non uos hominum uaniloquia retardent dicentium, quia persecutionem ecclesia faciat, dum uel ea, que committuntur, reprimit, uel animarum salutem requirit.

Errant huiusmodi rumoris fabulatores.

Non persequitur, nisi qui ad malum cogit.

Qui uero malum uel factum iam punit, uel prohibet ne fiat, non persequitur iste, sed diligit.

Nam si, ut illi putant, nemo nec reprehendendus a malo, nec retrahendus ad bonum est, humanas ac diuinas leges necesse est euacuari, que et malis penam, et bonis premia iusticia suadente constituunt.

Malum autem scisma esse, et per exteris etiam potestates huiusmodi obprimi homines debere, et canonicæ scripturæ auctoritas, et paternarum nos regularum ueritas docet.

Quisquis ergo ab apostolicis diuisus est sedibus, in scismate eum dubium non est esse, et contra uniuersalem ecclesiam altare conatur erigere.

§. 1. Sed quid de talibus insertus Calcedonensi sinodo canon statuatur, gloria uestra consideret, ubi post alia sic dicit: “Qui a communionem semet ipsum suspendit, et collectam fecit, et altare constituit, et noluit uocanti episcopo consentire, et noluit eidem acquiescere, neque obedire et prius et secundo uocanti, hunc omnino dampnari, nec umquam uel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem.

Si enim permanserit turbas faciens et seditiones ecclesiae, per extraneam potestatem tamquam seditiosum conprimi”.

§. 2. Et B. Augustinus de talibus dicit: “Multa etiam cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potius utilitati consulendum est quam uoluntati.

Nam in corripiendo filio, quamuis aspere, numquam paternus amor amittitur; fit tamen quod nollet ut doleat qui etiam inuitus uidetur dolore sanandus”.

Ecce uidetis, quemadmodum tanti testimonio patris non persequatur talia coercedo, sed diligit emendando tales semper ecclesia.

Facite ergo etiam uos quod scientes intentionem Christianitatis uestrae frequenter hortamur, et date operam, ut talia ultra fieri non liceat, sed etiam (quod uobis facillimum esse non dubito) hii, qui presumpserunt talia, ad piissimum principem sub digna custodia dirigantur.

§. 3. Recolere enim debet celsitudo uestra, quid per uos Deus fecerit tempore illo, quo et, Istrias et Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta uasantibus, non ante tamen Mediolanensem episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum principem exinde retulissetis, et quid fieri debuisset eius iterum scriptis recognouissetis, et inter ubique feruentes hostes, Rauennam tamen et is, qui ordinabatur, et is, qui ordinaturus erat, prouidentia culminis uestri deducti sunt.

**C. XLIII.** Scismaticos et hereticos seculi potestates coerceant.

De Liguribus, atque Veneticis, et Istriis episcopis quid dicam?

quos ydonea est excellentia uestra et ratione et potestate reprimere, et dimittitis eos in contemptum apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriari, cum, si quid eos de iudicio uniuersalis sinodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte mouebat, ad sedem apostolicam (quomodo semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare et accipere rationem possint, dirigere debuerunt, et non clausis oculis corpus Christi Domini nostri, hoc est sanctam ecclesiam, lacerare.

Nolite ergo dubitare huiusmodi homines principali uel iudiciali auctoritate conprimere, quia regulae Patrum hoc specialiter constituerunt, ut, si qua ecclesiastici officii persona cui subiectus est restiterit, uel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu scisma fecerit, iste excommunicetur atque dampnetur.

Quod si forte et hoc contempserit, et permanserit diuisiones et scismata faciendo, per potestates publicas obprimatur.

Ecce, domine, quia animus uester forte timidus est, ne persequi uidearis, de Patrum uobis auctoritate hec breuiter dirigenda curauit, cum mille alia exempla et constitutiones sint, quibus euidenter agnoscitur, ut facientes scissuras in sancta ecclesia non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum et dura custodia per publicas potestates debeant coereri.

**C. XLIV.** Ab ecclesiae unitate diuisi a secularibus potestatibus coerceantur.

Idem.

Quali nos de gloriæ uestræ studiis iudicio gratulemur, non solum uestram, sed multorum ac pene omnium credimus habere noticiam, et idcirco nunc de his, que uobis presentibus ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam uestram duximus conquerendum.

Tercius siquidem atque Maximilianus, nomina tantum episcoporum habentes, et ecclesiasticam ibi unitatem perturbare dicuntur, et omnes ecclesiasticas res suis usibus applicare, in tantum, ut contra unum eorum, id est Maximilianum, usque ad nos per tam longum iter necessitate compellente quidam infatigabiliter uenientes preces offerrent.

Ob quam causam Petrum presbiterum sedis nostræ, sed et Proiectum notarium ad eadem loca duximus destinandos, ut ea, que canonicis statutis a predictis pseudoepiscopis conpererint comissa, uel digna ibi debeant ulcione conpescere, uel eosdem ad nos usque perducere.

Et ideo salutantes paterno affectu gloriam uestram petimus, ut prefatis, qui a nostra sede directi sunt, in omnibus prebeatis auxilium, nec putetis alicuius esse peccati, si huiusmodi homines conprimuntur.

Hoc enim et diuinæ et humanæ leges statuerunt, ut ab ecclesiæ unitate diuisi, et eius pacem iniquissime perturbantes, a secularibus etiam potestatibus conprimantur.

Nec quicquam maius est, unde Deo sacrificium possitis offerre, quam si id ordinetis, ut hii, qui in suam et in aliorum perniciem debachantur, competenti debeant uigore conpesci.

**C. XLV.** Iniquitas prauorum, quamuis bonis proficiat, tamen punienda est.

Item Pelagius Papa. [Iohanni Patricio]

Relegentes litteras excellentiæ uestræ, de iniuria quidem, quam uobis iniquorum hominum presumptio ingessit, ualde doluimus.

Sed quia scimus, occulto Dei iudicio animam uestram, etsi per aliorum iniquitatem ac superbiam, a contaminatione scismatis custoditam, egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consueuit.

Nec enim sine illius prouidentia factum esse credendum est, ut insensati et peruersissimi homines ad hoc usque prosilirent, ut, suam diuisionem catholicam esse credentes ecclesiam, a pollutione sua uos prohiberent.

Sic enim per misericordiam Dei etiam factum est nescientibus illis, ut a scismaticorum communionem eruti, catholicæ, quam diligitis, seruari uos contigisset ecclesiæ.

Quamuis igitur uestra per illorum scelus facta sit utilitas, nolite tamen inpunitam presumptionem iniquorum hominum grassari permittere.

Si enim hoc, quod in uestram gloriam presumpserunt non fuerit uindicta conpressum, quod in minoribus ualeant puniri, ultra non debet ambigi.

Exercete igitur in talibus debitam auctoritatem, et, ne eis amplius talia conmittendi spes crescat, uestris coercionibus reprimatur.

Ad hoc siquidem Dei nutu etiam contra uos talia presumpserunt, ut talia uobis corrigentibus ab eorum scelere alios possetis, Deo propitiante, munire.

Quales sunt autem qui ecclesiam fugiunt, Eufrasii uos scelera (que Deus occulta amplius esse noluit) euidenter informant, qui in homicidio quidem nec hominis necessitudinem, nec karitatem fratris nec sacerdotii reuerentiam cogitauit.

Incestuoso autem in adulterio etiam ipsi uindictæ abstulit modum, quia, si adulterium punias, non remanet in quo uindicetur incestus.

Si incestuoso ingeras penam, inultum crimen adulterii remanebit.

Ecce, de quo collegio sunt qui, quantum ad superbiam suam, iniuriam uobis inferre moliti sunt, et, quantum ad prouidentiam Dei, inpollutos uos ecclesiae seruauerunt.

Auferte tales ab ista prouincia, utimini oblata uobis a Deo obprimendi perfidos occasione.

Quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad clementissimum principem dirigantur, et maxime ecclesiae Aquilegensis inuasor, qui et in scismate, et in eo maledictus, nec honorem episcopi poterit retinere, nec meritum.

**C. XLVI.** In certamine, quod contra infideles geritur, quisquis moritur, celeste regnum meretur.

Item Nycolaus exercitui Francorum.

Omnium uestrum nosse uolumus karitatem, quoniam quisquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi celestia minime negabuntur.

**C. XLVII.** Non sunt homicidæ qui aduersus excommunicatos zelo matris ecclesiae armantur.

Item Urbanus II Godifredo, Lucano Episcopo.

Excommunicatorum interfectoribus (prout in ordine Romanæ ecclesiae didicisti) secundum intentionem modum congruæ satisfactionis iniunge.

Non enim eos homicidas arbitramur, quos, aduersus excommunicatos zelo catholice matris ardentes, aliquos eorum trucidasse contingit.

Ne tamen eiusdem ecclesiae matris disciplina deseratur, tenore, quem diximus, penitentiam eis indicito congruentem, qua diuinæ simplicitatis oculos aduersus se conplacare ualeant, si forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagicio incurrerint.

**C. XLVIII.** Pax ecclesiae mesticiam consolatur perditorum.

Item Augustinus [epistola L]. ad Bonifatium.

Quis enim nostrum uelit aliquem inimicorum non solum perire, uerum etiam aliquid perdere?

Sed si aliter non meruit habere pacem domus Daud, nisi Absalon, filius eius, in bello, quod gerebat contra patrem, fuisset exstinctus, quamuis magna cura mandauerit suis, ut eum, quantum possent, uiuum saluum que seruarent, et esset cui paternus affectus penitenti ignosceret quid ei restitit, nisi perditum flere, et sui regni pace acquisita suam mesticiam consolari?

Gratian. Si ergo uiri sancti et publicæ potestates bella gerentes non fuerunt transgressores illius mandati: "Non occides," quamuis quosque flagitiosos digna morte perimerent; si miles suæ potestati obediens non est reus homicidii, si eius imperio quemlibet flagitiosum interfecerit; si homicidas, et uenenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium; si pax ecclesiae mesticiam consolatur perditorum; si illi, qui zelo catholice matris accensi excommunicatos interficiunt, homicidæ non iudicantur: patet, quod malos non solum flagellari, sed etiam interfici licet.

§. 1. Sed queritur, si contingat aliquos malos puniri ab his, qui non habent legitimam potestatem, an sint rei effusi sanguinis hii, per quos puniuntur?

De his ita scribit Ambrosius: [lib. II. de Cain et Abel, cap. 4].

**C. XLIX.** Aliquando puniuntur peccata per populos diuino iussu excitatos.

Remittuntur peccata per Dei uerbum, cuius Leuites interpres et quidam executor est. Remittuntur per officium sacerdotis sacrum que ministerium.

Puniuntur quoque peccata per homines, sicut per iudices, qui potestate ad tempus utuntur.

§. 1. Puniuntur peccata etiam per populos, sicut legimus, quia sepe ab alienigenis, Dei iussu excitatis propter diuinæ maiestatis offensam, subactus est populus Iudeorum. Gratian. Hinc notandum est, quod aliquando punit Deus peccata per nescientes, aliquando per scientes.

Per nescientes peccata punit, sicut per Sennacherib, et per Nabuchodonosor, et per Antiochum, et per principes Romanorum, et per nonnullos reges gentilium populum Isræliticum delinquentem afflixit aliquando, aliquando captiuauit.

§. 1. Unde ipse Dominus ait per Prophetam: “Virga furoris mei Assur: ipse autem non cognouit”.

Assur erat uirga furoris Domini, quia per eum innumeras gentes diuina iusticia flagellare disposuit.

Ipsa uero non cognouit, quia in superbiam elatus uictoriam, quam assecutus fuerat, non diuinæ potenciæ, sed suis uiribus attribuit.

Unde contra eius superbiam Dominus loquitur, dicens: “Numquid serra gloriabitur contra eum, qui secat in ea?

aut numquid exaltabitur securis contra eum, qui cedit in ea?”

Quibus similitudinibus satis perspicue ostenditur, quod sicut serra et securis nec secare, nec cedere ligna possunt, nisi ab alio regantur, ac ideo contra regentem se superbire non debent: sic illi, per quos Deus punit, absque nutu diuinæ dispositionis nichil agere ualent, ac ideo contra se regentem superbire non licet eis.

§. 2. Tales in eo, quod puniunt, Deo seruire dicuntur; in eo autem, quod ignorantes se esse ministros iræ Dei inopia uanitate superbiunt, mercedem seruitutis suæ a Deo non nisi temporalem inueniunt, penam uero superbiæ suæ non effugiunt.

Unde, cum diceret ad Prophetam de Nabuchodonosor Dominus: “Quid dabo ei pro labore, quo seruiuit michi apud Tirum?”

statim subiunxit: “Da,” hoc est datam sibi pronuncia, “Egyptum et Ethiopiam”.

Cum autem in corde suo superbiens postea diceret: “Nonne hec est Babylon, quam ego condidi in robore regni mei?

etc.” statim inmutauit Deus rationabilem mentem eius, et induit eum bestialitate ferina, ut ab hominibus fugiens cum bestiis uiueret.

§. 3. Per Antiochum quoque, cum ydolatriam Iudaicæ plebis Dominus puniret, et pacem, quam ex lege Dei abiecta, et ex sacris nationum assumptis querebant, illis in perniciem uerteret, quia Dei dispositionem ignorans suæ facultati deuastationem illius plebis attribuit, inprecatur in eum Propheta, dicens: “Effunde iram tuam in gentes, que te non nouerunt, et in regna, que nomen tuum non inuocauerunt, ne forte dicant in gentibus: ubi est Deus eorum?”

§. 4. Similiter, cum per Romanos peccatum mortis Christi Deus punire decreuisset, urbis excidium et Iudaicæ plebis miseram captiuitatem suis uiribus ascribere ceperunt, unde contra eos Propheta inprecatur, dicens: “Leua manus tuas in superbias eorum, qui te oderunt,” et qui multa maligne operati monumenta suæ uictoriæ posuerunt in medio atrio tuo.

§. 5. Per scientes peccata puniuntur, sicut per filios Isræel uoluit peccata punire Amorrhæorum, et Chanæorum et aliarum gentium, quarum terram Isrælitis

possidendam dedit, quibus etiam precepit, ut nemini eorum parcerent, sed omnes morti traderent.

Quod propter peccata eorum illis contigisse ex uerbis Domini apparet, qui, cum diceret ad Abraham: “Semini tuo dabo terram hanc,” ueluti quereret, quare non modo das eam michi?

audiuit: “Nondum enim sunt peccata Amorrhæorum consummata”.

Que tunc intelliguntur fuisse consummata, cum populus ille, de Egyptiaca seruitute liberatus, terram eorum, sicut Abrahæ promissum fuerat, in hereditatem accepit.

§. 6. Cum ergo sic diuino iussu ad puniendum peccata populi excitantur, sicut populus ille Iudaicus est excitatus ad occupandam terram promissionis, et ad delendas gentes peccatrices, sine culpa noxius sanguis effunditur, et que ab eis male possidentur in ius et dominium rite transeunt bonorum.

§. 7. Cum uero occulto instinctu aliqui mouentur ad persequendum malos, sicut Sennacherib, et ceteri, qui populum delinquentem persecuti sunt, licet occulto instinctu operante illorum meritis incitentur ad persequendum, tamen, quia praua intentione non peccata delinquentium punire, sed illorum bona rapere uel suæ dicioni subicere querunt, non sunt innumes a crimine.

De quibus etiam notandum est, quod aliquando excitantur ad puniendum peccata bonorum, ut tandem per bonos correctos ipsi quoque puniantur, sicut in libro Iudicum legitur de Iabin, rege Chananeorum, et de Madianitis, quod propter ydolatriam populi suscitauit eos Deus, ut Israël affligerent, et terram eorum occuparent.

Cum autem populus Dei sub manibus eorum diutius afflicto peccatum suum recognosceret, et per penitentiam Deum sibi placaret, ex Dei precepto et Barach, comitatus Delboram prophetissam, uxorem Lapidoth, Iabin, regem Chananeorum, et Sysaram ducem exercitus sui, contriuit, et Gedeon et Zebee et Salmana, reges Madianitarum, et Oreb et Zeb, duces eorum, morti tradidit.

§. 8. Apparet ergo, quod aliquando per legitimam potestatem gerentes, aliquando per populos diuino iussu excitatos, mali pro peccatis suis non solum flagellantur, sed etiam rite perduntur.

Nec est contrarium illud Augustini, quod ad Marcellinum pro circumcellionibus supplicans rogabat, ut uerberibus eos coherceret, non morte perderet.

Quamuis enim supplicando spatium uitæ eis reseruari poposcit, non tamen legum seueritatem, qua tales morte plectuntur, non obseruandam docuit.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

Quod autem queritur, an mali sint cogendi ad bonum? facile apparet.

Antiquus namque populus metu penarum ad legis obseruationem cogebatur.

In euangelio quoque Dominus ait discipulis suis: “Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt, sed potius eum timete,” id est ei in timore seruite, “qui potest animam et corpus perdere in gehennam”.

Paulus quoque, cum ecclesiam Dei persequeretur, in itinere cecatus ad Deum conuerti coactus est.

Unde se abortiuo similem testatus est, dicens: “Nouissime autem omnium tamquam abortiuo uisus est et michi”.

Hinc Augustinus scribit [epist. L]. ad Bonifatium:

**C. I.** Ecclesia malos debet cogere ad bonum, sicut Christus Paulum coegit.

Scismatici dicunt: cui Christus uim intulit, quem coegit?

Ecce habent apostolum Paulum.

Agnoscant in eo prius cogentem Christum, postea docentem: prius ferientem, postea consolantem.

Mirum est autem, quomodo ille, qui pena corporis ad euangelium coactus intrauit, plus omnibus illis laborauit, qui solo uerbo uocati sunt, in euangelio, et quem maior timor compulit ad karitatem, eius perfecta karitas foras mittit timorem.

Cur ergo non cogeret ecclesia perditos filios, ut redirent, si perditii filii coegerunt alios, ut perirent?

Quamuis et illos, quos non coegerunt, sed tantummodo seduxerunt, si per terribiles et salubres leges in eius gremio reuocentur, blandius pia mater amplectitur, et de illis multo amplius, quam de his, quos numquam perdiderat, gratulatur.

§. 1. An non pertinet ad diligentiam pastorem etiam illas oues, que non uolenter ereptæ, sed blande leniter que seductæ a grege aberrauerant, et ab alienis possideri ceperant, inuentas ad ouile dominicum, si resistere uoluerint, flagellorum terroribus uel etiam doloribus reuocare?

Item:

§. 2. A Christo coactum Paulum ostendimus.

Imitatur itaque ecclesia in istis cogendis Dominum suum, que prius, ut neminem cogeret, expectauit, ut de fide regum atque gentium predicatio prophetica conpleretur.

§. 3. Etiam hinc non absurde intelligitur apostolica illa sententia, ubi B. Paulus dixit: “Parati ulcisci omnem inobedientiam, cum completa fuerit prior uestra obedientia”.

§. 4. Unde et ipse Dominus ad magnam cenam suam prius conuiuas adduci iubet, postea cogi.

Nam, cum ei serui respondissent: “Domine, factum est quod iussisti, et adhuc locus est, exite,” inquit, “in uias et sepes, et quoscumque inueneritis cogite intrare”.

In illis ergo, qui primo leniter adducti sunt, completa est prior obedientia; in istis autem, qui coguntur, inobedientia cohercetur.

Item:

§. 5. Si per potestatem, quam per religionem ac fidem regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit ecclesia, hii, qui inueniuntur in uiiis et sepibus, id est in heresibus et scismatibus, coguntur intrare, non quia coguntur, reprehendant, sed quo coguntur, attendant.

**C. II.** Variis modis errantes corripiuntur a Domino.

Idem ad Donatistas. [epist. CLXVI].

“Quod errauerat,” inquit Dominus, “non reuocastis, et quod perierat non requisistis”.

Hoc uobis per nos ipse Deus facit, ipse obsecrando, ipse minando, siue corripiendo, siue dampnis, siue laboribus, siue per ammonitiones suas occultas uel uisitationes, siue per potestatum temporalium leges.

**C. III.** Non est considerandum, quod quisque cogitur, sed quo cogitur.

Idem in epistola [XLVIII]. ad Vincentium.

Vides, ut oppinor, non esse considerandum, quod quisque cogitur, sed quale sit illud, quo cogitur, utrum bonum, an malum: non quod quisque bonus possit esse inuitus, sed

timendo quod non uult pati uel relinquit inpedientem animositatem, uel ignoratam compellitur cognoscere ueritatem, ut timens uel respuat falsum, de quo contendebat, uel querat uerum quod nesciebat, et uolens iam teneat quod nolebat.

Item:

§. 1. Mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi cogendum esse, uerbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione uincendum, ne fictos catholicos haberem quos apertos hereticos noueram.

Sed hec opinio mea non contradicentium uerbis tantum, sed demonstrantium superabatur exemplis.

Nam primo opponebatur michi ciuitas mea, que, cum tota esset in partes Donati, ad unitatem catholicam legum imperialium timore conuersa est, quam nunc uidemus ita huius uestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea numquam fuisse credatur.

Ita aliæ multæ, que michi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa recte intelligi posse quod scriptum est: “Da sapienti occasionem, et sapientior erit”.

**C. IV. Onere pensionis rusticus ad Dominum conuerti cogatur.**

Item Gregorius Maximiano Episcopo.

Iam uero, si rusticus tantæ perfidiæ et obstinationis fuerit inuentus, ut ad Dominum minime uenire consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, ut ipsa exactionis suæ pena compellatur ad rectitudinem festinare.

Gratian. Ex his omnibus colligitur, quod mali sunt cogendi ad bonum.

§. 1. Sed obicitur, quod nemo est cogendus ad id, ad quod inutiliter cogitur.

Ad bonum autem quisque cogitur inutiliter, cum Deus aspernetur coacta seruicia.

Unde Apostolus, cum ad elemosinas Chorinthios hortaretur, ait: “Unusquisque det, prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate.

Hilarem enim datorem diligit Deus”.

Unde datur intelligi, quod qui inuitus dat propter presentem pudorem, et rem et meritum perdit.

Item, cum redderet causam, quare abstineret a sumptibus, ait: “Si ex necessitate euangelizauero, non erit michi gloria”.

§. 2. Item: “Si inuitus euangelizauero, dispensatio michi credita est.

Si autem uolens hoc ago, mercedem habeo apud Deum”.

Item, cum Galathis scriberet, legalia non esse tenenda, ait: “Si Spiritu ducimini, non estis sub lege”.

Ex quo apparet eum, qui sub lege est, id est qui timore penæ, non amore iusticiæ seruit, non duci Spiritu sancto.

Si autem Spiritu non ducitur, Deo placere minime ualet.

§. 3. Item: “Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater”.

Ex quibus uerbis datur intelligi, quod, etsi in ueteri testamento timore penæ homines cogebantur ad bonum, tamen in nouo testamento sola libertate et dilectione iusticiæ sunt inuitandi ad fidem.

Unde illi dicuntur serui et filii ancillæ, pertinentes ad Ismahel: isti dicuntur liberi et filii liberæ, pertinentes ad Ysaac.

§. 4. Item Iohannes in epistola sua: “Timor non est in karitate, sed perfecta karitas foras mittit timorem”.



Qui autem cogitur, illo timore ducitur, qui non est in karitate; qui manus comprimit, non animum mutat, quo pena timetur, non bonum diligitur.

Porro sine dilectione boni nullus Deo placere, uel in numero bonorum connumerari poterit.

Unde, cum Propheta diceret: “Animalia tua habitabunt in ea,” hereditate, ostendens, quomodo ad ipsam habitationem perueniant, subdit: “In dulcedine tua, quam tu preparasti pauperi,” dulcedinem uocans suauitatem boni operis, qua bonum fit non timore penæ, sed delectatione iusticiæ.

Cum ergo sine hac dulcedine animalia in hereditate non habitent, patet, quod nemo, nisi inutiliter, ad bonum cogitur solo timore.

Quicumque etenim ad bonum cogitur, solo timore, non amore ducitur: non sunt ergo mali cogendi ad bonum.

§. 5. His ita respondetur: Si bonum, ad quod mali coguntur, semper inuiti tollerarent, et numquam uoluntarii seruirent, inutiliter ad illud cogerentur.

Sed quia humanæ naturæ est et ea, que in dissuetudinem ducuntur, abhorre, et consueta magis diligere, flagellis tribulationum cohibendi sunt mali a malo, et prouocandi ad bonum, ut, dum timore penæ malum in dissuetudinem ducitur, abhorreatur, bonum uero ex consuetudine dulcescat.

Unde Augustinus in Psalmo 127.: “Cum per timorem gehennæ continet se homo a peccato, fit consuetudo iusticiæ, et incipit quod durum erat amari, et incipit excludi timor a karitate, et succedit timor castus, de quo hic dicitur, quo timemus, ne tardet, ne discedat, ne eo careamus.

Ille utilis, sed non permanet in eternum ut iste”.

## QUESTIO VII.

### GRATIANUS.

Nunc autem queritur, an heretici suis et ecclesiæ rebus sint expoliandi?

et qui possident hereticis ablata an dicantur possidere aliena?

De his ita scribit Augustinus ad Vincentium: [epist. XLVIII].

C. I. Res terrenæ non nisi diuino uel humano iure tenentur.

Quicumque uos ex occasione huius legis inperialis, non corrigendi dilectione, sed odio inimicandi persequitur, displicet nobis.

Et quamuis res queque terrena non recte a quoquam possideri possit, nisi uel iure diuino, quo cuncta iustorum sunt, uel iure humano, quod in potestate est regum terræ, (ideo que falso res appellatis uestras, quas nec iuste possidetis, et secundum leges terrenorum regum amittere iussi estis, frustra que dicitis, nos eis congregandis laboramus, cum scriptum legatis: “Labores inpiorum iusti edunt),” sed tamen, quisquis ex occasione legis huius, quam reges terræ Christo seruietes ad emendandam impietatem uestram promulgauerunt, res proprias uestras cupide appetit, displicet nobis.

Quisquis denique ipsas res pauperum, uel basilicas congregationum, quas sub nomine ecclesiæ tenebatis (que omnino non debentur nisi ei ecclesiæ, que uera est Christi ecclesia) non per iusticiam, sed per auariciam tenet, displicet nobis.

Quisquis pro aliquo flagicio uel facinore deiectum a uobis ita suscipit, sicut suscipiuntur qui (excepto errore, quo a nobis separamini) sine crimine apud uos uixerunt, displicet nobis.

Sed nec facile ista monstratis, nonnullos tolleramus, quos corrigere uel punire non possumus, neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter pisces malos rumpimus retia Domini, neque propter hedos in fine segregandos deserimus gregem Domini, neque propter uasa facta in contumeliam migramus de domo Domini.

**C. II.** Catholici non ideo aliena possident, quia ab hereticis ablata tenent.

Idem contra Petilianum. [lib. II. c. 43].

Si de rebus uel locis ecclesiasticis, que, non tenetis, querimini, possunt et Iudei se iustos dicere, et iniquitatem nobis obicere, quia locum, in quo impij regnauerunt, modo Christiani possident.

Quid ergo indignum, si ea, que tenebant heretici, secundum parem Domini uoluntatem catholici tenent?

Ad omnes iniquos et impios illa uox Domini ualeat: “Auferetur a uobis regnum Dei, et dabitur genti facienti iusticiam”.

An frustra scriptum est: Labores impiorum pii edent?

Quapropter magis mirari debetis, quod adhuc tenetis aliquid, quam quod aliquid amisistis.

Item:

[c. 59]. §. 1. Si qua iam concisi possidere cepistis, quia uobis ablata nobis Dominus dedit, non ideo concupiscimus aliena, quia illius imperio, cuius sunt omnia, facta sunt nostra, et iuste sunt nostra.

Vos enim utebamini ad precisionem, nos ad unitatem.

Alioquin et primo populo Dei possent illi obicere alienæ rei concupiscentiam, qui diuina potestate ab eorum facie, qui ea terra male utebantur, expulsi sunt, et ipsi Iudei, a quibus ablatum est regnum secundum uerba Domini, et datum est genti facienti iusticiam, possunt obicere alienæ rei concupiscentiam, quia ecclesia Christi possidet ubi persecutores Christi regnabant.

**C. III.** Res ecclesiasticæ ab hereticis iniuste possidentur.

Idem. [epist. L. ad Bonifacium]

Quod autem nobis obiciunt, quod res eorum concupiscamus et auferamus, utinam catholici fiant, et non solum que dicunt sua, sed etiam nostra nobis cum in pace et karitate possideant.

Usque adeo autem calumpniandi cupiditate cecantur, ut non attendant, quam sint inter se contraria que loquuntur.

Ipsi certe dicunt, et inuidiosissime sibi conqueri uidentur, quod eos in nostra communione uiolento legum imperio coartamus.

Hoc itaque nullo modo faceremus, si res eorum possidere uellemus.

Quis auarus querit conpossessorem? Quis dominandi cupiditate inflammatus, uel fastu dominationis elatus, desiderat habere consortem?

Ipsos certe attendant quondam suos, modo etiam nostros socios et fraterna nobis dilectione coniunctos, quemadmodum sua teneant non solum, que habebant, sed etiam nostra, que non habebant, que tamen, si pauperum conpares sumus, et nostra sunt, et illorum.

Si autem priuatim que nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione dampnabili uendicamus.

Quicquid igitur nomine ecclesiarum partis Donati possidebant, Christiani inperatores legibus religiosis cum ipsis ecclesiis ad catholicam transferre iusserunt.

Cum ergo nobis cum sunt plebes ecclesiarum earundem, nobis cum pauperes, qui de eisdem possessiunculis alebantur, ipsi potius foris positi desinant concupiscere aliena, sed intrent unitatis societatem, ut pariter gubernemus non illa tantum, que dicunt sua, uerum etiam que dicunt et nostra.

Scriptum est enim: “Omnia uestra, uos autem Christi, Christus autem Dei”.

**C. IV.** Qui a corpore Christi precipitur spiritum iusticiæ tenere non potest.

Idem in epistola ad Vincentium.

Quemadmodum membrum, si precipatur ab hominis uiui corpore, non potest tenere spiritum uitæ, sic homo, qui precipitur de Christi iusti corpore, nullo modo potest tenere spiritum iusticiæ, etiamsi figuram membri teneat, quam sumpsit in corpore.

In huius uero compagem corporis ueniant, et labores suos non dominandi cupiditate, sed bene utendi pietate possideant.

Nos autem uoluntatem nostram, ut iam dictum est, ab huius cupiditatis sordibus quolibet inimico iudicante purgamus, quando eos ipsos, quorum labores dicuntur, ut nobis cum et illis, et nostris in societate catholica utantur, quantum ualemus, inquirimus.

§. 1. Sed hoc est, inquiunt, quod nos mouet: si iniusti sumus, quare nos queritis?

Quibus respondemus: querimus uos iniustos, ne permaneatis iniusti; querimus perditos, ut de inuentis gaudere possimus, dicentes: “Mortuus erat frater, et reuixit; perierat, et inuentus est”.

Quare ergo me, inquit, non baptizas, ut abluas me a peccatis?

Respondeo, quia non facio iniuriam characteri inperatoris, cum errorem corrigo desertoris.

Quare, inquit, apud te uel penitentiam non ago?

Immo, nisi egeris, saluus esse non poteris.

Quomodo enim gaudebis te esse correctum, nisi doleas te fuisse peruersum?

Quid ergo, inquiunt, apud uos, cum ad uos transimus, accipimus?

Respondeo, non quidem accipitis baptismum, qui uobis extra compagem corporis Christi inesse potuit, prodesse non potuit: sed accipitis unitatem Spiritus in uinculo pacis (sine qua nemo poterit uidere Deum) et karitatem, que, sicut scriptum est, operit multitudinem peccatorum.

§. 2. Si autem consideremus quod scriptum est in libro Sapientiæ: “Ideo iusti tulerunt spolia inpiorum;” item, quod legitur in Prouerbiis: “Thesaurizantur autem iustis diuitiæ inpiorum,” tunc uidebimus, non esse querendum, qui habeant res hereticorum, sed qui sint in societate iustorum.

Item post aliqua:

§. 3. Si corpus Christi tollit spolia inpiorum, et corpori Christi thesaurizant diuitiæ inpiorum, non debent inpii foras remanere, ut calumpnientur, sed intrare ut potius iustificentur.

Item post aliqua:

§. 4. In Christi ergo compagem corporis ueniant, et labores suos non dominandi cupiditate, sed bene utendi pietate possideant.

Nos autem uoluntatem nostram, ut iam dictum est, ab huius cupiditatis sordibus quolibet inimico iudicante purgauimus, quando eos ipsos, quorum labores dicuntur, ut nobis cum et illis, et nostris in societate catholica utantur, quantum ualemus, inquirimus.

Gratianus. His igitur auctoritatibus liquido monstratur, quod ea, que ab hereticis male possidentur, a catholicis iuste auferuntur, nec ideo aliena possidere dicuntur.

## QUESTIO VIII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

De episcopis uero uel quibuslibet clericis, quod nec sua auctoritate, nec auctoritate Romani Pontificis arma arripere ualeant, facile probatur.

Cum enim Petrus, qui primus apostolorum a Domino fuerat electus, materialem exerceret gladium, ut magistrum a Iudeorum iniuria defensaret, audiuit: “Conuerte gladium tuum in uaginam, omnis enim, qui acceperit gladium, gladio peribit,” ac si aperte ei diceretur: hactenus tibi tuis que predecessoribus inimicos Dei corporali gladio licuit persequi; deinceps in exemplum pacienciæ gladium tuum, id est tibi hactenus concessum, in uaginam conuerte, et spiritualem tantum gladium, qui est uerbum Dei, in mactatione ueteris uitæ exerce.

Omnis enim preter illum, uel auctoritatem eius, qui legitima potestate utitur, qui, ut Apostolos ait, non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet, omnis, inquam, qui preter huius auctoritatem gladium acceperit gladio peribit.

§. 1. Item Ambrosius: “Arma episcopi lacrimæ sunt et orationes”.

Item illud Apostoli: “Non uosmetipsos defendentes, karissimi,” quamuis omnibus generaliter dicatur specialiter tamen prelati dictum intelligitur.

[PALEA. Unde Iohannes Papa VIII. Angebergæ Inperatrici, excusans Iohannem episcopum remoueri de milicia, dicit:

#### C. I. De eodem.

Nimium certe ueretur, et iure formidat contra professionem sui ordinis secularem miliciam exercere; terram defendere, de preliis tractare, de armis, terrenæ potestatis est].

[PALEA. C. II. De eodem.

Item Innocentius Papa.

Cum a Iudeis, inquit, Dominus caperetur, et Petrus cuiusdam inobedientis aurem abscinderet, ferire prohibuit, et forma omnium sacerdotum (quorum prior erat) etiam pro se ipso capi arma carnalia prohibuit].

[PALEA. C. III. De eodem.

Item Ambrosius.

Non pila querunt ferrea, non arma Christi milites.

Coactus repugnare non noui: sed dolor, fletus, orationes, lacrimæ fuerunt mihi arma aduersus milites.

Talia enim munimenta sunt sacerdotis.

Aliter nec debeo, nec possum resistere; fugere autem, et relinquere ecclesiam non soleo.

Seruum Christi non custodia corporalis, sed Domini prouidentia sepere consueuit].

Gratian. Hinc etiam de his, qui in bello aut in rixa moriuntur, in Concilio Triburiensi sic statutum est:

**C. IV.** Pro clerico, qui in bello aut in rixa moritur oratio uel oblatio non offeratur. Quicumque clericus aut in bello, aut in rixa, aut gentiliū ludis mortuus fuerit, neque in oblatione, neque in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat iudicis; sepultura tamen non priuetur.

**C. V.** Gradu amisso in monasterio tradantur clerici. uoluntarie arma sumentes. Item ex Concilio Tolletano [IV. c. 44]. de clericis arma ferentibus. Clerici, qui in quacumque factione arma uolentes sumpserint, reperti amisso ordinis sui gradu in monasterio perhenniter tradantur.

**C. VI.** Proprii gradus amissione mulctentur militaria arma clerici ferentes. Item ex Concilio Meldensi. [c. 37]. Quicumque ex clero uidentur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant; sed professionis suæ uocabulum religiosis moribus et religioso habitu prebeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum canonum contemptores et ecclesiasticæ auctoritatis profanatores proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo et seculo militare.

## **II. Pars.**

Gratian. His ita respondetur: Sacerdotes propria manu arma arripere non debent; sed alios ad arripiendum, ad oppressorum defensionem, atque ad inimicorum Dei oppugnationem eis licet hortari.

Unde Leo IV. scribit Ludouico Augusto:

**C. VII.** Pro Sarracenis Papa iubet populum congregari, et eis ad litus maris occurrere. Igitur cum sepe aduersa a Sarracenorum partibus perueniant nuntia, quidam in Romanorum portum Sarracenos clam furtiue que uenturos esse dicebant. Pro quo nostrum precipimus congregari populum, maritimum que ad litus descendere decreuimus, et egressi sumus Romam.

**C. VIII.** Ultor sui gregis Papa debet esse ac precipuus adiutor.

Item.

Scire uos oportet, quod numquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi; sed, si necessitas ulla incurrerit, presentialiter uindicamus, quia nostri gregis in omnibus ultores esse debemus et precipui adiutores.

**C. IX.** Celeste regnum a Deo consequitur qui pro Christianorum defensione moritur.

Idem exercitui Francorum.

Omni timore ac terrore deposito, contra inimicos fidei sanctæ et aduersarios omnium religionum uiriliter agere studete.

Nouit enim omnipotens, si quilibet uestrorum morietur, quod pro ueritate fidei, et saluatione patriæ, ac defensione Christianorum mortuus est, ideo ab eo celeste premium consequetur.

**C. X.** Contra Longobardos precibus Adriani Papæ Karolus bellum suscepit.

Item Alcuinus.

Hortatu et precibus Adriani Romanæ urbis episcopi exoratus Karolus rex bellum contra Longobardos suscepit, quod prius quidem et a patre eius Papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est.

**C. XI.** Iudeos non debemus persequi, sed Sarracenos.

Item Alexander Papa [II]. omnibus Episcopis Hispaniæ.

Dispar nimirum est Iudeorum et Sarracenorum causa.

In illos enim, qui Christianos persecuntur, et ex urbibus et propriis sedibus pellunt, iuste pugnatur; hii ubique seruire parati sunt.

**C. XII.** Qui crimina, que potest emendare, non corrigit, ipse committit.

Item Iohannes VIII. Demago Duci glorioso.

Preterea deuotionis tuæ studium exhortamur, ut contra marinos latrunculos, qui sub pretexto tui nominis in Christicolos debachantur, tanto uehementius accendaris, quanto illorum prauitate famam tui nominis obfuscata fuisse cognoscis; quoniam, licet credi possit, quod te nolente illi nauigantibus insidientur, tamen, quia a te conprimi posse dicuntur, nisi eos conpescueris, innoxius non habebis.

Scriptum quippe est: “Qui crimina, que potest emendare, non corrigit, ipse committit”.

**C. XIII.** Crimina pro Deo punire non est crudelitas sed pietas.

Item Ieronimus ad Riparium. [contra Vigilantium]

Legi syromasten Finees, auctoritatem Helyæ, et zelum Simonis Chananei, Petri seueritatem Ananiam et Saphiram trucidantem, Pauli constantiam, qui Helimam magum uis Domini resistentem eterna seueritate dampnauit.

Non est crudelitas pro Deo crimina punire, sed pietas.

Unde et in lege dicitur: “Si frater tuus, et amicus tuus, et uxor, que in sinu tuo dormit, deprauare uoluerit ueritatem, sit manus tua super eos, et effundes sanguinem ipsorum”.

**C. XIV.** Quedam in ueteri testamento licebant, que modo prohibentur.

Item Iohannes Crisostomus super Mattheum omelia XVII. [ad c. 5].

Occidit Finees hominem, et reputatum est illi ad iusticiam.

Abraham uero, non solum homicida, uerum etiam patricida (quod certe est grauius) effectus Deo magis placuit.

Petrus uero geminum fecit homicidium: fuit tamen opus spirituale, quod factum est.

Non solum igitur respiciamus ad opera, sed ad tempus, et ad causam, et ad uoluntatem, personarum quoque differentiam, et quantacumque alia ipsis operibus acciderunt, diligentissime requiramus.

Non enim possumus aliter ad ueritatem peruenire.

**C. XV.** Necessitate instante etiam a quadragesimalibus diebus bellum inire licet.

Item Nycolaus ad consulta Bulgarorum. [c. 46].

Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed etiam omni tempore est a preliis abstinendum.

Si autem ineuitabilis urget inportunitas, nec quadragesimali tempore pro defensione tam sua quam patriæ, seu legum paternarum, est bellorum proculdubio preparationi parcendum, ne uidelicet Deum uideatur homo temptare, si habet quod faciat, et suæ ac illorum saluti consulere non procurat, et sanctæ religionis detrimenta non precauet.

**C. XVI.** Petrus Ananiam et Saphiram increpando morti tradidit.

Item Gregorius in Dialogis. [lib. II. c. 30].

Petrus, qui Tabitam mortuam orando suscitauit, Ananiam et Saphiram mentientes morti increpando tradidit.

Neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam, quam perpetrauerant, increpasse.

Constat ergo, quia aliquando talia ex potestate exhibentur, aliquando expostulatione, dum et istis increpando uitam abstulit, et illi reddidit orando.

**C. XVII. B.** Gregorius quosdam hortatur, ut milites congregent, et contra hostes arma uiriliter parent.

Idem Veloci, Magistro. [lib. XII. ep. 21].

Et pridem gloriæ uestræ notificauimus quia milites illuc erant parati uenire; sed quoniam inimicos congregatos et huc discurrere epistola uestra significauerat, hec eos hic causa retinuit.

Nunc uero utile est uisum, ut aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua ammonere et hortari, ut parati sint ad laborem, studeat, et occasione inuenta cum gloriosis filiis nostris Marcio et Vitalio loquere, et quecumque uobis Deo adiutore pro utilitate reipublicæ persuaserint facite; et si huc uel ad Rauennæ partes nec dicendum Arnulfum cognoueritis excurrere, uos a dorso eius ita, sicut uiros fortes concedet, laborate, quatinus opinio uestra ex laboris uestri qualitate amplius in reipublica Deo auxiliante proficiat.

Illud tamen pre omnibus ammonemus, ut familiam Aloyn, et Adobin, Vigildi, atque Grussingi, qui cum glorioso magistro militum Mauricio esse noscuntur, sine aliqua mora uel excusatione relaxes, quatinus uenientes illuc homines predicti uiri sine aliquo impedimento cum eis debeant ambulare.

[[**C. XVIII.**]

Item Eiusdem Mauricio et Vitaliano. [lib. XII. epist. 23].

Suppliciter gloriæ uestræ per filium nostrum Vitalianum, cum quo et tractaueratis, et uerbo et scripto mandauimus.

Undecimo autem die mensis Iunii Arnulfus hanc epistolam, quam uobis direximus, transmisit, et ideo relegentes eam uidete, si in fide Suanenses, quam reipublicæ promiserunt, perstiterunt, obsides que dignos, de quibus possitis confidere, ab eis accipite, et insuper denuo eos sacramentis astringite, reddentes eis quod loco Pignoris sustulistis sermonibus uestris eos sanantes.

Si autem manifestissime cognoueritis, eos cum Arnulfo de sua subiectione locutos fuisse, uel certe obsides ei dedisse, sicut nos Arnulfi epistola, quam uobis direximus, dubios reddidit, salubri consilio pertractantes, ne in aliquo anima uestra uel nostra de sacramentis grauetur, quicquid reipublicæ utile iudicaueritis peragite.

Sed ita faciat gloria uestra, ut neque sit aliquid, unde possimus ab aduersariis reprehendi, neque utilitas reipublicæ (quod Dominus auertat) negligatur.

Preterea, gloriosi filii, estote solliciti, quia, quantum conperi, hostis multitudinem habet collectam, et Narina dicitur residere; ut si huc cursum, Deo sibi irato, mittere uoluerit, uel loca ipsius (quantum uos Dominus adiuuerit) depredamini, aut certe sculcas, quos mittes, sollicite requirant, ne dolens factum ad uos discurrat.

Gratian. In registro etiam legitur, quod B. Gregorius ciuibus Tusciæ, ut contra Longobardus arma pararent, mandauit, et militantibus stipendia decreuit.

Hoc igitur exemplo et premissis auctoritatibus claret, quod sacerdotes, etsi propria manu arma arripere non debeant, tamen uel his, quibus huiusmodi officia commissa sunt, persuadere, uel quibuslibet, ut ea arripiant, sua auctoritate ualeant inperare.

### III. Pars.

§. 1. Sed obicitur illud Nycolai ad Imperatorem Karolum:

**C. XIX.** Episcopi non debent militaribus occupari negociis.

Reprehensibile ualde esse constat quod subintulisti, dicendo, maiorem partem omnium episcoporum die noctu que cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos inuigilare, ob id que episcopi inpediantur uenire, cum militum Christi sit Christo seruire, milites uero seculi seruiant seculo, sicut scriptum est: “Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus”.

Quod si seculi milites miliciæ student, quid ad episcopos et milites Christi, nisi ut uacent orationibus?

**C. XX.** In morte cuiuslibet hominis episcopi se miscere formident.

Item Gregorius. [lib. VII. epist. I., ad Sabinianum]

Si in morte Longobardorum me miscere uoluisset, hodie Longobardorum gens nec regem, nec ducem, haberet.

Sed quia Deum timeo in mortem cuiuslibet hominis ne miscere formido.

Gratian. Ecce quod Nycolaus Papa prohibet episcopos seculari milicia occupari, nec etiam contra maritimos piratas permittit eos ad pugnam accedere.

Quomodo ergo Leo Papa aduersus Sarracenos urbem egreditur, et, ut procul eos a littore arceat, populum undique conuocat, et suorum iniurias presentialiter uindicat, atque cum Gregorio milites ad arma inuitat?

Sed notandum est, quosdam episcopos Leuitica tantum portione esse contentos, qui, sicut in Dei sorte tantum numerantur, sic ipsum Deum solummodo in hereditatem accipiunt, dicentes: “Dominus pars hereditatis meæ est”.

His nichil commune est cum principibus seculi, quia temporalia penitus abiciunt, ne eorum occasione legibus inperatorum obnoxii teneantur.

Talibus nulla occasio relinquitur occupationis secularis miliciæ, quia, cum de decimis et primiciis uiuunt tamquam summi regis filii in omni regno a terrenis exactionibus liberi sunt ita, ut dicere ualeant: “Venit princeps mundi huius, et in nobis non habet quicquam”.

Porro alii sunt, qui non contenti decimis et primiciis, predia, uillas, et castella, et ciuitates possident, ex quibus Cesari debent tributa, nisi inperiali benignitate immunitatem promeruerint ab huiusmodi.

Quibus a Domino dicitur: “Reddite que sunt Cesaris Cesari; et que sunt Dei Deo”.

Quibus idem Apostolus: “Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui uectigal, uectigal”.

Unde Ambrosius: [ad Marcellinam sororem, epist. XXXIII].

**C. XXI.** Ecclesiæ inperatoribus non sint obnoxie.

Conuenior ipse a comitibus ut per me basilicæ fieret matura traditio, dicentibus, inperatorem iure suo iussisse tradi debere utpote in cuius potestate essent omnia.



Respondi, si a me peteret quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, huiusmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia, que mea sunt, sint pauperum; uerum ea, que diuina sunt, imperatoriæ potestati non esse subiecta.

Si patrimonium petit, inuadite; si corpus, occurram.

Vultis in uincula rapere? uultis in mortem? uoluntatis est michi, non ego me uallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo uitam obsecrans; sed pro altaribus gratis immolabor.

Horrebam quippe animo, cum armatos ad basilicam ecclesiæ occupandam missos cognoscerem, ne, dum populus basilicam uendicat, aliqua strages fieret, que in perniciem totius ueniret ciuitatis; orabam, ne tantæ urbis, uel potius totius Italiæ busto superuiuerem.

Et infra:

§. 1. Mandatur, trade basilicam, hoc est: “Dic aliquod uerbum in Deum, et morere,” nec solum dic aduersus Deum, sed etiam fac aduersus Deum.

Mandatur, trade altaria Dei.

Urgemur igitur regalibus preceptis; sed confirmamur scripturæ sermonibus, que respondit: “Tamquam una ex insipientibus locuta es”.

Et infra:

§. 2. Quid igitur turbamini? uolens numquam uos deseram; coactus repugnare non noui; dolere potero, flere potero, gemere potero; aduersus arma, milites Gothos quoque, lacrimæ meæ mea arma sunt.

Talia enim munimenta sunt sacerdotis.

Aliter nec debeo, nec possum resistere.

§. 3. Utinam securus essem, quod ecclesia hereticis minime traderetur; ad palatium imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis offitio, ut in palatio magis certarem, quam in ecclesia.

Sed in consistorio solet non Christus reus esse, sed iudex.

Causam fidei in ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc ueniat.

Et infra:

§. 4. Allegatur, imperatori licere omnia, ipsius esse uniuersa.

Respondeo: Noli te grauare, imperator, ut putes, te in ea, que diuina sunt, imperiale aliquod ius habere; noli te extollere, sed, si uis diutius inperare, esto Deo subditus.

Scriptum est: “Que Dei Deo; que Cesaris Cesari”.

Ad imperatores palatia pertinent, ad sacerdotes ecclesiæ.

Publicorum menium tibi ius commissum est, non sacrorum.

Iterum dicitur michi, mandasse imperatorem, debeo et ego unam basilicam habere.

Respondeo, non licet tibi illam habere.

Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, que non est legitimo coniugio Christi copulata.

Et infra:

§. 5. Nabute, sanctum uirum, possessorem uineæ suæ scimus interpellatum petitione regia, ut uineam suam daret, ubi rex succisis uitibus olus uile sereret, eum que respondisse: “Absit, ut ego Patrum meorum tradam hereditatem”.

Regem contristatum esse, quod sibi esset alienum ius relatione iusta negatum: sed muliebri concilio deceptum morte in agrum uenisse.

Sanctus enim Nabute uites suas uel proprio cruore defendit.

Si ille uineam non tradidit suam, nos trademus ecclesiam Christi?

Quid igitur a me responsum est contumaciter? Dixi enim conuentus, absit a me, ut tradam Christi hereditatem.

Non tradidit Nabute suam, ego tradam Christi hereditatem?

sed hoc addidi: absit, ut tradam Dyonisii hereditatem, qui in exilio causa fidei defunctus est, hereditatem Eustorgii confessoris, hereditatem Myroclētis, atque omnium fidelium retro episcoporum.

Respondi ego quod sacerdotis est.

Quod inperatoris est faciat inperator.

Prius est, ut animam michi quam fidem auferat.

Et infra:

§. 6. Tributum Cesaris est, non negatur.

Ecclesia Dei est.

Cesari utique non debetur, quia ius Cesaris esse non potest Dei templum.

Quod cum honorificentia inperatoris dictum nemo potest negare.

Quid enim honorificentius, quam ut inperator ecclesiæ filius esse dicatur?

Quod enim dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur.

Inperator enim intra ecclesiam est.

Bonus enim inperator querit auxilium ecclesiæ, non refutat.

Et infra:

§. 7. Si de me aliquid compelleretur et posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerrem: templo Dei nichil possum nec decerpere, nec tradere illud custodiendum, non tradendum acceperim.

Deinde consulere etiam me inperatoris saluti, quia nec michi expediret tradere, nec illi accipere.

Accipiat uocem liberi sacerdotis, si uult sibi esse consultum, recedat a Christi iniuria.

Hec plena humilitatis sunt, et, ut arbitror, plena affectus eius, quem inperatori debet sacerdos.

#### C. XXII. De suis exterioribus ecclesiæ soluunt tributum.

Item Urbanus Papa.

Tributum in ore piscis piscante Petro inuentum est, quia de exterioribus suis, que palam cunctis apparent, tributum ecclesia reddit.

Non autem totum piscem dare iussus est, sed tantum staterem, qui in ore eius inuentus est, quia non ecclesia dari inperatori, non pontificalis apex, qui in ore capitis ecclesiæ preminet, subici regibus potest.

Sed sane, ut diximus, quod in ore piscis inuenitur pro Petro et Domino dari iubetur, quia de exterioribus ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri et defensare debent, inperatoribus persoluendum est.

#### IV. Pars.

Gratian. Quamuis etiam huiusmodi non uideantur inperialibus exactionibus subiciendi.

Nam, cum tempore famis cunctorum Egyptiorum terram Pharaon sibi emeret, atque sub eadem fame suæ seruituti cunctos subiceret, sacerdotibus ita necessaria subministravit, ut nec possessionibus, nec libertate nudarentur, Domino ex tunc prenunciante, sacerdotes in omni gente liberos esse oportere.

Unde Constantius et Constans hanc immunitatem dederunt ecclesiæ, dicentes:

[[C. XXIII].

“In qualibet ciuitate, in quolibet oppido, uel uico, castello, municipio, quicumque uoto Christianæ religionis meritum eximiæ singularis que uirtutis omnibus intimauerit, securitate perpetua potiatur.

Gaudere eum et gloriari ex fide uolumus semper, scientes, magis religionibus, quam offitiis et labore corporis uel sudore nostram rempublicam contineri”.

Valentinianus quoque et Valens decreuerunt, dicentes: §. 1.

“Uniuersos, quos constiterit custodes ecclesiarum esse uel sanctorum locorum, ac religiosis obsequiis deseruire, nullius attemptionis molestiam sustinere decreuimus”.

Inperator Iustinianus: §. 2.

“Sanccimus res ad uenerabiles ecclesias, uel xenones, monasteria, uel ptochotrophia, uel brephotrophia, uel orphanotrophia, uel gerontocomia, uel si quid tale aliud consortium descendentes ex qualicumque curiali liberalitate, siue inter uiuos, siue mortis causa, siue in ultimis uoluntatibus habita, lucratiuorum inscriptionibus liberas esse et immunes; lege scilicet, que super huius modi inscriptionibus posita est, in aliis quidem personis suum robur obtinente, in parte autem ecclesiastica, uel aliarum domuum, que his piis consortiis deputatæ sunt, suum uigorem pietatis intuitu mitigante”.

Hinc etiam in Parisiensi Concilio legitur:

**C. XXIV.** De agro ecclesiastico presbiter non cogatur censum persoluere.

Secundum canonicam auctoritatem et constitutionem domini inperatoris Lodoici, de agro ecclesiastico, et manso, de mancipiis, que ipse suis capitulis constituit, uel si quilibet, pro loco sepulturæ aliquid largitus ecclesiæ fuerit, de decimis et oblationibus fidelium nullus quemquam presbiterorum aliquem censum persoluere cogat, nec quisquam cuiuslibet ordinis aut dignitatis exinde quicquam subtrahat, aut redhibitionem quamcumque exigat temporalem.

Quod si fecerit, communionem usque ad satisfactionem priuetur, et regia potestate dare cogatur.

[PALEA. C. XXV.

Item ex Concilio Wormaciensi, c. 50.

Sanccitum est, ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo seruitio attribuatur, et presbiteri in eis constituti non de decimis, neque de obligationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, uel de hortis iuxta ecclesiam positis, neque de prescripto manso aliquod seruicium faciant preter ecclesiasticum.

Et si aliquid amplius habuerint, inde maioribus suis debitum seruicium inpendant].

Gratian. Hinc datur intelligi, quod de his, que inperiali beneficio, uel a quibuslibet pro beneficio sepulturæ ecclesia possidet, nullius iuri, nisi episcopi, teneatur asstricta.

De his uero, que a quibuslibet emerit uel uiuorum donationibus acceperit, principibus consueta debet obsequia, ut et annua eis persoluat tributa, et conuocato exercitu cum eis proficiscatur ad castra.

Quod tamen hoc ipsum non sine consensu Romani Pontificis fieri debet.

Unde Gelasius Papa Elpidio Episcopo:

**C. XXVI.** Absque auctoritate Romani Pontificis ad comitatum episcopi proficisci non audeant.

Quo ausu, qua temeritate rescribis, ad Rauennam te parare proficisci, cum canones euidenter precipiant nullum omnino pontificum, nisi nobis ante uisis atque consultis ad comitatum debere contendere?

Quemadmodum tibi putas licere quod non licet, nisi quod hoc offitio carere festinas, quo his excessibus te ostendis indignum?

**C. XXVII.** Absque metropolitani consilio uel prouincialium episcoporum ad inperatorem episcopi non pergant.

Item ex Concilio Antiocono. [c. 11].

Si quis episcopus, uel presbiter, uel omnis omnino, qui est sub ecclesiastica regula constitutus, preter consilium uel litteras eorum episcoporum, qui intra prouinciam sunt, et maxime metropolitani, ad inperatorem perrexerit, hunc abdicari et eici non solum de communionem debere, sed etiam propria dignitate priuari tamquam molestum et inportunum inperialibus auribus contra ecclesiastica constituta.

Gratian. Reprehenduntur ergo Gallicani episcopi a Nykolao, quoniam auctoritate apostolica contempta potius arma sequi elegerant, quam apostolico conspectui sese representarent.

Quamquam proficiscentes ad comitatum possunt intelligi non secuti inperatorem, ut armis sibi auxiliarentur, sed ipsum cum exercitu suo cottidianis orationibus Deo commendunt.

In quo casu auctoritas illa Sardicensis Concilii loqui uidetur, in cuius octauo capitulo Osius Episcopus dixisse legitur:

**C. XXVIII.** Qui a religiosis inperatoribus uocati episcopi non fuerint ad comitatum non accedant.

Si uobis, fratres karissimi, placet, decernite, ne episcopi ad comitatum accedant, nisi forte hi, qui a religiosis inperatoribus uel inuitati uel uocati fuerint.

Sed quoniam sepe contingit, ut ad misericordiam ecclesie confugiant qui iniuriam patiuntur, et qui peccantes in exilium uel in insulas dampnantur, aut certe quamcumque sententiam suscipiunt: ideo que subueniendum his, et sine dubitatione eis est petenda per ecclesiam indulgentia.

Gratian. Licet ergo prelatis ecclesie exemplo B. Gregorii ab inperatoribus uel quibuslibet ducibus defensionem fidelibus postulare.

Licet etiam cum B. Leone quoslibet ad sui defensionem contra aduersarios sancte fidei uiriliter adhortari, atque ad uim infidelium procul arcendam quosque citare.

Effusionem uero sanguinis nulli episcoporum sua uel inperatorum auctoritate inperare licet.

Unde in Tolletano Concilio IV. [c. 30]. legitur:

**C. XXIX.** Sacerdotes ibi consentiant fieri iudices, ubi iureiurando indulgentia promittitur.

Sepe principes contra quoslibet maiestatis obnoxios sacerdotibus negocia sua committunt.

Quia uero sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri iudices, ubi iureiurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia preparatur.

Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, et apud ecclesiam perdat proprium gradum.

**C. XXX.** Non debent agitare iudicium sanguinis qui sacramenta Domini tractant.

Item ex Concilio Tolletano XI. [c. 6].

His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet.

Et ideo magnopere talibus excessibus prohibendum est, ne indiscretæ presumptionis motibus agitati aut quod morte plectendum est sententia propria iudicare presumant, aut per se inferant truncationes quibuslibet personis aut inferendas precipiant.

Quod si quisquam horum inmemor preceptorum aut in ecclesiæ suæ famulis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, concessi ordinis priuetur honore et loco; sub perpetuo quoque dampnationis teneatur ergastulo religatus.

Cui tamen communio exeunti ex hac uita non est neganda propter Domini misericordiam, qui non uult peccatoris mortem, sed ut conuertatur et uiuat.

Gratian. Ceteri etiam absque iudiciali auctoritate membrorum truncationes et domorum incendia facere prohibentur.

Unde in Decretis Euticiani Papæ:

**C. XXXI.** Membra detruncans, domos incendens absque iudiciali auctoritate, excommunicetur.

Si quis membrorum truncationes, domorum incendia fecerit, siue facere iusserit aut facienti consenserit, quousque de his unicuique legaliter uel amicabiliter coram episcopo ciuitatis aliis que ciuibus non emendauerit, tamquam ethnicus et publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.

## **VI. Pars.**

Gratian. De incendiariis quoque Innocentius II. in uniuersali Concilio [c. 18]. generaliter constituit, dicens:

[[**C. XXXII**].

“Pessimam quidem et depopulatricem, et horrendam incendiariorum maliciam auctoritate Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli omnino detestamur et interdiciamus.

**§. 1.** Si quis igitur post huius nostræ prohibitionis promulgationem malo studio, siue pro odio, siue pro uindicta ignem apposuerit, uel apponi fecerit, aut appositoribus consilium aut auxilium scienter tribuerit, excommunicetur, et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura, nec absoluator, nisi prius, dampno cui intulit secundum facultatem suam resarcito, iuret, se ulterius ignem non appositurum.

Penitentia autem ei detur, ut Iherosolimis aut in Hispania in seruicio Dei per annum integrum permaneat.

Si quis autem archiepiscopus uel episcopus hoc relaxauerit, dampnum restituat, et per annum ab offitio episcopali abstineat.

Sane regibus et principibus faciendæ iusticiæ facultatem consultis archiepiscopis et episcopis non negamus”.

**C. XXXIII.** Homicida est, qui, publicam functionem non habens, aliquem occidit aut debilitat.

Item Augustinus in libro de ciuitate Dei.

“Qui percutit malos in eo, quod mali sunt, et habet causam interfectionis, minister Dei est.

Qui uero sine aliqua publica amministrazione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum et periurum, uel quemlibet criminis interfecerit, aut trucidauerit, uel membris debilitauerit, uelut homicida iudicabitur, et tanto acrius, quanto non sibi a Deo concessam potestatem abusiue usurpare non timuit”.

## **VII. Pars.**

Gratian. De his autem, qui simul hominem uulnerant, queritur, si ille mortuus fuerit, quis eorum homicidii reatum incurrat?

De his ita statutum est in Concilio apud Vermerias:

**C. XXXIV.** Si plures contra unum rixentur, qua pena quisque eorum feriat.

Si quatuor aut quinque homines, seu etiam plures, contra unum hominem rixati fuerint, et ab his uulneratus mortuus fuerit, quicumque eorum plagam inposuit, secundum statuta canonum ut homicida iudicetur; reliqui autem, qui eum impugnabant, uolentes eum interficere, similiter peniteant.

Qui nec eum impugnabant, nec uulnerabant, nec consilio nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum affuerunt, extra noxam sint.

## **CAUSA XXIV.**

### **GRATIANUS.**

Quidam episcopus in heresim lapsus aliquos de sacerdotibus suis offitio priuauit, et sententia excommunicationis notauit.

Post mortem de heresi accusatus dampnatur, et sequaces eius cum omni familia sua.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an lapsus in heresim possit aliquos offitio priuare, uel sententia notare?

(Qu. II).

Secundo, an post mortem aliquis possit excommunicari? (Qu. III).

Tertio, an pro peccato alicuius tota familia sit excommunicanda?

## **QUESTIO I.**

### **GRATIANUS.**

Quod autem ab heretico aliquis deponi aut excommunicari non possit, facile probatur.

Omnis enim hereticus aut iam dampnatam heresim sequitur, aut nouam confingit.

Qui uero heresim iam dampnatam sequitur, eius dampnationis se participem facit.

Unde cum Achatius absque sinodali auctoritate ab Apostolico se dampnatum quereretur, contra Gelasius scribit, dicens:

**C. I.** Qui in iam dampnatam heresim labitur, eius dampnationis se participem facit. Achatius non est inuentor factus noui erroris, sed ueteris imitator, atque ideo non erat necessarium, ut aduersus eum noua scita prodirent, sed antiqua tantummodo renouarentur.

Factus sum itaque executor ueteris constituti, non promulgator noui.

Quicumque enim in heresim semel dampnatam labitur, eius dampnatione se ipsum inuoluit.

**C. II.** Non est retractandum quod semel synodus statuit contra unamquamque heresim.

Idem. [in epistola ad Episcopos Dardaniæ]

Maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessarie precauerunt, ut quod contra unamquamque heresim coacta semel synodus pro fidei communionem et ueritate catholica atque apostolica promulgasset non sinerent nouis posthec retractationibus mutilari, ne prauis occasio preberetur que medicinaliter fuerant statuta pulsandi, sed, auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore dampnato, sufficere iudicarunt, ut quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia dampnationis eius esset obstrictus.

§. 1. Sic Sabellium dampnauit synodus, nec fuit necesse, ut eius sectatores postea dampnarentur; sed pro tenore constitutionis antiquæ, qui uel prauitatis illius uel communionis extitere participes, uniuersalis ecclesia duxit esse refutandos.

Sic Arrium, Eunomium, Macedonium, Nestorium, synodus semel gesta condempnans, ulterius ad noua concilia uenire non sinit

**C. III.** Non ultra eum procedere oportet, qui in heresim dampnatam recidit.

Item Felix.

Achatius non fuit noui uel proprii inuentor erroris, ut in eum noua scita procederent; sed alieno facinori suam communionem miscuit.

Itaque necesse est, ut in illam recideret iusta lance sententiam, quam cum suis successoribus per conuenientiam synodalem susceperat auctor erroris.

Gratian. Si ergo ille episcopus in heresim iam dampnatam lapsus est, antiqua excommunicatione dampnatus alios dampnare non poterat.

Excommunicatus enim alios excommunicare non ualet.

Unde Alexander II. scribit Valeriano Episcopo, Martiri:

**C. IV.** Excommunicatus alium excommunicare non potest.

Audiuimus, quod Henricus, Rauennas dictus archiepiscopus, nisus sit te excommunicare.

Verum, quia excommunicatus te non potuit excommunicare, apostolica auctoritate te tuos que absoluendo mandamus exinde numquam curare.

Gratian. Si autem ex corde suo nouam heresim confinxit, ex quo talia predicare cepit, neminem dampnare potuit, quia non potest deicere quemquam iam prostratus.

Ligandi namque uel soluendi potestas ueris, non falsis sacerdotibus a Domino tradita est.

Apostolis enim dicturus: “Quorum remisistis peccata, etc.” premisit: “Accipite Spiritum sanctum,” ut euidenter cunctis ostenderet, eum, qui Spiritum sanctum non habet, peccata non posse tenere uel remittere.

Porro Spiritum sanctum nemo nisi intra ecclesiam accipit, quia et ipsam unitatem facit per gratiam.

§. 1. Unde non nisi congregatis in unum dictum est: “Accipite Spiritum sanctum,” nec nisi super congregatos in unum die pentecostes descendit Spiritus sanctus.

Sicut autem extra ecclesiam non accipitur, ita extra eam nichil operatur.

Cum ergo, sicut Apostolus ait, Spiritus postulet Spiritus inpetret, extra ecclesiam nec postulare facit, nec inpetrare.

Unde Dominus dicturos: “Quodcumque petieritis, etc.” premisit: “Si duo ex uobis consenserint super terram, etc.”.

Et iterum: “Ubicumque duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum;” nimirum cunctis ostendens, se non habitare in cordibus eorum, qui superbiæ singularitatem secuti a corporis Christi conpage semetipsos abrumpunt.

In quibus autem Christus non habitat, in eis Spiritus sanctus mentium scissuras refugiens locum non habet.

Cum ergo dimittere peccata uel tenere, excommunicare uel reconciliare opus sit Spiritus sancti et uirtus Christi: apparet, quod hii, qui extra ecclesiam sunt, nec ligare, nec soluere possunt, nec reconciliando ecclesiasticæ communioni reddere, nec excommunicando eius societate priuare, qua ipsi, heresi uel scismate polluti siue sententia notati, penitus carere probantur.

Unde, cum Dominus omnibus discipulis parem ligandi atque soluendi potestatem daret, Petro pro omnibus et pre omnibus claues regni celorum se daturum promisit, dicens: “Tibi dabo claues regni celorum”.

Quicumque ergo ab unitate ecclesiæ (que per Petrum intelligitur) fuerit alienus, execrare non potest, consecrare non ualet; excommunicationis uel reconciliationis potestatem non habet.

Unde Apostolus, cum fornicatorem Corinthium excommunicandum scriberet, ait: “Ego quidem absens corpore, presens autem spiritu, iam iudicaui ut presens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis uobis, et meo spiritu, cum uirtute Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi sathanæ in interitum carnis”.

In quo formam excommunicationis ostendens, docuit, non nisi fidelem et a fidei notandum.

In nomine namque Domini atque eius uirtute cooperante non nisi fidelis aliquid operari ualet, cum nemo possit dicere: “Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto”.

Item, cum Dominus prohibeat agnum comedi extra catholicam ecclesiam, qui professione fidei ab ea sunt alieni, ab eius participatione, quam suo arbitrio reliquerunt, non repelluntur, sed abire permittuntur, sicut illi, qui audientes: “Nisi manducaueritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, etc.,” dixerunt: “Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?”

atque ita abierunt retrorsum, non repulsi, sed abire permissi.

Hinc etiam Apostolus, cum de excommunicandis ageret, premisit: “Si quis frater;” de infidelibus autem supposuit, dicens: “Eos, qui foris sunt, Dominus iudicabit”.

De his autem qui intus sunt, nobis iudicium commisit.

Sicut autem ex eo, quod Apostolus ait: “Frater,” et ex his, que de fidelibus et infidelibus supposuit, apparet, non nisi fidelem excommunicandum, ita ex eo, quod fidelibus tantum hoc scribitur, uel potius, quia sicut ille, qui benedicit, maior est eo, cui benedicitur, ita qui ex offitio maledicit maior est eo, cui maledicetur, liquido constat, eum, qui ab integritate catholicæ fidei recedit, maledicendi uel benedicendi potestatem minime habere.

Catholicum namque, utpote superiorem se, maledicere non ualet; in alienum a fide, tamquam in sibi equalem, sententiam dare non potest.



Hec autem, que de hereticis, atque scismaticis, uel excommunicatis dicta sunt, uidelicet, quod ligandi uel soluendi potestatem non habeant, multorum auctoritatibus probantur. Ait enim Leo Papa: [serm. III. in anniuersario suæ assumptionis, et serm. II. de natali Apostolorum]

**C. V.** Non soluitur uel ligatur nisi quem auctoritas B. Petri soluerit aut ligauerit. Manet ergo Petri priuilegium, ubicumque ex ipsius equitate fertur iudicium, nec nimia uel seueritas, uel remissio, ubi nichil erit solutum uel ligatum, nisi quod B. Petrus aut ligauerit, aut soluerit.

**C. VI.** In persona Petri ecclesia ligandi et soluendi potestatem accepit. Item Augustinus super Iohannem. [tract. L. ad c. 12]. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in celo. Si Petro hoc tantum dictum est, non hoc facit ecclesia. Si autem et in ecclesia fit, (utique que in terra ligantur et in celo, et que soluuntur in terra soluta sunt et in celo, quia, cum excommunicat ecclesia, in celo ligatur excommunicatus; cum reconciliat ecclesia, in celo soluitur reconciliatus), si hoc ergo in ecclesia fit, Petrus, quando clauis accepit, ecclesiam sanctam significauit. Si in Petri persona significati sunt in ecclesia boni, in Iudæ persona significati sunt in ecclesia mali.

**C. VII.** Suis meritis firmus nonnumquam turbatur alienis. Item Ambrosius. [ad c. 5. Lucæ] Non turbatur nauis, que Petrum habet: turbatur illa, que Iudam habet. Etsi multa illic discipulorum merita nauigabant, tamen adhuc eam proditoris perfidia agitabat. In utraque Petrus: sed qui suis meritis firmus est turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. Ergo non turbatur hec nauis, in qua prudentia nauigat, abest perfidia, fides superat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui preerat is, in quo ecclesiæ firmamentum est? Illic ergo turbatio, ubi modica fides: ibi securitas, ubi perfecta dilectio. Denique etsi aliis inperatur, ut laxent retia sua, soli tantum Petro dicitur: “Duc in altum,” hoc est in profundum disputationum. Quid enim tam altum quam altitudinem diuitiarum uidere, scire filium Dei, et professionem diuinæ generationis assumere? quam licet mens nequeat humana plene rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur.

**C. VIII.** Solus Petrus mandatum accepit, ut amo piscem caperet. Idem. [ibidem paulo inferius] Est aliud apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari Dominus iubet, dicens: “Mitte hamum, et eum piscem, qui primum ascenderit, tolle”.

**C. IX.** Nulla perturbatio a tramite apostolicæ sedis retrahat, que omnes hereses semper destruxit. Item Lucius Papa omnibus Episcopis.

A recta fide ergo et apostolico tramite propter ullam perturbationem nolite recedere, scientes, quoniam iuxta Saluatoris sententiam beati sunt qui persecutionem patiuntur propter iusticiam.

Hec est Apostolorum uia traditio; hec uera karitas, que predicanda est, et precipue diligenda ac fouenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda; hec sancta et apostolica mater ecclesiarum omnium Christi ecclesia, que per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hereticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed, ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum principibus Christi, illibata fidetenus manet.

**C. X.** Fides Romanæ ecclesiæ omnes hereses destruit, nullam fouet.

Item Syxtus. [Papa II. ad Gratum Episcopum, ep. I].

Memor sum, me sub illius nomine ecclesiæ presidere, cuius confessio a Domino Iesu Christo est glorificata, et cuius fides nullam umquam fouet, sed omnes quidem hereses destruit.

Intelligo autem michi aliter non licere, quam ut omnes conatus meos ei causæ, in qua uniuersalis ecclesiæ salus infestatur, inpendam.

**C. XI.** Romana ecclesia nullis heresibus succubuit.

Item Eusebius Papa. [Episcopis Thusciæ, epist. III].

In sede apostolica extra maculam semper est catholica seruata religio.

**C. XII.** Ad Romanam referatur ecclesiam, quotiens ratio fidei uentilatur.

Item Innocentius. [Papa Episcopis Concilii Mileuitani, epist. XXVI].

Quotiens fidei ratio uentilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctoritatem, referre debere (ueluti nunc retulit uestra dilectio) quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus prodesse.

**C. XIII.** Religionis christianæ zelum Romana ecclesia pre ceteris habuit.

Item Iulius Papa. [ad Episcopos orientales, epist. I].

Offitii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit.

**C. XIV.** Aliorum ora fides non timet, quam Romana commendat ecclesia.

Item Ieronimus. [ad Damasum in expositione symboli]

Hec est fides, Papa beatissime, quam in catholica ecclesia didicimus, quamque semper tenuimus; in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et sedem tenes et fidem.

Si autem hec nostra confessio apostolatus tui iudicio conprobatur, quicumque me culpate uoluerit, se inperitum, uel maliuolum, uel etiam non catholicum, sed hereticum conprobabit.

Item:

§. 1. Sancta Romana ecclesia, que semper immaculata permansit, Domino prouidente et B. apostolo Petro opem ferente in futuro manebit, sine ulla hereticorum insultatione atque firma et immobilis omni tempore persistet.

**C. XV.** Aliud quam Romana ecclesia neque sentire, neque uelle a permittitur.

Item Marcellus uniuersis Episcopis per Antiocenam constitutis. [epist. I].

Rogamus uos, fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis neque sentiatis, quam quod a B. Petro apostolo et reliquis apostolis et Patribus accepistis.

Ipse enim est caput totius ecclesiae, cui ait Dominus: “Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam”.

Eius enim sedes primitus fuit apud uos, que postea iubente Domino translata est Romam, cui amminiculante gratia diuina hodierna praesidemus die.

Si uero uestra Antiocena, que olim prima erat, Romanae cessit sedi, nulla est, que eius non sit subiecta ditioni.

Nec ab eius dispositione uos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora ecclesiastica negocia diuina disponente gratia iussa sunt referri, ut ab ea regulariter disponantur, a qua sumpsere principia.

**C. XVI.** Alexandrinae ecclesiae a Romana dissentire non licet.

Item Leo Episcopus Dioscoro Episcopo Alexandrino. [epist. LXXIX. al. LXXXI].

Cum beatissimus Petrus apostolus a Domino acceperit principatum, et Romana ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quod sanctus episcopus discipulus ipsius Marcus, qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernauit, aliis regulis traditionum suarum decreta firmauerit, cum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus et discipuli fuerint et magistri, nec aliud ordinatus tradere potuit, quam quod ab ordinatore suscepit.

**C. XVII.** Professione suae fidei aurem erroris Romana abscidit ecclesia.

Item Gregorius.

Si Petrus uolens percussit aurem, docuit, quod aurem in specie habere non deberent, quam in ministerio non habebant.

Sed bonus Dominus et ipsi refundit auditum, secundum prophetica dicta demonstrans, et ipsos, si conuertantur, posse sanari, qui in passione Christi uulnerati sunt, eo, quod omne peccatum in ministerio fidei abluatur.

Tollit ergo Petrus aurem.

Quare Petrus? Quia ipse est, qui clauas accepit regni celorum.

Ille enim condempnat, qui et absoluit, quoniam ligandi et soluendi idem adeptus est potestatem.

Tollit autem aurem male audientis, tollit autem gladio spirituali aurem interiori male intelligentis.

Caueamus, ne cui tollatur auricula, legitur passio Domini.

Si ad diuinitatem eius referimus infirmitatem corporeae passionis, exciditur auricula, et exciditur a Petro, qui non passus est Christum prophetam estimari, sed Dei filium docuit fidei confessione signari.

**C. XVIII.** Extra unitatem ecclesiae Spiritus sanctus non accipitur.

Item Ciprianus. [in tractatu de unitate ecclesiae]

Loquitur Dominus ad Petrum: “Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam”.

Super unum edificat ecclesiam, et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: “Sicut misit me pater, et ego mitto uos.

Accipite Spiritum sanctum”, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.

Hoc erant utique ceteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio preediti et honoris et potestatis.

Sed ab unitate exordium proficiscitur, ut ecclesia Christi una monstretur, quam unam ecclesiam in Cantico quoque Canticorum Spiritus sanctus ex persona Christi Domini designat dicens: “Una est columba mea, perfecta mea; una est matri suæ, electa genitrici suæ”.

Hanc ecclesiæ unitatem et B. Paulus apostolus docet, et sacramentum unitatis ostendit, dicens: “Unum corpus, et unus spiritus: una spes uocationis uestræ.

Unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus”.

Quam unitatem tenere firmiter et uendicare debemus, maxime nos episcopi, qui in ecclesia Dei presidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indiuisum probemus.

Nemo fraternitatem fallat, nemo ueritatem fidei perfida preuaricatione corrumpat.

§. 1. Episcopatus unus est, cuius singularis in solidum pars tenetur.

Et ecclesia una est, que in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo multi radii sunt, sed unum lumen, et rami arboris multi sunt, sed robur unum tenaci radice fundatum, et quomodo de fonte uno riui plurimi defluunt, et numerositas licet diffusa uideatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen seruatur in origine.

Auelle radium solis a corpore: diuisionem unitas non capit. Ab arbore frange ramum: fructus germinare non poterit.

A fonte precide riuum: precisus arescit.

Sic et ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit: unum tamen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur.

Ramos suos per uniuersam terram copia ubertatis extendit, profluentes largitur riuos, latius pandit: unum tamen caput est, et origo una, et una mater fecunditatis copiosa.

Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est et pudica.

Unam domum nouit: unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.

C. XIX. Non habet Deum patrem uniuersalis ecclesiæ relinuens unitatem.

Idem. [ibidem paulo inferius]

Alienus est, profanus est, hostis est: habere non potest Deum patrem qui uniuersalis ecclesiæ non tenet unitatem.

Idem:

§. 1. Cum dominus discipulis suis unanimitatem suaderet et pacem: “Dico,” inquit, “uobis quia si duo ex uobis conuenerint in terra, de omni re, quamcumque petieritis, continget uobis a patre meo, qui est in celis.

Ubicumque enim duo aut tres fuerint collecti in nomine meo, ego cum eis sum,” ostendit non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimum tribui.

“Si duo,” inquit “ex uobis conuenerint in terra:” unanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante premisit, ut conueniat nobis fideliter et firmiter, docuit.

Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius ecclesiæ, et cum uniuersa fraternitate non conuenit?

Quomodo autem possunt duo uel tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo et ab eius euangelio separari?

C. XX. Ligandi et soluendi non habet potestatem qui unitatem pacis catholicæ non tenet.

Item Ieronimus.

Omnibus consideratis puto me non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, que dicitur edificari super petram, que unica columba appellatur, que sponsa pulchra sine ruga et macula, et hortus conclusus et fons signatus et puteus aquæ uiuæ et paradysus cum fructu pomorum; que domus etiam clauis accepit, ac potestatem soluendi et ligandi.

Hanc domum si quis corrigenstem corripientem que contempserit, “sit tibi,” inquit, “tamquam ethnicus et publicanus”.

De hac domo dicitur: “Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ;” et: “Qui habitare facit unanimes in domo;” et: “Iocundatus sum in his, que dicta sunt michi: in domum Domini ibimus;” et: “Beati, qui habitant in domo tua; in secula seculorum laudabunt te”.

### C. XXI. Varia crimina uariis penis sunt afficienda.

Item Ieronimus.

Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod uolumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam stateram de scripturis sanctis, tamquam de thesauris dominicis, et in illa quid sit grauius appendamus.

Tempore, quo Dominus priora delicta recentibus penarum exemplis cauenda monstrauit, et ydolum fabricatum atque adoratum est, et propheticus liber ira regis contemptoris incensus, et scisma temptatum, ydolatria gladio punita est, exustio libri bellica cede et peregrina captiuitate, scisma hiatu terræ, sepultis auctoribus uiuis, et ceteris celesti igne consumptis.

Quis iam dubitauerit, hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius uindicatum?

### C. XXII. Ex sola ecclesia sacrificium Dominus accipit.

Item Gregorius in *Moralibus*. [lib. XXXV. c. 6].

Quia ex sola ecclesia catholica ueritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo uideatur.

In petra Moyses ponitur, ut Dei faciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam presentiam non agnoscit.

De qua soliditate Dominus dicit: “Super hanc petram edificabo ecclesiam”.

§. 1. Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus accipiat libenter: sola, que pro errantibus intercedat fiducialiter.

Unde etiam de agni hostia Dominus precepit, dicens: “In una domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius extra fores”.

In una namque domo comedetur, quia in una catholica ecclesia uera hostia redemptori immolatur.

De cuius carnibus diuina lex efferi foras prohibet, quia dari sanctum canibus uetat.

Sola est, que intra se positos ualida karitatis conpage custodit.

Unde et aqua diluuii archam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem, quos extra archam inuenit, extinxit.

### C. XXIII. Non exhibet fidem Christo qui corpus eius discerpit.

Item Ambrosius. [in oratione funebri de obitu fratris]

Aduocauit ad se Ciprianus episcopum Satyrum nec ullam putauit ueram, nisi ueræ fidei gratiam, percunctatus que ex eo est, utrumnam de catholicis episcopis esset, hoc est si cum Romana ecclesia conueniret.

Et forte ad id locorum in scismate regionis illius ecclesia erat.

Lucifer enim se a nostra communione diuiserat, et quamquam pro fide exulasset, et fidei suæ reliquisset heredes, non tamen putauit fidem esse in scismate.

Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei ecclesiam non tenebant, cuius patiebantur uelut quosdam artus diuidi et membra lacerari.

Etenim, cum propter ecclesiam Christus passus sit, et Christi corpus sit ecclesia, non uidetur ab his exhiberi Christo fides, a quibus euacuatur eius passio, atque distrahitur.

Itaque quamuis gratiæ fenus teneret, et metueret tanti nominis debitor nauigare, tamen eos transire maluit, ubi tuto posset exsoluere.

Iudicabat enim diuinæ solutionis gratiam in affectu ac fide esse, quam quidem statim, ubi primum copia ecclesiæ liberior fuit, implere non distulit, Dei gratiam et accepit desideratam, et seruauit acceptam.

**C. XXIV.** Etiam corpore ab eo est recedendum, qui fidem Christi non habet.

Item Beda super epistolam Iohannis. [secundam, c. un.].

“Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.

Qui permanet in doctrina Christi, hic et Filium, et Patrem habet.

Si quis uenerit ad uos, et hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis.

Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malis”.

Hec Iohannes de scismaticis siue hereticis deuitandis que uerbis docuit etiam factis exhibuit.

§. 1. Narrat enim de illo auditor eius sanctissimus et martir fortissimus Policarpus, Smirneorum antistes, quia tempore quodam, cum apud Ephesum balneas lauandi gratia fuisset ingressus, et uidisset ibi Cherinthum, exiliret continuo, et discessit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne et balneæ ipsæ corruant, in quibus Cherinthus lauatur inimicus ueritatis.

Idem etiam Policarpus Marcioni cum occurrisset aliquando, dicenti sibi: Agnosce nos? respondit: Agnosco primogenitum sathanæ.

**C. XXV.** Profanus est extra ecclesiam B. Petri agnum comedere temptans.

Item Ieronimus. [ad Damasum]

Quoniam uetus oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam et desuper textam minutatim per frusta decerpit, et Christi uineam uulpes exterminant, inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficile ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit possit intelligi, ideo michi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi uestimenta suscepi.

Neque uero uastitas tanti elementi liquentis, et interiacens latitudo terrarum me a preciosæ potuit margaritæ inquisitione prohibere.

Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.

Profligato a sobole mala patrimonio, apud uos solos incorrupta patrum seruatur auctoritas.

Ibi cespitem terra fecundo dominici seminis puritatem centeno fructu refert, hic obruta sulcis frumenta lolium auenas que degenerant.

Nunc in occidente sol iusticiæ oritur, in oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sidera posuit thronum suum.

Vos estis lux mundi, uos sal terræ, uos uasa aurea et argentea: hic testea uasa uirgam ferream et eternum operiuntur incendium.

Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, tamen inuitat humanitas.  
 A sacerdote uictima salutem, a pastore presidium ouis flagito.  
 Facescat inuidia Romani culminis, recedat ambicio.  
 Cum successore piscatoris discipulo Christi loquor.  
 Ego nullum premium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communionem consocior.  
 Super illam petram fundatam ecclesiam scio.  
 Quicumque extra domum hanc agnum comederit, profanus est.  
 Si quis in Noe archa non fuerit, peribit regnante diluuiio.  
 Et quia pro facinoribus meis ad eam solitudinem conmigraui, que Syriam iuncto Barbariæ fine determinat, non possum sanctum Domini, tot interiacentibus spaciis, a sanctimonia tua semper expetere, ideo que collegas tuos Egyptios confessores sequor, et sub honerariis parua nauicula delitescor.  
 Non noui Vitalem, Miletum respuo, ignoro Paulinum.  
 Quicumque te cum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est antichristi est.

**C. XXVI.** Hereticorum consortia a catholicis sunt fugienda.

Item Ambrosius. [in commentariis ad c. 9. Lucæ]

Que dignior domus apostolicæ predicationis ingressu, quam sancta ecclesia?  
 aut quis preferendus magis omnibus uidetur, quam Christus, qui pedes suis lauare consueuit hospitibus, et quoscumque sua receperit domo, pollutis non patitur habitare uestigiis, sed maculosos licet uitæ prioris, in reliquum tamen dignetur mundare processus?

Hic est igitur solus, quem nemo deserere debet, nemo mutare, cui bene dicitur: “Domine, ad quem ibimus?”

uerba uitæ eternæ habes, et nos credimus”.

Vides executorem celestium preceptorum, qui, quoniam non mutauit hospitium, celestium consortium habitationis emeruit?

Fides ergo in primis ecclesiæ querenda mandatur, in qua, si Christus habitator sit, haud dubie sit legendum.

Si uero populus perfidus, aut preceptor hereticus deformat habitaculum, uitanda hereticorum communio, fugienda synagoga censetur, excutiendus pedum puluis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus tamquam humi arido arenoso que mentis tuæ uestigium polluatur.

Nam sicut corporeas infirmitates populi fidelis suscipere in se debet euangelii predicator, iuxta quod scriptum est: “Quis infirmatur, et ego non infirmor?”

ita, si qua est ecclesia, que fidem respuat, nec apostolicæ predicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est.

Quod Apostolus quoque euidenter asseruit, dicens: “Hereticum hominem post unam correptionem deuita”.

**C. XXVII.** Nec peccatis solui, nec regnum celeste ingredi potest ab unitate diuisus ecclesiæ.

Item Beda super Mattheum. [in homilia de festo apostolorum Petri et Pauli, ad c. 16. Mathei]

Quicumque ab unitate fidei uel societatis Petri apostoli quolibet modo semetipsos segregauerint tales nec uinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt celestis regni ingredi.

**C. XXVIII.** Non suscipiantur sacrificia, quorum fides et uita reprobatur.

Item Ieronimus in Amos propheta. [ad c. 5].

“Odi et proieci festiuitates uestras, et non capiam odorem cetuum uestrorum.

Quod si obtuleritis michi holocaustomata et munera uestra, non accipiam, et uota pinguium uestrorum non respiciam”.

§. 1. Odit autem Deus, et non solum odit, sed proicit festiuitates eorum, qui non celebrant festiuitates Dei, sed suas.

Et post pauca:

§. 2. Odisse autem, et non odorari et proicere, humana loquitur similitudine, ut nos affectum Dei nostris sermonibus agnoscamus.

Et si holocausta obtulerint, ut uideantur ieiunare, dare elemosinas, pudicitiam polliceri (que holocausta sunt uera), non ea suscipit Dominus.

Nam non sacrificiorum magnitudinem, sed offerentium merita causas que diudicat.

§. 3. Unde et uidua, que in carbonam duo minuta miserat, omnibus a Salvatore prefertur, quia dominus non ea, que offeruntur, sed uoluntatem respicit offerentium.

**C. XXIX.** Ubi karitas non est, ibi fides uel iusticia locum non habet.

Item Augustinus. [de sermone Domini in monte, lib. I. c. 9].

Ubi sana fides non est, non potest esse iusticia, quia iustus ex fide uiuit.

Neque scismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter, ubi karitas non est, non potest esse iusticia.

Dilectio enim proximi malum non operatur, quam si heretici haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est ecclesia.

**C. XXX.** A fide recedens perfectionem Spiritus amittit.

Item Innocentius. [Papa ad Alexandrum, ep. XVIII].

Heretici, cum a fide catholica destiterint, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt.

**C. XXXI.** Sacri officii potestate penitus carent heretici.

Item Ciprianus Magno filio salutem. [lib. I. epist. 6].

Dicimus omnino omnes hereticos et scismaticos nil habere potestatis ac iuris.

Propter quod Nouatianus nec debet nec potest excipi, quo minus ipse quoque extra ecclesiam consistens, et contra pacem ac dilectionem Christi faciens, inter aduersarios et antichristos computetur.

Et paulo post:

§. 1. Ecclesia una est, que una et intus esse et foris non potest.

Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit.

Si uero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, et quem post sacerdotii honorem martirio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in ecclesia non est, nec episcopus computari potest, qui, euangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens a se ipso ortus est.

Habere namque aut tenere ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in ecclesia non est.

Et paulo post:

§. 2. Quod uero eundem, quem et nos, Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adiuuare tales potest.



Et infra:

§. 3. Inuenimus in tali facinore non solum duces et auctores, sed etiam participes penis destinari, nisi a communione malorum se separauerint, precipiente per Moysen Domino et dicente: “Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, et nolite tangere de omnibus, que sunt eorum, ne simul pereatis in peccatis eorum”.

Et quod conminatus per Moysen fuerat Dominus inpleuit, ut quisque se a Chore, et Dathan, et Abiron non separasset, penas statim pro inopia communione persolueret.

Quo exemplo, ostenditur et probatur, obnoxios omnes penæ et culpæ futuros, qui se scismaticis contra prepositos et sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint, sicut etiam per Osee prophetam Spiritus sanctus contestatur et dicit: “Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes, qui manducant ea, contaminabuntur,” docens scilicet et ostendens, omnes omnino cum auctoribus suis supplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminati.

Que ergo apud eos merita esse circa Deum possunt, quibus supplicia diuinitus irrogantur?

Et infra:

§. 4. Si autem foris cuncti heretici et scismatici non habent Spiritum sanctum, et ideo apud nos eis manus inponitur, ut hic accipiatur quod illic non est, nec dari potest: manifestum est, nec remissionem peccatorum per eos dari posse, quos constat Spiritum sanctum non habere.

C. XXXII. Proprio spolientur honore qui contra pacem ecclesiæ nituntur.

Item Liberius Papa. [in ep. ad Athanasium]

Qui contra pacem ecclesiæ sunt, si dignitatem aut cingulum militiae habent, nudentur eis.

Si autem priuati, siquidem nobiles sunt, suarum substantiarum proscriptionem patientur; si autem ignobiles, non solum in corpore uerberentur, sed exilio perpetuo castigentur.

C. XXXIII. Non consecrat in scismate constitutus episcopus.

Item Pelagius Papa.

Pudenda, ut ita dicam, in diuisione rapina est non consecratus, sed execratus episcopus.

Si enim ipsum consecrationis nomen rationabili ac uiuaci intellectu discutimus, is, qui cum uniuersali detrectat consecrari ecclesia, consecratus dici uel esse poterit nulla ratione.

Consecrare enim est simul sacrare.

Sed ab ecclesiæ uisceribus diuisus et ab apostolicis sedibus separatus execrat ipse pocius, non consecrat.

Iure ergo execratus tantum, non consecratus poterit dici, quem simul sacrare in unitate coniunctis membris non agnoscit ecclesia.

Videamus tamen, utrum uel ipsarum consuetudinem partium in sua exordinatione conseruauerit.

Nempe hic mos antiquus fuit, ut, quia pro longinquitate uel difficultate itineris ab Apostolico onerosum illis fuerat ordinari, ipsi se inuicem Mediolanensis et Aquileiensis ordinare episcopi debuissent, ita tamen, ut in ea ciuitate, in qua ordinandus erat episcopus, alterius ciuitatis pontifex occurrere debuisset, ut ordinandi electio a presenti ordinatore ex consensu uniuersalis, cui preficiendus erat, ecclesiæ melius ac facilius

potuisset agnosci, et in sua qui ad episcopatum prouehendus erat, nec tamen ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur ecclesia.

Etenim cum, sicut diximus, ecclesia una sit, cui in Canticis Canticorum dicitur: “Una est columba mea,” nullam aliam esse constat, nisi que in apostolica est radice fundata, a quibus ipsam fidem uniuerso orbe propagatam non potest dubitari.

Quod ut licet uobis, notissimum sit omnino, beati tamen Augustini testimonio conprobemus.

Audite, quid in quodam opere suo preclarissimus doctor ecclesiæ dicat.

Ait enim: “Quod si nullo modo recte dici potest ecclesia, in qua scisma est, restat, ut, quoniam ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in apostolicæ sedis per successiones episcoporum radice constitutam nullorum hominum malicia (etiamsi nota et excludi non possit, sed pro temporum ratione tolleranda iudicetur) ullo modo ualeat exstinguere”.

### C. XXXIV. Unitati non communicat scismaticis consentiens.

Idem.

Scisma siquidem ipsum, quod grecum nomen est, scissuram sonat.

Sed scisura in unitate esse non potest.

Non ergo unitati communicat qui scismaticis communicat.

Partes sibi ipsi fecerunt, et ab eo, quod unum est, ut apostoli Iudæ iam uerbis loquar, semetipsos segregantes, Spiritum non habent.

Quibus omnibus illud efficitur, ut, quia in unitate unum non sunt, ut, quia in partem esse uoluerunt, ut, quia Spiritum non habent, corpus Christi sacrificium habere non possint.

§. 1. Non autem nobis nunc illa questio est, utrum tollerare malos, sed utrum debeamus scismaticis sociari.

Si etiam ipsi, licet in suo sensu habundantes, intra materna tamen positi uiscera quererent ueritatem, a nobis repellendi non erant, donec apud eos ratione duce rei ueritas claruisset.

Sed quia se ab uniuersali ecclesia diuiserunt, sicut B. Augustinus ait, omnis catholicus securus eam partem detestatur, cui ecclesiam uniuersalem apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit.

§. 2. Nec enim leuigat eorum crimen, magis uero auget, quod eos restitisse diu dixistis, ne apostolicis communicantes sedibus in sua communionem reciperent.

In hoc enim dum et illi culpandi sunt, qui communicare talibus uoluerunt, multo magis tamen illi execrandi sunt, qui non solum in sacerdotibus communionem apostolicarum sedium, uerum etiam in ipsis laicis spreuerunt.

Sed nec illud eis prodest, quod eos in eisdem litteris uel ignorantia rationis, uel simplicitate intellectus sui a nostra se communionem suspendisse perhibetis.

Id ipsum enim magis est, propter quod scismatici sunt, quia non eos diuersa sentiendi iudicium, sed quedam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes et contra apostolicam sedem temere credentes, pessima diuisit opinio.

§. 3. Quod scisma specialiter esse beatus denunciatur Augustinus, dicens de talibus: “Aduersus auctoritatem illarum ecclesiarum, que ab apostolica sede epistolas accipere meruerunt, temere credendo, inmanissimum crimen scismatis a se propulsare non poterit”.

Ad summam, aut illos ecclesiam esse creditis, (et, cum duæ ecclesiæ esse non possint, nos, quod absit, scismaticos iudicabitis,) aut, si ueram in apostolicis sedibus esse constat

ecclesiam, et illos ab unitate diuisos cognoscite, et communionis questionem esse sublatam, quam ueram nisi in unitate constat esse non posse.

§. 4. Noli ergo, quasi nulla scismaticorum atque ecclesiæ differentia sit, uelle indifferenter utrorumque sacrificiis sociari.

Non est Christi corpus, quod scismaticus conficit, si ueritate duce dirigimur.

Nec enim diuisum esse poterit Christum quisquam sine Apostoli reprobatione confingere.

Unam, ut sepe dictum est, que Christi corpus est, constat esse ecclesiam que in duo uel in plura diuidi non potest.

Simul enim, cum ab ea quisque discesserit, ecclesia esse desistit.

C. XXXV. Ex quo episcopus fidei contraria docet, alium expoliare non potest.

Item Nykolaus Papa scribit Michæli Augusto. [epist. VII].

Ait Celestinus Papa, orientalibus episcopis scribens: “Si quis ab episcopo Nestorio, aut ab aliis, qui eum secuntur, ex quo talia predicare ceperunt, uel excommunicatus, uel exutus est seu antistitis seu clerici dignitate, hunc in nostra communione et durasse, et durare manifestum est, nec iudicamus eum esse remotum, quia non poterat quemquam eius remouere sententia, qui iam se prebuerat ipse remouendum”.

C. XXXVI. Non habeantur excommunicati qui ab hereticis excommunicantur.

Item ad Clerum Constantinopolitanum.

Aperte, inquit, sedis nostræ sanxit auctoritas, nullum siue episcopum, siue clericum, seu professione aliqua Christianum, qui a Nestorio, uel eius similibus, ex quo talia predicare ceperunt, uel communionem uel loco suo deieci sunt, uel eiectum uel excommunicatum uideri: sed hii omnes in nostra communione hucusque perdurant, quia neminem deicere uel remouere poterat qui predicans talia titubabat.

Intellexisti, inperator, ex supra memoratis non potuisse, ut non dicamus saltim prelatum suum, quemlibet remouere, qui fuerant olim remoti, nec deicere quemquam iam ante prostrati?

C. XXXVII. Ad iudicandum excommunicati non sunt recipiendi.

Item Nykolaus Papa. [ibidem paulo inferius]

Miramur, quomodo excommunicati ad iudicandum recepti sint, cum secundum apostolicos canones sine commendaticiis litteris in sola communione recipi prohibeantur.

Absurdum enim est, ut, cui non licet etiam cum minimis iuxta sacras regulas communicare, liceat etiam ei de suis pene maioribus iudicare.

Gratian. His auctoritatibus perspicue monstratur, quod, ex quo aliquis contra fidem ceperit aliqua docere, nec deicere aliquem ualet nec dampnare.

§. 1. Obicitur tamen illud Augustini: “Recedentes a fide nec baptisma, nec baptizandi potestatem amittunt”.

Cum ergo sacerdotalem unctionem utraque potestas, baptizandi uidelicet et excommunicandi, sequatur, a fide recedentes aut utramque retinebunt, aut utraque carebunt.

Sed aliud est potestas officii, aliud executio.

Plerumque officii potestas uel accipitur, ueluti a monachis in sacerdotali unctione, uel accepta sine sui executione retinetur, ueluti a suspensis, quibus administratio interdicitur, potestas non aufertur.

A fide itaque recedentibus potestas non adimitur, sicut redeuntibus non redditur, ne non homini, sed sacramento iniuria uideatur fieri.

Unde ab hereticis baptizati uel ordinati, cum ad unitatem fidei catholicæ redierint, si forte intuitu ecclesiasticæ pacis in suis recipiantur ordinibus, non iterabitur sacramentum, quod in forma ecclesiæ probabitur ministratum, sed per inpositionem manus prestabitur uirtus sacramenti, que extra ecclesiam nulli docetur esse collata.

Cum ergo utraque potestas in hereticis remaneat, si hereticus catholicum uel alium hereticum excommunicauerit, ut in communionem suæ heresis illum deducat, quia iniqua est sententia, pondere caret.

§. 2. Quod si in catholicum prauè uiuentem, uel in hereticum flagitiis uel facinoribus deditum, ut alias ad recte uiuendi normam uterque redeat, sententiam dederit, an uterque, an hereticus tantum eius sententia teneatur, merito querendum uidetur?

Potest autem dici, catholicum sententia heretici minime teneri.

Non enim potest oris gladio ferire quem accusare uel in quem testificari non ualet.

Si enim quos diuina testimonia non secuntur, quia extra ecclesiam sunt, pondus humani testimonii perdiderunt aduersus eos, qui in ecclesia esse uidentur, nec aduersus eosdem ecclesiasticæ auctoritatis pondus habere poterunt qui ab eius fide discessisse probati sunt, atque ideo ab ecclesia sunt condempnati.

In hereticum autem potestatem habere uidetur hereticus, sicut et diabolus potest in malis, tamquam in suo pecore.

Unde Augustinus scribit Vincentio Donatistæ et Rogatistæ: [epist. XLVIII].

C. XXXVIII. Pro facinore ab hereticis excommunicatus a catholicis non est recipiendus. Quisquis pro aliquo facinore uel flagicio proiectum a uobis ita suscipit, sicut suscipiuntur qui excepto errore, quo a nobis separamini, sine crimine apud uos uixerunt, displicet nobis.

Sed nec facile ista monstratis, et, si monstretis, nonnullos tolleramus, quos corrigere uel punire non possumus, neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter pisces malos rumpimus retia Domini, neque propter hedos in fine segregandos deserimus gregem Domini, neque propter uasa facta in contumeliam migramus de domo Domini.

C. XXXIX. Quisquis propter disciplinam ab hereticis excommunicatur, a catholicis non est recipiendus.

Idem ad Eusebium. [epist. CLXIX].

Subdiaconus quondam Hispaniensis ecclesiæ, uocabulo Primus, cum ab accessu indisciplinato sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata et sana precepta contempneret, a clericatu remotus est.

§. 1. Ego, si Domino placet, istum modum seruo, ut quisquis apud eos propter disciplinam degradatus ad catholicam transire uoluerit, in humiliatione penitentiæ recipiatur, quo et ipsi forsitan eum cogent, si apud eos manere uoluisset.

Gratian. Sed istud Augustini intelligitur dictum non propter sententiam, cuius potestas nulla est extra ecclesiam, sed in detestatione criminum, que in hereticis, sicut in catholicis, eque sunt punienda.

Potest tamen illud Augustini de potestate baptizandi intelligi, non ligandi, aut soluendi, uel cetera sacramenta ministrandi.

Baptisma namque siue ab heretico, siue etiam laico ministratum fuerit, dummodo in unitate catholicæ fidei accipiatur, non carebit effectu.

Alia uero sacramenta, ut sacri corporis et sanguinis Domini, excommunicationis uel reconciliationis, si ab heretico uel catholico non sacerdote ministrentur, uel nullum, uel letalem habebunt effectum.

Unde et ab hominibus fidelibus nullatenus sunt recipienda.

Hinc Augustinus scribit in I. libro de unico baptismo: [contra Donatistas c. 2].

**C. XL.** In extremo positus etiam ab heretico penitentiam accipere ualet.

Si quem forte coegerit extrema necessitas et ubi catholicum, per quem accipiat, non inuenerit, et in animo pacem catholicam custodiens, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit quod in ipsa erat catholica unitate percepturus, si statim etiam de hac uita migrauerit, non eum nisi catholicum deputamus.

Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se catholicæ congregationi et presentia corporali reddiderit, unde numquam corde discesserat, non solum non inprobamus quod fecit, sed etiam securissime uerissime que laudamus, quoniam presentem Deum credidit cordi suo, ubi unitatem seruabat, et sine sancti baptismi sacramento (quod, ubicumque inuenit, non hominum, sed Dei esse cognouit) noluit ex hac uita migrare.

Si quis autem, cum possit in ipsa accipere, aliqua mentis peruersitate elegerit in scismate baptizari, etiamsi postea uenerit ad catholicam ecclesiam, certum est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi potest, prodesse non potest; peruersus et iniquus est, et tanto perniciosius, quanto scientius.

**C. XLI.** Annum peniteat qui de manu heretici nesciens prohibitam communionem accepit.

Item Iulianus Papa.

Si quis dederit aut acceperit communionem de manu heretici, et nescit, quod catholica ecclesia contradicit, postea intelligens, annum integrum peniteat.

Si autem scit, et neglexerit, et postea penitentiam egerit, decem annos peniteat.

Alii iudicant septem, et quidam humanius, ut quinque annos peniteat.

**§. 1.** Si quis permiserit hereticum missam suam celebrare in ecclesia catholica, et nescit, quadraginta dies peniteat; si pro reuerentia eius, annum unum peniteat; si pro dampnatione ecclesiæ catholicæ, et consuetudinis Romanorum, proiciatur ab ecclesia, sicut hereticus, nisi habeat penitentiam; si habuerit, decem annos peniteat.

Si recesserit ab ecclesia catholica in congregatione hereticorum, et alios persuaserit, postea si penitentiam egerit, duodecim annos peniteat, tres extra ecclesiam et septem inter audientes, et duos adhuc extra communionem.

De his ita in canone dicitur, ut duodecimo anno communionem sine oblatione percipiant.

**C. XLII.** Pocius est mortem arripere quam de manu heretici communionem accipere.

Item Gregorius. [Papa lib. III. Dialog., cap. 31].

Cepit Erminegildus rex iuuenis terrenum regnum despiciens, et forti desiderio celeste querens, in ciliciis iacere uinculatus et omnipotenti Deo ad confortandum se preces effundere, tanto que sublimius gloriam transeuntis mundi despiciere, quanto et religatus agnouerat nil fuisse, quod potuit auferri.

Superueniente autem festiuitatis pascalis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arrianum episcopum misit, ut de eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur.

Sed uir Deo deditus Arriano episcopo uenienti exprobrauit ut debuit, eius que a se perfidiam dignis increpationibus repulit, quia etsi exterius iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus.

Ad se itaque reuerso episcopo Arriano pater infremuit, statim que suos apparitores misit, qui constantissimum confessorem Dei illic, ubi iacebat, occiderent.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem post mortem nullus excommunicari ualeat uel absolui, ex uerbis euangelii monstratur, quibus dicitur: “Quodcumque ligaueris super terram etc.”.

Super terram, inquit, non sub terra; ostendens, quod uiuentes pro uarietate suorum meritorum soluere possumus uel ligare; de mortuis autem sententiam ferre non possumus.

Unde Leo Papa scribit Rustico, Narbonensi Episcopo: [epist. XC. cap. 7. al. epist. XCII. c. 6].

**C. I.** Non possunt ab ecclesia solui post mortem qui in hac uita ab ea noluerunt absolui. De communionem priuatis, et ita defunctis.

Horum causa iudicio Dei reseruanda est, in cuius manu fuit, ut talium obitus non usque ad communionis remedium differretur.

Nos autem quibus uiuentibus non communicamus mortuis communicare non possumus.

**C. II.** Ecclesia uiuentes potest ligare uel soluere, non mortuos.

Item Gelasius, Fausto Magistro, fungenti legationis officio Constantinopolim.

Legatur, ex quo est religio Christiana, uel certe detur exemplum in ecclesia Dei a quibuslibet Pontificibus aut ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Salvatore ueniam, nisi se corrigentibus, fuisse concessam.

Auditum autem sub isto celo non legitur omnino, nec dicitur, quod eorum uoce depromitur: date nobis ueniam, ut tamen nos in errore duremus.

Id quoque pariter ostendant qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione, quo ue documento, siue a maioribus nostris, siue ab Apostolis ipsis (quos potiores merito fuisse non dubium est) seu ab ipso Domino Salvatore, qui iudicaturus creditur uiuos et mortuos, siue factum est umquam, uel faciendum esse mandatur?

Mortuos suscitasse Christum legimus; in errore mortuos absoluisse non legimus.

Et qui hoc tantum faciendi solus habuerit potestatem, B. Petro apostolo principaliter mandauit: “Quodcumque ligaueris super terram etc.”.

Super terram, inquit.

Nam alligatione defunctum nusquam dixit esse absoluendum.

**C. III.** Non oportet ab elemosinis eorum abstinere post mortem, quibus in uita communicare non destitimus.

Item Urbanus. [II].

Vilimundo Episcopo.

Sane quod super Richardo, filio Borelli, uestra fraternitas se egisse innotuit pro zelo Dei et animarum karitate, laudamus.

Sed non est adeo timendum, non adeo est uobis ab eius elemosinis abstinendum.

Inter ceteros quippe nostræ fidei patres B. Leo doctor egregius: “Quibus” inquit, “uiuis, non communicamus nec mortuis communicare debemus”.

Constat ergo, quoniam, quibus uiuis (ut ex opposito loquamur), communicamus mortuis quoque communicare possimus.

Nos plane inter duo obpugnantia positi, inter inpios et scismaticos uidelicet, scismaticis ullo modo communicare non possumus, aut licet: peccatoribus uero et prebonibus dispensatiue propterea communicamus, quia et ecclesiam hactenus sustentauerunt, et se fideles in posterum pollicentur.

Alioquin oportet de huius mundi partibus exire.

Sub qua etiam sponsione nos eis nuper in B. Petri nataliciis absolutionem indulsumus.

Quia ergo predictus uir neque excommunicatus nominatiue, neque communicans cum excommunicatis ex nomine exiit, sed in Domini sui fide atque seruiicio, licet nobis dispensatiue, id est quamdiu eos patimur, eorum elemosinis communicare, et defuncti animam Christianæ religionis modis omnibus adiuuare.

[[C. IV].

Item Gelasius uniuersis Episcopis, per Dardaniam siue per Illiricum constitutis.

Nec quisquam uobis omnino persuadeat, Achatio preuaricationis suæ crimen fuisse laxatum, quia qui post, quam in collegium recidens prauitatis iure meruit ab apostolica communionem secludi, in hac eadem persistens dampnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes non quesuit omnino, nec meruit, mortuus iam non potest inpetrare.

Siquidem ipsis apostolis Christi uoce delegatum est: “Que ligaueritis super terram et reliqua”.

Ceterum de eo, qui in diuino iudicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere preter id, in quo eum dies supremus inuenit.

Atque ideo, nisi eius nomine refutato, ceteris que consortibus huius erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ dominicæ puritatem, quam maiores nostri semper ab heretica magnopere seruauerunt pollutione discretam.

**C. V.** Incurribilis dampnationis sententia relaxari non potest.

Item Leo Papa. [epist. XIII. ad Pulcheriam Augustam]

Dampnationis sententiam quicumque meretur excipere, si in suo sensu uoluerit permanere, nullus poterit relaxare.

## **II. Pars.**

Gratian. His auctoritatibus probatur, quod uiuentes, non mortuos soluere possumus uel ligare.

Verum hoc non de omni crimine intelligendum est.

Sunt enim quedam crimina, de quibus etiam post mortem accusari possunt quilibet uel dampnari, ueluti heresis.

Unde in prima actione V. Sinodi legitur:

**C. VI.** Heretici etiam post mortem sunt excommunicandi.

Sane profertur a quibusdam, qui dicunt oportere post mortem hereticos anathematizari, et sequi doctrinam in hoc sanctorum Patrum, qui non solum uiuentes hereticos condemnauerunt, sed etiam mortuos, sicut eos, qui iniuste condemnati sunt, reuocauerunt post mortem, et in sacris dipticis scripserunt.

Quod factum est in Iohanne, et in Flauiano religiosæ memoriæ episcopis Constantinopolitanis.

Item in actione V.:

§. 1. Augustinus ait: “Si forte isti libri ita designant traditorem suum, sicut Dominus designauit Iudam, legant in eis nominatim et expresse uel Cecilianum, uel eius ordinatores eorumdem librorum fuisse traditores, et nisi eos anathematizauero, ipse cum eis iudicer tradidisse”.

§. 2. Que modo recitata sunt Augustinus sanctæ memoriæ consuluit, et statuit teneri ab initio in ecclesia.

Inpium enim dogma iam inculpatum est et condemnatum et eos, qui tali dogmati obnoxii sunt, anathematizari uult ecclesiæ traditio, licet etiam mortui essent.

Ideo sanctæ memoriæ Augustinus dicit: “Si modo conuinceretur Cecilianus de his, que inferuntur ei, etiam post mortem eius illum anathematizo”.

Item:

§. 3. Multi episcopi congregati, et quedam de diuersis causis ad ecclesiasticum statum pertinentibus disponentes, de episcopis statuerunt defunctis, qui suas facultates hereticis relinquunt, ut etiam post mortem anathemati subiciantur.

Sunt autem et Augustini sanctæ memoriæ dicentes epistolæ, quod si qui in uita sua non recte sapuerunt, licet non condemnati fuissent adhuc uiuentes, tamen demonstrato peccato etiam isti post mortem anathemati subiciantur.

Item:

§. 4. “Si uera sunt que Ceciliano obiecta sunt, et nobis aliquando possent monstrari, ipsum mortuum anathematizaremus”.

Item:

§. 5. “Dicis, licere michi etiam de mortuis iudicare, quia iudicium non tantum de uiuis, sed etiam de mortuis solet fieri”.

Item:

§. 6. Rabula sanctæ memoriæ, episcopus factus Edissenæ ciuitatis, qui in sacerdotibus resplenduit Theodorum Mosothenum post mortem in ecclesia anathematizauit.

Item:

§. 7. Romanorum etiam ecclesia ante paucos annos Dioscorum, qui fuit Papa eiusdem ecclesiæ, post mortem etiam anathematizauit, cum nec in fide peccasset.

Et hoc sciunt omnes, qui degunt hic Romæ, et maxime qui in dignitatibus existunt, qui etiam eidem Dioscoro communicatores permanserunt usque ad eius mortem.

Item:

§. 8. Si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ uel superius aliquis recurrerit, etiam Origenem post mortem inueniet anathematizatum.

Quod etiam in isto fecit et uestra sanctitas, et Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romæ.

Item:

§. 9. Sancta sinodus dixit: Sufficiunt que dicta et prolata sunt ecclesiasticam traditionem demonstrare, quod oportet hereticos etiam post mortem anathematizari.

Item in actione IV.:



§. 10. Sancta sinodus dixit: Augustini sanctæ memoriæ, qui inter Affricanos episcopos splenduit, diuersæ epistolæ sunt recitatæ, significantes, quod hereticos oportet etiam post mortem anathematizari.

Talem autem ecclesiasticam traditionem et alii Affricani reuerentissimi episcopi seruauerunt; sed et Romana sancta ecclesia quosdam episcopos etiam post mortem anathematizauit, licet pro fide in uita sua non essent accusati, et utrumque apud nos gesta habita significant.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

##### I. Pars.

Quod autem pro peccato alicuius tota familia excommunicanda sit, multorum exemplis probatur.

Pro peccato namque Sodomitarum paruuli eorum, qui beneficio etatis paterna flagicia nesciebant, celesti igne sunt consumpti.

§. 1. Item pro peccato Amalecitarum non solum paruuli eorum, sed etiam bruta animalia usque ad mingentem ad parietem iussa sunt deleri a Domino.

§. 2. Item Dathan et Abiron auctores scismatis fuerunt contra Moysen et Aaron nec tantum ipsi soli, sed omnis substantia eorum cum ipsis descendit ad inferos.

§. 3. In nouo etiam testamento nonnumquam peccatis exigentibus grauis pestilentia deseuisse legitur, que etiam illos inuoluit, qui peccati conscientiam non habebant.

Si ergo tam seuerissime pro peccatis parentum inueniuntur paruuli puniti, nulli dubium est, quin pro peccatis eorundem sententia excommunicationis pariter feriri ualeant.

§. 4. His ita respondetur: Pro peccatis parentum paruulos corporaliter flagellari ex uerbis euangelii apparet, ubi discipulis de ceco nato interrogasse dicuntur: “Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cecus nasceretur?”

In quibus etiam illud completur, quod Dominus ait ad Moysen: “Ego sum Deus zelotes, uisitans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem”.

Spiritualiter autem peccatis parentum paruuli non tenentur, ex quo per sacramentum regenerationis ab originali peccato fuerint emundati.

Unde per Ezechielem Dominus ait: “Anima, que peccauerit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portat iniquitatem filii; iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum”.

Quecumque etiam peccata parentes commiserunt, ex quo filius personaliter ab eis separatus fuerit, ei non imputantur ad penam.

Unde peccato Adæ ideo omnes posterii teneri dicuntur, quia nondum aliquis ex illo materialiter fuerat proseminalis.

Quia uero apud Deum non sententia sacerdotum, sed uita reorum queritur, patet, quod non est notandus sententia quem peccati macula non inficit.

Hinc etiam Paulus scribens Corinthiis ait: “Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, cum eiusmodi nec cibum sumere debetis”.

Ex quibus uerbis datur intelligi, quod nisi primum fuerit aliquis nominatus de crimine, id est uel coram iudice accusatus et conuictus, uel in iure ipse de se fuerit confessus, quod nec sententia est feriendus, nec ab eius communione est abstinendum.

Non ergo pro alicuius peccato tota familia excommunicanda est.

Unde Augustinus scribit ad Auxilium Episcopum: [epist. LXXV].

**C. I. Pro peccato patris non est filius anathematizandus.**

Si habes de hac re sententiam certis rationibus uel scripturarum testimoniis exploratam, nos docere digneris, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini seruus, aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eo tempore, quo uniuersa domus est anathemate obligata, nascatur, nec ei possit per lauacrum regenerationis in mortis periculo subueniri.

Hec enim fuit corporalis pena, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui eiusdem impietatis participes fuerunt, pariter interfectos.

Tunc quippe ad terrorem uiuentium mortalia corpora perimebantur, quandoque etiam moritura.

Spiritualis autem pena, qua fit quod scriptum est: “Quæ ligaueris super terram erunt ligata et in celo,” animas obligat, de quibus dictum est: “Ut anima patris, et anima filii mea est.

Anima, que peccauerit, ipsa morietur”.

§. 1. Audistis fortassis aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium.

Sed forte, si essent interrogati, reperirentur ydonei inde reddere rationem.

Ego autem, si quis a me quesierit, utrum id recte fiat, quid ei respondeam non inuenio, numquam hoc facere ausus sum de quorundam facinoribus unanimiter aduersus ecclesiam perpetratis, nisi grauissime conuouerem.

Sed si tibi quam iuste id fiat Dominus reuelauit, nequaquam iuuenilem etatem tuam, et honoris ecclesiastici rudimenta contempno.

Senex enim a iuene, et episcopus tot annorum a collega necdum anniculo paratus sum doceri, quomodo possim uel Deo, uel hominibus iustam reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno quod non trahunt ex Adam, in quo omnes peccauerunt, spirituali supplicio puniamus.

Etenim Classitiani filius, etsi traxit ex patre noxam primi hominis, sacro fonte baptismatis expiandam, tamen quicquid post, quam eum genuit, peccati pater eius admisit, ubi particeps ipse non fuit, ad eum non pertinere quis ambigit?

Quid dicam de coniuge? Quid de tot animabus uniuersæ familiæ?

Unde si una anima per istam seueritatem, qua tota domus ista anathematizata est, sine baptismo de corpore exeundo perierit, innumerabilium mors corporum, si de ecclesia homines innocentes uiolenter abstrahantur et interficiantur, huic dampno non potest comparari.

Si ergo de hac re potes reddere rationem, utinam et nobis rescribendo prestes, ut possimus et nos.

Si autem non potes, quid tibi est inconsulta conuotione animi facere, unde, si interrogatus fueris, responsionem rectam non uales inuenire?

Hec autem dixi, etiamsi filius noster Classitianus aliquid admisit, quod tibi anathemate plectendum iustissime uideretur.

**II. Pars.**

Gratian. Ut ergo ex hac auctoritate eidentissime monstratur, illicite excommunicatur quis pro peccato alterius, neque aliqua ratione nituntur qui pro peccato unius in totam familiam sententiam ferunt excommunicationis.

Illicita autem excommunicatio notatum non ledit, sed excommunicantem.  
Unde Gregorius scribit Magno, Episcopo Mediolanensi: [lib. II. epist. 26].

**C. II.** Illicite aliquem excommunicans, semet ipsum, condemnat non illum.  
Conperimus, quod Laurentius quondam frater et coepiscopus noster nullis te culpis extantibus communionem priuauerit.  
Ideo que huius precepti nostri auctoritate munitus offitium tuum securus perage, et communionem sine aliqua sume formidine.

**C. III.** Qui non corde, sed ore maledicunt, labiorum immundiciam contrahunt.  
Item Ieronimus in Leuitico.  
Qui negligunt oris maledicti consuetudinem reseca, etiamsi non corde maledicant, tamen immundiciam labiorum (secundum Ysaiaë uerbum) et inquinamenta oris incurrunt.

**C. IV.** Vita, non sententia ligat quemlibet uel soluit.  
Item.  
Si quis non recto iudicio eorum, qui presunt ecclesiae, depellatur, et foras mittatur, si ipse antea non exiit, hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nichil leditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus uidetur expulsus.  
Et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit, et ille foris, qui intus uidetur retineri.

**C. V.** De eodem.  
Item Rabanus de ecclesiasticis pressuris, libro I.  
Non in perpetuum dampnamur, cum iniuste iudicamur, dicente Psalmista: “Nec dampnabit illum, cum iudicabitur illi”.  
Multi sacerdotum culpam se zelo Dei persequi profitentur; sed, dum indiscrete hoc agunt, sacrilegii facinus incurrunt, et dum precipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multo magis deterius cadunt.

**C. VI.** Qua pena feriat qui illicite aliquem excommunicat.  
Item ex Concilio Parisiensi tempore Lodouici.  
De illicita excommunicatione lex Iustiniani inperatoris catholici, quam probat et seruat catholica ecclesia, constitutione CXXVIII capitulo CCCLI decreuit, ut nemo presbiter excommunicet aliquem ante, quam causa probetur, propter quam ecclesiastici canones hoc fieri iubent.  
Si qui autem aduersus ea aliquem excommunicauerit, ille quidem, qui excommunicatus est, maioris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctae communionis redeat: is autem, qui legitime non excommunicauerit, in tantum absteat a sacra communionem tempus, quantum maiori sacerdoti uisum fuerit, ut quod iniuste fecit ipse iuste patiat.  
Hinc et S. Gregorius ad Iohannem episcopum iniuste excommunicantem inter cetera scripsit, dicens: “Cassatis prius atque ad nichilum redactis predictae sententiae tuae decretis, ex B. Petri principis apostolorum auctoritate decreuimus, triginta dierum spacio sacra communionem priuatum ab omnipotenti Deo tanti excessus ueniam cum summa penitentia ac lacrimis exorare.  
Quod si hanc sententiam nostram te cognouerimus inplesse remissius, non iam tantum iniusticiam, sed contumaciam fraternitatis tuae cognoscas iuuante Domino seuerius

puniendam,” quia nemo propere uel prepostere, scilicet non conmonitus neque conuictus est iudicandus.

§. 1. De conuentione autem huiusmodi inperatoris manifestorum criminum lex dicit: “Quicumque tribus auctoritatibus iudicis conuentus, uel tribus edictis fuerit ad iudicem prouocatus, aut uno pro omnibus peremptorio, id est quod causam exstinguit, fuerit uocatus, et presenciam suam apud eum iudicem, a quo ei denunciatum est, exhibere noluerit, aduersus eum quasi in contumacem iudicari potest.

Quinimo retractari nec per appellationem negocia possunt, quociens in contumacem fuerit iudicatum”.

Et hanc sentenciam de tribus auctoritatibus conuentis ex euangelica ueritate Celestinus ad Nestorium dicens, et Ephesina sinodus de eodem decernens, et B. Gregorius ad Iohannem scribens, conprobauit.

§. 2. De peremptorio scripto Affricanum concilium demonstrat de Cresconio, ut, si conuentus respiscere detrectauerit, suo contemptu et sua contumacia faciente, auctoritate iudiciaria iam protinus excludatur.

Item B. Gregorius de sententia in contumacem, scribens ad Maximum presumptorem Salonitanum episcopum, dixit: “Hortamur, ut ad nos uenire omni postposita excusatione festines, quatinus seruata iusticia hec, de quibus accusaris, et cognoscere, et finire secundum canonica instituta Christo reuelante possimus.

Ita autem fac, ut ad ueniendum amplius iam moras non ingeras, nec magis ipsa te absentia obnoxium his, que dicuntur, assignet, et nos in te hec res, non solum propter predicta crimina, que purgare subterfugis, sed etiam propter inobedienciæ culpam, durius, scilicet ut in contumacem, cogat ex concilio ferre iudicium”.

C. VII. Vita, non sententia aliquem ab ecclesia eicit, uel ad eam reducit.

Item Origenes super Leuiticum. [hom. XIV. ad c. 24].

Cum aliquis exiit a ueritate, a timore Dei, a fide, a karitate, exit de castris ecclesiæ, etiamsi per episcopi uocem minime abiciatur; sicut e contrario, aliquis non recto iudicio foras mittitur, sed si ante non exierit, id est non egerit ut mereretur exire, nichil leditur.

Interdum enim qui foras mittitur intus est, et qui foris est intus uidetur retineri.

C. VIII. Et qui aperto sacrilegio, et qui peruersa uita fidelibus non sociatur, ad ecclesiam non pertinere probatur.

Item Augustinus. [serm. XI. de uerbis Domini]

De illis, qui sunt ab ecclesia segregati, non dicit: “Ea, que sunt Spiritus, non percipientes;” ne ad scientiæ perceptionem referretur: sed dictum est: “Spiritum non habentes”.

§. 1. Hoc utique non diceretur nisi de segregatis ab ecclesia, qui dicti sunt Spiritum non habentes.

Sed nec ille dicendus est esse in ecclesia, et ad istam societatem Spiritus pertinere, qui ouibus Christi ficto corde miscetur.

“Spiritum enim sanctum disciplinæ effugiet fictum”.

Neque enim non solum ad ecclesiam pertinent qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius unitate corporaliter mixti per pessimam uitam separantur.

C. IX. A Deo separamus, quos inpios demonstramus.

Item ex V. Sinodo. [collatione 5].

Certum est, quod qui inpius demonstratus est omnino separatus est a Deo, sicut etiam ille, qui anathematizatus est tamquam inpius separatus est.

Nichil enim aliud significat anathema, nisi a Deo separationem.

### III. Pars.

Gratian. Illicita ergo excommunicatio, ut ex premissis apparet, non ledit eum, qui notatur, sed quo notatur, ac per hoc qui innocentes sunt ex alterius crimine condempnari non possunt, sicut ab imprudentibus familiæ potentum pro peccatis dominorum consueuerunt notari.

Sed adhuc obicitur, quod non solum innocentes, sed nec etiam criminosi sententia maledictionis sint feriendi.

Ait enim Christus in euangelio: “Orate pro persequentibus et calumpniantibus uos, benefacite his, qui oderunt uos”.

Item Apostolus: “Benedicite persequentibus uos: benedicite et nolite maledicere”.

Item: “Maledici regnum Dei non possidebunt”.

**C. X.** Ab omni maledicto fideles immunes esse oportet.

Item Ieronimus in epistola ad Titum. [initio cap. 3].

Si igitur Michæl non fuit ausus diabolo et certe maledictionis dignissimo iudicium inferre blasphemiæ, quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus?

Merebatur diabolus maledictum, sed per os archangeli blasphemia exire non debuit.

Relege ueteres libros, et uide, que tribus in monte Garizim constitutæ sunt ut benedicerent populo, et que in monte altero, ut maledicerent.

Ruben, qui maculauerat thorum parentis, et Zabulon nouissimus Liæ filius, et ancillarum liberi in monte Hebal ponuntur, ut maledicant his, qui maledictione digni sunt.

**C. XI.** Quos significant qui ad benedictionem, qui ue ad maledictionem de filiis Israël electi sunt.

Idem in libro Iudicum.

Cum ergo in singulis quibusque fidelium sit talis propositi uarietas, hoc michi designari uidetur in hoc loco, quod dimidii illi, qui iuxta montem Garizim incedunt (illum, qui ad benedictionem electus est), istos figuraliter indicent, qui non metu penæ, sed benedictionum et repromissionum desiderio ueniunt ad salutem; illi uero dimidii, qui iuxta montem Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatae sunt, istos alios indicant, qui malorum metu et suppliciorum timore conplentes que in lege scripta sunt, perueniunt ad salutem.

Gratian. Sed qui pro persecutoribus iussit orare, primos parentes pro transgressione mandati mortis maledicto percussit.

Cain quoque, quia primæ preuaricationi fratricidium adiunxit, sententiam maledictionis a Domino reportauit.

Abrahæ quoque dixit Dominus: “Maledicam maledicentibus tibi, et benedicam benedicentibus tibi”.

In euangelio etiam, cum esuriens ueniret ad ficum, non inueniens fructum in ea, sua maledictione perpetua sterilitate ipsam dampnauit.

§. 1. Item Noe, cum uerenda sua a Cham derisa cognosceret, filium eius Chanaan maledixit dicens: “Maledictus Chanaan sit seruus fratrum suorum”.

Item Ysaac, cum benediceret Iacob filio suo, ait: “Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur”.

§. 2. Item, sicut in libro Numerorum legitur, Moyses ex precepto Dei duodecim tribus filiorum Israël in duas partes diuisit, et sex tribus iussit, ut iuxta montem Gebal incedentes maledictionem transgredientium legem uociferarent; aliis uero precepit, ut iuxta alium montem incedentes benedictiones obseruantium inclamarent.

§. 3. In nouo etiam testamento Petrus apostolus Symoni legitur maledixisse, cum ait: “Pecunia tua te cum sit in perditione”.

Paulus quoque, qui dixerat: “Benedicite, et nolite maledicere,” fornicatorem Corinthium iussit excommunicari.

Item in alia epistola ait: “Si quis non fuerit secutus doctrinam Domini nostri Iesu Christi, sit anathema, maranatha”.

Item Galathis: “Si angelus de celo ueniens aliud uobis euangelizauerit, anathema sit”.

§. 4. Distinguendum est ergo inter maledictum, quod prohibetur, et maledictum, quod a Domino et a sanctis uiris rationabiliter profertur.

Maledictum, quod prohibetur, est illud, quod procedit ex uoto ultionis et odio persequentis, non ex amore iusticiæ.

Maledictum uero, quo sancti maledicunt, est illud, quod procedit ex amore iusticiæ, non ex liuore uindictæ.

Unde Gregorius in Moralibus ait libro III.:

**C. XII.** Sancti uiri non ex uoto ultionis, sed amore iusticiæ aliquos maledicunt.

Cum sancti uiri maledictionis sententiam proferunt, non in hanc ex uoto ultionis, sed ex iusticiæ examine prorumpunt.

Intus subtile iudicium respiciunt, et mala foris surgentia qua maledictione ferire debeant cognoscunt, et eo maledicto non peccant, quo ab interno iudice non discordant.

Item:

§. 1. Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat: aliud uidelicet, quod approbat, aliud, quod dampnat.

Aliter enim maledictum profertur iudicio iusticiæ, ut in ipso primo peccante prolatum est, cum audiuit: “Maledicta terra in opere tuo, etc.” et sicut Abrahæ dicitur: “Maledicam maledicentibus tibi”.

Aliter uero profertur maledictum, quod non iudicio iusticiæ, sed liuore uindictæ promitur, a quo uoce Pauli predicantis cessare ammonemur, qui ait: “Benedicite, et nolite maledicere”.

**C. XIII.** Errantes et in errorem mittentes excommunicentur.

Item Pelagius Papa Angellio Episcopo.

Apostolicæ auctoritatis exemplo didicimus, errantium et in errorem mittentium spiritus tradendos esse sathanæ, ut blasphemare dediscant.

**C. XIV.** Delinquentes corrigantur a sacerdotibus, incorrigibiles inuenti excommunicentur.

Item Anacletus Papa. [epist. III].

Tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his, qui pereunt, quatinus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut, si incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia separentur.

C. XV. Secunda uel tertia ammonicione interposita excommunicationis sententia procedat.

Item Gregorius. [Papa lib. II. epist. 37. ad Natalem Episcopum]

De excommunicationis articulo (que tamen interposita condicione gradus, secundo uel tertio iam ut ita dicam, ex necessitate subiuncta est) beatitudo uestra inmerito queritur, cum Paulus apostolus dicat: “In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam”.

C. XVI. Mali ab ecclesia sunt eliminandi.

Item Ieronimus. [in epistolam ad Galatas, c. 5].

Secundæ sunt carnes putridæ, et scabiosa a caulis ouis repellenda, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeat, corumpatur, putrescat, intereat.

Arrius in Alexandria una scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est.

C. XVII. Pro diuersitate culparum subditi a prepositis corripiantur.

Item Augustinus. [in libro de correptione et gratia, c. 15].

Corripiantur itaque subditi a prepositis suis correptionibus de karitate uenientibus pro culparum diuersitate diuersis, uel minoribus, uel amplioribus, quia et ipsa, que dampnatio nominatur, quam facit episcopale iudicium (qua pena in ecclesia nulla maior est), potest, si Deus uoluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere.

Neque enim scimus quid contingat sequenti die.

Aut ante finem huius uitæ de aliquo desperandum est?

Aut contradici Deo potest, ne respiciat et det penitentiam, et, accepto sacrificio spiritus contribulati cordis que contriti, a reatu quamuis iustæ dampnationis absoluat dampnatum quem ipse non dampnet?

Pastoris tamen necessitas habet, ne per plures serpent dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo, cui nichil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.

Nescientes enim quis pertineat ad predestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus karitatis affectu, ut omnes uelimus saluos fieri.

C. XVIII. Qui corrigi nolunt excommunicationis ferro debent abscidi.

Item Prosper. [libro de uita contemplatiua, c. 7].

Ecce autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecumque claruerint quecumque non fuerint pacienciæ leni medicamento sanata, ueluti quodam igne piæ increpationis urenda sunt et curanda.

Quo si nec sic quidem equanimiter sustinentis ac pie increpantis medela processerit in eis, qui diu portati et salubriter obiurgati corrigi noluerint, tamquam putridæ corporis partes debent ferro excommunicationis abscidi, ne, sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit, ita isti, qui emendari despiciunt, et in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctarum societate permanserint, eos suæ perditionis exemplo interficiant.

C. XIX. Excommunicandus est qui simul duas uxores habere presumit.

Item Nykolaus Papa Lothario Regi.

An non districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech et flagitium imitatus esse dinosceris?

Quod Dominus non nisi post septuaginta septem generationes suo salutifero aduentu deleuit, cum Cain fratricidium septima generatione aquis abolitum sit cataclismi.

**C. XX.** Falsi testes et homicidæ communionem priuentur.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 37].

Itaque censuimus homicidas et falsos testes a communionem ecclesiasticam submouendos, nisi penitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

**C. XXI.** Excommunicetur potens, qui clericum pauperem religiosum spoliare presumat.

Item ex Concilio Tolletano I. [cap. 11].

Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum expoliauerit, et mandauerit eum ad se uenire episcopus, ut audiatur, et contempserit, inuicem mox scripta percurrant per omnes prouinciæ episcopos, et quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur ipse, donec obediat et reddat aliena.

[PALEA. **C. XXII.** De eodem.

Ex dictis Gregorii Papæ.

Quisquis per dolum manum suam mittit in Christum Domini, id est episcopum uel presbiterum, quia sacrilegium graue committit, et si quis ecclesiam Dei uastat, aut inpugnat, aut incendit, quia et hoc grauissimum est sacrilegium, placuit sanctæ synodo, ut in primis omnia bona eius proscriptione publicentur; deinde in uno loco, id est in monasterio, inclusus peniteat omnibus diebus uitæ suæ].

**C. XXIII.** Communionem priuetur qui Romipetas, et peregrinos, uel mercatores molestare presumpserit.

Item Calixtus Papa.

Si quis Romipetas et peregrinos Apostolorum limina, et aliorum sanctorum oratoria uisitantes capere, seu rebus, quas ferunt, spoliare, et mercatores nouis teloneorum et pedaticorum exactionibus molestare temptauerit, donec satisfecerit, communionem careat Christiana.

**C. XXIV.** Excommunicetur qui oratores et ecclesias, earum que bona et personas ibidem seruientes infestare presumat.

Item Urbanus.

Paternarum traditionum exemplis conmoniti, pastoralis officii debitum persoluentes, ecclesias cum bonis suis, tam personis quam possessionibus, clericos uidelicet ac monachos, eorum que conuersos, oratores quoque cum suis nichilominus rebus, quas ferunt, tutos et sine molestia esse statuimus.

Si quis autem contra hoc facere presumpserit, et post, quam facinus suum recognouerit, infra spacium dierum triginta competenter non emendauerit, a liminibus ecclesiæ arceatur, et anathematis gladio feriat.

**C. XXV.** Qui oratoribus, pauperibus non arma ferentibus in malum obuauerint, excommunicentur.

Item Nykolaus Papa omnibus Episcopis.

Illi, qui peregrinos, uel oratores cuiuscumque sancti, siue clericos, siue monachos, uel feminas, aut inermes pauperes depredati fuerint, uel bona eorum rapuerint, uel in malum eis obuauerint, anathematis uinculo feriantur, nisi digne emendauerint.



§. 1. Pax uero illa, quam treugam Dei dicimus, sic obseruetur, sicut ab archiepiscopis uniuscuiusque prouinciæ constituta est.

Qui autem eam infregerit excommunicationi subdatur.

#### IV. Pars.

Gratian. Quia uero de hereticis sermo habetur, uidendum est, quid intersit inter scisma et heresim, et qui sint heretici, et quot sint hereticorum sectæ?

Differentiam autem inter scisma et heresim Ieronimus in epistola ad Galathas assignat, dicens:

Inter heresim et scisma hoc esse arbitror, quod heresis peruersum dogma habeat, scisma post episcopalem discessionem ab ecclesia pariter separat.

Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diuersum; ceterum nullum scisma nisi heresim aliquam sibi confingit, ut recte ab ecclesia uideatur recessisse.

Unde autem heresis dicatur, in eadem epistola Ieronimus diffinit, dicens:

C. XXVII. Unde dicatur heresis?

Heresis grece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.

Quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hereticus appellari potest, et de carnis operibus est, eligens que peiora sunt.

#### V. Pars.

Gratian. Qui uero proprie dicantur heretici, Augustinus [in lib. de utilitate credendi c. 1]. ostendens ait:

C. XXVIII. Qui proprie dicantur heretici.

Hereticus est, qui alicuius temporalis commodi et maxime gloriæ principatus que sui gratia falsas ac nouas oppiniones uel gignit, uel sequitur.

Ille autem, qui huiusmodi hominibus credit, est imaginatione quadam ueritatis illusus.

C. XXIX. Non sunt heretici, qui non sua audatia, sed aliena seducuntur in errorem.

Idem. [Glorio, Elesuio, et aliis, epist. CLXII].

Dixit Apostolus: “Hereticum hominem post primam et secundam correctionem deuita, quia subuersus est huiusmodi, et peccat, in semetipso dampnatus”.

Sed qui sententiam suam, quamuis falsam atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, presertim quam non audacia suæ presumptionis pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, querunt autem cauta sollicitudine ueritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hereticos deputandi.

C. XXX. Magistri erroris existunt qui ueritatis disciplinam contempnunt.

Item Leo. [Papa epist. X. ad Flauianum]

Quid autem iniquius est quam inopia sapere, et sapientioribus doctioribus que non credere?

Sed in hanc insipientiam cadunt, qui, cum ad cognoscendam ueritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas uoces, non ad apostolicas litteras, nec ad

euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt, et ideo magistri erroris existunt, quia ueritatis discipuli non fuerunt.

**C. XXXI.** Heretici sunt qui quod prae sapiunt contumaciter defendunt.

Item Augustinus contra Manicheos.

Qui in ecclesia Christi morbidum aliquid prauum que sapiunt, si correcti, ut sanum rectum que sapiant, resistunt contumaciter, sua que pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, heretici sunt.

**C. XXXII.** Errante dampnabilior est qui eius defendit errorem.

Item Urbanus Papa.

Qui aliorum errorem defendit multo est dampnabilior illis, qui errant, quia non solum ille errat, sed etiam aliis offendicula preparat erroris et confirmat.

Unde quia magister erroris est, non tantum hereticus, sed etiam heresiarcha dicendus est.

**C. XXXIII.** Qui mendacio ueritatem inmutant patrum terminos transferre probantur.

Item Ieronimus. [lib. II. Comment. ad cap. 5. Oseæ]

Transferunt principes Iuda terminos, quos posuerunt patres eorum, quando inmutant mendacio ueritatem, et aliud predicant quam ab Apostolis acceperunt.

Idem:

§. 1. De hereticis manifestus est sensus, quod sophismatibus suis et arte dialectica sepe opprimant ecclesiasticos.

Idem:

§. 2. Veteres scrutans historias inuenire non possum scidisse ecclesiam, et de domo Domini populos seduxisse, preter eos, qui sacerdotes a Deo positi fuerant et prophetæ, id est speculatores.

Isti ergo uertuntur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum.

**C. XXXIV.** Abiciantur qui aduersariorum conueniunt prauitati.

Item Leo Papa. [epistola LXXIV. ad Anatolium]

Illud sane plurimum michi displicere significo, quod inter ditionis tuæ clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conueniant prauitati, et uesaniæ uasis misericordiæ uasa misceantur.

Quibus inuestigandis et seueritate congrua cohercendis debet diligentia tua uigilanter insistere ita, ut his, quibus prodesse correctio non potuerit, non parcat abscisio.

Oportet enim nos euangelici meminisse mandati, quod ab ipsa ueritate precipitur, ut, si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, a conpage corporis auferatur, quia melius sit his in seculo carere membris, quam cum ipsis in eterna supplicia ire.

Nam superfluo extra ecclesiam positus resistimus, si ab his, qui intus sunt, in eis, quos decipiunt, uulneramur.

Abicienda prorsus pestifera hec a sacerdotali uigore patiencia est, que sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcat.

**C. XXXV.** Et sodalitates et conuiuia hereticorum clerici uitare debent.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 70. 71. 72].

Clericus hereticorum aut scismaticorum tam conuiuia quam sodalitates euitet equaliter.

Eorum conuenticula non ecclesia, sed conciliabula sunt appellanda.

Cum eis neque orandum est, neque psallendum.

**C. XXXVI.** Canonum obseruatores cum hereticis nullum debent inire certamen.

Item Gelasius Papa. [in epistola ad Episcopos Dardaniæ]

Cum quibus erat sinodus ineunda?

Catholici pontifices fuerant undique iam depulsi, soli remanserant socii perfidorum, cum quibus nec iam licebat habere conuentum, dicente Psalmo: “Non sedi cum concilio uanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo”.

Nec ecclesiastici moris est cum his, qui pollutam habent communionem permixtam que cum perfidis, miscere concilium.

Recte igitur per Calcedonensis sinodi formam huiusmodi preuaricatio repulsa est potius quam ad concilium uocata, quod nec opus erat post primam sinodum, nec cum talibus habere licebat.

Idem: [in commonitorio ad Faustum]

§. 1. Canonum magistris atque custodibus nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ.

**C. XXXVII.** Non contradicit, sed potius euangelio obedit qui malos excommunicat.

Item ex epistola Urbani Papæ.

Notandum est, quod quidam dicunt contra euangelicam parabolam nos facere, ubi de zizaniis non eradicandis Dominus precepit, cum excommunicatione aliquos dignos excommunicationi subicimus, et aiunt etiam S. Augustinum hoc contradicere eo in loco, ubi ait: “Quia non est precipienda unitas, ferendi sunt mali, non abiciendi”.

Quibus hoc primum respondendum est: Si heretici et mali homines non sunt excommunicandi, quare ipse pater sanctus Augustinus cum legatis S. Romanæ ecclesiæ, et cum sanctis episcopis suis Pelagium et Celestinum, nouam heresim in sanctam Dei ecclesiam introducentes, excommunicauit, et ab ecclesia Dei separauit?

Quare ipsos Donatistas, contra quos ista et multa his similia loquitur, tam ipse quam omnis ecclesia Dei excommunicatos habuit, et, nisi prius penitissent, et per manus inpositionem reconciliati essent, eis nequaquam comunicabat?

Idem ipse Dominus, qui hoc parabolice hic enarrat, aperte alibi excommunicationem fieri iubet, dicens: “Frater, qui corripitur ab ecclesia, et non obedit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus”.

Unde apparet liquido, aliud esse excommunicationem, et aliud eradicationem.

Qui excommunicatur enim (ut Apostolus ait) ad hoc excommunicatur, ut spiritus eius saluus fiat in die Domini.

Disciplina enim est excommunicatio, et non eradicationem,

[Gratian.] nisi forte ex contemptu et superbia excommunicati proueniat.

Unde Augustinus in libro Numeri: [hom. XV. ad c. 23].

**C. XXXVIII.** Diuina maledictio meritum maledicti designat.

Deus, quibus maledicit, meritum designat eius, cui maledicitur, et sententiam promit, utpote quem non fallit neque peccati qualitas, neque peccantis affectus.

Homo, hoc quia non potest scire (neque enim propositum mentem que alterius alius uidere aut cognoscere potest), idcirco etiam si iudicantis uel sententiam promentis intuitu proferat maledictum, non potest esse maledicendi causa, ubi ignoratur peccantis affectus, maxime cum humanum uicium tunc sciat maledicta proferre, cum forte conuiciis aut iniuriis prouocatur.

Quod uicium resecare uolens Apostolus, ne maledictis maledicta et conuiciis conuicia prouocemus, mandatum necessarium ponit, ut benedicamus, quo conuiciandi uicium resecetur, non quo iudicandi ueritas, que homines latet, et pronuntiandi auctoritas perimatur.

Gratian. Sectæ uero hereticorum quot sint, et unde nomina acceperint, Ysidorus VIII. libro Ethimologiarum c. 5. determinat, dicens:

**C. XXXIX. Quot sint sectæ hereticorum.**

Quidam autem heretici, qui de ecclesia recesserunt, ex nomine auctorum suorum nuncupantur; quidam uero ex causis, quas eligentes instituerunt.

§. 1. Symoniani a Symone dicti, magicæ disciplinæ perito, cui Petrus in Actibus Apostolorum maledixit pro eo, quod ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere uoluisset.

Hii dicunt, creaturam non a Deo esse, sed a uirtute creatam quadam superna.

§. 2. Menandriani a Menandro mago, discipulo Symonis nuncupati, qui mundum non a Deo, sed ab angelis factum asseruit.

§. 3. Basilidiani a basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias passum Iesum abnegauit.

§. 4. Nykolaitæ a Nykolao dicti diacono ecclesiæ Iherosolimorum, qui cum Stephano et ceteris constitutus est a Petro; qui, propter pulchritudinem uxorem relinquens, dixit ut qui uellet ea uteretur; uersa est in stuprum talis consuetudo, ut inuicem coniugia conmutarentur.

Quos Iohannes in Apokalipsi inprobat dicens: “Sed hoc habes, quod odisti facta Nykolaitarum”.

§. 5. Gnostici propter excellentiam scientiæ se ita appellare uoluerunt.

Animam naturam esse Dei dicunt; bonum et malum Deum suis dogmatibus fingunt.

§. 6. Carpocratiani a Carpocrate quodam uocantur, qui dixit, Christum hominem fuisse tantum, et de utroque sexu progenitum.

§. 7. Cherinthiani a quodam Cherintho nuncupati.

Hii inter cetera circumcisionem obseruant, mille annos post resurrectionem in uoluptate carnis futuros predicant.

Unde et grece Ciliastæ, latine Miliasti sunt appellati.

§. 8. Nazarei dicti, qui dum Christum (qui a uico Nazareus est appellatus) filium Dei confiteantur, omnia tamen ueteris legis custodiunt.

§. 9. Ofitæ a colubro nominati sunt.

Coluber enim grece ofi dicitur.

Colunt enim serpentem, dicentes, ipsum in paradyso induxisse uirtutis cognitionem.

§. 10. Valentiniani a quodam Valentino Platonico sectatore uocati, qui eonas, id est secula quedam in originem Dei creatoris induxit, Christum quoque de Virgine nichil corporis assumpsisse, sed per eam quasi per fistulam transisse asseruit.

§. 11. Apellitæ, quorum auctor Apelles princeps fuit, qui, creatorem angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens, Deum legis Israël illum igneum affirmans qui dixit, Christum non Deum in ueritate, sed hominem in fantasia apparuisse.

§. 12. Archontiaci a principibus appellantur, quia uniuersitatem, quam Deus condidit, opera esse archangelorum defendunt.

§. 13. Adamiani uocati, quia Adæ imitentur nuditatem.

Unde et nudi orant, et nudi inter se mares feminæ que conueniunt.

§. 14. Caiani proinde sunt appellati, quoniam Cain adorant.

- §. 15. Sethiani nomen acceperunt a filio Adæ, qui uocatus est Seth, dicentes, eundem esse Christum.
- §. 16. Melchisedechiani uocati pro eo, quod Melchisedech, sacerdotem Dei, non hominem fuisse, sed uirtutem Dei esse arbitrantur.
- §. 17. Angelici uocati, quia angelos colunt.
- §. 18. Apostolici hoc ideo sibi nomen sumpserunt, quod nichil possidentes proprium nequaquam recipiant eos, qui aliquo in hoc mundo utuntur.
- §. 19. Cerdoniani a Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asseruit.
- §. 20. Marcionistæ a Marcione, Stoico philosopho, appellati, qui Cerdonis dogma secutus alterum bonum, alterum iustum Deum asseruit, tamquam duo principia creationis et bonitatis.
- §. 21. Artotyritæ ab oblatione uocati, panem enim et caseum offerunt, dicentes, a primis hominibus oblationem a fructibus terræ et a fructibus ouium fuisse celebratam.
- §. 22. Aquarii appellati eo, quod aquam solam offerunt in calice sacramenti.
- §. 23. Seueriani a Seuero exorti, uinum non bibunt; uetus testamentum et resurrectionem non recipiunt.
- §. 24. Taciani a Taciano uocati, qui et Enchratis dicti, quia carnes abhominantur.
- §. 25. Alogii uocantur tamquam sine uerbo, logos enim grece uerbum dicitur. Deum enim uerbum non credunt, respuentes Iohannis Euangelium et Apokalipsim.
- §. 26. Catafrigiis nomen prouincia Frigia dedit, quia ibi extiterunt auctores eorum Montanus, Prisca et Maximilla. Hii aduentum Spiritus sancti non in Apostolis, sed in se traditum asserunt.
- §. 27. Catharæ propter mundiciam ita se nominauerunt: gloriantes enim de suis meritis negant penitentibus ueniam peccatorum; uiduas, si nupserint, tamquam adulteras dampnant; mundiores se ceteris predicant. Qui nomen suum si cognoscere uellent, mundanos potius se quam mundos uocarent.
- §. 28. Pauliani a Paulo Samosateno exorti sunt, qui dixit, non semper fuisse Christum, sed a Maria sumpsisse initium.
- §. 29. Ermogeniani ab Ermogene quodam uocati, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparauit, matrem que elementorum et Deam asseruit, quos Apostolus improbat elementis seruientes.
- §. 30. Manichei a quodam extiterunt Persa, qui uocatus est Manes. Hic duas naturas et substancias introduxit, id est bonam et malam, et animas ex Deo quasi ex aliquo fonte manare asseruit; testamentum uetus respuunt, nouum ex parte recipiunt.
- §. 31. Antropomorfitæ dicti pro eo, quod simplicitate rustica Deum habere membra humana, que in diuinis libris scripta sunt, arbitrantur; antropos enim grece latine homo interpretatur. Ignorantes uocem Domini, qui ait: "Spiritus est Deus". Incorporeus est enim; nec enim membris distinguitur, nec corporis mole censetur.
- §. 32. Eraclitæ ab Eraclio auctore exorti, monachos tantum recipiunt, coniugia respuunt, regna celorum paruulos habere non credunt.
- §. 33. Nouatiani a Nouato Romanæ urbis presbitero exorti, qui aduersus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus inuadere, heresim instituit, noluit apostatas suscipere et rebaptizans baptizatos.
- §. 34. Montani heretici dicti, quod tempore persecutionis in montibus latuerunt, qua occasione se a catholicæ ecclesiæ corpore diuiserunt.

§. 33. Ebionitæ ab Ebione dicti, siue a paupertate; Christum enim per proeuertum solum uirum iustum putant effectum.

Unde competenter Ebionitæ pro paupertate intelligentiæ appellati sunt.

Hii enim Iudei sunt, et ita tenent euangelium, ut legem carnaliter seruent; aduersus quos ad Galathas Apostolus scribens inuehitur.

§. 36. Fotiniani a Fotiniano Gallogreciæ Sirmiæ episcopo nuncupati, qui Ebionitarum heresim suscitans asseruit, Christum a Maria per Ioseph nuptiali coitu fuisse conceptum.

§. 37. Hæriani ab Hæreo quodam nuncupati sunt; hii offerre sacrificium pro defunctis spernunt.

§. 38. Hætiani ab Hætio sunt uocati, idem que Eunomiani ab Eunomio quodam dialectico, Hætii discipulo, ex cuius nomine magis innotuerunt, dissimilem patri asserentes Filium, et Filio Spiritum sanctum.

Dicunt etiam, nullum inputari peccatum in fide manentium.

§. 39. Origeniani Origene auctore exorti sunt, dicentes, quod non possit Filius uidere Patrem, nec Spiritus sanctus Filium.

Animas quoque in mundi principio dicunt peccasse, et pro diuersitate peccatorum e celis usque ad terras diuersa corpora quasi uincula meruisse, ea que causa factum esse mundum.

§. 40. Noetiani a quodam Noeto uocati, qui dicebant Christum eundem esse et Patrem, et Spiritum sanctum, ipsam que Trinitatem in officiorum nominibus, non personis accipiunt.

Unde et Patripassiani uocantur, quia Patrem passum dicunt.

§. 41. Sabelliani ab eodem Noeto pullulasse dicuntur, cuius discipulum perhibent fuisse Sabellium, ex cuius nomine maxime innotuerunt, unde et Sabelliani uocati sunt.

Hii unam personam Patris, et Filii, et Spiritus sancti astruunt.

§. 42. Arriani ab Arrio Alexandrino presbitero exorti sunt, qui, coeternum Patri Filium non agnoscens, diuersas in Trinitate substantias asseruit, contra illud, quod Dominus ait: "Ego et Pater unum sumus".

§. 43. Macedoniani a Macedonio episcopo sunt dicti, negantes Deum esse Spiritum sanctum.

§. 44. Apollinaristæ ab Apollinare uocati sunt, dicentes Christum corpus tantummodo sine anima assumpsisse.

§. 45. Antidicomaritæ appellati sunt, eo, quod Mariæ uirginitati contradicunt, asserentes eam post Christum natum uiro suo fuisse conmixtam.

§. 46. Metangismonitæ ideo tale nomen acceperunt, quia angios grece uas dicitur.

Asserunt enim sic esse in Patre Filium, tamquam uas minus inter uas maius.

§. 47. Patriciani a quodam Patricio nuncupati sunt, qui substantiam humanæ carnis a diabolo conditam dicunt.

§. 48. Coliciani a quodam Colitho nominati, qui dicunt, Deum non facere mala contra illud, quod scriptum est: "Ego Dominus creans mala".

§. 49. Floriani a Florino, qui e contrario dicunt Deum creasse mala, contra hoc, quod scriptum est: "Fecit Deus omnia bona".

§. 50. Donatistæ a Donato quodam Afro nuncupati sunt, qui, de Numidia ueniens, totam pene Affricam sua persuasione decepit, asserens minorem Patre Filium, et minorem Filio Spiritum sanctum, et rebaptizans catholicos.

§. 51. Bonosiani a quodam episcopo Bonoso exorti produntur, qui Christum filium Dei adoptiuum, non proprium asserunt.

§. 52. Circumcelliones dicti eo, quod agrestes sint, quos Cotopitas uocant, supradictæ heresis habentes doctrinam.

Hii amore martyrii semetipsos perimunt, ut uiolenter de hac uita discedentes martyres nominentur.

§. 53. Priscillianistæ a Priscilliano uocati, qui in Hispania ex errore Gnosticorum et Manicheorum permixtum dogma conposuit.

§. 54. Luciferiani a Lucifero Sirmiæ episcopo orti, qui episcopos catholicos, qui instanti persecutione perfidiæ Arrianorum erant consentientes, et postea correcti in cathedram redire delegerunt, dampnantes quod crediderunt siue quod credidisse dissimulauerunt, quos ecclesia catholica materno recepit sinu, tamquam Petrum post fletum negationis: hanc illi matris karitatem super accipientes eos recipere nolentes, ab ecclesiæ communionem recesserunt, et cum ipso Lucifero auctore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.

§. 55. Iouinianistæ a Iouiniano quodam monacho dicti, asserentes, nullam nuptiarum et uirginum esse distantiam, nullum que inter abstinentes et simpliciter epulantes esse discrimen.

§. 56. Eluidiani ab Eluidio nominati, qui dicunt post natum Christum alios Mariam filios de uiro Ioseph peperisse.

§. 57. Paterniani Paterno quodam exorti, qui inferiores corporis partes a diabolo factas opinantur.

§. 58. Arabici nuncupati eo, quod in Arabia exorti sunt, dicentes animam cum corpore mori, atque in nouissimo utrumque resurgere.

§. 59. Tertullianistæ dicti a Tertulliano, presbitero Affricanæ prouinciæ ciuitatis Cartaginensis, animam immortalem esse, sed corpoream predicantes, et animas peccatorum hominum post mortem in demones uerti putantes.

§. 60. Tesserescedecatitæ dicti, quod quartadecima luna pascha cum Iudeis obseruare contendunt.

Nam tessera quatuor, deka decem significat.

§. 61. Nictages a somno nuncupati, quod uigilias noctis respuant, supersticionem esse dicentes, iura temerari diuina, qui noctem ad requiem tribuit.

§. 62. Pelagiani a Pelagio monacho exorti.

Hii liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt, dicentes, sufficere uoluntatem ad implenda iussa diuina.

§. 63. Nestoriani a Nestorio Constantinopolitano episcopo nuncupati, qui B. uirginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodo genetricem asseruit, ut aliam personam carnis, aliam faceret Deitatis, nec unum Christum in uerbo Dei et carne credidit, sed separatim atque seiunctim alterum filium Dei, alterum hominis predicauit.

§. 64. Euticiani dicti ab Eutice Constantinopolitano abbate, qui Christum post humanam assumptionem negauit existere de duabus naturis, sed solam in eo diuinam asseruit esse naturam.

§. 65. Acephalitæ dicti, id est sine capite.

Nullus enim eorum repperitur auctor, a quo exorti sint.

Hii trium Calcedonensium capitulorum impugnatore, duarum in Christo substanciarum proprietatem negant, et unam in eius persona naturam predicant.

§. 66. Theodosiani et Gaianitæ appellati a Theodosio et Gaiano, qui temporibus Iustiniani principis in Alexandria populi peruersi electione una die ordinati sunt episcopi.

Hii errores Euticis et Dioscori sequentes Calcedonense concilium respuunt, ex duabus unam in Christo naturam asserunt, quam Theodosiani corruptam, Gaianitæ incorruptam contendunt.

§. 67. Gnoitæ et Tritoitæ a Theodosianis exorti sunt, ex quibus Gnoitæ ab ignorantia dicti, quia peruersitati, a qua exorti sunt, id adiciunt, quod Christi diuinitas ignoret, que sunt futura scripta de die et hora nouissima, nec recordantes Christi personam nesciam loqui: “Diem iudicii in corde meo”.

§. 68. Tritoitæ uero uocati, quod sicut tres personas in Trinitate, ita quoque tres asserunt Deos esse, contra illud, quod scriptum est: “Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est”.

§. 69. Sunt et aliæ hereses sine auctore et sine nominibus.

Ex quibus aliæ putant trinum esse Deum; aliæ Christi diuinitatem passibilem dicunt; aliæ Christi de patre natiuitati in tempore incipit tempore dant; aliæ liberationem hominum apud inferos factam Christi descensione non credunt; aliæ animam imaginem Dei negant; aliæ animas conuerti in demones et in quecumque animalia existimant; aliæ de mundi statu dissentunt; aliæ innumerabiles mundos oppinantur; aliæ aquam Deo coeternam faciunt; aliæ nudis pedibus ambulant; aliæ cum hominibus non manducant.

He sunt hereses aduersus catholicam fidem exortæ, ab Apostolis et sanctis Patribus uel conciliis predampnatæ, que, dum in se multis erroribus diuisæ inuicem sibi dissentunt, communi tamen nomine aduersus ecclesiam Dei conspirant.

§. 70. Sed quicumque aliter scripturam sanctam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo conscripta est, licet de ecclesia non recesserit, tamen hereticus appellari potest.

C. XL. Quare diuina prouidentia multos errare permittit.  
Augustinus. [de Genesi contra Manichæos, lib. I. cap. 1].

## VI. Pars.

Ideo diuina prouidentia multos diuersi erroris hereticos esse permittit, ut, cum interrogant nos ea, que nescimus, sic discutiamus pigriciam, et diuinas scripturas cupiamus.

Propterea Apostolus ait: “ut probati manifesti fiant”.

Hii autem Deo probati sunt, qui bene possunt docere.

## CAUSA XXV.

### GRATIANUS.

Sancta Romana ecclesia quandam baptismalem ecclesiam suis muniuit priuilegiis, decimationes suæ diocesis ex integro sibi attribuens.

Item quoddam monasterium similiter muniuit priuilegiis propriis, decernens, ut ex propriis prediis nulli decimas persolueret.

Accidit itaque, ut intra diocesim premunitæ baptismalis ecclesiæ prefatum monasterium alia emptione, alia donatione predia sibi inueniret.

Oritur itaque contentio inter monachos et clericos de decimis.

(Qu. I).



Nunc primum queritur, an clerici baptismalis ecclesiæ auctoritate priuilegii decimas suæ diocesis ex integro sibi ualeant uendicare?

(Qu. II).

Secundo, an subsequenti priuilegio monachorum derogetur antiquioribus priuilegiis baptismalium ecclesiarum?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod uero auctoritate illius priuilegii decimas sibi ex integro clerici uendicare non ualeant, hinc probatur, quia decimæ iuxta decreta sanctorum Patrum quadripartito diuiduntur, quarum una pars episcopis, secunda clericis, tertia fabricis restaurandis, quarta uero pauperibus est assignata.

Decreta uero sanctorum canonum neminem magis quam Apostolicum seruare oportet.

Unde Gelasius Papa ait: [in epistola ad Episcopos Dardaniæ]

**C. I.** Constitutionem sinodi, quam uniuersalis ecclesiæ probauit assensus, Romanam sedem seruare oportet.

Confidimus, quod nullus iam ueraciter Christianus ignoret, uniuscuiusque sinodi constitutum, quod uniuersalis ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem pre ceteris oportere, quam primam, que et unamquamque sinodum sua auctoritate confirmauit et continuata moderatione custodit.

**C. II.** Qui negligenter pascit dominicum gregem sibi commendatum conuincitur summum non amare pastorem.

Item Leo Papa. [epist. IV. Episcopis Siciliæ]

Diuinis preceptis et apostolicis monitis incitatur ut pro omnium ecclesiarum statu inpigro uigilemus affectu, ac, si quid umquam reprehensioni inuenitur obnoxium, aut ab ignorantia inpericia, aut a presumptionis usurpatione reuocemus.

Ammonente enim diuinæ uocis inperio, quo beatissimus apostolus trina repetitione mysticis sanctionibus inuitur, ut Christi oues qui Christum diligit pascat, ipsius sedis, cui per habundantiam diuinæ gratiæ presumus, reuerentia cohortamur, ut periculum desidia, quantum possumus, declinemus, ne professio summi Apostoli, qua se amatorem Domini testatus est, non inueniatur in nobis, quia qui negligenter pascit tociens commendatum dominicum gregem conuincitur summum non amare pastorem.

**C. III.** Non debent ullo modo uariari que ad perpetuam quietem ordinantur.

Idem Anatholio Episcopo. [epist. LI].

Que ad perpetuam generaliter ordinata sunt utilitatem nulla conmutatione uariantur, nec ad priuatum trahantur commodum que ad bonum sunt commune prefixa, sed manentibus terminis, quos constituerunt Patres nemo iniuste usurpet alienum, sed intra fines proprios atque legitimos, prout quisque ualuerit, in latitudine se exerceat karitatis.

**C. IV.** Diuinas constitutiones et apostolicæ sedis decreta nulli temerare licet.

Item Hilarius Papa. [in Sinodo Romana, c. 1].

Nulli fas sit sine status sui periculo uel diuinas constitutiones, uel apostolicæ sedis decreta temerare, quia nos, qui potentissimi sacerdotis amministramus offitia, talis transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inuenti, quia meminimus, quod timere debemus, qualiter conminetur Deus negligentiae sacerdotum. Siquidem maior reatu delinquit qui pociori honore fruitur, et grauiora facit uicia peccatorum sublimitas peccantium.

**C. V.** In Spiritum sanctum blasphemant qui sacros canones uiolant.

Item Damasus Papa.

Violatores canonum uoluntarie grauiter a sanctis Patribus iudicantur, et a sancto Spiritu (instinctu cuius ac dono dictati sunt) dampnantur, quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue uidentur qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut premissum est, aliquid aut proterue agunt, aut loqui presumunt, aut facere uolentibus sponte consentiunt.

Talis enim presumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum sanctum, quoniam, ut iam prelibatum est, contra eum agit, cuius nisu et gratia sancti canones editi sunt.

**C. VI.** In quibus liceat a Romano Pontifici nouas condere leges.

Item Urbanus Papa.

Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges.

Quod et nos non solum non negamus, sed etiam ualde affirmamus.

Sciendum uero summopere est, quia inde nouas leges condere potest, unde Euangelistæ aliquid nequaquam dixerunt.

Ubi uero aperte Dominus, uel eius Apostoli, et eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid diffinierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed pocius quod predicatum est usque ad animam et sanguinem confirmare debet.

Si enim quod docuerunt Apostoli et Prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur.

Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt.

**C. VII.** Contra sanctorum statuta apostolicæ sedis auctoritas aliquid concedere a non ualet.

Item Zosimus Papa.

Contra Patrum statuta concedere aliquid uel mutare nec huius quidem sedis potest auctoritas.

Apud nos enim inconuulsis radicibus uiuit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reuerentiam.

**C. VIII.** Stare non ualet quod contra euangelicam uel propheticam doctrinam seu constitutionem factum fuerit.

Item Marcellinus Papa. [epist. II].

Omne, quod inreprehensibile est, catholica defendit ecclesia.

Et infra:

§. 1. Iniustum iudicium et diffinitio iniusta, regio metu uel iussu a iudicibus ordinata, non ualeat.

Nequaquam quod contra euangelicam, uel propheticam, uel apostolicam doctrinam constitutionem ue eorum, siue sanctorum Patrum actum fuerit, stabit, et quod ab infidelibus uel hereticis factum fuerit omnino cassabitur.

**C. IX.** A statutis Patrum non deuiare et fidei regulam custodire prima salus est.

Item Hormisda Papa. [Episcopis Hispaniæ]

Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deuiare.

**C. X.** Profitetur Pelagius thomum sui decessoris se per omnia seruare.

Item Pelagius Childiberto Regi.

Satagendum est, ut pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ legibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sacræ scripturæ precipiunt.

Veniens etenim Rufinus uir magnificus, legatus excellentiæ uestræ, confidenter a nobis, ut decuit, postulauit, quatinus uobis aut beatæ recordationis Leonis Papæ thomum a nobis per omnia conseruari significare debuissimus, aut propriis uerbis nostræ confessionem fidei destinare.

Et primam quidem petitionis eius partem, quia facilius fuit, mox, ut dixit, inpleuimus, me que in omnibus Presulis thomum pro catholicæ fidei assertionem conscriptum, Deo propicio, custodire manus nostræ ad uos professione significauimus.

Ut autem deinceps nullius (quod absit) suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem, quam memoratus uir illustris ammonuit, facere maturauimus scilicet propriis uerbis confessionem fidei, quam tenemus, exposui.

**C. XI.** Anathema apud Deum fiat qui censuram Romanorum Pontificum uiolat.

Item Adrianus Papa. [in Capitulis, c. ult.].

Generali decreto constituimus, ut execrandum anathema fiat, et ueluti preuaricator fidei catholicæ semper apud Deum reus existat, quicumque regum, seu episcoporum, uel potentum deinceps Romanorum Pontificum decretorum censuram in quoquam crediderit uel permiserit uiolandam.

**C. XII.** Non licet alicui episcopo contra decreta Romanorum Pontificum aliquid agere.

Item Damasus Papa, Stephano Archiepiscopo.

Omnia decretalia cunctorum predecessorum nostrorum constituta, que de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a omnibus episcopis, ac sacerdotibus generaliter custodiri debere mandamus, ut si quid in illa commiserint, ueniam sibi honoris deinceps nouerint denegari.

**C. XIII.** Non communicet sacris altaribus qui nescit sacris obedire canonibus.

Item Gregorius. [lib. II. ep. 7. ad Iohannem Episcopum]

Hec consona sanctis Patribus diffinitione sancimus, ut qui sacris canonibus obedire nescit nec sacris ministrare, uel communionem capere sit dignus altaribus.

**C. XIV.** Seruandæ sunt regulæ a sanctis Patribus in sinodo statutæ.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 1].

A sanctis Patribus in unaquaque synodo usque nunc prolatas regulas tenere statuimus.

**C. XV.** Voluntatem et statuta suorum decessorum custodiat qui sua seruari uoluerit.

Item Gregorius ad Montanum et Thomam. [lib. V. epist. 12].

Iusticiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderat mandata seruari decessoris sui proculdubio uoluntatem et statuta custodiat.

**C. XVI.** Contra statuta agit sanctorum Patrum qui non ea seruat intacta.

Item Leo IV.

Ideo permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri siue in sanctis canonibus siue in mundanis affixere legibus excedere minime debeamus.

Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi diuino statuerunt consulto intactum non conseruamus.

## II. Pars.

Gratian. Si ergo primam sedem statuta conciliorum pre omnibus seruare oportet, si pro statu omnium ecclesiarum necesse est illam inpigro uigilare affectu; si ea, que a Romanis Pontificibus decreta sunt, ab omnibus seruari conuenit; si illi, qui nesciunt sacris canonibus obedire, altaribus ministrare non debent: patet, quod contra statuta sanctorum canonum, quibus status ecclesiarum uel confundantur uel perturbantur, priuilegia ab Apostolico concedi non debent.

§. 1. His ita respondetur: Sacrosancta Romana ecclesia ius et auctoritatem sacris canonibus impertit, sed non eis alligatur.

Habet enim ius condendi canones, utpote que caput et cardo est omnium ecclesiarum, a cuius regula dissentire nemini licet.

Ita ergo canonibus auctoritatem prestat, ut se ipsam non subiciat eis.

Sed sicut Christus, qui legem dedit, ipsam legem carnaliter inpleuit, octaua die circumcisis, quadragesimo die cum hostiis in templo presentatus, ut in se ipso eam sanctificaret, postea uero, ut se dominum legis ostenderet, contra litteram legis leprosum tangendo mundauit, Apostolos quoque contra litteram sabbati per sata pretergredientes, spicas uellentem et confricantes manibus suis, probabili exemplo Daud, circumcisionis, et templi excusauit, dicens: “Non legistis, quid fecerit Abimelech, quando uenit ad eum Daud, et dedit ei panes propositionis, de quibus non licebat edere, nisi solis sacerdotibus, et comedit ipse et pueri eius?”

Item octaua die secundum legem puer circumciditur, et uos in sabbato circumciditis hominem.

Item, cum iuge holocaustum ex lege offeratur, cum masculus quadragesimo femina uero octuagesimo die ab ortu suæ natiuitatis secundum legis inperium in templum cum hostiis presentaretur, unde sacerdotes hostias offerentes in templo litteram sabbati soluunt, et sine crimine sunt: tunc filius hominis multo magis ualet soluere litteram legis, qui est dominus etiam sabbati.

Hinc etiam de eo dicitur: “Erat Iesus docens, tamquam potestatem habens,” id est tamquam dominus legis, addens moralibus ea, que deerant ad perfectionem, umbram figuralium in lucem spiritualis intelligentiæ conmutans, non tamquam scribæ eorum, qui littera legis astricti non audebant aliquid addere uel conmutare.

Sic et summæ sedis Pontifices canonibus a se siue ab aliis sua auctoritate conditis reuerentiam exhibent, et eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis obseruandos exhibeant.

Nonnumquam uero seu iubendo, seu diffiniendo, seu decernendo, seu aliter agendo, se decretorum dominos et conditores esse ostendunt.

In premissis ergo capitulis aliis inponitur necessitas obsequendi: summis uero Pontificibus ostenditur inesse auctoritas obseruandi, ut a se tradita obseruando aliis non contempnenda demonstrant, exemplo Christi, qui sacramenta, que ecclesiæ seruanda mandauit, primum in se ipso suscepit, ut ea in se ipso sanctificaret.

Oportet ergo primam sedem, ut diximus, obseruare ea, que mandauit decernendo, non necessitate obsequendi, sed auctoritate inperendi.

Licet itaque sibi contra generalia decreta specialia priuilegia indulgere, et speciali beneficio concedere quod generali prohibetur decreto.

§. 2. Quamquam si decretorum intentionem diligenter aduertamus, nequaquam contra sanctorum canonum auctoritatem aliquid concedere inueniantur: Sacri siquidem canones ita aliquid constituunt, ut suæ interpretationis auctoritatem sanctæ Romanæ ecclesiæ reseruent.

Ipsi namque soli canones ualent interpretari, qui ius condendi eos habent.

Unde in nonnullis capitulis conciliorum, cum aliquid obseruandum decernitur, statim subinfertur: “Nisi auctoritas Romanæ ecclesiæ inperauerit aliter,” uel: “saluo tamen in omnibus iure sanctæ Romanæ ecclesiæ,” uel: “salua tamen in omnibus apostolica auctoritate”.

Quecumque ergo de decimis uel quibuslibet ecclesiasticis negociis sacris canonibus diffiniuntur, intelligenda sunt necessario seruari, nisi auctoritas Romanæ ecclesiæ aliter fieri mandauerit uel permiserit.

Cum ergo aliqua priuilegia ab Apostolico aliquibus conceduntur, etsi contra generalem legem aliquid sonare uideantur, non tamen contra ipsam aliquid concedere intelliguntur, cum ipsius legis auctoritate priuilegia singulorum penes matrem omnium ecclesiarum reseruentur.

Neque enim priuilegia aliquibus concederentur, si preter generalem legem nulli aliquid speciale indulgeretur.

Priuilegia namque dicuntur quasi priuata legia, eo quod priuatam legem singulis generent.

Quam distinctionem Gregorius innuens ait: “Si hoc neque consuetudine generali neque priuilegio uendicas, restat te usurpasse quod fecisti”.

§. 3. Item Ieronimus in expositione Ionæ: [ad c. 1]. “priuilegia singulorum non possunt legem facere comunem”.

§. 4. Valet ergo, ut ex premissis colligitur, sancta Romana ecclesia quoslibet suis priuilegiis munire, et extra generalia decreta quedam speciali beneficio indulgere, considerata tamen rationis equitate, ut que mater iusticiæ est in nullo ab ea dissentire inueniatur, ut priuilegia uidelicet, que ob religionis, uel necessitatis, uel exhibiti obsequii gratiam conceduntur, neminem releuando ita diuitem faciant, ut, multorum detrimenta non circumspectando, in paupertatis miseriam nonnullos deiciant; illud Apostoli ad memoriam reuocantes, quod ad Chorinthios scribens ait: “Non enim uolumus, ut aliis sit remissio, uobis autem tribulatio”.

Cui sacra lex principum concordans ait: “Rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus precipimus refutari, nisi forte aliquid est, quod non ledat alium et prosit petenti, uel crimen supplicantibus indulgeat”.

§. 5. Item constitutio inperatoris ad populum: “Nec dampnosa fisco, nec iuri contraria postulari oportet”.

§. 6. Clerici ergo huius baptismalis ecclesiæ priuilegii auctoritate muniti, suæ diocesis decimas ex integro sibi uendicare ualent, nisi forte summa necessitate episcopi cogantur ad quartam suam accipiendam, et illi superhabundare monstrentur.

**QUESTIO II.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem antiquioribus priuilegiis subsequentibus derogari non possit auctoritate Anacleti probatur, qui, scribens omnibus Episcopis et reliquis Christi sacerdotibus, ait: [in epist. I. c. 37].

**C. I.** Ecclesiarum priuilegia cunctis temporibus intemerata seruentur.

Priuilegia ecclesiarum et sacerdotum intemerata et inuiolata decreuimus cunctis manere temporibus.

Leges ecclesiæ apostolica auctoritate firmamus, et peregrina submouemus iudicia.

**C. II.** Nec nouitate mutari, nec improbitate conuelli ecclesiarum priuilegia debent.

Item Leo Papa Marciano Augusto. [ep. LII. al. LIV].

Priuilegia ecclesiarum et monasteriorum, sanctorum Patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari.

In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est huius sanctæ sedis Pontifices perseuerantem exhibere famulatum.

Dispensatio enim nobis credita est, et ad nostrum reatum tendit, si paternarum regulæ sanctionum nobis consentientibus uel negligentibus uiolentur.

**C. III.** Priuilegio suæ dignitatis aliquis ecclesiam exuere non debet.

Item Gregorius Augustino, Anglorum Episcopo. [respons. 9].

In Galliarum episcopis nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis predecessorum nostrorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minime debemus.

Si ergo contingat, ut fraternitas tua ad Galliarum prouincias transeat, et aliquid ex auctoritate agendum fuerit, cum predicto Arelatensi agatur episcopo, ne pretermitti possit hoc, quod antiqua Patrum institutio inuenit.

Brittannorum uero omnes episcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur.

**C. IV.** Statuta Apostolicorum decessorum Apostolicus destruere non debet.

Idem Felici Episcopo. [lib. XII. epist. 31].

Si ea destruerem, que antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse iuste conprobarer, testante ueritatis uoce, que ait: "Omne regnum in se ipsum diuisum," desolabitur et omnis scientia et lex aduersum se diuisa destruetur.

**C. V.** Metropolitanus ius dignitatis traditæ sibi antiquitus intemeratum obtineat.

Item Leo Papa. [epist. LXXXII. al. LXXXIV. ad Anastasium, c. 2].

Igitur secundum sanctorum Patrum canones, spiritu Dei conditos et totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singularum prouinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura pretenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis

intemeratum habere decernimus, ita, ut a regulis prestitutis nulla aut negligentia aut presumptione discedant.

**C. VI.** Metropolitanorum inconuulsa seruari oportet priuilegia.

Item Ormisda Papa. [in epistola ad Iohannem Episc.].

Seruatis priuilegiis metropolitanorum uices uobis apostolicæ sedis delegamus, ut inspectis istis, siue ea, que a nobis sunt nuper mandata, seruentur, siue, que de ecclesiasticis causis tuæ reuelationi contigerit, sub tua nobis insinuatione pandantur.

Erit hoc studii ac sollicitudinis tuæ, ut talem te in his, que iniunguntur, exhibeas, ut fidem integritatem que eius, cuius curam suscipis, imiteris.

**C. VII.** Decreta apostolica nulla presumptione uiolentur.

Item Gregorius Bonifatio primo Defensori. [lib. VII. epist. 17]

Institutionis nostræ decreta, que sunt priuilegiis et ordinatione disposita, perpetua stabilitate et sine aliqua constituimus refragatione seruari, siue que scripto decreuimus, seu que in nostra presencia uidentur esse disposita, nec a quoquam pontificum in totum uel in partem ea qualibet occasione conuelli decreuimus uel mutari.

Nam nimis est asperum, et precipue bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quantacumque rationis excusatione que bene sunt ordinata rescindere, et exemplo docere ceteros sua quandoque posse constituta dissoluere.

**C. VIII.** Priuilegia ecclesiarum Apostolicus debet seruare illesa.

Idem Dominico, Cartaginensi Episcopo. [lib. II. Indict. 10. epist. 39].

De ecclesiasticis priuilegiis quod uestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque ecclesiis sua iura seruamus, nec cui libet gratia fauente ultra quam meretur inperior, nec ulli hoc, quod sui iuris est, ambitu stimulante derogabo: sed fratres meos per omnia honorare cupio, sic que honore singulos subuehi, dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi.

**C. IX.** Quod rationabiliter diffinitum est nullo modo uiolari debet.

Item Vigilio, Arelatensi Episcopo. [lib. VII. ep. 117].

Cum piæ desiderium uoluntatis, et laudandæ diffinitionis intentio sacerdotalibus sit semper studiis adiuuanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea, que pro quiete religiosæ conuersionis sunt disposita uel ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quedam ualeat presumptio perturbare: sed sicut hoc, quod ratio exigebat utiliter, obtinuit diffiniri, ita quod diffinitum est non debet uiolari.

**C. X.** Sibi iniuriam facit Apostolicus qui fratrum suorum iura perturbat.

Idem. [ad Natalem Episcopum, lib. II. epist. 37].

Quod uero dicitis, nostris temporibus debere seruari que a meis quoque decessoribus tradita uel custodita sunt, absit hoc a me, ut statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet ecclesia infringam, quia michi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.

**C. XI.** Nulla presumptione uiolentur que ab Apostolis et eorum successoribus sunt instituta.

Item Iulius Papa. [epist. I. ad Orientales, c. 4].

Amputato totius usurpationis excessu nullus presumat que sibi non uidentur esse concessa.

§. 1. Ea que sunt ab Apostolis eorum que successoribus instituta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione uiolentur, nulla concertatione turbentur.

C. XII. Que rationabiliter ordinata sunt nulla debent refragatione turbari.

Item Gregorius Papa. [lib. VII. Indict. 2. epist. 60. Prærecti Illustri]

Ecclesiasticæ moderationi est omnino conueniens, ut que ordinata fuerint, uel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari.

C. XIII. Que contra leges fiunt pro infectis habeantur.

Idem in Registro. [lib. VII. Indict. 2. epist. 7. Ianuario Caralitano]

Inperiali constitutione sancitum est aperte, ut ea, que contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.

[[C. XIV].

Codicis libro I. titulo de precibus inperatori offerendis, Inperator Constantinus.

Nec dampnosa fisco, nec iuri contraria postulari oportet.

[[C. XV]. Inp. Theodosius et Valentinianus.

Rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus precipimus refutari, nisi forte sit aliquid, quod non ledat alium, et prosit petenti, uel crimen supplicantibus indulgeat.

C. XVI. Rescriptum meretur effectum, quod cum iuris et legum ratione concordat.

Item Pelagius Papa Iohanni Comiti.

Dicenti, sacras iussiones se habere pre manibus, respondimus scire illum oportere, quod ipse clementissimus princeps generalibus legibus constituerit, illa sacra uniuscuiusque supplicantis desiderio concessa preualere et effectui mancipari, que cum iuris et legum ratione concordant; ea uero, que subreptione uel falsis precibus forsitan inpetrantur, nullum remedium supplicantibus ferre.

Gratian. Rescripta, siue sint adnotationes siue pragmaticæ sanctiones, expressam debent habere in se condicionem: Si preces ueritate nituntur.

Mendax enim precator debet carere inpetratis, et quibus scripta diriguntur sunt puniendi, si precum mendacia uetuerint argui.

Unde Inpp. Diocletianus, et Maximianus, et Constantius libro I. Codicis titulo si contra ius uel utilitatem publicam: §. 1. "Prescriptione mendaciorum opposita, siue in iuris narratione mendacium reperiatur, siue in facti, siue in tacendi fraude, pro tenore ueritatis, non deprecantis affirmatione, datum iudicem cognoscere debere, et secundum hoc de causa conuenit ferre sententiam".

Item Inp. Constantinus: "Puniri iubemus decem librarum auri mulcta iudices, qui uetuerunt precum argui falsitatem".

Inpp. Theodosius et Valentinianus: §. 3. "Et si legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulerit, careat penitus inpetratis, et, si nimia mentientis inuenitur improbitas, etiam seueritati subiaceat iudicantis".

Item Constantinus: §. 4. "Et si non cognitio, sed executio, mandatur, de ueritate precum inquiri oportet, ut si fraus interuenit de omni negotio cognoscatur".

Inp. Anastasius: §. 5. "Omnes cuiuscumque maioris uel minoris amministrationis uniuersæ reipublicæ iudices monemus, ut nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram annotationem, que generali iuri uel utilitati publicæ aduersa



esse uideatur in disceptatione cuiuslibet litigii patiantur proferri; sed generales sacras constitutiones modis omnibus non dubitent obseruandas”.

Codicis titulo de diuersis rescriptis Inpp. Diocletianus et Maximianus: §. 6. “Sanccimus, ut autentica ipsa atque originalia rescripta, etiam ex nostra manu subscripta, non exempla eorum insinuentur”. Inp. Constantinus: §. 7. “Si qua beneficia personalia sine die et consule fuerint deprehensa, auctoritate careant”.

Inp. Zeno: §. 8. “Uniuersa rescripta, siue in personam precantium siue ad quemlibet iudicem manauerint, que uel annotatio, uel queuis pragmatica sanctio nominetur, sub ea condicione proferri precipimus, si preces ueritate nituntur, nec aliquem fructum precator oraculi percipiat inpetrati, licet in iudicio asseueret ueritatem, nisi questio fidei precum imperiali beneficio monstretur inserta.

Nam et magnificus uir questor, et uiri spectabiles magistri scriniorum, qui sine prefata adiectione quaecumque diuinum responsum dictauerint, et iudices, qui susceperint, reprehensionem subibunt, et qui illicite dictata ausi fuerint scribere cuiuscumque scrinii memoriales, seu pragmaticarii, uel adiutores primicerii; amissione cinguli ferientur”.

**C. XVII.** Priuilegia ecclesiarum nulla debent improbitate conuelli.

Item Leo Papa. [epist. LII. al. LIV. ad Marcianum Augustum]

Priuilegia ecclesiarum, sanctorum canonibus instituta, et uenerabilis Nicenæ fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, uel nouitate mutari.

Item Nykolaus Papa, uniuersali sinodo presidens, dixit: [in Concilio Romano, c. ult.].

**C. XVIII.** Anathema sit qui mandata uel decreta Romanorum Pontificum seruare contempserit.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones uel decreta pro catholica fide uel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium uel futurorum malorum a sedis apostolicæ Presule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Item Gelasius Cresconio Iohanni, Mesaliæ Episcopis, inter cetera:

**C. XIX.** Statuta priorum successores seruare oportet.

Decessorum statuta sicut legitima et iusta successorem custodire conuenit, ita debet etiam male facta corrigere.

Hinc etiam Archadius et Honorius:

[[**C. XX.**]

Quecumque, inquit, a parentibus nostris diuersis sunt statuta temporibus, manere inuiolata atque incorrupta circa sacrosanctas ecclesias precipimus.

Nichil igitur a priuilegiis inmutetur, omnibus, qui ecclesiis deseruiunt, tuicio deferatur, quia temporibus nostris addi potius reuerentiæ cupimus, quam ex his, que olim prestita sunt, inmutari.

Idem:

[leg. 30]. §. 1. Non tam nouum aliquid presenti sanctione precipimus, quam illa, que olim uidentur indulta, firmamus.

Priuilegia igitur, que olim reuerentia religionis obtinuit, mutilare sub penæ etiam interminatione prohibemus ita, ut hii quoque, qui ecclesiæ obtemperant, ipsius beneficiis perfruantur.

Idem:

[leg. 34]. §. 2. Si ecclesiæ uenerabilis priuilegia cuiusquam fuerint uel temeritate uiolata, uel dissimulatione neglecta, commissum duodecim librarum auri (sicut etiam prius constitutum est) condempnatione plectatur.

Ipsa que priuilegia nichilominus plenissimum per omnia obtineant uigorem.

Item Pelagius Armentario, Magistro militum, inter cetera:

**C. XXI.** Non liceat Pontifici a iure ecclesiæ discedere, quod documentorum auctoritate firmatur.

Posteaquam ecclesiæ iura documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex, uel si uult, permittatur habere licentiam.

Gratian. Si ergo priuilegia monasteriorum uel quarumlibet ecclesiarum auctoritate Leonis, Gregorii, Gelasii et nonnullorum aliorum Pontificum sanctæ Romanæ ecclesiæ inuiolata seruantur; si ea, que contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt; si Pontifex non habet liberam licentiam discedendi a documentis, quibus iura ecclesiæ firmantur: patet, quod posteriora priuilegia antiquioribus derogare non possunt, nec eorum auctoritate eis aliqua obicietur exceptio, cum etiam, si contra illa specialiter ferent, pro infectis essent habenda.

## II. Pars.

§. 1. His ita respondetur: Sancta Romana ecclesia sua auctoritate congregata ualet disiungere, et disiuncta congregare; rationis tamen equitate considerata.

Unde uel pietatis, uel necessitatis intuitu semel a se concessa ualet uel totum uel in partem commutare.

Pro necessitate namque corrigendorum uiciorum priuilegia multarum ecclesiarum uel inminuuntur, uel penitus inmutantur, siue personaliter siue generaliter.

§. 2. Personaliter iuxta illud: “Priuilegium omnino meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate”.

**C. XXII.** Quod habet amittat qui quod non accepit usurpat.

Item Siluerius Papa Vigilio Episcopo. [ep. II].

Sic decet fidem sanctorum Patrum in ecclesia seruari catholica, ut quod habuit amittat qui inprobabili temeritate quod non accepit assumpserit.

**C. XXIII.** Priuilegium amittit qui sua potestate non legitime utitur.

Item Simplicius [epist. II]. Iohanni, Episcopo Rauennati post pauca, quibus eum ab illicita ordinatione prohibuit.

Denunciamus autem, quod si posthec aliquid tale presumpseris, et aliquem seu episcopum, uel presbiterum, seu diaconem inuitum facere forte credideris, ordinationes tibi Rauennatis uel Emiliensis ecclesiæ noueris auferendas.

**C. XXIV.** Ius ordinandi amittunt qui inmeritum consecrant.

Item Leo Papa. [epist. LXXXV. al. LXXXVII. ad Episcopos Africanos]

Si qui episcopi talem consecrauerint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo dampnum proprii honoris euaserint, ordinationis ius ulterius non habebunt nec umquam ei sacramento intererunt, quod, neglecto diuino iudicio, inmerito prestiterunt.

Gratian. Generaliter, ueluti dum ciuitati episcopalis dignitas perpetuo subtrahitur, que suos episcopos interimere consueuit.

Unde Gelasius Papa scribit:

**C. XXV.** Episcopalis dignitas ciuitati subtrahitur, que suos presules interimit.

Ita nos Sillanorum cedes geminata pontificum horrendi criminis atrocitate confudit, ut diu constitutio nostræ deliberationis hesitaret, dum et ingerere quemquam parricidalibus exemplis detestaremur antistitem, et ecclesiam utcumque destitutam non usque adeo iudicarem relinquentem.

Quapropter iam uelut usum consuetudinem que sacrilegam declinantes, eatenus duximus religioni consulendum, ut parrochiæ uice ab extrinsecus positus sacerdotibus gubernetur, que ibidem conmanentes ferro didicit necare pastores, inaudito que facinore (quod etiam in illis prouinciis nusquam prorsus legitur accidisse, que bellorum continuis diuersis que incursionibus affliguntur) ut aliqua reperta sit ciuitas, que presules ministrantes sibi fidei Christianæ sine persecutore prosternat.

Curandum est igitur, ut funesta perniciis cessatione priorum sanetur antistitem, atque ita saltim furoris tanti materia subtrahatur, si in quam hec possit acerbitas perpetrari consistens persona ibidem defuerit, eo que modo uel illa ciuitas, dum in quos deseuiat non habebit, ab huiusmodi temeritate desistat, uel aliis imitandi contagia dira non prebeat.

Egeat ergo episcopalibus subsidiis sibimet aliunde pensatis, que sacram in suo gremio collocatam fuso crudeliter maculat sanguine dignitatem, que in utroque hac est ultione plectenda, siue instinctu domestico seu furiis incitata hoc committit externis.

Prebeat ergo uestra dilectio in hoc statu positæ ministerium uisitationis ecclesiæ, et aut conueniendo pariter, aut uicissim, prout qualitas rerum causa que proposcerit, diuina misteria representet ingratis, ne, cum deuitamus zizania, dominica uideamur preterire frumenta.

### III. Pars.

Gratian. Hostilitatis quoque uel paupertatis necessitate episcopales sedes uel mutantur, uel duæ in unum rediguntur, sicut supra in titulo de mutationibus episcoporum B. Gregorius fecisse legitur.

Non ergo priuilegia ecclesiarum sic inuiolata permanere censentur, ut quibusdam de causis interuenientibus apostolica auctoritate eis derogari non possit; alioquin multitudo ecclesiarum ad paucitatem redigeretur, cum innumeræ ecclesiæ in diocesibus aliarum frequenter conditæ inueniantur.

Seruentur ergo priuilegia ecclesiarum cunctis inconcussa temporibus, ne uidelicet preter eius auctoritatem, a quo data sunt, contra ea liceat ire alicui.

§. 1. Sed obicitur illud Simaci Papæ: "Possessiones, quas unusquisque ecclesiæ suo reliquit arbitrio, etc." que supra in titulo de alienatione rerum ecclesiasticarum leguntur asscripta.

Unde datur intelligi, quod ea, que de iure uniuscuiusque ecclesias uel necessitatis, sicut peregrinis, uel pietatis intuitu, sicut religiosi domibus conferuntur, non perpetuo, sed temporaliter ab eis, quibus conferuntur, sunt possidenda.

Quamquam illud Simaci ad necessitatis intuitum, non ad pietatis prospectum possit referri, uidelicet, ut ea, que peregrinis uel captiuis necessitas largiri suauis, non ea, que

religiosis domibus ob quietem religiosæ conuersationis concessa sunt prohibeantur perpetuo possideri.

Vel potius de utrisque intelligendum est, uidelicet, ut sicut necessitatem patientes cessante necessitate beneficiis renunciare coguntur, que eis miserationis indulsit intuitus, sic religiose uiuentes, cum a religione cessauerint, priuilegiis exuuntur que religiosa conuersatio meruit.

Priuilegia ergo, que religiosis domibus conceduntur, uel in eo casu accipienda sunt, in quo ita eis consulitur, quod nulli aliquid derogatur, uidelicet ut ex noualibus, quorum decimationes nulli assignatæ fuerant, priuilegiorum auctoritate decimas aliquibus persolvere non cogantur, uel si propter instantem temporis necessitatem eis consuli non poterit, nisi aliis derogetur, ita priuilegiorum auctoritas uidetur esse seruanda, ut eorum subueniatur inopiæ, non ut suarum diuitiarum augmento, et possessionum non modica extensione porrecta, baptismales seu parrochianæ ecclesiæ penitus destruantur.

## CAUSA XXVI.

### GRATIANUS.

Quidam sacerdos sortilegus esse et diuinus conuincitur apud episcopum; correctus ab episcopo noluit cessare; excommunicatur; tandem agens in extremis reconciliatur a quodam sacerdote episcopo inconsulto; indicitur penitencia sibi sub quantitate temporis canonibus prefixa.

(Qu. I).

Primum queritur, qui sint sortilegi? (Qu. II).

Secundo, an sit peccatum esse sortilegum? (Qu. III).

Tertio, a quibus genus diuinationis sumpsit exordium? (Qu. IV).

Quarto, quot sint genera diuinationis? (Qu. V).

Quinto, an sortilegi uel diuini sint excommunicandi, si cessare noluerint?

(Qu. VI).

Sexto, an excommunicatus ab episcopo possit reconciliari a presbitero, illo inconsulto?

(Qu. VII).

Septimo, si morientibus est indicenda penitencia sub quantitate temporis?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Qui sint sortilegi, Ysidorus diffinit Ethimologiarum libro VIII. [cap. 9]. ita dicens:

**C. UN.** Qui sint sortilegi?

Sortilegi sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sanctorum seu apostolorum uocant sortes, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

**I. Pars.**

Quod autem sortes exquirere peccatum non sit, exemplis et auctoritatibus probatur. Cum enim Achan de anathemate furtim subripuisset, et ob eius peccatum populus cesus apud Ain hostibus terga dedisset, precepit Dominus Iosue, ut sortibus exquireret, quo peccante populus in manibus hostium cadere meruerat. Iosue preceptum accipiens misit sortes, primum super tribus, deinde super familias, demum super personas, et sors ita cecidit super Achan. Saul quoque, cum pugnans contra Philisteos iurasset, se interfecturum quicumque de populo ante solis occasum comederet, sorte deprehendit Ionathan filium suum mel comedisse, quod sceptro acceperat, quem cum morti tradere uellet, populo supplicante reuocauit sententiam. Ionas quoque, cum a facie Domini fugeret, a nautis sorte deprehensus in mari deiectus, et a ceto est absorptus. De Zacharia etiam legitur, quod sorte exiit, ut incensum poneret. Matthias uero similiter a B. Petro sorte in apostolatum et Iudæ successor eligitur. Quod ergo tantorum exemplis probatur, patet malum non esse. Unde et Augustinus ait in libro Psalorum: [in Psal. XXX. concione 2. ad uersic. In manibus tuis sortes]

**C. I. Quid sit sors.**

Sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam indicans uoluntatem.

**II. Pars.**

Gratian. His ita respondetur: Ante, quam euangelium claresceret, multa permittebantur, que tempore perfectioris disciplinæ penitus eliminata sunt. Copula namque sacerdotalis uel consanguineorum nec legali, nec euangelica, uel apostolica auctoritate prohibetur, ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur. Sic et sortibus nichil mali inesse monstratur, prohibetur tamen fidelibus, ne sub hac specie diuinationis ad antiquos ydolatriæ cultus redirent. Unde quibusdam constellationes et futurorum signa custodientibus Apostolus ait: “Dies obseruatis, et menses, et tempora, et annos. Unde timeo, ne forte sine causa laborauerim in uobis”. Sic et astronomia, seu et astrologia apud catholicos in dissuetudinem abiit, quia, dum propria curiositate his nimis erant intenti, minus uocabant his, que saluti animarum erant accommodata. Quod autem sortibus credi non oporteat, Ieronimus testatur, scribens super Ionam: [c. 1].

**C. II. Exemplo Ionæ uel Matthiæ non oportet sortibus credi.**

Non statim debemus sub exemplo Ionæ sortibus credere, uel illud de Actibus Apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte Matthias in apostolatum eligitur.

**C. III. Ad secularia negocia diuina oracula non sunt conuertenda.**

Augustinus ad inquisitiones Ianuarii. [epist. CXIX].

Hii, qui de paginis euangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut id potius faciant, quam ad demonia consulenda concurrant, tamen ista michi displicet consuetudo, ad negocia secularia et ad uitæ huius uanitatem diuina oracula uelle conuertere.

**C. IV.** Exemplo Matthiæ uel Ionæ non est sortibus indifferenter credendum.

Item Beda super Actus Apostolorum. [ad c. 1].

Non exemplo Matthiæ, uel quod Ionas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum priuilegia singulorum (ut Ieronimus ait) communem legem facere omnino non possint.

§. 1. Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, uideant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cetu, et precibus ad Deum fuis egisse.

De diuinis uero scribit Augustinus, [lib. V. super Deuter. c. 19.,] ita dicens:

**C. V.** Non sunt obseruanda que a diuinis precipiuntur, quamuis ea contingant, que ab eis prenunciantur.

Intelligi uoluit Dominus etiam illa, que a diuinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint que dicuntur, non sic accipienda, ut fiant que precipiuntur ab eis, aut colantur que colantur ab eis.

**C. VI.** Institutiones hominum que sint supersticiosæ uel non.

Idem in libro [II]. de doctrina Christiana. [c. 19. et 20. et 21].

Illud, quod est secundum institutiones hominum, partim supersticiosum est, partim non est supersticiosum.

Supersticiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad facienda ydola et colenda pertinens, uel ad colendam sicut Deum creaturam, partem ue ullam creaturæ, uel ad consultationes et pacta quedam significationum cum demonibus placita atque federata, qualia sunt molimina magicarum artium, que quidam commemorare potius quam docere solent poetæ.

Ex quo genere sunt, sed quasi licentiori uanitate, aruspicum et augurum libri.

§. 1. Ad hoc etiam genus pertinent omnes ligaturæ atque remedia, que medicorum quoque disciplina condempnat, siue in precantationibus, siue in quibusdam notis, quas karacteres uocant, siue in quibuscumque rebus suspendendis atque ligandis, uel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut manifestas, que eminentiori nomine uocant physicam, ut quasi non superstitionem implicare, sed naturæ prodesse uideantur, sicut sunt inaures in summo singularum aurium, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut dextera manu pollicem teneas.

His adiunguntur milia inanissimarum obseruationum, si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulatibus amicis lapis, aut puer medius interuenerit.

§. 2. Hinc etiam sunt illa, limen calcare, cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis, dum se calciat, sternutauerit; redire ad domum, si procedens offenderit; uel si uestis a soricibus roditur.

§. 3. Neque ab hoc genere superstitionis perniciosæ segregandi sunt, qui olim genethiaci propter naturalium considerationes dierum, nunc autem mathematici uocantur.

Nam et ipsi, quamuis ueram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consecuntur, et aliquando peruestigant, tamen quod inde conantur uel actiones nostras, uel actionum

euenta producere, nimis errant.

§. 4. Hoc autem genus fornicationis animæ salubriter diuina auctoritas non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, ut propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur a professoribus eorum, sed “etiamsi dixerint uobis,” inquit, “et ita euenierit, ne credatis eis”.

Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli uera pronunciauit propterea talia sacrilegia, quibus illa imago presentata est, minus execranda sunt, aut quia in Actibus Apostolorum femina uentri loqua uerum testimonium perhibuit Apostolis Domini, ideo Paulus apostolus pepercit spiritui illi, ac non potius feminam illius demonii correctione atque exclusionem mundauit.

§. 5. Omnes igitur artes huiusmodi uel nugatoriæ uel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum et demonum quasi pacta infidelis et dolosæ amicitie constituta, penitus sunt repudiandæ et fugiendæ Christiano.

C. VII. Non est uita, sed mors inquisitio uel curatio, que a diuinis uel magis expetitur.

Idem in libro de ciuitate Dei.

Qui sine Saluatore salutem uult habere, et sine uera sapientia estimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed eger, non prudens, sed stultus in egritudine assidua laborabit, et in cecitate noxia stultus et demens permanebit.

Ac proinde omnis inquisitio, et omnis curatio, que a diuinis et magis, uel ab ipsis demoniis in ydolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est quam uita, et qui ea sectantur, si se non correxerint, ad eternam perdicionem tendunt, Psalmista dicente: “Omnes dii gentium demonia sunt,” qui per deceptos homines alios decipere cottidie gestiunt, ut perdicionis suæ faciant eos esse participes.

Itaque hec uanitas magicarum artium ex traditione malorum angelorum in toto terrarum orbe plurimis seculis ualuit per quandam scientiam futurorum et infernorum, et per inuentiones eorum inuenta sunt aruspicia, augurationes, et ipsa, que dicuntur, oracula, et nigromantia.

C. VIII. Christiana et uera pietas planetarios expellit et dampnat.

Idem Confessionum libro IV. [c. 3].

Illos planetarios, quos mathematicos uocant, plane consulere non desistebant, quod quasi nullum eis sacrificium, et nullæ preces ad aliquem spiritum ob diuinationem dirigerentur.

Quod tamen Christiana et uera pietas consequenter expellit et dampnat.

C. IX. Cultura est ydolatriæ auguria seruare, et stellarum requirere cursus.

Item Ieronimus.

Et in omnem ecclesiam uidetur delinquere qui corpus suum maculauerit, quia per unum membrum macula in omne corpus diffunditur.

§. 1. Est et illud obprobrium Egypti, quod, si neglexeris, et post Iordanis transitum, et post baptismi secundam circumcisionem uetustæ consuetudinis inustione suggeritur, obseruare auguria, requirere stellarum cursus, et euentus ex his futurorum rimari ceteris que huiusmodi superstitionibus implicari.

Ydolatriæ mater namque est Egyptus, ex qua certum est huiusmodi obprobria pullulare, que, si transito Iordane susceperis, et his te laqueis rursus illigaueris, te cum sine dubio obprobria Egypti trahis.

### III. Pars.

Gratian. Hec autem sacrilegia non usque adeo sunt detestanda, ut, si aliquid de area uel torculari demonibus fuerit immolatum, quod reliquum est ideo credatur esse immundum, aut, si ipsum, quod oblatum fuerat, a nobis ignorantibus sumi contigerit, ideo credamus nos deliquisse.

Unde Augustinus ad Publicolam: [CLIV].

**C. X.** Non ideo reliqua sunt immunda, quia de area uel torculari aliquid ad demonum sacrificia tollitur.

Si de area aut torculari tollitur aliquid ad sacrificia demoniorum, sciente Christiano, ideo peccat, quia permittit fieri, ubi prohibendi potestas est.

Quod si factum conperit, aut prohibendi potestatem non habuit, utitur mundis reliquis fructibus, unde illa sublata sunt.

**C. XI.** Inmunis est a reatu qui emit quod nescit ydolis immolatum.

Item Ambrosius in prima epistola ad Corinthios. [ad c. 10].

Licet aliquid pollutum sit per accidentiam, id est oblationem ydoli, cum tamen nescit qui emit, nullum patitur scrupulum, et apud Deum immunis est.

### QUESTIO III. et IV.

#### GRATIANUS.

##### I. Pars.

A quibus autem genus diuinationis exordium sumpserit, uel quot sint genera eius, Augustinus exponit in libro de natura demonum, ita dicens:

**C. I.** De multiplici genere diuinationis.

Igitur genus diuinationis a Persis fertur allatum.

§. 1. Varro autem dixit quatuor esse genera diuinationum, terram, aquam, ærem, et ignem: hinc geomanticam ydromanticam, æromanticam, piromanticam dictam autumant.

§. 2. Diuini dicti sunt, quasi deo pleni.

Diuinitate enim se esse plenos simulant, et astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant.

Duo autem sunt genera diuinationis, ars et furor.

Incantatores autem dicti sunt qui artem uerbis peragunt.

§. 3. Arioli uocati sunt propter quod circa aras ydolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt, his que celebritatibus demonum accipiunt responsa.

§. 4. Aruspices nuncupantur quasi horarum inspectores; dies enim et horas in agendis negociis operibus que custodiunt, et quid per singula tempora obseruare debeat homo intendunt; hii etiam exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura predicunt.

§. 5. Augures sunt qui uolatus auium et uoces intendunt, alia que signa rerum uel obseruationes inprouisas hominibus occurrentes ferunt.

Idem sunt et auspices; nam auspicia sunt, que iter facientes obseruant.



Dicta sunt autem auspicia, et auguria quasi auigerum, quod aues gerunt.

Duo sunt autem genera auspiorum, unum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos scilicet uolatus, ad aures uox auium.

§. 6. Phithonissæ a Phithonio Apolline dictæ, quod is auctor fuerit diuinandi.

Astrologi dicti sunt eo, quod in astris auguriantur.

Genethliaci appellati sunt propter nataliciorum considerationes dierum.

Geneses enim hominum per duodecim celi signa describunt, siderum que cursus nascentium mores, actus, et euentus predicere conantur, id est quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat uitæ qui nascitur interpretantur.

Hii sunt, qui uulgo mathematici uocantur, cuius superstitionis genus constellationes Latini uocant, id est notationes syderum, quomodo se habeant, cum quisque nascitur.

§. 7. Primum autem idem stellarum interpretes magi nuncupantur, sicut de his legitur qui in euangelio natum Christum annunciauerunt.

Postea hoc nomine soli mathematici dicti sunt.

Cuius artis scientia usque ad Christum fuit concessa, ut Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de celo interpretetur.

Horoscopi dicti, quod horas natiuitatis hominum speculentur dissimili et diuerso fato.

Sortilegi sunt qui sub nomine

etc.

Ut supra:

§. 8. Salisatores sunt uocati, qui, dum eis membrorum quecumque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari predicunt.

### III. Pars.

Gratian. Queritur autem de natura demonum, cuius naturæ sint, an futura prescire ualeant, uel quot modis futura prenoscant?

De his ita scribit Augustinus in eodem libro: [de diuinatione demonum, c. 3].

#### C. II. Quot modis demones futura prenoscunt.

Sciendum est, hanc esse naturam demonum, ut ærii corporis sensu terrenorum corporum sensum facile precedant, celeritate etiam propter ærii corporis superiorem mobilitatem non solum cursus quorumlibet hominum uel ferarum, uerum etiam uolatus auium incomparabiliter uincant.

Quibus duabus rebus, quantum ad ærium corpus attinet, prediti, hoc est acumine sensus et celeritate motus, multo ante cogitata prenunciant, uel nunciant que homines pro sensu terreni tarditate mirentur.

Accessit etiam demonibus per tam longum tempus, quo eorum uita protenditur, rerum longe maior experientia, quam potest hominibus propter breuitatem uitæ peruenire.

Per has efficacias, quas ærii corporis natura sortita est, non solum multa futura predicunt demones, uerum etiam multa faciunt, que quoniam homines dicere aut facere non possunt, eos dignos quidam, quibus seruiant et quibus honores diuinos deferant, arbitrantur, instigante maxime uicio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ, et excellentiæ temporalis. [c. 5]. §. 1. Nunc igitur, quoniam de diuinatione demonum questio est, primum sciendum est, illos ea plerumque prenunciare, que ipsi facturi sunt.

Accipiunt enim sepe potestatem et morbos inmittere, et ipsum ærem uitando morbidum reddere, et peruersis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere, de quorum moribus certi sunt, quod sint eis talia suadentibus consensuri.

Suadent miris et inuisibilibus modis, per illam subtilitatem corpora hominum non sentientium penetrando, et se cogitationibus eorum per quedam imaginaria uisa miscendo, siue uigilantium siue dormientium.

§. 2. Aliquando autem non que ipsi faciunt, sed que naturalibus signis futura prenoscunt (que signa in hominum sensus uenire non possunt) ante predicunt.

Neque enim, quia preuidet medicus quod preuidere nescit huius artis ignarus, ideo tamen diuinus habendus est.

Quid autem mirum, si, quemadmodum ille corporis humani uel perturbata uel mortificata temperie seu bonas seu futuras malas preuidet ualetudines, sic demones in æris affectione sibi notas, nobis ignota, futuras preuident tempestates?

Aliquando etiam hominum dispositiones non solum uoce prolatas, uerum etiam cogitatione conceptas, cum signa quedam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prenunciant, aliis uidelicet mira, qui ista disposita non nouerunt. [c. 6]. §. 3. Fallunt etiam studio fallendi, et inuida uoluntate, qua hominum errore letantur.

Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt, ut interpretibus suis signorum que suorum coniectoris culpa tribuatur, quando ipsi decepti fuerint uel mentiti.

§. 4. Nonnumquam uero ipsi maligni spiritus et illusores hominum atque inuisores salutis eorum solent predicere defectum culturæ suæ et ydolorum ruinam, quatinus prescii uideantur quid in singulis regnis aut locis uenturum, et quid aduersi suæ factioni contingere possit; quod etiam illi, qui gentilium hystorias legunt, non ignorant.

Quid ergo mirum si, iam imminente templorum et simulachrorum euersione, quam Prophetæ summi Dei tanto ante predixerunt, Serapis demon alicui cultorum suorum hoc de proximo prodidit, ut suam quasi diuinationem recedens uel fugiens commendaret?

Pars. Gratian. Quod autem hominum dispositiones cogitatione conceptas per exteriora signa diabolus deprehendat, non firmissima ratione uidetur approbatum.

Unde idem Augustinus ait in libro II. retractationum: [c. 30].

**C. III.** Quod ex corporeis motibus internas animæ cogitationes diabolus comprehendat res occultissima est.

Quodam loco dixi, demones aliquando hominum dispositiones non solum uoce prolatas, uerum etiam cogitatione conceptas, cum signa quedam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere.

Rem dixi occultissimam audaciori assertionem quam debui.

Nam peruenire ista ad noticiam demonum per nonnulla etiam experimenta conpertum est.

Sed utrum quedam signa dentur ex corpore cogitantium, illis sensibilia, nos autem latentia, an alia ui spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri.

## QUESTIO V.

### GRATIANUS.

Quod autem sortilegi et diuini, si cessare noluerint, excommunicandi sint, ratione et auctoritate probatur.

Est enim quoddam genus culturæ ydolorum, ex demonum consultationibus futura predicere.

Sicut enim auarus, quia cultum Deo debitum nummo inpendit, ydolorum cultor ab Apostolo nominatur, sic illi, qui futura, que ex Dei oraculo nonnumquam reuelata inueniuntur, uel demonum consultatione, uel quibuslibet prestigiis inuenire laborant, diuinitatis iura creaturis attribuunt.

Futura enim prescire solius Dei est, qui in sui contemplatione etiam angelos illa prescire facit.

Unde Ysaïas ait: “Priora et nouissima annunciate michi, et dicam, quod Dii estis”.

§. 1. Cultores uero ydolorum a comunione fidelium separandi sunt.

Unde Apostolus ait in epistola ad Chorinthios: “Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut ydolis seruiens, cum eiusmodi nec cibum sumere”.

Hinc etiam in decreto Gregorii iunioris, [in Concilio Romano presidentis, c. 12]. legitur:

**C. I.** Anathema sit qui ariolos uel incantatores obseruat.

Si quis ariolos, aruspices uel incantatores obseruauerit, aut philacteriis usus fuerit, anathema sit.

**C. II.** Quinquennio peniteant qui diuinationes expetunt.

Item ex Ancirano Concilio, c. 23. [al. 24].

Qui diuinationes expetunt, et morem gentilium subsecuntur, uel in domos suas huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte magica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii iaceant secundum gradus penitentiæ diffinitos.

**C. III.** Elementa colere, lunæ stellarum cursus in suis operibus seruare Christianis non licet.

Item ex Concilio Martini Papa. [id est, ex Cap. Martini Bracarensis, c. 72].

Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, et obseruare uel colere elementa, aut lunæ aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, uel propter segetes uel arbores plantandas, uel coniugia socianda.

Scriptum est enim: “Omnia, que facitis aut in uerbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo”.

§. 1. Nec in collectionibus herbarum, que medicinales sunt, aliquas obseruationes aut incantationes liceat attendere, nisi tantum cum symbolo diuino, aut oratione dominica, ut tantum Deus creator omnium et Dominus honoretur.

§. 2. Si quis autem, paganorum consuetudinem sequens, diuinos et sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inueniant, uel lustrationes paganorum faciant, quinque annis penitentiam agat.

§. 3. Mulieribus quoque Christianis non liceat in suis lanificiis uanitatem obseruare, sed Deum inuocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit.

**C. IV.** Sacris offitiis dediti magi uel incantatores non fiant.

Item ex Concilio Laudicensi, c. 30.

Non oportet sacris offitiis deditos uel clericos magos aut incantatores existere, aut facere philacteria, que animarum suarum uincula conprobantur.

Hos autem, qui talibus rebus utuntur, proici ab ecclesia iussimus.

**C. V.** Honore priuetur episcopus aut presbiter, qui magos uel aruspices consulit.

Item ex Concilio Tolletano IV., c. 30.

Si quis episcopus, aut presbiter, siue diaconus, uel quilibet de ordinibus clericorum aruspices, aut incantatores, aut ariolos, aut certe augures uel sortilegos, uel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ suspensus monasterii curam excipiat, ibi que penitentiæ perpetuæ deditus scelus admissum sacrilegii soluat.

**C. VI.** De his, qui auguriis et diuinationibus student.

Item ex Concilio Agathensi, c. 38.

Aliquanti clerici siue laici student auguriis, et sub nomine fictæ religionis per eas, quas sanctorum Patrum sortes uocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt.

Hoc quicumque clericus aut laicus detectus fuerit uel consulere uel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.

**C. VII.** Sors nichil aliud quam diuinationis et maleficium esse decernitur.

Item Leo IV. Episcopis Britannia. [c. 4].

Sortes, quibus cuncta uos uestris discriminatis prouinciis, (quas Patres dampnauerunt) nichil aliud quam diuinationes et maleficia esse decernimus.

Quamobrem uolumus illas omnino dampnari, et ultra inter Christianos nolumus nominari, et ne exercentur anathematis interdicto prohibemus.

**C. VIII.** Incantatores sortilegos uelut Christi inimicos insequi oportet.

Item Gregorius Adriano Notario. [lib. IX. ep. 47].

Peruenit ad nos, quod quosdam incantatores atque sortilegos fueris insecutus, et omnino nobis sollicitudinem zelum que tuum gratum fuisse cognoscas.

Studii enim tui sit sollicite querere, et, quoscumque huiusmodi Christi inimicos inueneris, districta ultione corrigere.

**C. IX.** Excommunicetur clericus, monachus, laicus, diuinationes, uel auguria, uel sortes secutus.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 32].

Si quis clericus, monachus uel secularis diuinationem uel auguria crediderit obseruanda, uel sortes, quas mentiuntur esse sanctorum, quibuscumque putauerint intimandas, cum his, qui eis crediderint, ab ecclesiæ communionem pellantur.

**C. X.** Contra sortilegos, et ydolorum cultores, custodia pastoralis inuigilet.

Item Gregorius. [lib. VII. epist. 66. ad Ianuarium Episcopum]

Contra ydolorum cultores, uel aruspices atque sortilegos, fraternitatem tuam uehementius pastoralis hortamur inuigilare custodia.

Quod, si emendare se a talibus nolle repperis, si serui sunt, uolumus uerberibus, castigari, si uero liberi, inclusione digni districta que sunt in pena dirigendi.

**C. XI.** Ab ecclesia separetur auguriis et incantationibus deseruiens.

Item ex Concilio Cartaginensi, [IV.,] c. 39.

Auguriis uel incantationibus seruientem, similiter et Iudaicis superstitionibus uel feriis inherentem a conuentu ecclesiae separandum precipimus.

**C. XII.** Sortilegam et magicam artem episcopi modis omnibus eliminare studeant.

Item ex Concilio Anquirensi, c. 1.

Episcopi, eorum que ministri omnibus uiribus elaborare studeant, ut perniciosam et a zabulo inuentam sortilegam et magicam artem ex parrochiis suis penitus eradicent, et si aliquem uirum aut mulierem huiuscemodi sceleris sectatorem inueniunt, turpiter dehonestatum de parrochiis suis eiciant.

Ait enim Apostolus: “Hereticum hominem post primam et secundam correctionem deuita, sciens, quia subuersus est qui eiusmodi est”.

Subuersi sunt et a diabolo captiui tenentur qui relicto creatore suo diaboli suffragia querunt, et ideo a tali peste debet mundari sancta ecclesia.

§. 1. Illud etiam non est omittendum, quod quedam sceleratae mulieres retro post sathanam conuersae, demonum illusionibus et fantasmatis seductae, credunt se et profitentur, cum Diana nocturnis horis dea paganorum, uel cum Herodiade, et innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, et multa terrarum spacia intempestae noctis silentio pertransire, eius que iussionibus obedire uelut dominae, et certis noctibus euocari ad eius seruicium.

Sed utinam he solae in perfidia sua perissent, et non multos se cum ad infidelitatis interitum pertraxissent.

Nam et innumera multitudo hac falsa opinione decepta uera esse credunt, et credendo a recta fide deuiant, et errore paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis aut numinis extra unum Deum arbitrantur.

Quapropter sacerdotes per ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantia predicare debent, ut nouerint hec omnino falsa esse, et non a diuino, sed a maligno spiritu talia fantasmata mentibus fidelium irrogari.

§. 2. Siquidem ipse sathanas, qui transfiguratur se in angelum lucis, cum mentem cuiusque mulieris ceperit, et hanc per infidelitatem sibi subiugauerit, illico transformat se in diuersarum personarum species atque similitudines, et mentem, quam captiuam tenet, in sompnis deludens, modo leta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per deuia queque deducit, et, cum solus spiritus hoc patitur, infidelis hoc non in animo, sed in corpore euenire opinatur.

Quis enim in somnis et nocturnis uisionibus se non extra ipsum educitur, et multa uidet dormiendo, que uigilando numquam uiderat?

Quis uero tam stultus et hebes sit, qui hec omnia, que in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur, cum Ezechiel propheta uisiones Domini in spiritu, non in corpore uidit, et audiuit, sicut ipse dicit: “Statim,” inquit, “fui in spiritu?”

Et Paulus non audet dicere se raptum in corpore.

Omnibus itaque publice annunciandum est, quod qui talia credit et his similia fidem perdit, et qui rectam fidem non habet, hic non est eius, sed illius, in quem credit, id est diaboli.

Nam de Domino nostro scriptum est: “Omnia per ipsum facta sunt”.

Quisquis ergo credit fieri posse, aliquam creaturam aut in melius aut in deterius inmutari, aut transformari in aliam speciem uel in aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, et per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, et pagano deterior.

## II. Pars.

Gratian. Nonnulli inueniuntur, qui interno liuore permoti in perniciem suorum inimicorum altare sacris uestibus exuunt, aut lugubri ueste accingunt, uel consueta luminariorum obsequia Dei ecclesiis subtrahunt, uel missam pio requie defunctorum promulgatam pro uiuis celebrant hominibus.

Quorum omnium maleficia nequissima Toletanum Concilium [XIII]. condempnat, dicens: [c. 7].

**C. XIII.** Abiciatur sacerdos qui huiusmodi a maleficis operam dederit.

Quicumque sacerdotum uel ministrorum deinceps causa cuiuslibet doloris permotus aut altare uestibus sacris exuere presumpserit, aut qualibet alia lugubri ueste accinxerit, seu etiam si consueta luminariorum obsequia de templo Dei subtraxerit, uel extingui preceperit, si eum antea ueræ penitudinis coram metropolitano satisfactio non purgauit, loci sui dignitate se nouerit et honore priuari; illis proculdubio personis ab hac ultionum sententia separatis, que aut contaminationem sacrorum ordinum, uel subuersionem sanctæ fide metuentes, aut hostilitatem uel obsidionem perferentes, seu etiam diuinorum iudiciorum sententiam metuentes fecisse contigerit, in quorum facto plus humilitas, qua Deus placatur, quam interni dolositas liuoris declaratur.

§. 1. Plerique etiam sacerdotum sauciati inimicitiae dolo missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci uoto pro uiuis student celebrare hominibus ut is, pro quo ipsum offerunt sacrificium mortis incurrat periculum.

Proinde nostræ elegit unanimitatis conuentus, ut, si quis deinceps talia perpetrasse fuerit detectus, a proprii deponatur ordinis gradu, et tam ipse sacerdos quam etiam ille, qui eum ad talia peragenda incitasse perpenditur, exilii perpetui ergastulo religentur.

## III. Pars.

Gratian. Ex premissis auctoritatibus colligitur, quod arioli, aruspices, incantatores, et sortilegi, atque ceteri huiusmodi sectatores ab ecclesia sunt eliminandi, et, nisi resipuerint, perpetuo excommunicandi.

§. 1. Sed quod in ultimo Anquirensi capitulo ea, que per incantatores fiunt, non in corpore, sed in spiritu fieri dicuntur, Augustinus in libro de ciuitate Dei uidetur asserere ita dicens:

**C. XIV.** Que magorum prestigiis fiunt non uera, sed fantastica esse probantur.

Nec mirum de magorum prestigiis, quorum in tantum prodire maleficiorum artes, ut etiam Moysi in illis signis resisterent, uertentes uirgas in dracones, aquam in sanguinem, cum fertur in gentilium etiam libris, quod quedam maga Circe socios Ulixis mutauit in bestias.

Legitur etiam de sacrificio, quod Archades deo suo Lieo inmolabant, ex quo quicumque sumerent in bestiarum formas conuerterentur.

Sed hec omnia magicis prestigiis potius fingeantur quam rerum ueritate conplerentur.

Ut ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant, de eorum proprietate atque inuentoribus iuxta traditionem maiorum primum dicere congruum arbitramur.

§. 1. Magi sunt qui uulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur.

Hi sunt qui permissu Dei elementa concutiunt, mentes hominum turbant minus confidentium in Deo, ac sine ullo ueneni haustu uiolentia tantum carminis interimunt.

Unde et Lucanus: “Mens hausti nulla sanie polluta ueneni, incantata perit”.

Demonibus enim accitis audent uentilare, ut quosque suos perimant malis artibus inimicos.

Hi etiam sanguine utuntur et uictimis sepe contingunt corpora mortuorum.

§. 2. Nigromantici sunt quorum precantationibus uidentur resuscitari mortui, diuinare et ad interrogata respondere.

Nigro enim grece mortuus, mantia diuinatio nuncupatur, ad quos suscitandos cadaueri sanguis adicitur.

Nam amare sanguinem demones dicuntur, ideo que, quociescumque nigromantia fit, cruor aquæ miscetur, et colore sanguinis facilius prouocantur.

§. 3. Ydromantici ab aqua dicti.

Est enim ydromantia in aquarum inspectione umbras demonum euocare, et imagines ludificationes eorum uidere, ibi que ab eis aliqua audire, ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibentur suscitare.

Et infra:

§. 4. Ad hec omnia supradicta pertinent ligaturæ execrabilium remediorum, que ars non commendat medicorum, seu in precantationibus, seu in karacteribus suspendendis atque ligandis, in quibus omnibus ars demonum est, ex quadam pestifera societate hominum et angelorum malorum exorta.

Unde et cuncta uitanda sunt Christiano, et omnino penitus execratione repudianda atque dampnanda.

§. 5. Auguria autem sunt auium.

Hec autem Friges primi inuenerunt.

§. 6. Prestigium uero Mercurius dicitur primus inuenisse.

Dictum est autem prestigium, quod prestringat aciem oculorum.

§. 7. Aruspicinæ artem primus Etruscis tradidisse dicitur quidam Tages.

Hic exanimis aruspicinam dictauit, et postea non apparuit.

Nam dicitur fabulose arante quodam rustico subito ex glebis exiluisse, et aruspicinam dictasse, qua die mortuus est.

Quos libros Romani ex Etrusca lingua in propriam mutauerunt.

§. 8. His ergo portentis per demonum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla eis ratione competit inuestigare.

Hec potestas ideo datur inmundis spiritibus, ut peruersos sibi aptent, hoc est prauos homines, seducant illos, qui spernunt ueritatem, et credunt mendacio, et iuxta Pauli sententiam sanam doctrinam non ferent, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, et a ueritate quidem auertent auditum, ad fabulas autem conuertentur, onerati peccatis ducentur uariis desideriis, semper discentes, et numquam ad scientiæ ueritatem peruenientes.

Quemadmodum autem Iamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et isti resistunt ueritati, homines corrupti mente, reprobis circa fidem; sed ultra non proficient, insipientia eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.

§. 9. Nec ideo quisquam credere debet, quoslibet magicis artibus aliquid facere posse sine permissu Dei, (qui omnia, que fiunt, aut iusto iudicio facit, aut permissu suo ita fieri sinit), quod predicti magi leguntur similia fecisse Moysi, qui uirgam suam proiecit, et conuersa est in draconem, proiecerunt que singuli uirgas suas, que conuersæ sunt in dracones, sed deuorauit uirga Aaron uirgas eorum.

Non enim fuerunt creatores draconum nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur.

Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa: quedam occultæ rationes seminariæ, quibus cum data fuerit oportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus: et sic non dicuntur angeli, qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec agricolæ segetum, uel quorumcumque gignentium in terra creatores dicendi sunt, quamuis nouerint prebere quasdam uisibiles oportunitates et causas, ut illa nascantur.

Quod autem isti faciunt uisibiliter, hoc illi inuisibiliter.

Deus uero solus unus est creator, qui causas ipsas et seminarias rationes rebus inseruit.

§. 10. Preterea quidam putant querendum, quomodo scriptura narret Phithonissam Samuelem prophetam suscitasse ad colloquium Saulis impiissimi regis, si phithonica diuinitio errori magicæ artis deputanda sit.

Quibus ita responderi potest, indignum omnino facinus esse, si secundum uerba ystorici conmodetur assensus.

Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica attraheretur uir a natiuitate sanctus, et uitæ operibus iustus; at, si non attractus est, consensit?

Quod utrumque de iusto credere aduersum est.

Nullum enim suffragium habet iusticia si tractus aut uoluntarius, amisit meritum spiritale, quod positus in carne quesierat, quod ualde absurdum est, quia qui hinc iustus recedit permanet iustus.

Porro hoc est prestigium sathanæ, quo, ut plurimos fallat, etiam bonos habere se in potestate confingit.

Quod Apostolus inter cetera ostendit, dicens: “Ipse sathanas transfiguratur se in angelum lucis”.

Ut enim errorem faceret, in quo glorificaretur, in habitu uiri iusti et nomine se subornauit, ut nichil proficere spem, quam predicabant Dei cultoribus, mentiretur, quando hinc exeuntes iustos finxit in sua esse potestate.

Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saulis et filii eius non sit mentitus, quasi magnum sit diabolo ante occasum mortem corporis preuidere, cum signa quedam soleant apparere morituris, quippe a quibus Dei protectio amota uidetur, quanto magis diabolus, quem angelica maiestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur, de cuius magnitudine Apostolus ait: “An ignoratis altitudinem sathanæ?”

Quid mirum ergo, si inminentem prope mortem potuit preuidere, cum hoc sit, unde fallit et se in potestate Dei uult adorari?

Nam tanta ebitudine demens effectus est Saul, ut ad Phithonissam confugeret.

Deprauatus enim causa peccati ad hec se contulit, que dampnauerat.

Sed si quis propter ystoriam ea, que uerbis expressa sunt, putet non pretermittenda, ne ratio ystorici inanis sit, recte facit quidem: si tamen minime istud ad ueri rationem rapiat, sed ad uisum et ad intellectum Saulis.

Neque enim reprobis factus bonum poterat intellectum habere.

Historicus enim mentem Saulis et habitum Samuelis descripsit, ea, que dicta sunt et uisa, exprimens, pretermittens, si uera an falsa sint.

Qui ait? “Audiens, in quo habitu esset excitatus, intellexit,” inquit, “hunc Samuelem esse”.

Quid intellexerit retulit, et, quia non bene intellexit, contra scripturam alium adorauit quam Deum, et putans Samuelem adorauit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet sathanas.

Ad hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus.



Si enim Samuel illi uere aparuisset, non utique uir iustus permisisset se adorari, qui predicauerat Dominum solum esse adorandum.

Et quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, diceret ad uirum pestilentiae, dignum ardore gehennae: “Cras me cum eris?”

His duobus titulis subtilitatem fallaciae suae prouidit inprouidus sathanas, quia et adorari se permisit sub habitu et nomine Samuelis contra legem, et uirum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum et iustorum sit, cum Samuele iustissimo futurum mentitus est.

Verum potest dici, uerum potest uideri, si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat; ad eum enim transmigravit, quem adorauit.

Semper ergo diabolus sub uelamine latens prodit se, dum ea confingit, que hereant personis, per quas fallere nititur.

§. 11. Si autem quilibet opponit, ac dicit, quomodo eueniunt illa, que illi diuini predicunt futura?

aut quomodo possunt egris prebere medelam, aut sanis inmittere egritudinem, si aliquid propriae uirtutis ac potestatis non habeant?

hoc a nobis recipiat responsum, quod ideo quisque non debet eis credere, quia aliquando eueniunt que predicunt, aut sanare uidentur languidos, uel ledere sanos, quia hoc permissu Dei fit, ut ipsi, qui hoc audiunt uel uident, probentur, et apareat quali fide sint uel deuotione erga Deum.

Sicut in Deuteronomio legitur Moyses ex uerbo Domini populo Dei precepisse, ita dicens: “Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium dicat se uidisse, et predixerit signum atque portentum, et euenerit quod locutus est, et dixerit tibi: eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et seruiamus eis: non audies uerba prophetæ aut somniatoris, quia temptat uos Dominus Deus uester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.

In toto corde uestro et in tota anima uestra Dominum Deum uestrum sequimini, et ipsum timete; mandata eius custodite, et audite uocem illius, ipsi seruietis, et ipsi adherebitis etc.”.

Ubi sane intelligi uoluit, etiam illa, que a diuinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint que dicuntur, non sic accipienda, ut fiant que precipiuntur ab eis, aut colantur que coluntur ab eis.

Nec preter suam potestatem Deus ostendit esse, quod contingunt, sed quasi quereretur, cur ea permittat, causam temptationis exposuit, ad cognoscendum utique eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum suum, cognoscendum uero ab ipsis potius, quam ab illo, qui scit omnia ante, quam fiant.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

Quod autem ab episcopo excommunicatus eo inconsulto ab alio reconciliari non possit, nisi forte per eius metropolitanum uel per summum Pontificem, ratione et auctoritate probatur.

Presbiteri namque potestatem excommunicandi uel reconciliandi ab episcopis accipiunt, non episcopi a presbiteris, atque ideo excommunicatos a sacerdotibus reconciliare possunt, excommunicatos uero ab episcopis sacerdotes reconciliare non ualent.

Reconciliatio namque penitentium episcopale officium est, non sacerdotale.

Unde in Concilio Cartaginensi II. c. 3. Fortunatus Episcopus dixit:

**C. I.** Penitentium reconciliatio, crismatis et puellarum consecratio a presbiteris non fiat. Si iubet sanctitas uestra, suggero.

Nam memini, preterito concilio statutum, ut crisma, uel reconciliatio penitentium, nec non et puellarum consecratio a presbiteris non fiat.

Si quis autem emerit hoc faciens, quid de eo statuendum sit?

Aurelius episcopus dixit: Audiuit dignatio uestra suggestionem fratris et coepiscopi nostri Fortunati, quid ad hec dicitis?

Ab uniuersis episcopis dictum est: Crismatis confectio, et puellarum consecratio a presbiteris non fiat.

Reconciliare quemquam in publica missa presbitero non liceat.

Hoc omnibus placet.

Gratian. Puellarum tamen consecratio episcopo consulto per presbiterum fieri ualet.

Unde in Cartaginensi Concilio III.: [c. 36].

**C. II.** Permissione episcopi uirgines consecrare presbiter ualet.

Presbiter inconsulto episcopo uirgines non consecret; crisma uero numquam conficiat.

**C. III.** Nec diacono ministrare, nec penitentem in ecclesia benedicere presbitero licet.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 43. et 44].

Ministrare diaconus, aut consecrare altare presbiter non presumat.

**§. 1.** Benedictionem quoque super plebem in ecclesia fundere, aut penitentem in ecclesia benedicere presbitero penitus non licebit.

Gratian. Ecce, quod ab episcopo excommunicatus per sacerdotem reconciliari non potest.

Sed notandum est, quod reconciliatio alia est publica, alia priuata.

Publica reconciliatio est, quando penitentes ante ecclesiae ingressum publice representantur, et per inpositionem manus episcopalis ecclesiae publice reconciliantur.

Hec uidetur sacerdotibus esse prohibita.

Unde circa finem illius capituli non simpliciter prohibentur penitentes reconciliare, sed in publica missa.

Priuata uero reconciliatio est, quando de peccatis occultis penitentes uel in extremis agentes ad gratiam reconciliationis accedunt.

Hec reconciliatio potest fieri per sacerdotem.

Unde Euaristus Papa ait:

**C. IV.** Iussione episcopi presbiteri de occultis peccatis penitentes reconcilient.

Presbiteri de occultis peccatis iussione episcopi penitentes reconcilient, et, sicut supra premisimus, infirmantes absoluant et communicent.

**C. V.** Si episcopus absens est, per presbiterum reconcilietur in periculo constitutus.

Item ex concilio Cartaginensi II. [c. 4].

Aurelius episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus, et se reconciliari diuinis altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet utique presbiter consulere episcopum, et sic periclitantem eius precepto reconciliare.

Quam rem debemus salubri consilio roborare.

Ab uniuersis episcopis dictum est: Placet quod sanctitas uestra necessario nos instruere dignata est.

**C. VI.** Qui metu mortis reconciliatur conualescens sine communionem penitentiæ impleat tempus.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 82].

Si quis de corpore exiens nouissimum et necessarium communionis uiaticum expetit, non ei denegetur.

Quod si in desperatione positus post acceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum oratione particeps sit, sacramentum uero non accipiat, donec institutum penitentiæ impleat tempus.

Qui ergo in exitu mortis sunt, et desiderant accipere sacramentum, cum consideratione et probatione episcopi accipere debent.

**C. VII.** Sine manus inpositione recedentes de corpore reconcilientur.

Item ex Concilio Aurasico. [c. 3].

Qui recedunt de corpore penitencia accepta, placuit sine reconciliatoria manus inpositione eis communicare, quod morientis sufficit reconciliationi secundum diffinitiones Patrum, qui huiusmodi communionem uiaticum congrue, nominauerunt.

Quod si superuixerint, stent in ordine penitentium, ut ostensis necessariis penitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus inpositione recipiant.

§. 1. Clericis quoque desiderantibus penitencia non est neganda.

§. 2. Similiter subito obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut penitentiam accipere potest, si uoluntatis preteritæ testimonium aliorum uerbis habet, aut presentis in suo nutu.

§. 3. Amentibus etiam quecumque pietatis sunt sunt conferenda.

**C. VIII.** Aliorum testimonio moriturus reconcilietur, si obmutuit uel in frenesim uersus est.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 76].

Is qui penitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus uenit, oppressus infirmitate obmutuerit uel in frenesim conuersus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat penitentiam, et, si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus inpositionem, et infundatur ori eius eucharistia.

Si superuixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, et subdatur statutis penitentiæ legibus quamdiu sacerdos, qui penitentiam dederit, probauerit,

Item: [c. 78].

§. 1. Penitentes, qui in infirmitate uiaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus inpositione, si superuixerint.

**C. IX.** Cura et probatione episcopi morientes reconcilientur.

Item ex Concilio Niceno. [c. 12].

De his uero, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obseruabitur etiam nunc ita, ut, si forte quis recedit ex corpore, necessario uitæ suæ non defraudetur uiatico.

Quod si desperatus aliquis recepta communionem superuixerit, sit inter eos, qui sola oratione communicant.

De omnibus tamen his, qui a corpore recedunt, in dando eis communionem cura et probatio sit episcopi.

**C. X.** Non est neganda reconciliatio his, qui tempore necessitatis eam inplorant.

Item Leo Episcopus. [ad Theodorum, ep. LXXXIX. al. XCI].

His qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia presidium penitentiæ, et mox reconciliationis inplorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur uenire moras conuersio, dicente Dei spiritu per Prophetam: “Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris”.

§. 1. Quod si ita aliqua egritudine aggrauati sunt, ut quod paulo ante poscebant sub presenti significare non ualeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt.

Simul tamen et penitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur, seruata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in dominica fide discedendo peccauerunt.

**C. XI.** Non respuatur eius oblatio, qui festinans ad penitentiam sacerdotem inuenire non potuit.

Item ex Concilio Epanensi.

Si aliquis fuerit mortuus, qui iam sit confessus, et testimonium habet bonum, et non poterat uenire ad sacerdotem, sed preoccupauit eum mors in domo aut in uia, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, et dent redemptionem pro captiuis.

Gratian. Ecce, quod episcopo precipiente penitentes de occultis peccatis, siue in periculo constituti per presbiterum possunt reconciliari.

§. 1. Sed si necessitate mortis peccator urgetur, et episcopus ita remotus est, quod eum presbiter consulere non possit, negabitur penitentia morienti?

et beneficium reconciliationis non prestabitur penitenti, quem conuersum Deus recipit ad ueniam, iuxta illud: “In quacumque hora peccator conuersus fuerit etc.,” et item: “Conuertimini ad me in toto corde uestro et ego conuertar ad uos,” ecclesia sibi reconciliare negliget?

quem intus Deus suscitauit ecclesia foris absoluere contempnet?

dampnabit episcopi absentia quem gratia diuinæ presenciæ illustrat per lauacrum regenerationis?

Morituris succurritur etiam a laicis, si presbiteri defuerint.

Cur ergo beneficio reconciliationis per presbiterum subueniri ei non poterit, si contigerit episcopum deesse?

si secundum Augustinum qui agens in extremis confitetur socio turpitudinem criminis fit dignus uenia ex desiderio sacerdotis, cur non similiter sit dignus reconciliatione ex desiderio episcopi qui sacerdoti non negat maculam sui reatus?

Item morientibus penitentiam negare presbiteri non debent.

Unde Iulius Papa ait:

**C. XII.** Reus est animarum presbiter, qui penitentiam morientibus abnegat.

Si presbiter penitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus dicit: “Quacumque die conuersus fuerit peccator ad penitentiam, uita uiuet, et non morietur”.

Vera enim confessio in ultimo tempore potest esse, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est, sicut latro unius penitencia momenti meruit esse in paradyso in hora ultimæ confessionis.

Item Celestinus Papa: [in epist. II. ad Episcopos Galliaë]

**C. XIII. Penitencia morientibus non est deneganda.**

Agnouimus penitenciam morientibus denegari, nec illorum desideriiis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri.

Horremus (fateor) tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere, quo se uelle expediri desiderat et liberari.

Quid hoc, rogo, aliud est quam morienti mortem addere, eius que animam sua crudelitate, ne absoluta possit esse, occidere?

cum Dominus ad subueniendum paratissimus, inuitat ad penitenciam, sic promittit peccatori: “In quacumque hora etc.,” et item: “Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, et uiuat”.

Salutem ergo homini adimit quisquis mortis tempore penitenciam sibi denegauerit, et desperauerit de misericordia Dei, qui eum ad subueniendum morienti sufficere uel in momento posse non crediderit.

Perdidisset latro in cruce premium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ penitencia non iuuisset.

Cum esset in pena, penituit, et pro unius professione sermonis habitaculum paradysi eo promittente promeruit.

Vera ergo ad Deum conuersio in ultimis positorum mente potius est estimanda quam tempore, Propheta hoc asserente taliter: “Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris”.

Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quouis tempore non est deneganda penitencia postulanti, cum illi se obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

Gratian. Cui autem penitencia non denegatur, nec reconciliatio sibi deneganda est.

Inconsulto ergo episcopo penitentem presbiter reconciliare non debet, nisi ultima necessitas cogat.

Unde in Cartaginensi Concilio III. [c. 32]. legitur:

**C. XIV. Inconsulto episcopo penitentem presbiter non reconciliet, nisi ultima cogat necessitas.**

Presbiter inconsulto episcopo non reconciliet penitentem, nisi absente episcopo ultima necessitas cogat.

Cuiuscumque penitentis publicum et uulgatissimum crimen est, quod uniuersam conuenerit urbem, ante absidam ecclesiæ ei manus inponatur.

**QUESTIO VII.**

**GRATIANUS.**

**I. Pars.**

De tempore uero satisfactionis, an sit inponendum morituris, Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus in Penitenciali suo ita diffinit:

**C. I.** In periculo constitutis penitentiæ quantitas non est inponenda, sed innotescenda. Ab infirmis in periculo mortis positus pura est confessio peccatorum inquirenda, non tamen illis inponenda est quantitas penitentiæ, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus et elemosinarum studiis pondus penitentiæ subleuandum, si forte migrauerint, ne obligati et communione et consortio ueniæ fiant alieni.

A quo periculo si diuinitus ereptus conualuerit, penitentiæ modum a sacerdote sibi inpositum diligenter obseruet, et ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis ianua pietatis clausa uideatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sanctorum Patrum communione uiatice reficiantur.

## II. Pars.

Gratian. Aliis uero pro qualitate peccati et presidentium arbitrio tempora penitentiæ decernenda sunt.

Unde Leo Papa: [ep. LXXVII. al. LXXIX. ad Nicetam episcopum, c. 6].

**C. II.** Presidentium arbitrio prefigantur tempora penitudinis.

Tempora penitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos prospexeris esse deuotos, pariter etiam habentes et etatis senilis intuitum, et periculorum quorumcumque, aut egritudinum respicientes necessitates.

In quibus si quis ita grauiter urgeatur, ut, dum adhuc penitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subueniri.

**C. III.** Et qualitas criminum, et contritio penitentium in satisfactione inponenda a sacerdote consideretur.

Item Nykolaus Papa.

De his uero, qui pro criminibus penitentiam gerunt, et ad cingulum militiae reuertuntur, constat eos contra sacras regulas agere.

Verum quia crimina non equalia sunt, perhibes que alios horum propter nimiam ebetudinem in desperationem cecidisse, alios ob hoc ad paganos fugisse: tibi hoc committimus decernendum, nimirum, qui loca et tempus regionis illius, modum que culpæ, nec non et penitentiam, et gemitus hominum ad confessionem uenientium presens positus inspicere uales.

**C. IV.** De eodem.

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 2].

His, qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, et oratione, et confessione ac penitentia malorum suorum perfectam conuersionem demonstrant, pro qualitate peccati penitentiæ tempus adtribuendum est propter misericordiam et bonitatem Dei.

Qui ergo huiusmodi sunt reuocandi et ad communionem sunt applicandi.

**C. V.** Episcopi arbitrio pro qualitate peccati penitentiæ tempora distribuuntur.

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 31].

Penitentibus secundum differentiam peccatorum episcopi arbitrio penitentiæ tempora decernantur.

**C. VI.** Sine personarum acceptione inploranti penitentia detur.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 74. 75. 80. 82. 81. 64. 79].

Sacerdos penitentiam imploranti absque personæ acceptione penitentiam secundum leges iniungat.

Negligentiores uero penitentes tardius reconcilientur.

Omni autem tempore ieiunii penitentibus manus a sacerdotibus inponantur.

Diebus etiam remissionis penitentes genua flectant, mortuos in ecclesiam efferant, et sepeliant.

Die autem dominico non ieiuent.

Nam qui dominico die studiose ieiunat non creditur esse catholicus.

Penitentes uero, qui leges penitentiæ attente execuntur, si casu in itinere uel in mari mortui fuerint, ubi eis subueniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.

Unde in VIII. Sinodo legitur:

**C. VII. Tempus penitentiæ qualitatem sequitur delicti.**

Pro qualitate delicti penitentiæ tempus inpendatur.

**C. VIII. Tempus et modus penitendi delinquentibus presidentis inponatur iudicio.**

Item.

Hoc sit positum in iudicio eorum, qui presunt, uel quanto tempore, uel quali modo penitere debeant qui delinquent, quia etas ad eruditionem multam facit haberi differentiam penæ.

### **III. Pars.**

Gratian. Quo affectu penitentem suscipere et inpenitentem abicere debeamus, ex eadem Sinodo euidenter ostenditur, dum dicitur:

**C. IX. Intimo karitatis affectu penitentem debemus suscipere.**

Penitentem ex corde ita oportet suscipi, sicut Dominus ostendit, cum dicit, quia conuocaui amicos meos et uicinos, dicens: Congratulamini michi, quia inueni ouem meam, quam perdideram.

**C. X. Penitentes legem Dei diligant, iniquitatem odio habeant.**

Item.

Affectum illum in se recipiat penitens, quem gerebat ille, qui dicebat: “Iniquitatem odio habui, et abhominatus sum;” secundum ea, que scripta sunt in sexto Psalmo atque in aliis quamplurimis; uel ea, que Apostolus dixit ad eos, qui secundum Deum contristati sunt: “Quantum operatum est,” inquit, “in nobis sollicitudinem, sed excusationem, sed indignationem, sed emulationem, sed uindictam.

In omnibus exhibuistis uos cautos esse negocio”.

Sed et ipsis in quibus deliquit, agens multa contraria, sicut et Zacheus fecit.

**C. XI. In penitentes tamquam ethnici habeantur.**

Item.

Erga eum, qui peccata sua non punit, tales esse debemus, sicut Dominus precepit, dicens: “Sit tibi sicut gentilis et publicanus;” et sicut Apostolus docuit dicens: “Subtrahite uos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem, quam tradidimus uobis”.

**C. XII.** Melius est errare in misericordia remittendi quam in seueritate ulciscendi. Item Iohannes Crisostomus. [id est auctor operis imperfecti, homilia. ad c. 23. Matthæi]. “Alligant autem opera grauia et inportabilia, etc.”.

Tales sunt sacerdotes etiam nunc, qui omnem iusticiam populo mandant, et ipsi nec modicam seruant, uidelicet, non ut faciendo sint, sed ut dicendo appareant iusti.

Tales sunt qui graue pondus uenientibus ad penitenciam inponunt, quia dicunt, et non faciunt, et sic, dum pena penitentiæ presentis fugitur, contempnitur pena peccati futura. Sicut enim, si fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse habet ut aut fascem reiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homo, cui graue pondus penitentiæ inponis, aut penitenciam reiciet, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccat.

Deinde, etsi erramus modicam penitenciam inponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem?

Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax.

Si Deus benignus, ut quid sacerdos eius austerus uult apparere?

**C. XIII.** Kalendarum obseruationes agere non licet.

Item Martinus Papa. [c. 74].

#### **IV. Pars.**

Non licet iniquas obseruationes agere kalendarum, et otiis uacare neque lauro aut uiriditate arborum cingere domos; omnis hec obseruatio paganorum est.

Zacharias Papa: [in Concilio Romano, c. 9].

**C. XIV.** Anathema sit qui ritu paganorum kalendas obseruat.

Si quis kalendas Ianuarii ritu paganorum colere, uel aliquid plus noui facere propter nouum annum aut mensas cum lampadibus uel epulis, in domibus preparare, et per uicos et plateas cantatores et choros ducere presumpserit, anathema sit.

**C. XV.** Infirmatibus hominum incantationes nichil remedii prestant.

Item Augustinus.

Ammoneant sacerdotes fideles populos, ut nouerint magicas artes incantationes que quibuslibet infirmitatibus hominum nichil posse remedii conferre; non animalibus languentibus, claudicantibus ue, uel etiam moribundis quicquam mederi: sed hoc esse laqueos et insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

Et si quis hec exercuerit, clericus degradetur, laicus anathematizetur.

**C. XVI.** Dies Egiptiaci, et Ianuarii kalendæ non sunt obseruandæ.

Item Augustinus.

Non obseruetis dies, qui dicuntur Egiptiaci, aut kalendas Ianuarii, in quibus cantilenæ quedam, et comessiones, et ad inuicem dona donantur, quasi in principio anni boni fati augurio, aut aliquos menses, aut tempora, aut dies, et annos, aut lunæ et mensis solis que cursum, quia qui et has, et quascumque diuinationes, aut fata, aut auguria obseruat, aut adtendit, aut consentit obseruantibus inutiliter et sine causa, et magis ad sui dampnationem quam ad salutem tendit; siue per quosdam numeros litterarum, et lunæ, per Pitagoricam nigromantiam egrotantium uitam uel mortem, uel prospera uel aduersa



futura inquirunt, siue qui adtendunt somnialia scripta, et falso in Danielis nomine intitulata, et sortes, que dicuntur sanctorum Apostolorum, et auguria auium, aut aliqua pro domo facienda, aut coniugia copulanda, aut in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut pictatiolas pro quauis infirmitate scriptas, super homines aut animalia ponunt, preter symbolum et orationem dominicam, aut magicis falsitatibus in grandinariis et tempestatibus credunt.

Qui autem talibus credunt, aut ad eorum domos euntes, aut suis domibus introducunt, ut interrogent, sciant, se fidem Christianam et baptismum preuaricasse, et paganum, et apostatam, id est retro abeuntem et Dei inimicum, iram Dei grauiter in eternum incurrisse, nisi ecclesiastica penitencia emendatus Deo reconcilietur.

Dicit enim Apostolus: “Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, in quo uiuimus, mouemur, et sumus”.

De temporum quoque obseruationibus scribit Augustinus in Enchiridion: [c. 79].

**C. XVII.** Graue peccatum est dies obseruare, et menses et annos.

Quis existimaret, quam magnum peccatum sit dies obseruare, et menses, et annos, et tempora, (sicut obseruant qui certis diebus, siue mensibus, siue annis uolunt uel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum uanas doctrinas hominum fausta uel infausta existiment tempora), nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensarem, qui talibus ait: “Timeo uos, ne forte sine causa laborauerim in uobis?”

Idem super epistolam ad Galathas: [ad c. 4].

§. 1. Intelligat lector ad tantum periculum animæ pertinere supersticiosas temporum obseruationes, ut dicat Apostolus: “Timeo uos, ne forte sine causa laborauerim in uobis”.

Quod quamuis tanta celebritate atque auctoritate per orbem terrarum in ecclesiis legatur, plena sunt tamen conuenticula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum a mathematicis accipiunt.

Iam uero, ne aliquid inchoetur aut edificiorum, aut huiusmodi quorumlibet operum, diebus, quos Egiptiacos uocant, sepe etiam nos monere non dubitant.

**C. XVIII.** Sine incantatione herbas uel petras habere licet.

Item Ieronimus.

Demonium sustinenti licet petras uel herbas habere sine incantatione.

## CAUSA XXVII.

### GRATIANUS.

Quidam uotum castitatis habens desponsauit sibi uxorem; illa priori conditioni renunciens, transtulit se ad alium, et nupsit illi; ille, cui prius desponsata fuerat, repetit eam.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an coniugium possit esse inter uouentes?

(Qu. II).

Secundo, an liceat, sponsæ a sponso recedere, et alii nubere?

### QUESTIO I.

**GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod uero uouentes matrimonia contrahere non possunt, multis auctoritatibus probatur. In Concilio namque Cartaginensi c. CIV. statutum inuenitur de uiduis, que professam continentiam preuaricate sunt:

**C. I.** Excommunicentur uiduæ, que religioso habitu abiecto nuptias elegerint.

Sicut bonum est castitatis premium, ita et maiori obseruantia et preceptione custodiendum est, ut si que uiduæ, quamlibet adhuc in minoribus annis positæ, et inmatura etate a uiro relictæ, se deuouerint Deo, et ueste laicali abiecta sub testimonio episcopi et ecclesiæ in religioso habitu apparuerint, postea uero ad seculares transierint nuptias, secundum Apostolum dampnationem habebunt, quia fidem castitatis, quam Deo uouerunt, irritam facere uisæ sunt.

Tales ergo personæ a Christianorum communione sequestrentur, neque in conuiuio cum Christianis communicent.

Nam si adulterii coniuges reæ sunt si suis obnoxia uiris non fuerint, quanto magis uiduæ, que Dei religiositatem mutauerunt, crimine adulterii notabuntur, si deuotionem, quam sponte, non coactæ, Deo obtulerunt, libidinosa corripserunt uoluptate, atque ad secundas nuptias transitum fecerint?

Que etsi uiolentia irruente ab aliquo oppressæ fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in coniugio raptori uel uiolento uiro consenserint, dampnatione superius dicta teneantur obnoxia.

De talibus Apostolus ait: “Cum enim luxuriatæ fuerint, nubere in Christo uolunt, habentes dampnationem, quia primam fidem irritam fecerunt”.

**C. II.** De uiduis et uirginibus que a religionis proposito discedunt.

Item ex epistola Gregorii missa ad Bonifatium.

Viduas a proposito discedentes uiduitatis, super quibus nos consulere uoluit dilectio tua, frater karissime, credo te nosse a S. Paulo et a multis sanctis Patribus, nisi conuertantur, olim esse dampnatas.

Quas nos apostolica auctoritate dampnandas, et a communione fidelium atque a liminibus ecclesiæ arcendas fore censemus, usquequo obediunt episcopis suis, et ad bonum, quod ceperunt, inuite aut uoluntarie reuertantur.

§. 1. De uirginibus autem non uelatis, si deuiauerint, a sanctæ memoriæ predecessore nostro Papa Innocentio taliter decretum habemus: “He uero, que necdum sacro uelamine tectæ, tamen in proposito uirginali semper se simulauerint permanere, licet uelatæ non fuerint, tamen si nupserint, aliquanto tempore his agenda penitencia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur.

Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine uindicta non poterit, etc.”.

§. 2. Si uirgines nondum uelatæ taliter penitencia publica puniuntur, et a cetu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto magis uiduæ, que perfectioris etatis et maturioris sapientiæ atque consilii existunt, uirorum que consortio multociens usæ sunt, et habitum religionis assumpserunt, et demum apostatauerunt, atque ad priorem uomitum sunt reuersæ, a nobis et ab omnibus fidelibus a liminibus ecclesiæ et a cetu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, et carceribus tradendæ, qualiter iuxta

apostolum Paulum tradentes huiusmodi hominem sathanæ, ut spiritus eius sit saluus in die Domini.

De talibus enim Dominus per Moysen loquitur, dicens: “Auferte malum de medio uestri”.

De quibus per Prophetam ait: “Letabitur iustus, cum uiderit uindictam inpiorum: manus suas lauabit in sanguine peccatoris”.

De talibus namque, et eorum similibus, atque eisdem consentientibus dicitur: “Quia non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus rei sunt”.

**C. III.** Transire non possunt uiduæ et uirgines post religionis propositum ad nuptias.

Item ex Decreto Gelasii Papæ ad Sicilienses Episcopos misso, c. 9.

Neque uiduas ad nuptias transire patimur, que in religioso proposito diuturna obseruatione permanserunt.

Similiter uirgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis etatem peregissee contigerit.

**C. IV.** Ex quolibet sensu corporis mulier corrumpi potest.

Item Ciprianus ad Pomponium de uirginitate.

Nec aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quod inspicere et probari possit, an uirgo sit, cum et manus obstetricum et oculus sepe fallatur, et, si incorrupta inuenta fuerit uirgo ea parte, qua mulier potest esse, poterit tamen ex alia corporis parte peccasse, que corrumpi potest, et tamen inspicere non potest.

Certe ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, et osculatio, et coniacentium duorum turpis et feda dormitio, quantum dedecoris et criminis confitetur?

Si superueniens maritus sponsam suam iacentem cum altero uideat, nonne indignatur et fremit, et per zeli dolorem, portat gladium in manu sua?

Et Christus Dominus et iudex noster, cum uirginem suam sibi dicatam et sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernit, quam indignatur et irascitur?

et quas penas in celestis huiusmodi coniunctionibus conminatur?

Cuius ut gladium spiritalem et uenturum iudicii diem unusquisque fratrum possit euadere, omni consilio prouidere et elaborare debemus.

[[C. V].

Idem. [in eadem epistola]

Quod si penitentiam huius illiciti concubitus sui egerint, et a se inuicem recesserint, inspiciantur iterum uirgines ab obstetricibus diligenter, et si uirgines inuentæ fuerint, accepta communionem ad ecclesiam admittantur; hac tamen interminatione, ut, si ad eosdem masculos postmodum reuersæ fuerint, aut si cum eisdem in una domo et sub eodem tecto simul habitauerint, grauiore censura eiciantur, nec in ecclesia postmodum facile recipiantur.

Si autem de eis aliqua corrupta fuerit et deprehensa, agat penitentiam plenam, que hoc crimen admisit que iam non mariti, sed Christi adultera est, et ideo estimato iusto tempore, postea exomoloyysi sui facta ad ecclesiam redeat.

Quod si obstinate perseuerant, nec se ab inuicem separant, sciant se cum hac sua inpudica obstinatione numquam a nobis admitti in ecclesiam posse, ne exemplum ceteris ad ruinas delictis suis facere incipiant, nec putent sibi uitæ aut salutis constare rationem, si episcopis et sacerdotibus obtemperare noluerint.

**C. VI.** Clericus deponatur, laicus excommunicetur, qui cum moniali mechatus fuerit.  
Item ex VI. Sinodo. [in Trullo c. 4].

Si quis episcopus, presbiter, aut diaconus, aut subdiaconus, aut lector, aut psalmista, aut hostiarius cum muliere sanctificata Deo mechatus fuerit, deponatur, quia sponsam Christi corruptit; si uero laicus, excommunicetur.

**C. VII.** Viduæ et puellæ, que post religionis habitum nubunt, a communione suspendantur.

Item ex Concilio Tolletano IV., c. 8.

De uiduis et puellis, que habitum religionis in domibus propriis tam a parentibus, quam per se mutauerunt si postea contra instituta patrum uel precepta canonum coniugia crediderint copulanda, tam diu utrique habeantur a communione suspensi, quousque quod illicite perpetrauerunt emendent.

Quod si emendare neglexerint, a communione uel omnium Christianorum conuiuio perpetuo sint sequestrati.

[PALEA. **C. VIII.** De eodem.

Item ex Concilio Martini Papæ.

Viduas autem uelare pontificum nullus attemptet prout statutum est in decretis Gelasii Papæ capitulo XIII. quod nec auctoritas diuina, nec canonum forma prestituit.

Quod si propria fuerit uoluntate continentiam professa, in eiusdem Gelasii capitulo XXI. legitur, eius intentio pro se reddat rationem Deo, quia, sicut secundum Apostolum, si se continere non poterat, nullatenus nubere uetabatur, sic se cum habita deliberatione promissam fidem pudicitiae Deo debet custodire.

Nos autem auctoritate Patrum suffulti in hoc sancto concilio sancimus et libere iudicamus, si sponte uelamen quamuis non consecratum sibi inposuerit, et in ecclesia inter uelatas Deo oblationem obtulerit, uelit nolit, sanctimoniae habitum ulterius habere debet, licet sacramento confirmare uelit, eo tenore et ratione sibi uelamen inposuisse, ut iterum posset deponere].

**C. IX.** De his, que uotum uirginitatis habentes nubunt, necdum sacro uelamine tectæ.

Item ex Decretis Innocentii Papæ, c. 20. [in Codice canonum, et epist. 2. ad Victricium, c. 13].

He uero, que nondum sacro uelamine sunt tectæ, tamen in proposito uirginali semper simulauerant se permanere etc.

et infra.

[PALEA. Licet uelatae non fuerint, si forte nupserint his agenda aliquanto tempore penitencia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur.

Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine uindicta non debet?]

Nam si Apostolus illas, que a proposito uiduitatis discesserunt, dixerat habere dampnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; quanto magis uirgines que frangere fidem conatae sunt.

**C. X.** Non sunt admittendæ ad penitenciam uirgines sacræ, si publice nupserint.

Item ex Decreto eiusdem, capitulo 19. [in Codice canonum, in epistola autem ad Victricium c. 12].

Que Christo spiritualiter nubunt si postea publice nupserint, non eas admittendas esse ad penitentiam, nisi hii, quibus se iunxerant, de mundo recesserint.

Si enim de hominibus hec ratio custoditur, ut quecumque uiuente uiro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ penitentiæ licentia conceditur, nisi unus de his fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, que ante se inmortalis sponso coniunxerat et postea ad humanas transmigravit nuptias.

**C. XI.** Ab ecclesia eliminandæ et ergastulis retrudendæ sunt monachorum uel monacharum inpudicæ personæ.

Item ex Concilio Triburiensi, c. 6.

Inpudicas detestabiles que personas monachorum scilicet atque monacharum, que abiecto proposito sanctitatis illicita ac sacrilega contagione se miscuerunt, et in arbitrium conscientiæ desperatione perductæ, de illicitis complexibus libere filios procreauerint, a monasteriorum cetu ecclesiarum que conuentibus eliminandas esse mandamus, quatinus retrusæ in suis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes purificatorio possint penitudinis igne decoqui, ut eis uel ad mortem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit subueniri.

**C. XII.** Monachus et uirgo Domino consecrata si nupserint, excommunicentur.

Item ex eodem.

Virginem, que se Deo consecrauerit, similiter et monachum decernimus non licere nuptialia iura contrahere.

Quod si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur.

Confitentibus autem decreuimus, ut habeat auctoritatem eiusdem loci episcopus misericordiam humanitatem que largiri.

**C. XIII.** Dum uiuunt, lamentis penitentiæ se afficiant qui sanctimonialibus scienter copulantur.

Item ex eodem.

Hii igitur, qui scientes sanctimonialibus in matrimonio sunt ad iniuriam Christi copulati, iuxta censuram zeli Christiani separentur, et numquam eis concedatur iugali uinculo religari, sed in penitentiæ lamentis se uehementer, dum uiuunt, afficiant.

**C. XIV.** A sacra communione priuentur qui sacris uirginibus se sociant.

Item ex eodem

Virginibus sacris se quosdam temere sociare cognouimus, et post dicatum Deo propositum incesta federa sacrilega que miscere.

Quos protinus equum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatam que penitentiam omnino non recipi.

Sed tamen his uiaticum de seculo transeuntibus, si digne penituerint, non negetur.

**C. XV.** In monasterio reuocetur ac recludatur que a fornicatione recedere noluerit

Item Gregorius.

Peruenit ad nos, quod quidam uir nequissimus diabolico instinctu de monasterio suaserat exire quandam Deo sacratam, atque a quodam uiro, unde exierat, sit reuocata, rursus que eam uir ille nequissimus iniqua suasionem de monasterio eiciens, apud se retineat inpudice.

Volumus autem, ut episcopatus tui auctoritate in monasterio reuocetur ac recludatur.

**C. XVI.** Non est fas uiduis post susceptum uelamen a sacro proposito discedere.

Item ex Concilio Aurelianensi, c. 3.

Viduæ, que spontanea uoluntate ab altari sacræ conuersationis uelamen suscipiunt decreuit sinodus in eodem proposito permanere.

Non enim fas esse decreuimus, postquam se semel Domino sub uelo consecrauerint, iterum eis concedi Spiritui sancto mentiri.

**C. XVII.** Qui sacro tectam uelamine in coniugium ducit anathema sit.

Item ex eodem.

Si quis sacro uelamine consecratam in coniugium duxerit, et post dicatum Deo propositum incesta federa sacrilega que miscuerit, ut in constitutis Gelasii Papæ capitulo XX. legitur, protinus equum est a sacra comunione detrudi, et nisi per publicam probatam que penitentiam non recipi omnino.

Si penituerint, transeuntibus de seculo uiaticum non negetur.

§. 1.

In Calcedonensi concilio capitulo XVII.:

“Hoc perpetrantes excommunicentur; confitentibus auctoritate episcopi misericordia largiatur”.

§. 2.

In epistola Syricii Papæ c. 6.:

“Velatæ et Deo consecratæ, si abiecto proposito sanctitatis clanculo sacrilega contagione se miscuerint, et illicitis complexibus publice et libere filios procreauerint, has nuptias detestabiles que personas a monasteriorum cetu et ecclesiarum conuentibus eliminandas esse iudicatum est, quatinus detrusæ ergastulis tantum facinus continua lamentatione defleant”.

Unde et uerbo Domini, et canonica auctoritate in hac sancta sinodo precipimus, ut omnino separentur, et iuramento colligentur, ut ulterius sub uno non cohabitent tecto.

**C. XVIII.** Ad habitum redire cogatur, et recludatur in monasterio, qui religiosam uestem abiecit.

Item Gregorius Vitaliano, Episcopo Sipontino. [lib. VII. Indict. 1. epist. 9].

Si custos religiosi habitus, aut esse nesses episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito proiectis religiosis uestibus nec ad secularem reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolam destinare.

Sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad presens illicita inpune commissa est.

Nam sicut, prefati sumus, si sollicitus extitisses, prius ad nos ultio mulieris prauissimæ quam culpa debuit peruenire.

Quia ergo tantum hebes tantum que es negligens, ut, nisi canonicam in te fueris coercionem expertus, in aliis distractionem et disciplinam nescias custodire, qualiter debeas esse sollicitus congruo tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrabimus.

§. 1. Presentia igitur scripta suscipiens, euigila et excitatus saltim exequere quod pressus nunc usque ignauia distulisti.

Instantiæ ergo tuæ sit predictam mulierem una cum Sergio defensore nostro comprehendere, et statim non solum ad male contemptum habitum sine excusatione aliqua reuocare, sed etiam in monasterio, ubi omnino districte ualeat custodiri,

detrudere, et ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere, ut quam sit nefarium quod commisit ex tua possit districtione cognoscere.

§. 2. Qua in re si quis (quod non credimus) laicorum aliquo tibi ingenio temptauerit obsistendum, a sanctissimæ eum communionis participatione suspende nobis que renunciare festina, ut quantum sit execrabile quod presumit, postquam consideratione propria non aduertit, emendationis qualitate cognoscat.

§. 3. In his autem omnibus ita cautum stude te uigilantem que ostendere, ut culpam tuam non geminare neglectu, sed aliquantisper ualeas sollicitudine minuere.

C. XIX. Districtæ custodiæ tradatur que a religionis proposito ad secularem habitum rediit.

Idem Sergio Defensori. [lib. VII. Indict. 1. ep. 10].

Si homo esses, aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, ut ea, que illicite committuntur, ante uindicta corrigerentur quam ad nos eorum nuncius perueniret.

Sed dum nimia te facit stulticia negligentem, non solum de illis offendimur, sed etiam ad ulciscendum desidiam tuam nichilominus prouocamur.

Omni ergo dilatione omni que excusatione postposita filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri miliciæ, que proiectis, quas sponte assumpsit, religiosis uestibus, indumentis se laicis deturpauit, una cum fratre et coepiscopo nostro Vitaliano festina comprehendere, atque ad religiosum rursus habitum reuocare, ac in monasterio mittere, ubi districte omnino ualeat custodiri, nec eius custodiam aliquatenus releuari permittas, quousque denuo nostra scripta susceperis.

Nam si quolibet modo in hac re negligens uel lentus extiteris, ita in te districtissime noueris uindicandum, ut quod ex te nescis pena possis resecante cognoscere, quia sicut diximus si intellectum hominis habuisses, que facere modo preciperis, ante debueras etiam cum ultione a te facta cognoscere.

C. XX. Non tribuitur licentia nubendi, qui continentiam seruare decreuerunt.

Item Augustinus de conflictu uiciorum atque uirtutum. [cap. 24].

Nubendi licentia quibusdam tribuitur: illis uidelicet, qui uirginitatem uel castitatem uidualem nequaquam professi sunt.

Quibusdam autem non tribuitur: illis uidelicet, qui uirgines uel continentem esse decreuerunt.

Fornicatio autem nulli inpune conceditur.

C. XXI. Peiores sunt adulteris qui continentiam propositum uiolant.

Idem in libro de bono coniugii.

Proposito meliore lapsas, si nupserint, feminas a castitate sanctiori, que uouetur Deo, adulteris esse peiores manifestum est.

C. XXII. Monachus et uirgo, que se Deo dedicauit, nuptiis iungi non possunt.

Item ex Concilio Calcedonensi. [c. 16].

Si qua uirgo se dedicauerit Deo, similiter monachus, non licet eis nuptiis iungi.

Si uero fuerint inuenti hoc facientes, maneant excommunicati.

Statuimus uero posse eis fieri humanitatem, si ita probauerit episcopus loci.

C. XXIII. Diaconissa, que post ordinationem nubit, anathema sit.

Item ex eodem. [c. 15].

Diaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari statuimus, et hoc cum diligenti probatione.

Si uero susceperit ordinationem, et quantocumque tempore obseruauerit ministerium, et postea se nuptiis tradiderit, iniuriam faciens gratiæ Dei, hec anathema sit cum eo, qui in illius nuptiis conuenerit.

**C. XXIV.** Inter bigamas reputantur qui uirginitatem pollicitam preuaricantur.

Item ex Sinodo Anchiritana. [c. 18].

Quotquot uirginitatem pollicitam preuaricatæ sunt professione contempta, inter digamos, id est qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debent.

**C. XXV.** Virginitas Deo dedicatis nec in fine danda est communio, si libidini seruierint.

Item ex Concilio Elibertano. [c. 13].

Virgines, que Deo se dedicauerunt, si perdiderint pactum uirginitatis, atque eidem libidini seruierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine dandam eis esse communionem.

Quod si semet persuaserint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, et tempore uitæ suæ penitentiam egerint, et a coitu se abstinerint, placuit eas in fine communionem accipere debere.

**C. XXVI.** Cogatur ad penitentiam filia clerici, si deuota maritum duxerit.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 30].

De filia episcopi uel presbiteri, siue diaconi, si deuota fuerit, et maritum duxerit, si eam pater uel mater in affectum receperit, a communionem habeantur alieni.

Pater uero in concilio causas se nouerit prestaturum.

Mulier uero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit penitentiam.

Si autem uiuente eo secesserit, et penitentiam, egerit, uel petierit communionem, in ultimo fine uitæ suæ deficiens eam accipiat.

**C. XXVII.** Deuota, nisi peccare desierit, non est in ecclesia recipienda.

Item ex Concilio Tolletano I. [c. 16].

Deuotam peccantem non recipiendam esse in ecclesia nisi peccare desierit, et, si desinens egerit aptam penitentiam decem annis, recipiat communionem.

Prius autem, quam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Christianæ mulieris accedat.

Quod si admissa fuerit, etiam hec, que eam receperit, habeatur in absentia.

Corruptorem etiam par pena constringat.

Que autem maritum acceperit non admittatur ad penitentiam, nisi aut uiuente marito caste uiuere ceperit, aut postquam ipse decesserit.

**C. XXVIII.** De monacha, que ad lapsum adulterii deducitur.

Item Gregorius Iohanni, Episcopo Caralitano. [lib. III. epist. 9].

Si qua monacharum uel per antiquiorem licentiam, uel per inpunitatis prauam consuetudinem ad lapsum adulterii deducta fuerit, aut in futurum fuerit perducta uoraginem, hanc post competentis seueritatem uindictæ in aliud districtius monasterium uirginum in penitentiam uolumus redigi, ut illic orationibus atque ieiuniis uacet, et sic penitendo proficiat, et metuendum ceteris artioris disciplinæ prestat exemplum.



Is autem, qui cum huiusmodi feminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, communionem priuetur, si laicus: si uero clericus est, a suo remotus quoque officio pro suis continue lugendis excessibus in monasterium detrudatur.

**C. XXIX.** Post dignam penitentiam communionem recipiant qui in religiosas mulieres excedunt.

Idem Ianuario Episcopo. [lib. III. epist. 24].

Eos autem, qui in mulieres, que egressæ sunt de monasteriis, excesserunt, et nunc dicuntur communionem suspensi, si fraternitas tua de tali facinore digne penituisse preuiderit, ad sacram communionem uolumus te reuocare.

**C. XXX.** De legibus inperatorum.

Item ex Nouellis Iustiniani Inperatoris.

Si quis rapuerit, uel sollicitauerit, uel corruerit assistriam, uel diaconissam, uel monastriam, uel aliam mulierem religiosam uitam uel habitum habentem, bona ipsius, et eorum, qui huius sceleris communionem contaminati sunt, religioso loco uendicentur, in quo talis mulier habitabat, per religiosos episcopos, et yconomos, et presides prouinciarum, et officiales eorum; ipsi autem capitali periculo subiciantur.

Mulier autem ubique inuestigetur, et cum suis rebus monasterio cautiore tradatur.

Sin autem diaconissa fuerit liberos habens legitimos, pars legitima liberis eius prestetur.

**C. XXXI.** Caste obseruent religionis habitum, que religionis obtentu uelantur.

Item ex Decreto Eugenii Papæ. [II. in Concilio Romano, c. 29].

Mulieres obtentu religionis uelatae aut in monasterio regulariter uiuant, aut in domibus suis susceptum habitum caste obseruent.

**C. XXXII.** Monachus uxorem ducens numquam sacri gradus sortiatur officium.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 22. et 23].

Monacho orarium in monasterio uel zonas habere non liceat.

Et si postea uxori fuerit sociatus, tantæ preuaricationis reus numquam ecclesiastici gradus sortiatur officium.

**C. XXXIII.** Ante professam continentiam nubant uiduæ quibus uolunt.

Item Augustinus de bono uiduitatis. [c. 28].

Viduæ, que se non continent, nubant ante, quam professæ continentiam Deo uoueant.

Quod nisi reddant, iure dampnantur.

**C. XXXIV.** Non permittatur uidua post professionem continentiaē uotum deserere.

Item Nykolaus Carolo Archiepiscopo, et eius Suffraganeis.

Vidua quidem, que capiti sacrum uelamen inposuit, si inter ceteras uelatas feminas in ecclesia orauerit, et oblationes cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens numquam uelamen religionis deponere, a religionis obseruantia discedere non presumat.

**C. XXXV.** Professio uiduitatis coram episcopo facta post habitum susceptum nulli uiolari permittitur.

Item ex Concilio Aurasico. [c. 27].

Viduitatis seruandæ professionem coram episcopo in secretario habitam, inposita coram episcopo ueste uiduali, dicimus non esse uiolandam.

Ipsam talis professionis desertricem merito esse dampnandam decernimus.

**C. XXXVI.** Modus et solempnitas faciendæ professionis hoc ordine seruetur.

Item ex Concilio Tolletano. [X., c. 5].

Omnes feminæ uenientes ad sacram religionem pallio capita contegant, et conscriptam roboratam que professionem faciant, post quam scripturam non sinantur relabi ad preuaricationis audaciam.

§. 1. Que uero ex omnibus his fuerint repertæ animum aut uestem in transgressionem dedisse, excommunicationis sententiam ferant, et rursus mutato habitu in monasteriis, donec diem ultimum claudant, sub erumpnis arduæ penitentiæ permaneant religatæ.

**C. XXXVII.** Filii sunt perditionis qui uiolant corpora feminarum Deo sacratarum.

Item ex Concilio Arelatensi.

Sciendum est omnibus, quod Deo sacratarum feminarum corpora per uotum propriæ sponsionis et uerba sacerdotis Deo consecrata esse templa scripturarum testimoniis conprobantur, et ideo uiolatores earum sacrilegi, ac iuxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur.

[PALEA. **C. XXXVIII.** De eodem.

Item.

Viduæ, si prius, quam continentiam profiteantur, nubere elegerint, illis nubant, quos propria uoluntate uoluerint habere maritos.

Similis conditio et de uirginibus habeatur, nec extra uoluntatem parentum uel suam cogantur accipere maritos].

**C. XXXIX.** In monasteriis retrudantur monachi uxoribus sociati.

Item Gregorius Artemio Subdiacono, in epistola 41. [lib. I].

Et quia aliquos monachorum usque ad tantum nefas prosiluisse cognouimus, ut uxores publice sortiantur, precipimus ut sub omni uigilantia requiras, et inuentos habita cohercione in monasteriis, quo monachi fuerant, remitti facias.

**C. XL.** De monacha que ad lapsum adulterii deducitur.

Item Innocentius Papa [II. in Concilio Romano, c. 7. Ut lex].

Ut lex continentiae et Deo placens mundicia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus, quatinus episcopi, presbiteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici, monachi atque conuersi professi, qui sacrum transgredientes propositum uxores sibi copulare presumpserint, separentur.

Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.

Qui etiam ab inuicem separati pro tantis excessibus condignam penitentiam agant.

Id ipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si (quod absit) nubere adtemptauerint, obseruari decernimus.

decernimus.

Gratian. His omnibus auctoritatibus uouentes prohibentur contrahere matrimonia, et quidam eorum, si contraxerint, separari iubentur.

## II. Pars.

Augustinus econtra talium separationes peccatum asserit esse, ita dicens: [in libro de bono uiduitatis, c. 8].

### C. XLI. Coniugia uouentium non sunt dissoluenda.

Nuptiarum bonum semper quidem est bonum, quod bonum semper in populo Dei fuit, sed aliquando fuit legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam uero humanitatis solatium.

Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more per usum promiscuum feminarum, sed honesto ordine coniugali nunc est in homine probandus affectus: et ipsum tamen laudabilius transcendit et uincit celestia cogitans animus Christianus.

Sed quoniam, sicut ait Dominus, non omnes capiunt uerbum hoc, qui potest capere capiat, que se non continet nubat, que non cepit deliberet, que egressa est perseueret; nulla aduersario detur occasio, nulla subtrahatur Christo oblatio.

§. 1. In coniugali quippe uinculo, si pudicitia non conseruatur, dampnatio non timetur.

Sed in uirginali et uiduali continentia excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita et electa, et uoti debito oblata, iam non solum capessere nuptias, sed, etiam si non nubant, nubere uelle dampnabile est.

Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait, cum in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed: “nubere uolunt, habentes” (inquit) “dampnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt,” etsi non nubendo, tamen uolendo; non quia ipsæ nuptiæ uel etiam talium dampnandæ iudicentur, sed dampnatur propositi fraus, dampnatur fracti uoti fides, dampnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore.

Postremo dampnantur tales, non quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentia primam fidem irritam fecerunt.

Quod ut breuiter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere dampnationem, que post amplioris sanctitatis propositum nubunt, non quia non dampnantur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ dampnari putarentur; sed cum dixisset: “nubere uolunt,” continuo addidit: “habentes dampnationem,” et dixit quare: “quoniam priorem fidem irritam fecerunt,” ut uoluntas, que a proposito cecidit, appareat esse dampnata, siue subsequantur nuptiæ siue desint.

§. 2. Proinde, qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non michi uidentur satis acute ac diligenter considerare quid dicant.

Fallit quippe eos similitudo ueritatis.

Quia enim coniugium Christi dicuntur eligere que Christiana sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam, dicentes: Si uiro suo uiuo que alteri nubit adultera est, sicut ipse Dominus in euangelio diffiniuit uiuit autem Christus, cui mors ultra non dominabitur, que ergo coniugium eius elegerat, si homini nubit, adultera est.

§. 3. Qui dicunt hoc acute quidem mouentur, sed parum adtendunt, hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas.

Cum enim laudabiliter etiam uiuente uiro ex eius consensu continentiam femina Christo uoueat, secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipse Christus (quod sentire nefas est) adulterium faciat, cui uiuente marito nubit.

Deinde cum primæ nuptiæ melioris sint meriti quam secundæ, absit, ut sanctarum uiduarum iste sit sensus, ut Christus eis uideatur quasi secundus maritus.

Ipsam enim habebant et antea (quando uiris suis subditæ fideliter seruibant) non carnaliter, sed spiritualiter uirum, cui ipsa ecclesia, cuius membra sunt, coniunx est, que

fidei, spei et karitatis integritate non solum in uirginibus sacris, sed etiam in coniugatis fidelibus tota uirgo est.

Uniuersæ quippe ecclesiæ, cuius illa omnia membra sunt, Apostolus dicit: “Aptau i uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo”.

Nouit autem ille uirginem coniugem sine corruptione fetare, quem in ipsa carne etiam potuit mater sine corruptione procreare.

§. 4. Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse coniugia, non paruum malum, ut a maritis separarentur uxores, quasi adulteræ sint, non uxores; et, cum uolunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros ueros, cum suis uxoribus uiuis alteras ducunt.

§. 5. Quapropter non possum quidem dicere, a proposito meliore lapsas si nupserint feminas, adulteria esse, non coniugia: sed plane non dubitauerim dicere, lapsus et ruinas a castitate sanctiore, que uouetur Deo, adulteriis esse peiores.

Si enim (quod nullo modo dubitandum est) ad offensionem Christi pertinet, cum membrum fidem non seruat marito, quanto grauius offenditur, cum illi ipsi non seruatur fides in eo, quod exigit oblatum quod non exegerat offerendum?

Cum enim quisque non reddit quod non inperio compulsus, sed consilio conmonitus uouit, tanto magis fraudati uoti auget iniquitatem, quanto minus habuit uouendi necessitatem.

**C. XLII. De uiduis, que primam fidem irritam fecerunt.**

Item Gelasius. [in epistola ad Episcopos Lucaniæ et Brutiorum, cap. 23].

De uiduis sub nulla benedictione uelandis superius late sufficienter que prediximus.

Que si propria uoluntate professam pristini coniugii castitatem mutabili mente calcauerint, periculi earum intererit, quali Deum debeant satisfactione placare, quia iuxta Apostolum primam fidem irritam fecerunt.

Sicut enim, si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum nullatenus nubere uetabantur, sic habita se cum deliberatione promissam Deo pudicitia fides debent custodire.

Nos autem nullum talibus laqueum inicere, sed solum adhortationes premii sempiterni penas que proponere diuini iudicii, ut et nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Deo reddat intentio.

Cauendum est quippe quod de earum moribus actibus que B. Paulus testatur apostolus.

Quod plenius exponere preterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri uideatur.

**C. XLIII. De eodem.**

Item Theodorus.

Si quis uotum uirginitatis habens, etc.

Gratian. Quod autem uouentes premissis auctoritatibus iubentur ab inuicem discedere, quorum uero coniugia auctoritate Augustini et Theodori soluenda non sunt, in capitulo de ordinatione clericorum euidenter ostenditur.

§. 1. Illud autem Innocentii, quo uirgines sacrae publice nubentes, illo uiuente, cui se coniunxerant, prohibentur admitti ad penitentiam, non ita intelligendum est, ut aliquo tempore excludantur a penitentia que digne penitentiam agere uoluerint; sed prohibentur admitti ad penitentiam que ab incesti copula discedere noluerint.

Post propositum namque sacrae religionis non potest Deo per penitentiam reconciliari que ad habitum professionis suae redire neglexerit.

Tunc enim ille, cui se iunxerat, ei defunctus erit, cum ab eius illicitis amplexibus hec penitus recesserit, ut iste sit sensus capituli: “Que Christo spiritualiter nubunt, si postea publice nupserint, non eas admittendas esse ad penitentiam censemus, nisi hii quibus se iunxerant, de mundo recesserint,” eis, subaudiendum est, nubentibus.

Tunc enim uiri de mundo recedunt, tunc defunguntur, cum ab eorum concupiscentia ipsae penitus se alienauerint, sicut mundus ei dicitur mortuus, quem suis illecebris non astringit, et ille perhibetur mortuus mundo, qui nichil mundi concupiscit.

Hoc autem sic intelligendum esse, ex subsequenti exemplo idem Innocentius ostendit, dicens: “Quecumque uiro uiuente alteri nupserit adultera habeatur, nec ei agenda penitentiae locus conceditur, nisi unus ex his fuerit defunctus”.

Hoc de derelicta intelligendum est, que, si uiuente uiro suo alteri nubit, adultera est, nec ad penitentiam admittitur, nisi uel primus reuertatur in puluerem, de quo sumptus est, uel secundus, ab eius copula cessando, ei moriatur, ut supra dictum est.

Quia ergo Christus, cui spiritualiter nubunt, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, restat, ut ille, cui secundo nubunt, eis moriatur.

In utroque autem, nisi sic intelligeretur, esset contrarius Domino, dicenti per Prophetam “In quacumque hora peccator conuersus fuerit, etc.” et cunctis interpretibus diuinæ legis inueniretur aduersus.

Probatur illud idem auctoritate illius capituli, quo deuota, que maritum acceperit, prohibetur ad penitentiam admitti, nisi uel uterque continentiam professus fuerit, uel ille, cui se iunxerat, de hoc mundo discesserit.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Sequitur secunda questio, qua queritur, an puellae alteri desponsatae possint renunciare priori conditioni, et transferre sua uota ad alium.

(Qu. I).

Hic primum uidendum est, an sit coniugium inter eos?

(Qu. II).

Secundo, an possint ab inuicem discedere? §. 1. Hos autem coniuges esse, et ex diffinitione coniugii, et auctoritate multorum facile probatur.

Sunt enim nuptiae siue matrimonium uiri mulieris que coniunctio, indiuiduam uitae consuetudinem retinens.

Inter hos autem fuit coniunctio, que indiuiduam uitae consuetudinem exigebat.

Fuit enim inter eos consensus, qui est efficiens causa matrimonii, iuxta illud Ysidori: “Consensus facit matrimonium”.

Item Iohannes Chrisostomus super Matheum: [id est auctor operis imperfecti, homil. XXXII. in Math.].

[[C. I].

“Matrimonium quidem non facit coitus, sed uoluntas ideo non soluit illud separatio corporis, sed uoluntatis.

Ideo qui dimittit coniugem suam, et aliam non accipit, adhuc maritus.  
 Nam etsi corpore iam separatus est, tamen adhuc uoluntate coniunctus est.  
 Cum ergo aliam acceperit, tunc plene dimittit.  
 Non ergo qui dimittit mechatur, sed qui alteram ducit”.

[[C. II].

Item Nykolaus Papa. [ad consulta Bulgarorum, c. 3].

“Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarum que coniunctionibus agitur.

Qui solus si defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur”.

[Gratian.] Cum ergo inter istos consensus intercesserit, qui solus matrimonium facit, patet hos coniuges fuisse.

Sed queritur, quis consensus facit matrimonium, an consensus cohabitationis, an carnalis copulæ, an uterque?

Si cohabitationis consensus facit matrimonium, tunc frater cum sorore potest contrahere matrimonium; si carnalis copulæ, inter Mariam et Ioseph non fuit coniugium.

Vouerat enim Maria se uirgine perseueraturam.

Unde ait angelo: “Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?”

id est, me non cognituram proposui.

Neque enim quia tunc uirum non cognoscebat, necesse erat inquiri, quomodo posset habere filium, sed quia numquam se cognituram proposuerat.

§. 1. Si ergo contra suum propositum postea consensit in carnalem copulam, rea facta est uoti uirginalis mente, etsi non opere uiolati.

Quod de ea sentire nefas est, sed, sicut Augustinus ait:

[[C. III].

“Beata Maria proposuit se conseruaturam uotum uirginitatis in corde, sed ipsum uotum uirginitatis non expressit ore.

Subiecit se diuinæ dispositioni, dum proposuit se perseueraturam uirginem, nisi Deus ei aliter reuelaret.

Conmittens ergo uirginitatem suam diuinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in utroque obediendo.

Postea uero filium genuit quod corde conceperat simul cum uiro labiis expressit, et uterque in uirginitate permansit.

§. 1. Consensus ergo cohabitandi et indiuiduam uitæ consuetudinem retinendi interueniens eos coniuges facit.

Indiuidua uero consuetudo est talem se in omnibus exhibere uiro, qualis ipsa sibi est, et e conuerso.

Ad indiuiduam itaque consuetudinem pertinet absque consensu legitimi uiri orationi aliquando non posse uacare, nec continentiam profiteri.

Quia ergo iste consensus fuit inter isto, patet hos coniuges fuisse”.

[PALEA. C. IV.

Iohannes Chrisostomus, id est auctor operis imperfecti, homilia XXXII. in Matheum.

Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur.

Matrimonium enim non facit coitus, sed uoluntas, et ideo non soluit illud separatio corporis, sed separatio uoluntatis.

Ideo qui dimittit coniugem suam, et aliam non accipit, adhuc maritus est.

Nam etsi corpore iam separatus est, tamen adhuc uoluntate coniunctus est.  
Cum ergo aliam acceperit, tunc plane dimittit.  
Non ergo qui dimittit mechatur, sed qui alteram ducit].  
Gratian. Item auctoritate probantur coniuges.  
Ait enim Ambrosius in libro de uirginibus: [c. 6].

**C. V.** Coniugalis pactio, non uirginitatis defloratio facit matrimonium.  
Cum initiatur coniugium, coniugii nomen assciscitur.  
Non defloratio uirginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis.  
Denique cum iungitur uiro, coniugium est, non cum uiri admixtione cognoscitur.

**C. VI.** A prima fide desponsationis coniuges appellantur.  
Item Ysidorus Ethimologiarum libro IX., c. 7.  
Coniuges uerius appellantur a prima desponsationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus.

[**PALEA. C. VII.**  
Quod condicio interposita non ualeat, ex concilio Affricano probatur].

[**PALEA. C. VIII.** De eodem.  
Quicumque sub condicionis nomine aliquam desponsauerit, et eam postea relinquere uoluerit, dicimus quod condicio frangatur, et desponsatio irrefragabiliter teneatur].

**C. IX.** De eodem.  
Item Augustinus de bono coniugalia. [lib. I. c. 11].  
Coniunx uocatur a prima desponsationis fide, quam concubitu non agnouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.

§. 1. Propter quod fidele coniugium ambo parentes Christi uocari meruerunt, non solum illa mater, uerum etiam ille pater eius, sicut et coniunx matris eius, utrumque mente, non carne.

**C. X.** Triplex bonum coniugii fuit in parentibus Christi.  
Item in eodem. [lib. et capite]  
Omne itaque nuptiarum bonum inpletum est in illis parentibus Christi, fides, sacramentum, proles.  
Prolem cognoscimus ipsum Dominum, fidem: quia nullum adulterium; sacramentum: quia nullum diuortium; solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, que accidit ex peccato, sine qua concipi uoluit qui futurus erat sine peccato.

Gratian. Item in Leuitico precepit Dominus Moysi, dicens: “Si quis sponsam alterius in agro oppresserit, morte moriatur, quia uxorem alterius uiolauit”.

§. 1. Item in legibus principum sponsa iubetur lugere mortem sponsi tamquam uiri sui.  
Item in Canonibus inuenitur:

**C. XI.** Frater sponsam fratris post mortem eius non potest ducere.  
Si quis desponsauerit sibi aliquam, et preueniente mortis articulo eam cognoscere non potuerit, frater eius non potest eam in uxorem ducere.

[[C. XII].

Item Gregorius Mauricio Imperatori, ob quendam comitem, qui nepotis sui mortui desponsatum duxit uxorem.

Qui desponsatam puellam proximi sui acceperit in coniugium, anathema sit ipse, et omnes consentientes ei, quia secundum legem Dei mori decernitur.

§. 1. Nam diuinæ legis mos est, sponsas appellare coniuges, ut in euangelio: “Accipe Mariam coniugem tuam,” et illud in Deuteronomio: “Si quis cuiuslibet hominis desponsatam puellam in agro uel in quolibet loco oppresserit, uel adduxerit in domum suam, moriatur, quia uxorem proximi sui uiolauit;” non que iam uxor erat, sed que a parentibus uxor fieri debebat.

Et infra:

§. 2. Sicut nulli Christiano licet de sua consanguinitate uel quam cognatus habuit in matrimonium assumere, ita et de consanguinitate uxoris suæ.

C. XIII. Uxore mortua licet uiro aliam accipere, sed non repudiatam uel desponsatam.

Item Ieronimus.

Additur aliud quartum legitimum coniugium.

Dum mortua fuerit uxor cuiuslibet, licet illi accipere aliam, sed non repudiatam, nec desponsatam uiro, sed liberam; similiter et mulier debet.

Unde et Paulus ait: “Mulier, que sub uiro est, ligata est sub lege uiri, quamdiu uiuit uir eius”.

Viro igitur uiuente uocabitur adultera, si iuncta fuerit alteri uiro.

Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est a lege uiri ita, ut non sit adultera, si iuncta fuerit alteri uiro.

C. XIV. Post mortem alicuius nullus de consanguinitate eius sponsam accipiat.

Item Gregorius.

Si quis uxorem desponsauerit, uel eam subarrauerit, quamquam postmodum preueniente die mortis eius nequuerit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguinitate eius licet accipere eam in coniugio, et si inuentum fuerit factum, separetur omnino.

C. XV. De eodem.

Item Iulius Papa.

Si quis desponsauerit uxorem uel subarrauerit, et siue preueniente die mortis, siue irruentibus quibusdam aliis causis minime eam cognouerit, neque superstes eius frater, neque ullus de consanguinitate eius eandem sibi tollat in uxorem ullo umquam tempore.

## II. Pars.

Gratian. His omnibus auctoritatibus probantur isti coniuges esse.

Sed Augustinus contra testatur, dicens:

C. XVI. Non est inter eos matrimonium, quos non copulat conmixtio sexuum.

Non dubium est, illam, mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse conmixtio sexus.



C. XVII. Illa mulier non pertinet ad matrimonium, cum qua non celebratur nuptiale misterium.

Item Leo Papa.

Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut preter conmixtionem sexuum non habeant in se nuptiæ Christi et ecclesiæ sacramentum, non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale misterium.

[PALEA. C. XVIII.

Benedictus seruus seruorum Dei Grandensi Patriarchæ salutem, etc.

Lex diuinæ constitutionis apostolicam cathedram totius posuit orbis terrarum magistram, ut quicquid ubique locorum dubitantur, ab ea ratio eiusdem requiratur.

Affatus est autem nos suis litteris eiusdem cathedræ sessorem, ac percunctatus est quidam uestras nomine Iohannes, pro conubio filiæ suæ superstitis, cuius soror defuncta cuidam iuueni, Stephano nomine, simplicibus uerbis fuerat desponsata, et ante, quam ad nuptias perueniret, morte preuenta: utrum scilicet cum eodem iuueni possit matrimonium celebrari superstitis filiæ, nec ne.

Namque testatus est huius rei rationem apud uos haberi ambigam.

Quam Deo docente reddimus his uerbis certissimam.

Protoplastus ille, radix et origo nostra, detractam sibi costam in mulierem uidens formatam, prophetico spiritu inter alia protulit: “Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adherabit uxori suæ, et erunt duo in carne una”.

Quibus uerbis innotuit, non aliter uirum et mulierem posse fieri unam carnem, nisi carnali copula sibi cohereant.

Qui ergo nequaquam mixtus est extraneæ mulieri federe nuptiali, quo pacto per nuda sponsionis uerba possunt una caro fieri, nullatenus ualemus intueri.

Propinquitatis enim sanguinis uerbis dicitur, non uerbis efficitur.

Sed neque osculum parit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis conmixtionem.

Quoniam uero ita prorsus sese habet res Iohannis istius, ut uelit secundam filiam illi nuptiis copulare, cui primam iam decreuerat desponsare, censura apostolici magistratus mandamus, hoc absque ullius criminis uicio posse fieri, si utriusque partis sederit uoluntati.

Nam cur prohibeatur quod prohibendum numquam sancta scriptura declarat?

Sed neque mundanæ leges connumeratis personis, que inter se nuptias non contrahunt, de huiusmodi aliquid dicunt.

Ne ergo abnegetis quod negandum nulla ratione docetis].

Gratian. Item Apostolus precipit, ut uxor reddat debitum uiro, et uir uxori, nisi forte ex consensu ad tempus, ut expeditius uacent orationi.

Unde datur intelligi, quod sine consensu alterius non licet alteri uacare orationi.

§. 1. Item propositum melioris uitæ uir sumere non potest sine consensu uxoris, et e conuerso.

Unde Gregorius scribit Theutistæ Patriciæ: [lib. IX. epist. 39].

C. XIX. Causa religionis coniugia solui non debent.

Sunt qui dicunt, religionis causa coniugia debere dissolui.

Verum sciendum est, quia, etsi hoc lex humana concessit, lex tamen diuina prohibuit.

Per se enim ueritas dicit: “Quod Deus coniunxit homo non separet”.

Qui etiam ait: “Non licet dimittere uxorem, excepta causa fornicationis”.

Quis ergo huic legislatori contradicat? Scimus, quia scriptum est: “Erunt duo in carne una”.

Si igitur: uir et uxor una caro sunt, et religionis causa dimittit uir uxorem, uel mulier uirum in hoc mundo remanentem, uel fortasse ad illicita migrantem, que est ista conuersio, in qua una et eadem caro ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione?

Si uero utrisque conueniat continentem uitam ducere, hoc quis audeat accusare? cum certum est, quia omnipotens Deus, qui minora concessit, maiora non prohibuit.

Duobus enim modis sancti uiri etiam a licitis abstinere solent: aliquando, ut merita sibi apud omnipotentem Deum augeant; aliquando, ut anteactæ uitæ culpas detergant.

§. 1. Proinde cum boni coniuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ uitæ culpas delere, ut se astringant, et meliorem uitam appetant, licet.

Sic enim multos sanctorum nouimus cum suis coniugibus et prius continentem uitam duxisse, et postmodum ad sanctæ ecclesiæ regimina migrasse.

Si uero continentiam, quam uir appetit, mulier non sequitur, aut quam appetit uxor uir recusat, diuidi coniugium non potest, quia scriptum est: “Mulier sui potestatem corporis non habet, sed uir; similiter et uir potestatem sui corporis non habet, sed mulier”.

**C. XX.** Absque uiri consensu monasterio mulier deputata ad eius consortium redire non prohibetur.

Idem Leoni, Episcopo Catanensi. [lib. III. ep. 34].

Multorum relatione conperimus, hanc apud uos olim consuetudinem fuisse, ut subdiacones suis licite miscerentur coniugibus.

Quod ne denuo quisquam presumeret, a Seruo dei, sedis nostræ diacone, ex auctoritate nostri decessoris isto est modo prohibitum, ut eodem tempore hii, qui iam uxoribus fuerant copulati, unum e duobus eligerent, id est aut certe ministrare nulla ratione presumerent, aut a suis uxoribus abstinere.

Et, quantum dicitur, Speciosus tunc subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit offitio, et usque in obitus sui tempora notarii quidem gessit offitium, et a ministerio, quod subdiaconum oportuerat exhibere, cessauit.

Post cuius obitum, quia relicta eius Honorata marito est sociata, a tua fraternitate in monasterio cognouimus deputatam.

Ideo que, si, ut fertur, eius se maritus ab administratione suspendit, antedictæ mulieri non debet officere, quod ad secunda uota coniugii migrauerit: presertim, si non tali mente subdiacono iuncta est, ut a carnis uoluptatibus abstinere.

Si ergo ita se ueritatem, quemadmodum edocti sumus, habere cognoscis, predictam mulierem de monasterio per omnia conuenit te relaxare, ut ad suum maritum sine aliqua possit formidine remeare.

**C. XXI.** Ad uxorem redire cogitur qui sine eius consensu religiosam uestem suscepit.

Idem Adriano, Panormitano Notario. [lib. IX. epist. 44].

Agathosa latrix presentium questa est, uirum suum contra uoluntatem suam in monasterio Urbici abbatis esse conuersum.

Quapropter experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte eius uoluntate conuersus sit, uel ipsa mutare se promiserit.

Et si hoc reppererit, et illum in monasterio permanere prouideat, et hanc, sicut promisit, mutare compellat.

Si uero nichil horum est, nec quondam fornicationis crimen (propter quod licet uxorem dimittere) predictam mulierem commisisse cognoueris, ne illius conuersio uxori relictæ in seculo fieri possit perditionis occasio, uolumus, ut maritum suum illi etiamsi iam tonsuratus est, reddere debeas omni excusatione cessante, quia etsi mundana lex precipit conuersionis gratia utrolibet inuito solui posse coniugium, diuina tamen lex fieri non permittit.

Nam, nisi fornicationis causa, uirum uxorem dimittere nulla ratio concedit, quia post, quam copulatione coniugii uiri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, et ex parte remanere in seculo.

**C. XXII.** Sine uxoris consensu religionis propositum uir sumere non ualet.

Item ex VIII. Sinodo.

Si quis coniugatus uult conuerti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius a coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus.

Nam si illa uiuente illo per incontinentiam alteri nupserit, proculdubio adultera erit.

Nec recipitur apud Deum eiusdem uiri conuersio, cuius sequitur coniugalis federis prostitutio.

Tales igitur tunc sine culpa secuntur Christum derelicto seculo, si habent ex pari uoluntate castitatis consensum.

**C. XXIII.** Sine conscientia episcopi uiro et uxori causa religionis diuertere non licet.

Item ex Sinodo Eugenii Papæ. [II., in Sinodo Romana c. 36].

Si uir et uxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserint uita, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, ut ab eo singulariter prouiso constituentur loco.

Nam uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non soluitur.

**C. XXIV.** Sine uxoris uoluntate uiro continere non licet.

Item Augustinus de adulterinis coniugiis.

Si tu abstines sine uxoris uoluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et peccatum illius tuæ inputabitur abstinentiæ.

**C. XXV.** Vir non est suscipiendus in monasterium, nisi uxor conuertatur.

Item Gregorius Urbico Abbati. [lib. V. ep. 49].

Quia Agatho lator presentium in monasterium dilectionis tuæ conuerti desiderat, hortamur, ut eum omni cum dulcedine deuotione que suscipias.

§. 1. Quem tamen suscipiendum ita esse cognosce, si et uxor illius similiter conuerti uoluerit.

Nam dum unum utrorumque corpus coniugii copulatione sit factum, incongruum est partem conuerti, et partem in seculo remanere.

**C. XXVI.** Continentiæ uota non licet uxori suscipere, nisi eandem uir eius elegerit uitam.

Item Nykolaus Papa. [Carolo Regi]

Scripsit nobis Theberga regina, se uelle dignitate seu copula exui, et sola uita priuata esse contentam desiderare.

Cui nos scripsimus, non hoc aliter fieri posse, nisi eandem uitam coniux eius Lotharius elegerit.

§. 1. Nam licet sit scriptum: “Quod Deus coniunxit homo non separet”.

Deus tamen, et non homo separat, quando diuini amoris intuitu ex consensu utriusque coniugis matrimonia dissoluuntur.

Aliter autem fieri mutuam separationem uestram prohibemus.

Gratian. Ecce, quod coniugati sine consensu alterius continentiam profiteri non possunt. Sponsi uero, etiam inconsultis quas sibi desponsauerunt, exemplis et auctoritate probantur continentiam posse seruare.

Ut enim refert B. Ieronimus, Macharius, precipuus inter Christi heremitas, celebrato nuptiarum conuiuio, cum uespere thalamum esset ingressurus, ex urbe egrediens transmarina petiit, et heremi solitudinem sibi elegit.

§. 1. Item B. Alexius, Epiphaniæ clarissimi filius, similiter ex nuptiis diuina gratia uocatus, sponsam deseruit, et nudus Christo famulari cepit.

Horum exemplo patet, quod sponsi non exquisito consensu suarum sponsarum continentiam profiteri ualent.

Probatur idem auctoritate Eusebii Papæ dicentis:

C. XXVII. Desponsata puella non prohibetur monasterium eligere.

Desponsatam puellam non licet parentibus alii uiro tradere; tamen monasterium sibi licet eligere.

C. XXVIII. Desponsata inpune monasterium potest eligere.

Item Gregorius in Registro. [lib. VI. epist. 20. ad Fortunatum]

Decreta legalia desponsatam, si conuerti uoluerit, nullo censuerunt omnino dampno mulctari.

Gratian. Cum ergo coniugatorum continentia, nisi ex amborum consensu, Deo offerri non ualeat; cum uir sui corporis potestatem non habeat, sed mulier, sponsæ autem monasterium possint eligere, et sponsi non exquisito consensu sponsarum propositum melioris uitæ assumere ualeant: patet, quod inter sponsum et sponsam coniugium non est.

§. 1. Item cum secundum Augustinum illa mulier non pertineat ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse conmixtio sexus.

Item secundum Leonem illa non pertinet ad matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale misterium: apparet, quod inter sponsum et sponsam coniugium non est.

§. 2. Item Nykolaus Papa precepit, de his, qui ab aduersariis excecantur aut membris detruncantur, ut ob hanc infirmitatem talium coniugia non soluantur.

§. 3. De his autem, qui causa frigiditatis uxoribus debitum reddere non possunt, statuit Gregorius Papa, ut uterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis iureiurando dicat, quod numquam permixtione carnis coniuncti una caro effecti fuissent.

Tunc mulier secundas nuptias poterit contrahere; uir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat sine spe coniugii.

Unde idem scribit Venerio, Caralitano Episcopo, ita dicens:

C. XXIX. Si mulier probauerit, quod a uiro suo numquam cognita fuerit, separetur.

Quod autem interrogasti me de his, qui matrimonio iuncti sunt, et nubere non possunt, si ille aliam, uel illa alium possit accipere de quibus scriptum est: Vir et mulier, si se coniunxerint, et postea dixerit mulier de uiro, quod non possit coire cum illa, si potest probare per uerum iudicium, quod uerum sit, accipiat alium.

Gratian. Ecce, impossibilitas coeundi, si post carnalem copulam inuenta fuerit in aliquo, non soluit coniugium.

Si uero ante carnalem copulam deprehensa fuerit, liberum facit mulieri alium uirum accipere.

Unde apparet, illos non fuisse coniuges; alioquin non liceret eis ab inuicem discedere, excepta causa fornicationis; et sic discedentes oportet manere inuptos, aut sibi inuicem reconciliari.

§. 1. Item si coniunx sponsa esset, mortuo sponso remaneret uidua.

Si autem uidua esset, uir eius ad sacros ordines conscendere non posset.

Maritus enim uiduæ, eque sicut et bigamus, sacerdos fieri prohibetur.

Ex huius autem copula nullus prohibetur a sacris ordinibus.

Ut enim ait Pelagius Papa: “Nichil est (quantum ad hunc articulum attinet) quod ei obuiet de canonicis institutis”.

Apparet ergo, non fuisse hos coniuges.

§. 2. Item si coniuges essent, discessio ab inuicem esset diuortium.

Sed horum separationem negat Ambrosius esse diuortium, dicens de B. Maria, quam Ioseph sibi desponsauerat, et in suam duxerat: “Ioseph numquam cognouit eam.

Nam si uir iustus eam cognouisset, numquam a se discedere passus esset, nec Dominus, qui uxorem preceperat a uiro non discedere, nisi causa fornicationis, commendans eam discipulo, auctor diuortii fuisset”.

Ecce, commendatio Mariæ Iohanni, et detractio Ioseph negatur fuisse diuortium, quia Ioseph non cognouerat eam.

Unde apparet, eos non fuisse coniuges.

Si autem B. Maria, quam Ioseph sibi desponsauerat, et in suam duxerat, coniux negatur fuisse, multo minus ista, que simpliciter sponsa erat, coniux est appellanda.

C. XXX. Sororem uxoris polluens neutram ualet habere.

Item ex Concilio Aurelianensi.

Qui dormierit cum duabus sororibus, et una ex illis ante uxor fuerat nec unam ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri umquam in coniugio copulentur.

Gratian. Id est, nec propriæ uxori licet sibi reddere debitum, quam sibi reddidit illicitam, sororem eius cognoscendo.

Nec etiam post mortem uxoris licet ei, uel adulteræ alicui copulari in coniugium.

De sponsa uero econtra legitur in Concilio Triburiensi:

C. XXXI. De eo, qui dormiuit cum sponsa fratris sui.

Quidam desponsauit uxorem, et dotauit, et cum ea coire non potuit: quam clanculo frater eius corrumpit et grauidam reddidit.

Decretum est, ut, quamuis nupta non potuerit esse legitimo uiro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit; sed mehus et mecha fornicationis quidem uindictam sustineant, licita uero coniugia eis non negentur.

C. XXXII. Qui sponsam filii sui obprimit, simul cum ea sine spe coniugii maneat.

Item ex eodem.

Si quis sponsam filii sui oppresserit, et postea filius eius eam duxerit, pater postmodum non habeat uxorem, nec mulier uirum.

Filius, qui facinus patris ignorauit, aliam accipiat.

Gratian. Si illa, quam uir sororis suæ cognouerit, perpetuo copulari prohibetur, hic uero, qui sponsam fratris sui corrumpit, peracta penitencia matrimonium contrahere permittitur, apparet, hanc non fuisse coniugem fratris eius.

§. 1. Item mulier causa fornicationis a uiro suo dimissa aut ei reconciliabitur, aut illo uiuente manebit innupta.

De sponsa uero contra inuenitur in I. libro Capitularium [c. 105. et l. VII. c. 183.,] in quo ita legitur:

**C. XXXIII.** Si sponsus raptam recipere noluerit, liceat sibi nubere alii.

Raptor publica penitencia mulctetur.

Raptam uero, si sponsus recipere noluerit, et ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur.

**C. XXXIV.** De eadem.

Item ex Concilio Tolletano.

Statutum est a sacro conuentu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, publica penitencia mulctetur, et sine spe coniugii maneat.

Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur.

Quod si post hec coniungere se presumpserint, utriusque usque ad satisfactionem anathematizentur.

### **III. Pars.**

Gratian. Apparet ergo, hanc non fuisse coniugem, cui uiuente sponso alteri nubendi licentia non negatur.

Quomodo ergo secundum Ambrosium et reliquos Patres sponsæ coniuges appellantur, et his omnibus argumentis coniuges non esse probantur?

Sed sciendum est, quod coniugium desponsatione initiatur, commixtione perficitur.

Unde inter sponsum et sponsam coniugium est, sed initiatum; inter copulatos est coniugium ratum.

Unde Ambrosius:

**C. XXXV.** In desponsatione coniugium initiatur.

Cum initiatur coniugium, coniugii nomen asciscitur, non cum puella uiri admixtione cognoscitur.

Gratian. Ecce, quod in desponsatione coniugium initiatur, non perficitur.

**C. XXXVI.** Coniunctorum permixtio matrimonium perficit.

Item Ambrosius in libro [I]. de Patriarchis.

In omni matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat et perficit coniunctorum commixtio corporalis.

**C. XXXVII.** Matrimonium sponsali conuentione initiatur, commixtione perficitur.

Item Ieronimus super Abdiam.

“Quapropter in filiabus uestris fornicabuntur, et sponsæ uestræ adulteræ erunt”.

Notandum, quod in filiabus dicit futuram fornicationem, et in coniugiis adulteria, que sponsali conuentione initiantur, et commixtione corporum perficiuntur.

**C. XXXVIII.** Cum desponsata fuerit tradita et in usum deducta, recte coniunx appellatur.

Item Ambrosius ad Paternum. [epist. LXVI].

Si quis desponsata sibi et tradita utatur coniugium uocatur.

Gratian. Quare autem post nuptialia pacta non statim tradantur, Augustinus in libro IV. Confessionum [c. 3]. ostendit, dicens:

**C. XXXIX.** Quare sponsæ post pactum non statim tradantur.

Institutum est, ut iam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne uilem habeat maritus datam, quam suspirauerit sponsus dilatam.

Gratian. Iuxta hanc distinctionem intelligenda est auctoritas illa Augustini: “Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse conmixtio sexus”.

Ad matrimonium perfectum subintelligendum est, tale uidelicet, quod habeat in se Christi et ecclesiæ sacramentum.

Ita et illud Leonis Papæ intelligendum est.

§. 1. Sed obicitur illud Augustini: “Inter Mariam et Ioseph fuit perfectum coniugium”.

Sed perfectum intelligitur non ex offitio, sed ex his que comitantur coniugium, ex fide uidelicet, prole et sacramento.

Que omnia inter parentes Christi fuisse auctoritate Augustini probantur.

Cuncta ergo, que de non separando coniugio inducta sunt, de perfecto intelliguntur, quod sponsali coniunctione est initiatum, et offitio corporalis conmixtionis est consummatum.

Illa uero, quibus separabile coniugium ostenditur, de initiato intelliguntur, quod nondum offitio sui perfectum est.

§. 2. Potest et aliter distingui.

Sponsæ appellantur coniuges consuetudine scripturæ spe futurorum, non effectum presentium.

Unde Ambrosius, cum dixisset: “Cum initiatur coniugium,” non addidit: tunc res uel effectus, sed: “tunc nomen coniugii asciscitur,” ostendens, tales nomen coniugii habere, non rem uel effectum.

Item Augustinus, cum de parentibus Domini loqueretur, ait: “coniuges fuerunt mente, non carne, sicut et parentes”.

Ex quo datur intelligi, quod sicut Ioseph pater Domini dictus est non effectum genituræ, sed offitio et cura prouidendi: sic et coniux matris eius appellatus est non coniugii effectum, sed subministratione necessariorum, et indiuiduæ mentis affectum.

Hinc Augustinus ait: “Noli timere accipere Mariam coniugem tuam;” coniugem nominauit, quia futura erat uxor.

Hinc et Beda super Leuiticum: “Si quis sponsam alterius uiolauerit, etc.” sponsam uxorem dixit, non que tunc esset, sed que futura erat uxor.

Hinc et Ieronimus super Mattheum in euangelio: “Cum esset desponsata”.

**C. XL.** Consuetudine scripturæ sponsæ coniuges, et sponsi uiri appellantur.

“Genuit Ioseph uirum Mariæ”.

Cum uirum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scripturarum, quod sponsi uiri, et sponsæ uocentur uxores.

Et infra:

§. 1. Non ab alio inuenta est, nisi a Ioseph, qui pene licentia maritali futuræ uxoris omnia nouerat.

Et infra:

§. 2. “Ioseph fili Dauid, etc.”.

Iam ut supra diximus, sponsas uxores appellari, quod plenius liber aduersus Heluidium docet.

C. XLI. De eodem.

Idem super Genesisim.

“Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias suas”.

In sequentibus filiæ Loth uirgines fuisse dicuntur.

Et ipse ad Sodomitas dixit: “Ecce duæ filiæ meæ, que non cognouerunt uirum etc.”.

Nunc autem dicitur habuisse generos.

Sed quidam arbitrantur eas, que uiros habuerunt, in Sodomis perisse, et que uirgines erant, cum patre exisse.

Sed Hebraica ueritas habet: “Egressus Loth locutus est ad sponsos suos,” quod magis esse uidetur ex hoc quod sequitur: qui accepturi erant filias suas.

Gratian. Unde datur intelligi, quod scriptura sponsos generos uocat.

C. XLII. Maria coniunx dicitur more scripturæ, cum simpliciter sponsa esset.

Item Iohannes Os aureum in eodem euangelio.

“Prius, quam conuenirent”.

Non dixit, prius, quam in sponsi adduceretur domum.

Hunc enim morem seruabat antiquitas, ut sponsæ in sponsorum domibus haberentur.

Ut autem generi Loth apud socerum leguntur habitare cum sponsis nondum sibi copulatis lege coniugii, sic et Maria habitabat cum sponso.

Et infra:

§. 1. Neque enim expellere eam de domo uoluit, sed dimittere.

Et infra:

§. 2. “Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:” Quo sermone sponsam similiter indicauit, sicut etiam eos, qui adhuc sponsi sunt, generos appellare consueuit scriptura.

Quid est autem accipere? domi profecto retinere.

Iam enim illam mente dimiserat.

Et infra:

§. 3. Sicut enim illam postea commendat Christus ipsi discipulo, sic etiam nunc angelus copulat sponso, non in fedus solempne coniugii, sed in consortium communis habitaculi.

C. XLIII. Dominus non commendasset matrem discipulo, si eam Ioseph cognouisset.

Idem in eodem omelia V. [ad idem c. 1. Matth.].

Si enim cognouisset eam, et loco uxoris habuisset, quomodo illam Dominus quasi absque solatio, et nichil penitus habentem discipulo commendaret, iubens illi, ut reciperet eam in suam?

C. XLIV. Maria uxor Ioseph appellatur, quia sic ab eo putabatur futura.

Item Origenes in eodem. [hom. I. Euang.].

“Inuenta est habens in utero”.

A B. Ioseph, qui, licet eam non contingeret, futuræ tamen, ut putabat, uxoris omnia nouerat.



Et infra:

§. 1. Si tibi uxor nominatur, si in desponsatione tibi esse dicitur, non tamen tibi uxor est, sed Dei unigeniti mater est eterna.

Et infra:

§. 2. Coniugem dico propterea, ut diabolo uirginitatem eius occultem, ut legis instituta non destruam.

In sequentibus demonstrabo, quod nec ista tua coniux secundum consuetudinem coniugii habeatur, nec iste, qui generatur, tuus filius esse credatur.

C. XLV. Ad nuptias Mariæ Ioseph non peruenit.

Item Gregorius in expositione Euangelio, cum esset sero die illa. [hom. XXVI].

Sic quippe discipulum post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante natiuitatem suam habere Mariam sponsum uoluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit.

Nam ita factus est discipulus dubitans et palpans testis ueræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ uirginitatis.

Gratian. Ex his omnibus apparet, sponsas coniuges appellari spe futurorum, non re presentium.

Quomodo ergo coniuges a prima fide desponsationis appellantur, si ista, que sponsa asseritur, coniux esse negatur?

Sed a prima fide desponsationis coniux dicitur appellari, non quod in ipsa desponsatione fiat coniux, sed quia ex fide, quam ex desponsatione sibi inuicem debent, postea efficiuntur coniuges, sicut per fidem dicuntur remitti peccata, non quod ante baptisma per fidem remittantur, sed quia fides est causa, quare in baptisate a peccatis emundamur.

§. 1. Illud autem Iohannis Crisostomi: “Matrimonium non facit coitus, sed uoluntas;” item illud Ambrosii: “Non defloratio uirginitatis, sed pactio coniugalis matrimonium facit,” ita intelligendum est: Coitus sine uoluntate contrahendi matrimonium, et defloratio uirginitatis sine pactione coniugali non facit matrimonium, sed precedens uoluntas contrahendi matrimonium, et coniugalis pactio facit, ut mulier in defloratione suæ uirginitatis uel in coitu dicatur nubere uiro, uel nuptias celebrare.

§. 2. Item Siricius Papa discessionem sponsæ a sponso uocat coniugalem separationem. Sed talis discessio dicitur uiolatio coniugii non iam existentis, sed futuri, ut ex ipsa desponsatione sperabatur.

Sic et diabolus dicitur cecidisse a beatitudine, non solum quam tunc habebat, sed etiam ad quam habendam creatus erat.

Sic qui merito suæ uitæ uel scientiæ in sacerdotem uel in episcopum eligitur, si interim electionem suam cassari meruerit, dicitur amittere sacerdotalem uel episcopalem unctionem, non quam iam acceperat, sed ad quam accipiendam electus erat.

Non ergo illa auctoritate sponsa coniux potest probari.

§. 3. Sed concedatur, quod sponsa non sit coniux, tamen queritur, utrum liceat ei renunciare priori conditioni?

Hoc autem prohibetur auctoritate Anchiritani Concilii, [c. 11]. in quo statutum ita legitur:

C. XLVI. Puellæ desponsatæ prioribus reddendæ sunt, si eis raptæ fuerint.

Desponsatas puellas et post ab aliis raptas placuit erui, et eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus uis illata constiterit.

**C. XLVII.** Communione priuetur sponsa, nisi raptorem deserere, et ad sponsum suum redire uoluerit.

Item Iohannes VIII. Rostano Archiepiscopo.

Atto presentium lator, dum in nostro seruitio fideliter excubaret, quendam uirum feminam sibi desponsatam queritur rapuisse.

Et ideo fraternitas tua nostra auctoritate suffulta suffraganeos suos episcopos presentialiter conuocet, sic que unanimes sententia, si sponsam huic raptor non reddiderit, tam idem, quam rapta, si ad pristinum sponsum remeare noluerit omni communionem priuentur.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Sed aliud est priori conditioni renunciare, et de nuptiis cum alio agere; aliud est rapti, hoc est illicite constuprari.

Unde Ysidorus Ethimologiarum libro V. c. 24. ait:

**C. XLVIII.** Quid sit raptus?

Raptus est illicitus coitus, a corrumpendo dictus; unde qui rapto potitur stupro fruitur.

Gratian. Hec autem non ab alio rapta, sed alii desponsata monstratur.

Raptam uero talem dici prohibet Gelasius Papa, ita dicens:

**C. XLIX.** Ibi raptus admittitur, ubi puella abducitur, de cuius ante nuptiis nichil actum probatur.

Lex illa preteritorum principum ibi raptum dixit esse commissum, ubi puella, de cuius ante nuptiis nichil actum fuerit, uideatur abducta.

#### **V. Pars.**

Gratian. Quod autem in fine capituli subiungitur: "etiam si eis a raptoribus uis illata constiterit," ideo additum est, quia raptarum aliarum se rapiendas exponunt, aliarum uolenter abducuntur.

Quolibet ergo modo rapiantur, prioribus reddendae sunt.

Hec autem, ut supra dictum est, non inter raptas, sed inter alias desponsatas connumeratur, et ideo non est huic auferenda, et priori reddenda.

§. 1. Secuntur aliarum auctoritates, quibus ista prohibetur nubere secundo, et iubetur redire ad priora uota.

Ait enim Siricius Papa Himerio, Episcopo Terraconensi: [epist. I. c. 4].

**C. L.** Puellam alteri desponsatam alter accipere non ualeat.

De coniugali uiolatione requisisti, si puellam alteri desponsatam alter in matrimonium possit accipere.

Tale igitur conubium anathematizamus, et modis omnibus ne fiat prohibemus, quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos inponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione uioletur.

Gratian. Sed auctoritate hac Siricii illa prohibetur ad secunda uota transire, que in propria domo est ducta, et cum sponso suo est uelata et benedicta.

Talium discessione uiolatur benedictio, quam nupturae sacerdos inponit.

Verum hanc necdum sponsus in suam duxerat, nec cum ea benedictionem acceperat. Nec ergo hac auctoritate huius copula prohibetur.

§. 1. Item illud Eusebii Papæ: “Desponsatam puellam non licet parentibus alii uiro tradere,” similiter de huiusmodi desponsata intelligitur, que uidelicet cum sponso est uelata et benedicta.

§. 2. Item obicitur illud Gregorii: “Que propter frigiditatem a uiro suo separata est, et alii nupta, si uir eius aliam cognouerit, illa est detrahenda secundo, et reddenda primo”. Sed eodem modo soluitur, quia ista uidelicet cum illo benedictionem acceperat.

[PALEA. C. LI. Si quis alicui mulieri consensus fidem fecerit, non licet illi aliam ducere.

Augustinus de fide pactionis, et consensus.

Duobus modis dicitur fides, pactionis et consensus.

Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere.

Si aliam duxerit, penitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit.

Non enim rescindi debet tantum sacramentum.

Si autem fecerit fidem consensus, non licet aliam ducere.

Si autem duxerit, dimittet eam, et adherebit priori.

“Est autem fides pactionis, quando aliquis promittit fidem alicui, quod eam ducet, si permiserit ei rem se cum habere, uel etiam pro consensu.

Fides autem consensus est, quando, etiamsi non stringit manum, corde tamen et ore consentit ducere, et mutuo se concedunt unus alii, et mutuo se suscipiunt”].

## CAUSA XXVIII.

### GRATIANUS.

Quidam infidelis in coniugio positus ad fidem conuersus est, uxor uero odio Christianæ fidei ab eo discessit.

Ille quamdam fidelem in uxorem accepit, qua mortua clericus efficitur.

Tandem uitæ et scientiæ merito in episcopum eligitur.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an coniugium sit inter infideles?

(Qu. II).

Secundo, an liceat huic aliam ducere priore uiuente?

(Qu. III).

Tercio, an sit reputandus bigamus qui ante baptismum habuit unam, et post baptismum alteram?

### QUESTIO I.

#### GRATIANUS.

##### I. Pars.

Quod inter infideles coniugium non sit, multis auctoritatibus probatur.

Ait enim Paulus: “Omne, quod non est ex fide, peccatum est”.

Coniunctio autem infidelium non est ex fide, et ideo peccatum est.

Non est ergo coniugium, quia nullum coniugium peccatum est.

Item Augustinus: “Non est uera pudicitia hominis infidelis cum coniuge sua”.

Ubi autem uera pudicitia esse non potest, ibi nec uerum coniugium est.

Item Ambrosius: “Iussit Hesdras dimitti uxores alienigenas, per quas ibant ad Deos alienos.

Non est enim putandum matrimonium, quod extra Dei decretum est factum.

Sed cum cognoscitur, est emendandum”.

Item Augustinus: “Non est ratum coniugium, quod sine Deo est.

His omnibus auctoritatibus probatur, coniugium non esse inter infideles”.

§. 1. Econtra inueniuntur aliæ auctoritates, quibus probatur coniugium esse inter infideles.

Quarum prima est illud euangelii, quod Christus ait: “Erunt quinque in una domo, duo in tres, et tres in duos diuidentur,” Deinde, cum personas illas enumeraret, uxorem in uirum esse diuidendam dixit et e conuerso.

Item: “Qui non odit patrem, aut matrem, aut sororem aut uxorem, propter me, non est me dignus;” uxorem infidelem, non fidelem dicit odio habendam.

Item: “Omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut sororem, uel uxorem, centuplum accipiet etc.”.

Uxorem in hoc loco infidelem significat, que propter Christum dimittitur, dum potius ipsa, quam Christi fides deseritur.

Item Apostolus: “Si quis frater uxorem habet infidelem, et hec consentit habitare cum illo, non dimittat illam, et si qua mulier habet uirum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat uirum.

Sanctificatus est enim uir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per uirum fidelem”.

Item ad Titum: “Hortare adolescentulas, ut diligant uiros suos”.

Hoc tam de fidelibus quam de infidelibus intelligendum est.

Infidelibus namque uiris fideles mulieres propensius propter Deum debent obsequi, ut sic uiros suos Christo lucrari ualeant.

Sicut in passione B. Clementis de Theodora et Sisinnio legitur mirabiliter contigisse.

C. I. Bigami probantur qui ante baptismum habuerunt unam, et post baptismum alteram.

Item Innocentius Papa Rufo et Eusebio, Episcopis Macedonibus. [epist. XXII. c. 2].

Numquid non erunt admittendi in hereditatis consortium, qui ex ea suscepti sunt, que ante baptismum fuerit uxor?

erunt que appellandi naturales, quia non est matrimonium legitimum (ut uobis uidetur) nisi illud, quod post baptismum assumitur?

Ipse Dominus, cum interrogaretur a Iudeis, si liceret dimittere uxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit: “Quod Deus coniunxit homo non separet”.

Ac ne de his putetur esse locutus qui post baptismum uxores sortiuntur, hoc et a Iudeis interrogatum, et Iudeis esse responsum meminerint.

Quero, et sollicitus quero, si una et eadem sit uxor eius, qui ante catecuminus postea fidelis fit, filios que ex ea, cum esset catecuminus, suscepit, et postea alios filios, cum fidelis, utrum sint fratres appellandi, an non habeant postea defuncto patre cum ceteris hereditatis heriscundæ consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis dicitur abstulisse?

Quod cum ita iudicare atque sentire absurdum est, que ratio est hoc malum defendi, et uacua magis opinione iactari, quam aliqua auctoritate roborari, cum non possit inter peccata deputari quod lex precipit, et Deus coniunxit?

**C. II.** In fidelis potestate sit post baptismum uxorem recipere, quam ante dimiserat. Item ex Decreto Euticiani Papæ.

## II. Pars.

Si quis gentilis gentilem uxorem dimiserit ante baptismum, post baptismum in potestate eius erit eam habere, uel non habere.

**C. III.** Fidelis infidelem discedentem sequi non cogitur.

Idem.

Simili modo, si unus ex coniugatis baptizatus est, et alter gentilis, et sequi non uult, sicut dicit Apostolus, infidelis si discedit, discedat.

**C. IV.** Sine culpa relinquitur uxor, que cum fidei habitare noluerit.

Item Augustinus de fide et operibus. [c. 16].

Uxor legitima societate coniuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum uiro Christiano permanere noluerit.

Non attenditur, eo modo eam rectissime dimitti, si uiro suo dicat: Non ero uxor tua, nisi michi uel de latrocinio diuitias congreges, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas, aut si quid aliud uel facinorosum aut flagitiosum in uiro nouerat, quo delectata uel libidinem explebat, uel facilem uictum habebat uel etiam incedebat ornatior.

Tunc enim ille, cui uxor hec dixit, si ueraciter egerit penitentiam ab operibus mortuis, quando ad baptismum accessit, habet que in fundamento fidem, que per dilectionem operatur, proculdubio plus tenebitur amore diuinæ gratiæ, quam carnis luxuria, et membrum, quod eum scandalizat, fortiter amputabit.

**C. V.** Licite dimittitur uxor, que uirum suum cogere querit ad malum.

Idem in sermone Domini in monte, libro I. [c. 27. et 28].

Idolatria, quam secuntur infideles, et quelibet noxia superstitio fornicatio est.

Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti.

Sed quia permisit, et non iussit, dedit Apostolo locum monendi, ut qui uoluerit non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortassis possit fidelis fieri.

Item:

[c. 28]. §. 1. Si infidelitas fornicatio est, et idolatria infidelitas, et auaritia idolatria, non est dubitandum, et auaritiam fornicationem esse.

Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si auaritia fornicatio est?

Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum que in stupris cum alienis uiris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, que animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose turpiter que corrumpi, possit sine crimine et uir uxorem suam dimittere, et uxor uirum; quia exceptam facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem (sicut supra consideratum est) generalem et uniuersalem intelligere cogimur.

Cum autem ait: “Excepta fornicationis causa” non, cuius ipsorum, uiri aut feminae. Non enim fornicantem tantum uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, a qua ipse cogitur fornicari, causa utique fornicationis dimittit; uelut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis.

Qui talem dimittit causa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed et suae; illius, quia fornicatur: suae, ne fornicetur.

**C. VI.** Que simulacrum facit, nec resipiscit, dimittatur a uiro.

Idem de adulterinis coniugiis, libro II.

Non solum mechatio est illius, que carnem suam coinquat, sed etiam que simulacrum facit mechatur.

Quod si in his factis perseuerat, et penitentiam non agit, recede ab illa, et noli uiuere cum illa.

Sin autem, et tu particeps eius peccati eris.

**C. VII.** Amore cuiuslibet non est a fide recedendum.

Item Ambrosius ad Hylarium.

“Si infidelis” (dicit Apostolus) “discedit, discedat; non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi,” id est: si infidelis noluerit esse cum coniuge fidei, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subiectum putet seruituti, ut ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem.

Hoc et de filiis atque parentibus, hoc et de fratribus atque sororibus intelligitur, propter Christum dimittendos esse, cum ponitur ista condicio, ut Christum dimittat, si eum se cum habere desiderat.

Hoc ergo et de domo et de agris, et de ceteris rebus, que iure pecuniario possidentur, intelligendum est.

**C. VIII.** Quod infideles sunt coniuges, et quod fidei licet dimittere infidelem.

Item Augustinus ad Pollentium. [lib. I. de adulter. coniugiis, c. 13. et 14].

### III. Pars.

Iam nunc illud uideamus, quod ait Apostolus: “Ceteris autem ego dico, non Dominus, ad inparia scilicet, ubi non ambo Christiani fuerant, coniugia locuturus.

Quod michi uisum est eum monendo dixisse.

Quia enim coniux fidelis relinquere coniugem licite potest infidelem, ideo hoc fieri non Dominus, sed Apostolus prohibet.

Quod enim Dominus prohibet fieri omnino non licet.

Monet ergo Apostolus, quod possit esse multorum occasio lucrandorum, ut fideles coniuges in relinquendis infidelibus permissa licentia non utantur.

Tibi autem uidetur, infideles quoque dimitti a fidelibus non licere, quia hoc uetat Apostolus, cum ego dicam licere, quia hoc non uetat Dominus; non tamen expedire, quia hoc ne fiat monet Apostolus, qui reddit etiam rationem, cur fieri non expediat, quamuis liceat.

‘Quid enim scis’ (inquit) ‘mulier, si uirum saluum facies?’

aut unde scis uir, si uxorem saluam facies?’

cum etiam superius dixisset: ‘Sanctificatus est uir infidelis in muliere fidei, et mulier infidelis sanctificata est in fratre’ (hoc est in Christiano)”.

Alioquin filii uestri, inmundi essent: nunc autem sancti sunt”.

Sic ad lucrandos coniuges et filios Christo etiam exemplis, que iam prouenerant, uidetur hortatus.

Cur ergo non expediat etiam infideles coniuges dimitti a fidelibus, causa euidenter expressa est.

Non enim propter uinculum cum talibus coniugale seruandum, sed ut querantur in Christo, recedi ab infidelibus coniugibus Apostolus uetat.

Multa sunt autem facienda non iubente lege, sed libera karitate, et ea sunt in nostris offitiis gratiora, que, cum liceret nobis etiam non inpendere, tamen causa dilectionis inpendimus.

Unde Dominus ipse prior, cum se tributum non debere monstrasset, soluit tamen, ne scandalizaret eos, quibus ad eternam salutem gerens morem consulebat.

Iam uero Apostolus, quemadmodum ista commendat, eius uerba testantur ubi dicit: “Cum sim liber ex omnibus, omnium ne seruum feci, ut plures lucrifacerem,” cum paulo superius dixisset: “Numquid non habemus licentiam manducandi et bibendi? numquid non habemus licentiam sororem mulierem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?

An ego solus, et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?

Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat uineam, et de fructu eius non edit?

Quis pascit gregem, et de lacte gregis non comedit?”

Et paulo post:

“Si alii,” inquit, potestatis uestre iure participant, nonne magis nos?

sed non sumus usi hac potestate, sed omnia tolleramus, ne quod impedimentum demus euangelio Christi.

**C. IX.** Ab infidelibus coniugibus licet alicui recedere, sed non expedit.

Item. [ibidem, c. 18. et sequentibus].

Sic enim neque recedere ab uxoribus infidelibus uel maritis fideles uiri uel feminae non prohibentur a Domino. ut neque iubeantur.

Nam si dimittere tales coniuges iuberentur, nullus locus esset consilio monentis Apostoli, ne hoc fieret.

Nulla modo enim quod Dominus iubet seruus Domini prohibet.

Item:

Cum ergo cepisset gentibus euangelium predicari, iunctos gentiles gentilibus conperit coniugibus.

Ex quibus si non ambo crederent, sed unus aut una et infidelis cum fidei consentiret habitare, nec prohiberi a Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec iuberi: ideo scilicet non prohiberi, quia iusticia permittit a fornicante discedere, et infidelis hominis fornicatio est maior in corde, nec uera eius pudicitia cum coniuge quidem dici potest, quia omne, quod non est ex fide, peccatum est, quamuis ueram fidelis habeat pudicitiam etiam cum infideli coniuge, que non habet ueram.

Ideo autem nec iuberi debuerunt fideles ab infidelibus separari, quia non contra iussionem Domini gentiles fuerunt ambo coniuncti.

§. 1. Quoniam ergo ab infideli fidelem discedere non prohibet, nec iubet Dominus: ideo, ut non discedat, Apostolus dicit, non Dominus, habens utique Spiritum sanctum, in quo dare posset utile et fidele consilium.

Unde cum dixisset de muliere, cuius uir mortuus fuerit: “Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum consilium meum,” ne quis hoc consilium tamquam humanum,

non diuinum, contempnendum putaret, adiecit: “Puto autem, quod et ego spiritum Dei habeam”.

Proinde intelligendum est, etiam ipsa, que a Domino non iubentur, sed a sancto eius famulo utiliter suadentur, eodem Domino inspirante suaderi.

Absit enim, ut quisquam catholicus dixerit, quod suadet Spiritus sanctus non Dominum suadere, cum et ipse Dominus sit, et inseparabilia sint opera Trinitatis.

Dicit tamen Apostolus: “De uirginibus autem preceptum Domini non habeo; consilium autem do,” non ut hoc consilium alienum existimemus a Domino, cum continuo sequatur, et dicat: “tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut fidelis essem”.

Secundum Deum ergo dat consilium fidele in eodem spiritu, de quo ait: “Puto autem, quod et ego spiritum Dei habeam”.

§. 2. Verumtamen aliud est Domini iubentis inperium aliud serui secundum misericordiam karitatis, que illi a Domino est inspirata atque donata, fidele consilium.

Aliud enim ibi facere non licet, hic autem licet, ita sane, ut licitum ipsum partim quidem expediat, partim uero non expediat.

Expedit tunc, quando non solum propter iusticiam, que coram Deo est permittitur, sed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum salutis infertur; uelut cum dat consilium non nubendi Apostolus uirginibus (unde preceptum Domini se non habere testatur), licet aliud facere, id est nubere, et minus continentię bonum tenere in nuptiis, ipsum que licitum etiam expedit, quoniam in uetita et illicita ruituram carnis infirmitatem sic excepit honestate nubendi, ut neminem inpediat ad salutem, quamuis magis expedit magis que honestum esset, si uirgo consilium, quo preceptum eam non compellit, arriperet.

Tunc autem non expedit id, quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis, sicut est (unde iamdiu loquimur) discessio coniugis fidelis ab infideli, quam non prohibet Dominus precepto legis, quia coram illo iniusta non est, sed prohibet Apostolus consilio karitatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis non solum, quia perniciosissime scandalizantur offensi, uerum etiam, quia, cum in alia coniugia ceciderint uiuentibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficile resoluuntur.

§. 3. Ideo hic, ubi, quod licet, non expedit, non potest dici, si dimiserit infidelem, bene facit, si non dimiserit, melius facit, sicut dictum est: “Qui dat nuptum bene facit, et qui non dat nuptum melius facit;” quoniam illud non solum sed utrumque pariter licet (unde ad nichil horum precepto Domini quisque compellitur), sed utrumque expedit, aliud minus, aliud amplius.

Unde ad id, quod amplius expedit, consilio Apostoli quicumque potest capere prouocatur.

Hic autem, ubi de dimittendo uel non dimittendo infidelis cum fideli coniugio queritur, utrumque quidem pariter licitum est per iusticiam, que coram Domino est, et ideo nichil horum prohibet Dominus; sed utrumque non expedit propter infirmitatem hominum, et ideo id, quod non expedit, Apostolus prohibet, Domino dante sibi liberum prohibendi locum, quia neque id, quod monet Apostolus, prohibet Dominus, neque id, quod prohibet Apostolus, iubet Dominus.

Quod nisi ita esset, neque contra prohibitionem Domini Apostolus aliquid moneret, neque contra iussionem eius aliquid prohiberet.

§. 4. Proinde in his duabus causis, una de nubendo uel non nubendo, altera de infideli coniuge dimittenda uel non dimittenda, aliquid simile est in uerbis Apostoli, aliquid dissimile.



Simile quidem est illud, quod et ibi dicit: “Preceptum Domini non habeo, consilium autem do,” et hic dicit: “Ego dico, non Dominus”.

Quale est enim: “preceptum Domini non habeo,” tale est: “non dicit Dominus,” et quale est: “consilium do,” tale est: “ego dico”.

Illud autem dissimile est, quia de nubendo uel non nubendo dici potest, hoc bene fieri potest, illud autem melius, quoniam utrumque expedit unum minus, aliud magis: at uero de coniuge infideli dimittendo uel non dimittendo, quoniam unum horum non expedit, aliud expedit, dici non oportet, qui dimittit bene facit, et qui non dimittit melius facit: sed dici oportet, non dimittat, quia scilicet non expedit.

Sic ergo possumus dicere, melius esse infidelem coniugem non dimittere, quamuis liceat et dimittere, quemadmodum recte dicimus melius esse quod licet et expedit, quam id, quod licet et non expedit.

§. 5. His de causis factum est, ut exponens Domini sermonem, quem prolixum in monte habuit, ubi uentum est ad questionem de coniugibus dimittendis uel non dimittendis, adhibuerim ab Apostolo, non preceptum Domini, ubi ait: “Ceteris autem ego dico, non Dominus,” monens eos, qui habent coniuges infideles, ut consentientes habitare se cum non dimitterent.

Quod utique ideo monendum, non iubendum fuit, quia non tanto pondere prohibentur homines facere licita, quamuis non expediant, quanto pondere prohibenda sunt illicita.

Si autem alicubi Apostolus etiam illa, que iubenda sunt, monere dignatur, hoc facit parcendo infirmitati, non preiudicando iussioni.

Unde sic dixit: “Non ut confundam uos, hec scribo, sed ut filios karissimos moneo;” quid habet questionis, ubi ait: “Ego dico, non Dominus;” item, ubi ait: “Ecce ego Paulus dico uobis, quia, si circumcidamini, Christus uobis nichil proderit?”

Numquid etiam hic dixit: Ecce ego dico, non Dominus?

Non sunt itaque ista similia, quia etiam illa, que iubet Dominus, non est indignum uel contrarium, si eadem monet Apostolus.

Monemus enim quos karos habemus, ut faciant Domini precepta uel iussa.

Cum uero dicit: “Ego dico, non Dominus,” satis ostendit, Dominum non prohibere quod ipse prohibebat.

Prohibuisset autem Dominus, si esset illicitum.

Ergo secundum ea, que supra diximus multum que uersauimus, licitum erat per iusticiam; sed etiam licitum non erat faciendum propter liberam beniuolentiam.

§. 6. Tu autem, cui placet ita non licere quod non uetat Dominus, sed Apostolus, quemadmodum non licet quod uetat Dominus, cum exponere uoluisses, quid sibi uelit quod ait: “Ego dico, non Dominus,” cum alloqueretur fideles, quibus essent coniuges infideles, dixisti, quia Dominus iussit, ne coniugia sibimet diuersæ religionis copularentur, et ipsum adhibuisti testimonium Domini dicentis: “Non accipies uxorem filio tuo de filiabus alienigenarum, ne traducat eum post Deos suos, ut pereat anima eius”.

Addidisti etiam uerba Apostoli, ubi ait: “Mulier alligata est, quamdiu uir eius uiuit; quod si mortuus fuerit uir eius, liberata est; cui uult nubat: tantum in Domino”.

Quod ita exposuisti, ut adiungeres: id est Christiano.

Deinde secutus es, et addidisti: Hoc est ergo Domini preceptum tam in ueteri testamento quam in nouo, et hoc iubet Dominus, hoc docet Apostolus, ut non nisi eiusdem religionis et fidei maneant copulata coniugia: quare contra Domini iussum, contra doctrinam sanctam, contra preceptum ueteris et noui testamenti iubet Apostolus, ut diuersæ fidei maneant coniugia copulata?

Quia Paulus, inquit, predicator gentium et apostolus, iam in coniugio positos non solum monet, sed etiam iubet, ut si alter ex coniugibus credidisset, alterum non credentem, se cum habitare tamen consentientem, non dimitteret.

His uerbis tuis aliud hoc esse, aliud illud, satis euidenter ostendis.

Illud enim de his coniugiis agitur, que non sunt primitus copulata ne nubat femina nisi suæ religionis uiro, uel ne uir talem ducat uxorem; id enim (ut dicis) iubet Dominus, docet Apostolus, utrumque precipit testamentum.

Hoc autem diuersum esse quis abnuat, ibi agitur non de coniungendis, sed de coniunctis?

Ambo quippe unius eiusdem que infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt; sed euangelium cum uenisset, alter sine altera, uel altera sine altero credit.

Si ergo aliud est hoc (quod sine scrupulo ullius dubitationis apparet), cur fidelem cum infideli coniuge permanere non licet nonne etiam Dominus, sicut Apostolus iubet?

Nisi forte loco isto uacat illud quod tam fideliter Apostolus ait: “An uultis experimentum accipere eius, qui in me loquitur Christus?”

Et utique Dominus est Christus.

§. 7. Intelligis ne quid dicam? An in hoc explanando aliquanto diligentius inmorabor?

Attende, ut rem ipsam explanandam tamquam in conspectu declarandam planiore sermone ponamus.

Ecce, coniuges duo unius infidelitatis ita fuerunt, quando iuncti sunt.

Nulla de his questio est, que pertineat ad illam Domini iussionem, doctrinam que apostolicam, et preceptum testamenti ueteris et noui, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare coniugium.

Iam sunt coniuges, et ambo adhuc sunt infideles; adhuc tales sunt, quales fuerunt ante, quam coniungerentur, quales que coniuncti sunt.

Venit que euangelii predicator, credit eorum aut unus, aut una; sed ita, ut infidelis cum fideli habitare consentiat.

Iubet fideli Dominus, ut infidelem dimittat, an non iubet?

Si dixeris, iubet, reclamationem Apostolus: “Ego dico, non Dominus”.

Si dixeris, non iubet, causam requiro.

Neque illam michi responsurus es, quam tuis litteris indidisti, quia Dominus uidelicet prohibet fideles infidelibus iungi.

Hic enim nullo modo est ista causa; de iam iunctis loquimur, non de coniungendis.

Si ergo tuam causam non inuenisti, cur non uetet Dominus quod prohibet Apostolus: (cernis iam, ut estimo non esse ipsam, quam esse putaueras).

#### IV. Pars.

Gratian. Contra inuenitur in Concilio Tolletano IV.: [c. 62].

C. X. Nisi ad fidem Iudeus accesserit, separetur ab uxore fideli.

Iudei, qui Christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab episcopo ciuitatis illius, ut, si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur.

Quod si admoniti noluerint, separentur, quia non potest infidelis in eius permanere coniunctione, que iam in Christianam translata est fidem.

Filii autem, qui ex talibus nati sunt, fidem atque condicionem matris sequantur.

Similiter illi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus et fidelibus uiris, Christianam sequantur religionem, non Iudaicam supersticionem.

Gratian. Verum hoc ideo statutum est, ne, dum fidelis salutem querit infidelis, potius ipse cum eo infidelitatis perditionem inueniat.

Unde in eodem Concilio [c. 59]. tam de filiis Iudeorum quam de ceteris ad fidem uenientibus statutum est, ut infidelium consortia euitent:

**C. XI.** A parentum separentur consortio fideles, ne eorum inuoluantur erroribus.

Iudeorum filios uel filias, ne parentum ultra inuoluantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut monasteriis, aut Christianis mulieribus ac uiris, Deum timentibus, ut sub eorum conuersatione cultum fidei discant, atque melius instituti tam in moribus quam in fide proficiant.

**C. XII.** Iudeis ad fidem uenientibus cum infidelibus nulla sit communio.

Item. [in eodem, c. 61].

Sepe malorum consortia etiam bonos corrumpunt; quanto magis eos, qui ad uicia proni sunt?

Nulla igitur ultra communio sit Hebreis ad fidem Christianam translatis cum his, qui adhuc in ueteri ritu consistunt, ne forte eorum participatione subuertantur.

Quicumque ergo amodo ex his, qui baptizati sunt, infidelium consortia non uitauerint, et hi Christianis donentur, et illi publicis cedibus deputentur.

**C. XIII.** Cum Iudeis nec manducandum, nec habitandum, nec ab eis medicamentum accipiendum est.

Item ex VI. Sinodo. [c. 11].

Nullus eorum, qui in sacro sunt ordine, aut laicus azima eorum manducet, aut cum eis habitet aut aliquem eorum in infirmitatibus suis uocet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo lauet.

Si uero quisquam hoc fecerit, si clericus est, deponatur, laicus uero excommunicetur.

**C. XIV.** Clerici siue laici Iudeorum conuiuia uitent, nec ad sua consortia eos recipiant.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 40].

Omnes deinceps clerici siue laici Iudeorum conuiuia uitent, nec eos quisquam ad conuiuium excipiat, quia, cum apud Christianos communibus cibus non utantur, indignum atque sacrilegum est eorum cibos a Christianis sumi, cum ea, que Apostolo permittente nos sumimus, ab illis iudicentur immunda, ac sic inferiores Christiani incipient esse, quam Iudei, si nos que ab illis apponuntur utamur, illi uero a nobis oblata contempnant.

## **V. Pars.**

Gratian. Ex his itaque euidenter colligitur, coniugium esse inter infideles.

Illud uero Apostoli: "Quicquid non est ex fide, peccatum est," non ita intelligendum est, ut quicquid ab infidelibus fit peccatum esse credatur, sed omne, quod contra conscientiam fit, edificat ad gehennam.

Unde Ambrosius: "Peccatum est, quod aliter fit quam probatum est".

§. 1. Item Augustinus super eundem locum: "Omne, quod aliter fit quam probatur, peccatum est; non tamen omne, quod fit cum fide, bonum est.

Ignorantia enim, que est ex culpa, nocet".

Hinc etiam Apostolus ait: “Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat,” id est qui non facit dampnabilem semetipsum aliter faciendo quam probet esse faciendum. Vel omne, quod non est ex fide, dicitur esse peccatum, quia quicquid non fit ea fide, ut ad eternam ualeat salutem, inutile reputatur apud Dominum.

Unde Augustinus ait: “Omnis uita infidelium peccatum est, nec ualet bonum esse quod fit absque Deo.

Ubi enim agnitio eternæ et inconmutabilis ueritatis, falsa uirtus est etiam in optimis moribus”.

§. 2. Item cum dicitur: “non est uera pudicitia hominis infidelis cum coniuge sua,” negatur pudicitia esse uera quantum ad effectum, ad premium uidelicet eternæ salutis.

Sicut enim apud hereticos sacramenta negantur esse uera, non quantum ad formam, sed quantum ad uirtutem, sic et uirtutes negantur apud infideles esse ueræ, non quin ueræ sint in eis, iuxta illud Ieronimi: “Virtutibus Romani promeruerunt inperium,” sed quia effectum carent eternæ salutis.

§. 3. Item illud Ambrosii: “Non est inputandum matrimonium, quod extra Dei decretum factum est; sed cum cognoscitur, est emendandum,” non ostendit coniugium non esse inter infideles.

Nullum enim Domini precepto gentiles prohibentur coniungi gentilibus.

Nec ergo eorum coniugium extra i. e. contra Dei decretum fit.

Illa itaque auctoritate iubentur separari ab inuicem qui contra Dei uel ecclesiæ decretum copulati sunt, utpote infideles cum fidelibus, consanguinei cum consanguineis, uel affines cum affinibus.

Hii omnes, si sibi inuicem copulati fuerint, separandi sunt.

Hinc etiam idem Ambrosius in libro de Patriarchis: [lib. I. de Abraham, c. 9].

**C. XV.** Fideles infidelibus non sunt coniugio sociandi.

Caue, Christiane, gentili aut Iudeo filiam tuam tradere, Caue, inquit, gentilem, aut Iudeam atque alienigenam, hoc est hereticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi.

Prima coniugii fides gratia castitatis est.

§. 1. Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis.

Simul ad orationem nocte uobis surgendum est, et coniunctis precibus obsecrandus Deus.

**C. XVI.** Cum hereticis catholici non misceant coniugia.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 67].

Non oportet cum omnibus hereticis miscere conubia, et uel filios uel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profitentur Christianos esse futuros et catholicos.

**C. XVII.** Christiana communione careat qui Iudaicæ prauitati coniugali uinculo se sociat.

Item ex Concilio Aruernensi.

Si quis Iudaicæ prauitati coniugali societate iungitur, siue Christiana Iudeo, siue Iudea Christiano mulier carnali consortio misceatur, quicumque eorum tantum nefas admisisse cognoscitur, a Christiano cetum atque conuiuio, et a communione ecclesiæ protinus segregetur.

Gratian. Item illud Augustini: “Non est ratum coniugium, quod sine Deo est,” non negat coniugium esse inter infideles.

Coniugium enim aliud est legitimum et non ratum, aliud ratum et non legitimum, aliud legitimum et ratum.

Legitimum coniugium est, quod legali institutione uel prouinciæ moribus contrahitur.

Hoc inter infideles ratum non est, quia non est firmum et inuiolabile coniugium eorum.

Dato enim libello repudii licet eis discedere ab inuicem, et aliis copulari lege fori, non lege poli, quam non secuntur.

Inter fideles uero ratum coniugium est, quia coniugia, semel inita inter eos, ulterius solui non possunt.

Horum quedam sunt legitima, ueluti cum uxor a parentibus traditur, a sponso dotatur, et a sacerdote benedicitur.

Hec talia coniugia legitima et rata appellantur.

Illorum uero coniugia, qui contemptis omnibus illis solemnitatibus solo affectu aliquam sibi in coniugem copulant, huiusmodi coniugium non legitimum, sed ratum tantummodo esse creditur.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Quod uero uxore uiuente alteram ducere non possit, testatur scriptura, dicens: “Alioquin si disceditis ab inuicem, et uolentes cohabitare dimittitis, et aliis uos copulaueritis adulteri eritis, et filii uestri, qui postea nascentur, erunt inmundi, id est spurii”.

**C. I.** Non potest aliquis post baptismum alteram ducere uiuente ea, que ante baptismum sibi fuerit uirgo copulata.

Item ex Concilio Meldensi. [c. 1].

Si quis habuerit uxorem uirginem ante baptismum, uiuente illa post baptismum alteram habere non potest.

Crimina enim in baptismo soluuntur, non coniugia.

Gregorius autem contra testatur, dicens:

**C. II.** Licet fideli uxorem aliam ducere, quam Christianæ fidei odio infidelis dimittit.

“Si infidelis discedit odio Christianæ fidei, discedat.

Non est enim frater aut soror subiectus seruituti in huiusmodi”.

Non est enim peccatum dimisso propter Deum, si alii se copulauerit.

Contumelia quippe creatoris soluit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur.

Infidelis autem discedens et in Deum peccat, et in matrimonium, nec est ei fides seruanda coniugii, qui propterea discessit, ne audiret Christum esse Deum Christianorum coniugiorum.

Gratian. Hic distinguendum est, aliud esse dimittere uolentem cohabitare, atque aliud discedentem non sequi.

Volentem enim cohabitare licet quidem dimittere, sed non ea uiuente aliam superducere; discedentem uero sequi non oportet, et ea uiuente aliam ducere licet.

Verum hoc non nisi de his intelligendum est, qui in infidelitate sibi copulati sunt.

Ceterum si ad fidem uterque conuersus est, uel si uterque fidelis matrimonio coniunctus est, et procedente tempore alter eorum a fide discesserit, et odio fidei coniugem dereliquerit, derelictus discedentem non comitabitur; non tamen illa uiuente alteram ducere poterit, quia ratum coniugium fuerat inter eos, quod nullo modo solui potest.

**QUESTIO III.****GRATIANUS.**

Utrum uero bigamus sit reputandus qui ante baptismum habuerit unam, et post baptismum alteram, auctoritate Ieronimi patet.

Ait enim super epistolam Pauli ad Timotheum:

**C. I.** Non est bigamus qui ante baptismum habuerit unam, et post baptismum alteram.

Oportet episcopum esse unius uxoris uirum.

Verum hoc post baptismum.

Ceterum, si ante baptismum habuerit unam, et post baptismum habuerit alteram, non est reputandus bigamus, cui prorsus innouato per baptismum omnia uetera sunt dimissa.

Augustinus uero contra testatur, et Innocentius.

Ait enim Augustinus super epistolam Pauli ad Titum:

**C. II.** Non debet fieri episcopus qui ante baptismum habuerit unam, et post baptismum alteram.

Acutius uero intelligunt, qui nec eum ordinandum censuerunt, qui ante baptismum habuerit unam, et post baptismum alteram.

In baptisate enim crimina abolentur, non federatio coniugii dissoluitur.

Sicut illa, que catecumina uitiata est, inter Dei uirgines consecrari non potest, sic et qui ante baptismum habuit unam, et post baptismum alteram, non nisi bigamus reputandus est.

Amisit enim quiddam non ad uitæ meritum, sed ad signaculi sacramentum.

Gratian. Item Innocentius Rufo et Eusebio episcopis Macedoniae multis argumentis probat, talem bigamum reputari.

Quia ergo iste, cuius causa in presenti agitur, ante baptismum habuit unam, et post baptismum alteram, bigamus iudicatur, et, licet uitæ merito et industria scientiæ polleat, tamen in episcopum ordinari non potest.

**CAUSA XXIX.****GRATIANUS.**

Cuidam nobili mulieri nunciatum est, quod a filio cuiusdam nobilis petebatur in coniugem; prebuit illa assensum.

Alius uero quidam ignobilis atque seruilis condicionis nomine illius se ipsum obtulit, atque eam in coniugem accepit.

Ille, qui sibi prius placuerat, tandem uenit, eam que sibi in coniugem petit.

Illa se delusam conqueritur, et ad prioris copulam aspirat.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an sit coniugium inter eos?

(Qu. II).

Secundo, si prius putabat, hunc esse liberum, et postea deprehendit, illum esse seruum, an liceat ei statim ab illo discedere?

**QUESTIO I.****GRATIANUS.**

Quod autem coniugium sit inter eos, probatur hoc modo.

Coniugium siue matrimonium est uiri et mulieris coniunctio, indiuiduam uitæ consuetudinem retinens.

Item consensus utriusque matrimonium facit.

Quia ergo isti coniuncti sunt, ut indiuiduam uitæ consuetudinem conseruarent, quia uterque consensit in alterum, coniuges sunt appellandi.

§. 1. His ita respondetur: Consensus est duorum uel plurium sensus in idem.

Qui autem errat non sentit, non ergo consentit, id est simul cum aliis sentit.

Hec autem errauit; non ergo consensit: non itaque coniux est appellanda, quia non fuit ibi consensus utriusque, sine quo nullum matrimonium esse potest.

Sicut enim qui ordinatur ab eo, quem putat esse episcopum, et adhuc est laicus, errat, nec uocatur ordinatus, immo adhuc ab episcopo est ordinandus: sic ista errans nulli est copulata coniugio, immo adhuc est copulanda.

§. 2. Ad hec, non omnis error consensum euacuat; qui enim accipit in uxorem, quam putat uirginem, uel qui accipit meretricem, quam putat esse castam, uterque errat, quia ille corruptam existimat esse uirginem, et iste meretricem reputat castam.

Numquid ergo dicendi sunt non consensisse in eas?

aut dabitur utrique facultas dimittendi utramque, et ducendi aliam?

Verum est, quod non omnis error consensum excludit; sed error alius est personæ, alius fortunæ, alius condicionis, alius qualitatis.

Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, et ipse est Plato.

Error fortunæ, quando putatur esse diues qui pauper est, uel e conuerso.

Error condicionis, quando putatur esse liber qui seruus est.

Error qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est.

Error fortunæ et qualitatis coniugii consensum non excludit.

Error uero personæ et condicionis coniugii consensum non admittit.

Si quis enim pacisceretur, se uenditurum agrum Marcello, et postea ueniret Paulus dicens se esse Marcellum, et emeret agrum ab illo, numquid cum Paulo conuenit iste de precio, aut dicendus est agrum sibi uendidisse?

Item si quis promitteret, se uenditurum michi aurum, et pro auro offerret michi auricalcum, et ita me deciperet, numquid dicerer consensisse in auricalcum?

Numquam uolui emere auricalcum, nec ergo aliquando in illud consensi, quia consensus non nisi uoluntatis est.

Sicut ergo hic error materiæ excludit consensum, sic et in coniugio error personæ.

Non enim consensit in hunc, sed in eum, quem hunc putabat esse.

§. 3. Sed obicitur: Iacob non consenserat in Liam, sed in Rachel septem quidem annis pro Rachel seruierat.

Cum ergo eo ignorante Lia esset sibi subposita, non fuit coniugium inter eos, si error personæ consensum excludit, quia, ut dictum est, non in eam consenserat, sed in Rachel.

His ita respondetur: Consensus est alius precedens, alius subsequens.

Precedit consensus, quando ante carnalem copulam in indiuiduam uitæ consuetudinem uterque consentit; subsequitur, quando post concubinalem siue fornicarium coitum consentiunt in idem.

Iacob ergo et Liam non fecit coniuges precedens consensus, sed subsequens; nec tamen ex primo concubitu fornicarii iudicantur, cum ille maritali affectu eam cognouerit, et illa uxorio affectu sibi debitum persoluerit, putans lege primogenitarum et paternis inperiis se sibi iure copulatam.

§. 4. Quod autem error personæ nonnullos excuset, illa auctoritate probatur, qua soror uxoris utroque inscio, sorore uidelicet et marito, in lectulum eius iisse, et a uiro suæ sororis cognita perhibetur, que cum sine spe coniugii perpetuo manere censeatur, ille tamen, qui cognouit eam per ignorantiam, excusatur.

Aliter etiam hoc probatur.

Diabolus nonnumquam se in angelum lucis transformat, nec est periculosus error, si tunc creditur esse bonus, cum se bonum simulat.

Si ergo tunc ab aliquo simplici quereretur, an suæ beatitudinis uellet esse particeps, et ille responderet, se in eius consortium uelle transire, numquid dicendus esset consensisse in consortium diabolicæ dampnationis, an non potius in participationem eternæ claritatis?

Item, si quis hereticorum, nomine Augustini, uel Ambrosii, uel Ieronimi, alicui catholicorum se ipsum offerret, atque eum ad suæ fidei imitationem prouocaret, si ille preberet assensum, in cuius fidei sententiam diceretur consensisse non in hereticorum sectam, sed in integritatem catholicæ fidei, quam ille hereticus se mentiebatur habere.

Quia ergo hec persona decepta errore non in hunc, sed in eum, quem iste se mentiebatur esse, consensit, patet, quod eius coniux non fuerit.

§. 5. Error fortunæ et qualitatis non excludit consensum, ueluti si quis consentiret in prelaturam alicuius ecclesiæ, quam putaret esse diuitem, et illa esset minus copiosa, quamuis hic deciperetur errore fortunæ, non tamen posset renunciare prelaturæ acceptæ. Similiter, que nubit pauperi, putans illum esse diuitem, non potest renunciare priori conditioni, quamuis errauerit.

Error qualitatis similiter non excludit consensum; utpote si quis emerit agrum uel uineam, quam putaret esse uberrimam, quamuis iste erraret qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non potest tamen uenditionem rescindere.

Similiter, qui ducit meretricem in uxorem uel corruptam, quam putat esse castam uel uirginem, non potest eam dimittere, et aliam ducere.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Secunda questio de condicione proposita est, an liceat mulieri dimittere eum, quem putabat liberum, si postea inuenerit illum seruum?

Quod uero mulieri non liceat a seruo discedere, multis rationibus uidetur posse probari.

In Christo enim Iesu nec Iudeus, nec Grecus, nec seruus, neque liber: ergo nec in coniugio Christianorum.

Eadem enim lege in fide Christi uterque regitur.

Indifferenter enim ab Apostolo dicitur omnibus: "Qui uult nubere nubat in Domino".

Et item: "Mulier nubat cui uult; tantum in Domino".

Non precipitur, ut ingenua nubat ingenuo, ancilla seruo; sed quelibet nubat earum cui uult, dummodo in Domino.



**C. I. Licet seruis matrimonia contrahere.**

Item Iulius Papa, c. 4.

Omnibus nobis unus pater est in celis, et unusquisque, diues et pauper, liber et seruus, equaliter pro se et pro animabus eorum rationem reddituri sunt.

Quapropter omnes, cuiuscumque condicionis sint, unam legem quantum ad Dominum habere non dubitamus.

Si autem omnes unam legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec seruus semel coniugio copulatus ulterius dimitti poterit.

**C. II. Ancillam in matrimonio susceptam uiro dimittere non licet.**

Item Zacharias Papa.

Si quis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam si consensu amborum coniuncti sunt, excepta causa fornicationis; sed una lex deinceps erit per omnia et uiro et feminæ.

**C. III. Inter patronum et libertam constat esse coniugium legitimum.**

Item Iulius Papa.

Si quis ancillam suam libertate donauerit, et in matrimonio sibi sociauerit, dubitabatur apud quosdam, utrum huiusmodi nuptiæ legitimæ esse uideantur, an non.

Nos itaque, uetustam ambiguitatem decidentes talia conubia legitima esse censemus.

Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, nichil inpium et legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare predictas nuptias inhibendas existimauerimus?

**II. Pars.**

Gratian. His ita respondetur: Non negatur, ingenuam posse nubere seruo, sed dicitur, quod si nescitur esse seruilis condicionis, libere potest dimitti, cum seruitus eius fuerit deprehensa.

Illud autem Apostoli et Iulii Papæ intelligendum est de his, quorum condicio utriusque nota est.

Huius autem condicio mulieri incognita erat; non ergo premissis auctoritatibus cogitur manere cum eo, sed liberum illi esse ostenditur uel manere, uel discedere.

Unde in Concilio apud Vermeriam, cui interfuit Rex Pipinus, statutum est c. 6.:

**C. IV. De eo, qui ancillam ducit in uxorem, quam putat liberam esse.**

Si quis ingenuus homo ancillam uxorem alterius acceperit, et existimat, quod ingenua sit, si ipsa femina fuerit postea in seruitute detecta, si eam a seruitute redimere potest, faciat; si non potest, si uoluerit, aliam accipiat.

Si autem ancillam eam scierat et collaudauerat, post ut legitimam habeat.

Similiter et mulier ingenua de seruo alterius facere debet.

**C. V. Non licet mulieri dimittere quem sciens seruum accepit in uirum.**

Item ex eodem c. 8.

Si femina ingenua acceperit seruum, sciens quod seruus esset, habeat eum, quia omnes unum patrem habemus in celis.

Una lex erit uiro et feminæ.

**C. VI.** Seruitutis occasione dimitti non ualet que post controuersiam status se in libertatem asseuerauerit.

Item Gregorius. [lib. VI. epist. 1. ad Fortunatum Episcopum]

Cuius rei causa cum matre sua huc compulsa anno preterito presentium uenerit latrrix, fraternitas tua cautius nouit, quia scilicet maritus suus clericus uester quod de seruili fuerat condicione pulsata, a suo noscitur remouisse consortio, uos que hic positos asserunt promississe, ut, si probare se liberam adiuuante Domino ualisset, suo eam uos coniugio reformaretis.

Fraternitas igitur uestra cognoscat, quod reuelante Deo libertatis auctore, approbata sit libera, nulla que in ea macula est seruilis inuenta.

His ergo cognitis, sine mora aliqua suo eam uolumus marito restitui, nec ulterius idem uir eius argumenta sibi occasionis exquirat, quibus eam possit abicere.

Nam si a uobis (quod non credimus) minime fuerit adinpletum, eam que recipere forte distulerit, nos illud cognoscatis cum districta uindicta corrigere.

Gratian. Cum dicitur: “sciens illum seruum,” datur intelligi, quod si nescierit, illum seruum esse, non cogitur cum eo manere.

Quia hec ergo et personæ et condicionis dolum passa est, non cogitur adherere ei, cuius fraude decepta est; si uero liberum acceperit, et ille, ut causam prestat dissidii, se alicuius seruum fecerit, nec uxorem dimittere, nec illa ob uinculum coniugii in seruitutem redigi poterit.

Unde in Triburiensi Concilio:

**C. VII.** Occasione condicionis dolose mutatæ uir non discedat ab ea, quam tempore libertatis accepit.

Perlatum est ad sanctam sinodum, quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, et post filiorum procreationem occasione diuortii cuiusdam seruum se fecerit, utrum necessario mulierem tenere debeat, et si tenuerit, utrum illa quoque secundum secularem legem seruituti subici debeat, quesitum est.

Iudicatum est, uxorem minime debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in seruitutem redigi, dum ille non ex consensu coniugis se seruum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.

Gratian. Queritur etiam, si seruus unius alterius ancillam acceperit, an sit coniugium inter eos?

De his ita statutum est in Concilio Cabillonensi: [II. cap. 30].

**C. VIII.** Legitima seruorum coniugia sua auctoritate domini non dirimant.

Dictum est nobis, quod quidam legitima seruorum matrimonia potestatiua quadam presumptione dirimant, non adtendentes illud euangelii “Quod Deus coniunxit homo non separet”.

Unde nobis uisum est, ut coniugia seruorum non dirimantur, et si diuersos dominos habeant, sed in uno coniugio permanentes dominis seruiant suis.

Et hoc in illis obseruandum est, ubi legalis coniunctio fuit, et per uoluntatem dominorum.

**CAUSA XXX.**

**GRATIANUS.**

Populorum frequentia quidam inpeditus filium suum de baptismate suscepit, dum crederet se alienum suscipere; uxor eius, dum callide uellet suscipere proprium, suscepit alienum, quem uir adoptauit sibi in filium, et ex uxore sibi filia nascitur, quam filio suo adoptiuo, spirituali uxoris, dum uterque esset in cunabulis, tradidit.

Post triennium uxor moritur, et conpater eius relictam conpatris uxoris suæ uir clam sibi desponsauit; aliquantum temporis effluxit, et alius publice duxit eam in uxorem.

(Qu. I).

Queritur, an uxori suæ debitum reddere ualeat qui proprium filium de sacro baptismate suscepit?

(Qu. II).

Secundo, an sponsalia contrahantur inter infantes? (Qu. III).

Tertio, an spirituales uel adoptiui filii naturalibus copulari ualeant?

(Qu. IV).

Quarto, an uxorem conpatris uxoris suæ alicui ducere liceat?

(Qu. V).

Quinto, an clandestina desponsatio manifestæ preiudicet?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem proprium filium in spiritualem sibi transferens suæ uxori debitum reddere non ualeat, ratione et auctoritate probatur.

Nulla enim auctoritate permittitur, ut quis conmatri suæ carnaliter copuletur.

Hic autem uxorem suam sibi conmatrem effecit: non erga illi ulterius carnaliter copulari poterit.

Hinc Deusdedit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus, scribit Gordiano, Hispaniensis ecclesiæ Episcopo, et fratri karissimo:

**C. I.** Separantur uiri ab uxoribus, que aliquo casu natos suos coram episcopis tenent.

Peruenit ad nos diaconus, sanctitatis uestre epistolam deferens, quod quidam uiri et mulieres, preterito sabbato pascale die, pro magno populorum incursu nescientes proprios filios suscepissent ex lauacro sancto.

Cupis ergo scire, utrum pro tali ratione accidenti debeant uiri ac mulieres ad proprium usum redire, an non.

Nos uero hac re mesti inquisiimus priorum dicta.

Inuenimus in archiuis apostolicæ sedis, iam talia contigisse in ecclesiis Isauriæ et Ephesiorum, simul que Iherosolimorum, aliarum que ecclesiarum.

Episcopis etiam earum ciuitatum ab hac apostolica sede uolentibus scire, utrum uiri ac mulieres redirent ad proprium torum, beatæ memoriæ sancti Patres Iulius, Innocentius, et Celestinus cum episcoporum plurimorum et sacerdotum consensu in Apostolorum principis ecclesia prohibentes talia prescripserunt, et confirmauerunt, ut nullo modo se in coniugio reciperent mulieres ac uiri, quicumque aliqua ratione susceperunt natos, sed separarent se, ne suadente diabolo tale uicium inolescat.

Scitis, quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismi a primo ergo pabulo sacrati salis et ingressu ecclesiae usque ad confirmationem per crisma.

Hoc est a primo usque ad septimum nullus Christianus suam conmatrem in coniugium suscipere debet.

Et qui presumpserit tamdiu anathematis uinculo religetur, donec penitentiam digne egerit.

**C. II.** Ab uxore separetur qui filiastrum suum coram episcopo tenuit.

Item ex Concilio apud Vermeriam c. 4.

Si quis filiastrum uel filiastram suam ante episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab uxore sua, et aliam numquam accipiat.

Similiter et mulier.

## II. Pars.

Gratian. Econtra uero scribit Nykolaus Salonitano Episcopo, dicens:

**C. III.** Non separetur a uiro que filiastrum suum de sacro fonte leuauit.

Nosse desideras, utrum mulier, que uiri filium ex alia femina genitum de sacro fonte leuauerit, postmodum possit cum eodem uiro copulari.

Quos ideo coniungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet coniux dimittere coniugem.

Pertinet ad ingens uxoris exitium, que habens odio uirum, uel infirmitatem eius non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem, maxime cum Apostolus precipiat: “Nolite,” inquit, “fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi; et iterum reuertimini in id ipsum, ne temptet uos sathanas propter incontinentiam uestram”.

Ergo si non ex consensu utriusque coniugis factum esse probatur, non fraudentur inuicem, sed reuertantur in id ipsum, presertim cum dicat Apostolus: “Uxor sui corporis potestatem non habet, sed uir; sicut uir potestatem sui corporis non habet, sed mulier”.

**C. IV.** Non separetur a uiro, sed penitentiam agat que filium suum coram episcopo fraudulenter tenuit.

Item ex Concilio Cabillonensi: [II.,] c. 4.

Dictum est nobis, quasdam feminas desidiose, quasdam uero fraudulenter, ut a uiris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse.

Unde nos dignum duximus, ut, si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam aut propter fraudem, quamdiu uiuat penitentiam agat; a uiro tamen suo non separetur.

**C. V.** Separentur et graui pena plectantur qui filiolum suam uel spiritualem matrem ducunt in uxorem.

Item ex Concilio Magontiensi c. 10., in claustro sancti Albani habito.

De eo, quod interrogastis, si aliquis filiolum suam duxit uxorem, et de eo, qui concubuit cum conmatre spirituali, et de eo, qui filium suum baptizauit et cuius uxor eum de fonte suscepit, hac causa, ut discidium fieret coniugii, si postea in tali copulatione possint permanere: de talibus sic respondendum est.

Si filiolum aut conmatrem suam aliquis in coniugio duxerit, separandos esse iudicamus, et graui penitencia plectendos Si autem coniuges legitimi, unus aut ambo, ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si innupti manere uoluerint, bonum est; sin autem, grauis penitencia insidiatori iniungatur, et simul maneant, et, si preuaricator coniugii superuixerit, acerrima penitencia multetur et sine spe coniugii maneat.

**C. VI.** Non separentur ab uxoribus qui filiastris suos coram episcopo tenent.

Item Nykolaus Papa Rodulfo, Bituricensi Episcopo.

De his, qui filiastris suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est qui filios uxoris suæ de uiro priori, dum crismantur ab episcopis, super se sustinent, si inscientia, sicut asseris, fiat, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem coniugii puniendus est; lugeant tamen, et digna penitencia hoc diluentes Domino dicant: “Delicta ignorantia nostræ ne memineris”.

**C. VII.** Non separetur ab uxore qui causa necessitatis filium suum baptizauit.

Item Iohannes Papa Anselmo, Lemosinæ ecclesiæ Episcopo.

Ad limina beati Petri apostolorum principis hic presens homo, nomine Stephanus, orationis causa ueniens, nostro presulatu suggerendo innotuit, quod filium suum in extremo uitæ positum, necdum baptismatis unda lotum, absentia scilicet sacerdotum, nimia cogente baptizauit eum que ipse propriis manibus retinendo suscepit, atque pro huius rei negocio noticia tuæ patefacto reuerentia tua, quasi rectitudinis zelo flagrans, prefatum hominem a sua coniuge iudicauit esse separandum.

Quod fieri nullatenus debet, dicente scriptura, a Domino iunctam esse uiro uxorem, et: “Quod Deus coniunxit homo non separet”.

Unde et Dominus in euangelio non dimittere posse uxorem suam, nisi causa fornicationis, apertissime iubet.

Et nos, tantæ auctoritatis precipua freti iussione, dicimus dimittendum esse, et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit.

Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus iuxta canonicam auctoritatem, si necesse fuerit facere, libere conceditur.

Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda baptismatis lauit, ut eum de potestate auctoris mortis et tenebrarum eriperet, et in regnum Christi iam regnaturum sine dubitatione transmitteret, bene fecisse laudatur; et idcirco suæ uxori sibi iam olim legitime sociatæ inpune, quamdiu uixerit, iudicamus manere coniunctum, nec ob hoc contra prefatas auctoritates diuinas aliquatinus separari debere.

### III. Pars.

Gratian. Filia dicitur spiritualis non solum eius, qui accipit, sed etiam eius, qui trinæ mersionis uocabulo eam sacro baptisate tingit.

Dicitur etiam spiritualis filia sacerdotis, que ei peccata sua confitetur.

Harum omnium flagitiosa conmixtio est, et eadem pena plectenda est.

Unde Simacus ait:

**C. VIII.** Par penitencia ei indicitur, qui spiritualem filiam, et penitenciam suam uiolare monstratur.

Omnes, quos in penitencia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filii, ut et ipsi, quos uel nobis suscipientibus, uel sub trinæ mersionis uocabulo mergentibus, unda sacri baptismatis regenerauit.

Silvester quoque docens ammonet unumquemque sacerdotem, ut nullus causa fornicationis ad suam penitenciam accedat, quia scriptum est: “Omnes, quos in penitencia accipimus, ita nostri filii sunt, ut baptisate suscepti”.

Quapropter si quis hoc scelus perpetraverit, non solum dignitatis honorem amittat, uerum etiam usque ad exitum iugi penitentiæ se subdat.

### C. IX. De eodem.

Item Celestinus.

Si quis sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat, se graue adulterium commisisse.

Idcirco femina si laica est, omnia derelinquat et res suas pauperibus tradat, et conuersa in monasterio Deo usque ad mortem seruiat.

Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, et peregrinando quindecim annis peniteat, postea uero ad monasterium uadat, ibi que cunctis diebus uitæ suæ Deo seruiat.

### C. X. De eodem.

Idem.

Non debet episcopus aut presbiter conmisceri cum mulieribus, que ei sua fuerint confessæ peccata.

Si forte (quod absit) hoc contigerit, sic peniteat, quomodo de filia spirituali, episcopus quindecim annis, presbiter duodecim, et deponatur; si tamen in conscientia populi deuenerit.

Gratian. His itaque auctoritatibus apparet, quod siue proprium, siue tantummodo uiri filium mulier de sacro fonte suscepit, non ideo a uiro suo est separanda.

Quod et de uiro similiter oportet intellegi.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Sponsalia ante septennium contrahi non possunt.

Solo enim consensu contrahuntur, qui interuenire non potest, nisi ab alterutra parte id intelligatur, quod inter eos agitur.

Probantur ergo sponsalia non posse contrahi inter pueros, quorum etatis infirmitas consensum non admittit.

Testatur hoc idem Nykolaus Papa dicens:

C. UN. Ante tempus consentiendi coniugium contrahi non potest.

Ubi non est consensus utriusque, non est coniugium.

Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, et e conuerso, nichil faciunt, nisi uterque puerorum post, quam uenerit ad tempus discretionis, consentiat, etiamsi pater et mater hoc fecerint et uoluerint.

## QUESTIO III.

**GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem spirituales uel adoptiui filii naturalibus copulari non possint, Nykolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorum [cap. 2]. testatur, ita dicens:

**C. I.** Qui de sacro fonte suscipitur filius eius est, a quo suscipitur.

Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit de sacro fonte, sicut patrem.

Item:

§. 1. Est inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio, que dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas.

Unde inter eos arbitror non posse fieri quodlibet legale coniugium, quod quidem nec inter eos, qui natura, et eos, qui adoptione filii sunt, uenerandæ leges matrimonia contrahi permittunt.

Item:

§. 2. Si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare quos per celeste sacramentum regeneratio Spiritus sancti uincit?

Longe ergo inquit congruentius filius patris mei uel frater meus appellatur is, quem diuina gratia potius, quam humana uoluntas, ut filius eius uel frater meus esset, elegit; prudentius que ab alterna corporis conmixtione secernimus.

**C. II.** Filia spiritualis carnali filio nullo modo nubere potest.

Item Zacharias Episcopus, seruus seruorum Dei, reuerentissimo Theodoro Episcopo ecclesiæ Ticinensis.

Pitacium quod nobis tua ueneranda fraternitas obtulit, per quod nos sciscitari uoluisti, si liceat filio, cuius pater alterius filiam ex sacro baptismate suscepit, susceptam, id est spiritualem eius patris filiam (quod dici crudele est), in matrimonio suscipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse.

§. 1. Sed bene tua sancta fraternitas conpertum habet, quod Dominus precepit Moysi, dicens: “Turpitudinem patris tui, uel matris, uel sororis non reuelabis; turpitudinem enim tua est”.

Cum ergo a propria consanguinitate iubemur abstinere, multo magis a spirituali patris nostri filia omni excusatione aut argumento seposito sub nimia distictione nos cauere conuenit, ne in iram diuinæ examinationis incidat, si quis tali facinore mixtus minime restrinxerit frena luxuriæ.

Unde etiam omnes cauendi sunt a tali sceleris conmixtione, ne in perpetuum pereant; sed hunc, qui huius perniciosæ temeritatis, animæ suæ salutem despiciens, in pio se miscuit matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare, et penitentiæ dignæ submittere, quatinus ab eterna erutam dampnatione animam eius lucreris.

**C. III.** Filio suo, quam de sacro fonte suscepit nullus tradere audeat.

Item Zacharias et Deusdedit.

Non oportet filiam, quam de sacro fonte suscepit, aliquando filio suo in matrimonium tradere, quia in diuina sententia germani esse inueniuntur.

Si quis tali facinore conmixtus minime restrinxerit frena luxuriæ, ab ecclesia catholica abhominabitur.

Sed si conuersus fuerit, post separationem septem annis penitentiam gerat.

Consciis simul cum auctore sit ista condicio, id est simul cum cooperatoribus et consentientibus peniteat.

## II. Pars.

Gratian. Filii uero, siue ante conpaternitatem siue post nati fuerint, licite coniungi possunt.

Unde Urbanus II. scribit Vitali Presbitero Brisciensi, dicens:

[[C. IV].

“Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc uidetur nobis ex sententia respondendum, ut et baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizauerit, et quod spiritualium parentum filii uel filiæ, ante uel post conpaternitatem genitæ, possunt legitime coniungi, preter illam personam, qua conpatres sunt effecti”.

Pascalis uero secundus, post conpaternitatem genitos copulari prohibet, scribens Regino Episcopo:

**C. V.** Qui ex conpatre uel conmatre post susceptos filios de fonte nati fuerint, coniungi non possunt.

Post susceptum uero de fonte filium uel filiam spiritualem, qui ex conpatre uel conmatre nati fuerint, matrimonio coniungi non possunt, quia leges seculi non emancipatos adoptiuis prohibent copulari.

[PALEA. C. VI.

Idem ex libro XXIII. Digestorum, titulo de ritu nuptiarum, perpenditur, in quo ita legitur:

Per adoptionem quesita fraternitas eousque inpedit nuptias, donec manet adoptio, ideo que eam, quam pater meus adoptauit et emancipauit, potero uxorem ducere.

Eque et si me emancipato illam in potestate retinuerit, poterimus iungi matrimonio.

Itaque uolenti generum adoptare, suadetur, ut filiam emancipet.

Similiter suadetur ei, qui uelit nurum adoptare, ut emancipet filium].

## III. Pars.

Gratian. Si quis uero aliquo fortuito casu filiam suæ conmatris uxorem acceperit, non cogitur eam dimittere.

Unde in Triburiensi Concilio legitur: [c. 48].

**C. VII.** Non cogitur quis dimittere filiam suæ conmatris, quam duxit in coniugium.

Illud etiam nec canonica institutione diffinimus, nec interdictione aliqua refutamus, sed propter eos, qui diuerse de eo sentiunt, hoc loco aliquid commemoramus.

Si quis suæ spiritualis conmatris filiam fortuito et ita contingente rerum casu in coniugium duxerit, consilio maturiori seruato habeat, atque honeste legitimo coniugio operam det.



**QUESTIO IV.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Relictam uero conpatris uxoris suæ nullus in coniugem ducere potest.  
Unde Nykolaus Papa scribit Constantiensi Episcopo Salomoni:

**C. I.** Duas conmatres alicui habere non licet.

Sciscitatur a nobis sanctitas uestra, si aliquis homo duas conmatres habere ualeat unam post alteram.

In quo meminisse debet scriptum esse: “Erunt duo in carne una”.

Itaque cum constet, quia uir et mulier una caro per conubium efficiuntur, restat nimirum uirum conpatrem constitui illi mulieri, cuius matrimonio assumpta uxor conmater esse uidebatur, et idcirco liquet, uirum illi feminæ non posse iungi in copula, que conmater eius erat, cum qua idem fuerat una caro effectus.

**C. II.** Octo annis peniteat qui duabus conmatribus conmiscetur.

Item ex Concilio Calcedonensi.

Si pater et filius, aut duo fratres cum una muliere, aut si cum matre et filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus conmatribus aliquis concubuerit, secundum antiquam et humaniorem diffinitionem octo annis peniteat.

**C. III.** Nullus duabus conmatribus misceatur.

Item Innocentius Exsuperio Tolosano Episcopo.

Si quis unus ex coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad crisma tenuerit, uel Christianitatis misterium dederit, ambo, et uxor et uir, conpatres existunt parentibus infantis, quia uir et mulier caro una effecti sunt.

**II. Pars.**

Gratian. Econtrario inuenitur in Concilio Triburiensi, c. 47.:

**C. IV.** Uxorem conpatris ducere potest, cuius ipsa conmater non fuerat.

Qui spiritualem conpatrem habet, cuius filium de lauacro sacri fontis accepit, et eius uxor conmater non est, liceat ei defuncto conpatre suo eius uiduam ducere in uxorem, si nullam habet consanguinitatis propinquitatem.

Quid enim? Numquid non possunt coniungi quos nulla propinquitas carnalis, uel nulla generatio secernit spiritualis?

**C. V.** De eodem.

Item ex epistola Pascalis Papæ II. ad Reginum Episcopum.

Post uxoris obitum cum conmatre uxoris uiri superstitis coniugio copulari, nulla uidetur ratio uel auctoritas prohibere.

Neque enim cognationi carnis cognatio spiritus comparatur, neque per carnis unionem ad unionem spiritus pertransitur.

**III. Pars.**

Gratian. Notandum uero est, quod aliud est conmatrem alicuius cognoscere, atque aliud derelictam ab aliquo conmatrem alicuius fieri.

Auctoritas illa Nykolai Papæ et Calcedonensis sinodi illum prohibet conmatris suæ uxoris matrimonio copulari, qui uxori suæ debitum reddidit, postquam illius conmater extitit.

Illa uero auctoritas Triburiensis concilii illos permittit matrimonio copulari, cuius uxor post, quam a uiro suo derelinquitur, illius conmater efficitur, nec post conpaternitatem a uiro suo cognoscitur.

Queritur autem, an uxor cum marito in baptisate simul debeant suscipere puerum? De his ita scribit Urbanus II. Vitali, Presbytero Brixiensi:

**C. VI.** Uxor simul cum uiro filium alicuius in baptisate non suscipiat.

Quod autem uxor cum marito in baptisate non debeat suscipere puerum, nulla auctoritate reperitur prohibitum.

Sed ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe et infamia conseruetur immunis, dignum esse decreuimus, ut utrique insimul ad hoc aspirare minime presumant.

Quia uero piaculare flagicium comisit qui duabus conmatribus uel duabus sororibus nupsit, magna iuxta modum culpæ penitencia sibi debet iniungi.

Gratian. Illud uero Triburiensis concilii: “Qui spiritualement habet conpatrem etc.,” ante hanc prohibitionem dictum intelligitur, uel uxor conmater accipiat non ex eodem filio cum uiro, sed ex alio.

**QUESTIO V.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem clandestina coniugia fieri non debeant, Euaristus Papa testatur, scribens Episcopis Affricæ: [epist. I].

**C. I.** Clandestina coniugia fieri non debent.

Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere uidentur, et a quibus custoditur uxor petatur, et a parentibus propinquieribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a paranimphis, ut consuetudo docet, custodita et sociata, a proximis congruo tempore petita legibus dotetur, ac solempniter accipiat, et biduo uel triduo orationibus uacent, et castitatem custodiant.

Item:

§. 1. Ita peracta legitima scitote esse conubia; aliter uero presumpta non coniugia, sed adulteria, uel contubernia, uel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima coniugia esse non dubitate, nisi uoluntas propria suffragauerit, et uota succurrerint legitima.

**C. II.** Nuptias occulte celebrari non licet.

Item ex Decreto Hormisdæ Papæ, c. 6.

Nullus fidelis, cuiuscumque condicionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote publice nubat in Domino.

**C. III. Nuptiæ publice celebrari debent.**

Item Nykolaus ad consulta Bulgarorum. [c. 3].

Nostrates, tam mares quam feminæ, non ligaturam auream, uel argenteam, aut ex quolibet metallo conpositam, quando nuptialia federa contrahunt, in capitibus deferunt: sed post sponsalia, que futurarum sunt nuptiarum promissio, federa quoque consensu eorum, qui hec contrahunt, et eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur; et post, quam arrhis sibi sponsam sponsus per digitum fidei annulo insignitam desponderit, dotem que utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram inuitatis ab utraque parte tradiderit (aut mox aut apto tempore, ne uidelicet ante tempus lege diffinitum tale quid facere presumant), ambo ad nuptialia federa perducuntur, et primum in ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per sacerdotis manum, statuuntur, sic que demum benedictionem et uelamen celeste suscipiunt.

Item:

§. 1. Hec sunt, preter alia, que ad memoriam non occurrunt, pacta coniugiorum solempnia.

Peccatum autem esse, si hec cuncta in nuptiali federe non interueniant, non dicimus.

**C. IV. In contrahendo coniugio ista sunt obseruanda.**

Item Leo Papa.

Qualis debeat esse uxor, que habenda est secundum legem.

Virgo casta, et desponsata in uirginitate, et dotata legitime, et a parentibus tradita sponso, et a paranimphis accipienda, et ita secundum legem et euangelium publicis nuptiis in coniugium liquide sumenda, et omnibus diebus uitæ suæ (nisi ex consensu, et causa uacandi Deo) numquam propter hominem separanda, et, si fornicata fuerit, dimittenda, sed illa uiuente altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt, et penitencia illius per scripturam recipienda.

**C. V. Quomodo sponsus et sponsa ad benedictionem accedant.**

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 13].

Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus uel a paranimphis offerantur in ecclesia sacerdoti, qui, cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reuerentia benedictionis in uirginitate permaneant.

**C. VI. Sine publicis nuptiis nullus ducat uxorem.**

Item ex Concilio Arelatensi, c. 6.

Nullum sine dote fiat coniugium; iuxta possibilitatem fiat dos, nec sine publicis nuptiis quisquam nubere uel uxorem ducere presumat.

Gratian. His omnibus auctoritatibus occultæ nuptiæ prohibentur, atque ideo, cum contra auctoritatem fiunt nuptiæ, pro infectis haberi debent.

**II. Pars.**

§. 1. Sed queritur, quid sibi uelint solempnitates illæ uelaminis et annuli, que in coniugiis obseruantur?

De his ita scribit Ysidorus in II. libro de offitiis, c. 16.:

**C. VII. Quare feminæ uelantur, dum maritantur.**

Feminæ, dum maritantur, ideo uelantur, ut nouerint, se semper uiris suis subditas esse et humiles.

§. 1. Item, quod nubentes post benedictionem uitta inuicem, uno uinculo copulantur, uidelicet fit ideo, ne compagem coniugalis unitatis disrumpant.

§. 2. At uero, quod eadem uitta candido purpureo que colore permiscetur, candor quippe est mundicia uitæ, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur, ut hoc signo et continentia et lex continendi ab utrisque ad tempus admoneatur, et posthec reddendum debitum non negetur.

§. 3. Item, quod in primis annulus a sponso sponsæ datur fit nimirum uel propter mutuæ dilectionis signum, uel propter id magis, ut eodem pignore corda eorum iungantur. Unde et quarto digito annulus inseritur, ideo quod in eo uena quedam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perueniat.

**C. VIII. Nuptiæ dicuntur ab obnubendo, eo quod caput suum obnubere soleant.**

Ambrosius in libro de Patriarchis.

**III. Pars.**

Nec illud otiosum, quod cum Rebecca ueniret, uidit Ysaac deambulantem, et cum interrogasset quis esset, cognito, quod ipse esset, cui duceretur uxor, descendit et caput suum obnubere cepit, docens uerecundiam nuptiis preire debere.

Inde enim et nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia se puellæ obnuberent.

**IV. Pars.**

Gratian. Sed obicitur premissis: Multa sunt, que prohibentur, que, si fiant, ex postfacto conualescunt.

Prohibentur uouentes matrimonia contrahere, que tamen si contraxerint, inuiolata permanere oportet.

Sic et clandestina coniugia contra leges quidem fiunt, tamen contracta dissolui non possunt, quia ex legitimo uoto subsequente corroborantur.

Unde et Euaristus, cum dixisset: “aliter coniugia presumpta non sunt, sed adulteria;” addidit: “nisi uoluntas propria suffragauerit, et uota succurrerint legitima”.

Hinc etiam in Nouellis:

[[C. IX].

“Si quis diuinis tactis scripturis iurauerit mulieri, legitimam se eam uxorem habiturum, uel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima uxor, quamuis nulla dos, nulla scriptura alia interposita sit”.

[Gratian.] His ita respondetur: Coniugia, que clam contrahuntur, non negantur esse coniugia, nec iubentur dissolui, si utriusque confessione probari poterunt: uerumtamen prohibentur, quia mutata alterius eorum uoluntate, alterius confessione fides iudici fieri non potest.

Unde publice, cum alterius uota in alteram partem se transtulerint, pro priori coniugio, quod iudici incertum est, sententia ferri non poterit.

Incerta enim (ut Syxtus Papa scribit episcopis per Hispaniam constitutis) nemo pontificum iudicare presumat, et quamuis uera sint, non tamen credenda sunt nisi que certis indiciis conprobantur, nisi que manifesto iudicio conuincuntur, nisi que iudiciario ordine publicantur.

Hinc etiam Victor Papa scribit Theophilo episcopo: “Incerta, karrissime, nullatenus iudicemus, quousque ueniat Dominus, qui latentia producet in lucem, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.

**C. X.** Ante iustam probationem nullus iudicandus aut dampnandus est.

Item Euaristus Papa [epist. II]. omnibus Episcopis.

Nullum ante ueram iustam que probationem iudicare aut dampnare debemus, teste Apostolo, qui ait: “Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?

Suo domino stat aut cadit?” Mala itaque audita nullum moueant, nec passim dicta absque certa probatione quisquam umquam credat; sed ante audita diligenter inquireat, nec precipitando quicquam aliquis agat.

**C. XI.** Non sunt aliqua iudicanda prius, quam certis demonstrantur indiciis.

Item Eleutherius Papa. [epistola ad Galliæ prouincias]

Iudicantem oportet cuncta rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi et respondendi obiciendi que prebita paciencia ab eo, ut ibi ambarum actio partium illuminata sit pleniter, nec litigantibus prius uelit iudex sua sententia obuiare, nisi quando iam peractis omnibus nichil habeant in questione, quod proponant, et tamdiu actio uentiletur, quousque ad ueritatem rei perueniant.

Frequenter interrogari oportet, ne aliquid pretermissum forte remaneat, quod annecti conueniat.

Gratian. Ex premissis manifestissime colligitur quod pro incertis a certis recedendum non est, nec in re dubia certa danda est sententia.

Cum autem fides dubiæ rei nisi testium approbatione uel legitima confessione iudici fieri non ualeat, testes autem auctoritate Calixti Papæ de aliis causis uel negociis testimonium dicere non ualeant, nisi de his, que sub eorum presentia facta noscuntur: apparet clandestina coniugia ideo esse prohibita, quia, cum alter eorum coniugalem affectum se ad alterum habuisse negare uoluerit, legitimis probationibus conuinci non poterit, quibus deficientibus, iudicis sententia rite absolutus, reatum adulterii uterque incurrit, dum utroque eorum uiuente aliis se copulauerint.

## CAUSA XXXI.

### GRATIANUS.

Uxorem cuiusdam alius constuprauit; eo mortuo adulter adulteram sibi in uxorem accepit; filiam ex ea susceptam cuidam in coniugem se daturum iurauit; illa assensum non prebuit; deinde pater alii eam tradidit; a primo reposcitur.

(Qu. I).

Queritur: an possit duci in coniugium que prius est polluta per adulterium?

(Qu. II).

Secundo, an filia sit tradenda inuita alicui? (Qu. III).

Tertio, an post patris sponsionem illa possit nubere alii?

**QUESTIO I.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Adulterio polluta prohibetur duci in coniugium auctoritate Leonis Papæ, qua dicitur:

**C. I.** Adulterio polluta non ducatur ab eodem in matrimonium.

Nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio.

Sed Augustinus econtra testatur, scribens ad Valerium de nuptiis et concupiscentia: [lib. I. c. 10].

**C. II.** Licet alicui ducere in matrimonium quam prius polluit per adulterium.

Denique mortuo eo, cum quo fuit uerum conubium fieri potest coniugium, cum qua precessit adulterium.

Item in libro de bono coniugali:

[c. 14]. §. 1. Posse sane fieri licitas nuptias ex personis licite coniunctis, honesto placito subsequente, manifestum est.

Gratian. Hec ultima auctoritas de concubinis loquitur, perhibens, concubinas posse transire ad honestum placitum nuptiarum.

Prima auctoritas Augustini loquitur de repudiata, quam dum uiuente uiro suo aliquis ducit in coniugium, committit adulterium; cuius adulterii aliquam habet ueniam, dum eius copula creditur esse licita.

§. 1. Illud uero Leonis Papæ de ea intelligendum est, que a uiro suo non erat repudiata, cuius uiuebat uir, reddens ei coniugale debitum.

Unde in Concilio apud Altheum habito presente Conrado Rege statutum est c. 6.:

**C. III.** Nullus ducat in coniugium quam prius polluit per adulterium.

Illud uero communi decreto secundum canonum instituta diffinimus et preiudicamus, ut, si quis cum uxore alterius uiuente eo fornicatus fuerit, moriente marito sinodali iudicio aditus ei claudatur illicitus, nec ulterius ei coniungatur matrimonio, quam prius polluit adulterio.

Nolumus enim, nec Christianæ religioni conuenit, ut ullus ducat in coniugium quam prius polluit per adulterium.

Gratian. Hic subaudiendum est, nisi peracta post penitentiam et si nichil in morte uiri machinatus fuerit, uel si uiuente uiro fidem adulteræ non dedit, sumpturum eam sibi in coniugem si uiro eius superuueret.

Unde in Concilio Triburiensi legitur.

**C. IV.** Post mortem uiri non potest adulteram in coniugium ducere qui uiro uiuente iuramentum sibi futurarum prebuit nuptiarum.

Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius uxorem stupro uiolasse, et insuper mechæ uiuente uiro suo iuramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si superuixisset, duceret eam uxorem, quod et factum est.

Tale igitur conubium prohibemus et anathematizamus.

**C. V.** Post peractam penitenciam uiduam in coniugem ducere poterit, quam uiuente uiro polluit adulterio.

Item in eodem.

Si quis uiuente marito coniugem illius adulterasse accusatur, et, eo in proximo defuncto, eandem sumpsisse dinoscitur, omnimodis penitentiæ publicæ subiciatur.

De quo etiam post penitenciam prefata, si expedierit, seruabitur regula; nisi forte idem, aut mulier uirum, qui mortuus fuerat, occidisse notentur, aut propinquitas, uel alia quelibet actio criminalis inpediat.

Quod si probatum fuerit, sine ulla spe coniugii cum penitencia perpetuo maneant.

[PALEA. C. VI.

Item ex Concilio apud Vermerias.

Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, et ipse uir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille uir, eam ream esse consilii, potest (ut nobis uidetur) ipsam uxorem dimittere, et, si uoluerit, aliam ducere.

Ipsa autem insidiatrix penitentiæ subiecta absque spe coniugii maneat].

**C. VII.** Post penitenciam reconcilietur ad communionem uidua, que mechum suum in uirum accepit.

Item ex Concilio Elibertano. [c. 72].

Si qua fuerit uidua mechata, et postea eundem habuerit maritum, post quinquennii tempus acta legitima penitencia placuit eam ad communionem reconciliari.

## II. Pars.

Gratian. Sed obicitur: Daudid cum Bersabee adulterium conmisit, et mortem Uriæ machinatus est, et tamen Bersabee eandem postea duxit in uxorem.

Sed in ueteri testamento multa permittebantur propter infirmitatem, que in euangelii perfectione eliminata sunt: sicut mittebatur quibuslibet dare libellum repudii, ne per odium funderetur sanguis innoxius.

Quod postea Dominus in euangelio prohibuit, dicens uxorem a uiro non esse dimittendam, nisi causa fornicationis.

Quedam permittebantur causa infirmitatis, et sacramenti futurorum: sicut Dominus permisit filiis Israël offerre animalia sibi in sacrificium, que in Egipto consueuerant immolare demonibus, malens ea sibi offerri quam idolis, et ut essent illis sacramenta futurorum.

Sic et Bersabee permissa est duci in uxorem, non magis causa suæ infirmitatis, quam significatione futurorum.

§. 1. Sed est alia ratio, qua uxor defuncti huic nubere non possit.

Generaliter enim prohibentur uiri et mulieres frequenter matrimonia contrahere.

Unde in conubio nuptiarum secundarum presbiteri interesse non debent, sicut in Neocesariensi Concilio [c. 3. et 7]. legitur:

**C. VIII.** Fides et conuersatio penitenciam adbreuiet eorum, qui frequenter ducunt uxores.

De his, qui frequenter uxores ducunt, et de his, qui sepius nubunt, tempus quidem his manifestum constitutum est, sed conuersatio et fides eorum tempus adbreuiat.

§. 1. Presbiterum uero secundarum nuptiarum conubio interesse non debere; maxime cum precipiatur secundis nuptiis penitentiam tribuere: quis erit presbiter, qui propter conuiuium illis consentiat nuptiis?

C. IX. Secundum ueritatis rationem fornicari conuincitur qui secundam ducit uxorem. Item Iohannes Crisostomus. [id est auctor operis imperfecti in Matth., hom. XXXII]. Hac ratione et Apostoli preceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum.

Nam secundam quidem accipere secundum preceptum Apostoli licitum est, secundum ueritatis rationem uere fornicatio est.

Sed cum permittente Deo publice et licenter committitur, fit honesta fornicatio.

Propterea bene dixit, quia Moyses hoc permisit, non precepit.

Aliud est enim precipere, aliud permittere.

Quod enim permittimus nolentes precipimus, quia malas hominum uoluntates ad plenum prohibere non possumus.

C. X. Ut uitetur periculum fornicationis, secunda matrimonia conceduntur.

Item Ieronimus de uirginibus.

Quomodo uirginibus fornicationis periculo concedit nuptias, et excusabile facit quod per se non appetitur, ita eodem fornicationis periculo concedit uiduis secunda matrimonia.

Melius est enim, licet alterum et tertium, unum uirum nosse, quam plurimos, id est tollerabilius est uni homini prostitutam esse, quam multis.

Siquidem et illa in euangelio Samaritana, sextum maritum habere se dicens, arguitur a Domino, quod non sit uir eius; ubi enim numerus maritorum est, ibi uir, qui proprie unus est, esse desistit.

Una costa a principio in unam uxorem uersa est.

“Et erunt,” inquit, “duo in carne una,” non tres, neque quatuor, alioquin non duo, sed plures.

Primus Lamech sanguinarius atque homicida unam carnem in duas diuisit uxores; fratricidium et digamiam eadem cataclismi pena deleuit: de altero septies, de altero septuagies septies uindicatum est.

Quantum distant in numero, tantum et in crimine.

§. 1. Quam sancta sit digamia, hinc ostenditur, quod digamus ad clerum eligi non potest, et idem Apostolus ad Timotheum: “Vidua,” inquit, “eligatur non minus sexaginta annorum, que fuerit unius uiri uxor”.

Hic commune preceptum de his uiduis est, que ecclesiæ pascuntur elemosinis, et idcirco etas prescribitur, ut illæ tantum accipiant pauperum cibos, que iam laborare non possunt.

Simul que considera, quod que duos habuit uiros, etiamsi anus est, et decrepita, et egens, ecclesiæ stipes non meretur accipere; si autem panis illi tollitur elemosinæ, quanto magis, qui descendit de celo, quem qui indigne comederit, reus erit uiolati corporis et sanguinis Domini?

Quamquam hec testimonia, que supra posui, in quibus uiduis conceditur, ut, si uelint, denuo nubant, quidam interpretantur super his uiduis, quas amissis maritis sic inuenerat fides Christi.

### III. Pars.



Gratian. Verum hoc eum ad exhortationem uidualis continentiae, non in condemnationem secundarum et deinceps nuptiarum dixisse, quam multorum auctoritatibus constat licitas esse, ut ex uerbis eiusdem datur intelligi.

Ait enim ad Pamachium: [in Apologetico contra Iouinianum]

**C. XI.** Nec secundae, nec tertiae, nec deinceps nuptiae sunt condempnandae.

Aperiant, queso, aures obtrectatores mei, et uideant, me concessisse secundas et tercias nuptias in Domino.

Qui secundas et tercias nuptias non dampnaui, primum potui dampnare matrimonium?

Idem:

§. 1. Non dampno digamos imo nec trigamos, et si dici potest, octogamos.

Idem:

§. 2. Ego nunc libera uoce proclamo, non dampnari in ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto, et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere.

**C. XII.** Secunda coniugia, sicut et prima, licita esse probantur.

Item Augustinus libro II. contra aduersarium legum et Prophetarum. [c. 11].

Deus masculinum et feminam propagandi generis causa nuptiali castitate coniunxit, et secundas nuptias, que in nouo quoque testamento permittuntur, licitas esse monstrauit.

[[C. XIII].

Idem super primam epistolam ad Corinthios.

“Quod si dormierit uir eius”.

Non dicit, primus uel secundus, uel quartus, nec nobis diffiniendum est quod non diffinit Apostolus.

Unde nec ullas debeo dampnare nuptias, nec eis uerecundiam numerositatis auferre.

Dominus autem septemuiram non dampnauit, nec dicit in resurrectione non posse esse, sed tantum: “Neque nubent, neque nubentur”.

Unde nec contra humanae uerecundiae sensum audeo dicere, ut quotiens uoluerint nubant, nec ex corde meo quotaslibet nuptias condempnare.

Quod dicitur uniuirae, hoc omni uiduae: “Beatior erit, si sic permanserit”.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

Quod autem aliqua non sit cogenda nubere alicui, Ambrosius testatur super primam epistolam ad Corinthios: “Nubat uidua cui uult: tantum in Domino;” id est quem sibi aptum putauerit, illi nubat; quia inuitae nuptiae solent malos prouentus habere.

“Tantum autem in Domino:” Id est, ut sine suspicione turpitudinis nubat, et uiro suae religionis nubat.

**C. I.** Iuramento patris non cogitur puella nubere, cui numquam assensum prebuit.

Item Iudicium Urbani Pape.

Si uerum esse constiterit, quod nobis legati Iordanis principis retulerunt, scilicet, quod ipse coactus et dolens filiam suam infantulam nolentem, flentem, et pro uiribus renitentem, non assentientibus, sed ualde dolentibus matre et parentela, Rainaldo Rodelli filio desponsauerit, quoniam canonum et legum auctoritas talia sponsalia (ut

infra ostenditur) non approbat, ne ignorantibus leges et canones nimis durum quod dicimus uideatur, ita sententiam temperamus, ut, si princeps cum filiæ, matris, et parentelæ assensu id, quod ceptum est, perficere uoluerit, concedamus.

Sin autem, legatus noster utrasque partes audiat, et si nichil fuerit ex parte supradicti Rainaldi amplius, quod inpediat, ab ipso Iordane sacramentum, quod ita constent hec, ut dicta sunt, accipiat, et nos canonum ac legum scita sequentes deinceps non prohibemus, quin alii uiro, si uoluerit, predicta filia eius tantum in Domino nubat.

[PALEA. C. II.

Econtra Hormisda Papa scribit Eusebio Episcopo.

Tua sanctitas nos requisiiuit, frater uenerande, de filio adulto, quem pater matrimonium contrahere uult, si sine uoluntate filii adulti facere potest.

Ad quod dicimus, si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse.

Potest autem de filio nondum adulto, uoluntas cuius nondum discerni potest, pater eum, cui uult, in matrimonium tradere, et post, quam filius peruenerit ad perfectam etatem, omnino obseruare et adimplere debet.

Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus sancitum a nobis tenendum mandamus].

C. III. Quorum unum futurum est corpus, unus debet esse et animus: atque ideo nulla inuita est copulanda alicui.

Item Sanctio, Regi Aragonum.

De neptis tuæ coniugio, quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione firmasti, hoc equitate dictante decernimus, ut, si illa uirum illum, ut dicitur, omnino rennuit, et in eadem uoluntatis auctoritate persistit, ut uiro illi prorsus se denegat nupturam, nequaquam eam inuitam et renitentem eiusdem uiri cogas sociari coniugio.

Quorum enim unum corpus est, unus debet esse et animus, ne forte, cum uirgo fuerit alicui inuita copulata contra Domini Apostoli que preceptum aut reatum discidii, aut crimen fornicationis incurrat.

Cuius uidelicet peccati malum in eum redundare constat, qui eam coniunxit inuitam.

Quod pari tenore de uiro est sentiendum.

C. IV. Non licet deserere uiro quam premissis dotibus in publica attestazione duxit uxorem.

Item Nykolaus Radualdo Portuensi, et Iohanni Ficolensi Episcopis.

Lotharius rex (in conmonitorio profitetur, Gualdradam se a patre accepisse, et sororem postmodum admisisse Huberti.

Ubi primum diligenti inuestigatione inquirete, et si eundem gloriosum regem predictam Gualdradam premissis dotibus, coram testibus, secundum legem, et ritum, quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inueneritis accepisse, et publica manifestatione eadem Gualdrada in matrimonium ipsius admissa est, restat, ut perscrutemini, cur illa repudiata sit, uel filia Bosonis admissa.

Sed quia idem gloriosus rex metu Thebergam se admisisse dicit, metu unius hominis non debuit tantus rex contra diuinum preceptum in inmane precipitium mergi.

In hoc certe magis reprehensibilem se ostendit, in quo amorem Dei amori mundi postposuit, cum nec etiam occisores corporis sint timendi, contra iusticiam hominem inpellentes.

Nichil itaque precipimus aliud uobis, manifestatione sua eodem rege conuicto, nisi ut secundum canonicam auctoritatem nostra uice freti causam illius diffiniatis.

Si uero minime probatum fuerit Gualdradam uxorem fuisse legitimam, neque nuptiis more celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis, filio nostro Lothario extitisse coniunctam, suggerite illi, ut non moleste ferat legitimam sibi (si ipsa innocens apparuerit) reconciliari uxorem.

§. 1. Preterea uos scire uolo, quia prefata Theberga apostolicam sedem bis et ter appellauit, et se a prefato glorioso rege questa est iniuste fuisse deiectam, et ui coactam falsum contra se composuisse piaculum.

Nam eo tempore appellationis suæ libellum ad apostolicam sedem misit, in quo non quidem adhuc confessam, sed ut contra se falsum diceret crimen, cogi sese innotuit, insuper subiungens: “Quod si amplius compulsa fuero, scitote, non ueritate, sed timore mortis et euadendi studio (quia aliter non possum) quod uoluerint dicam”.

Unde uobis precipimus, ut cum eadem Theberga ad condictam sinodum, sicut statuimus, aduenerit, causam eius diligenti examinatione tractetis, et, si ei obicitur, quod illa se crimen aliquod admisisse confessa fuisset, et econtra, illa uiolentiam se pertulisse proclamauerit, uel si inimicos iudices illos sibi fuisse testata fuerit, tunc illud renouetis iudicium secundum equitatis normam, ut iniusticiæ mole non obprimatur.

Gratian. His auctoritatibus euidenter ostenditur, quod nisi libera uoluntate nulla est copulanda alicui.

### QUESTIO III.

#### GRATIANUS.

Quod autem post parentum sponsonem aliis nubere non ualeant, auctoritate Elibertani Concilii [c. 54]. monstratur, qua dicitur:

C. UN. De parentibus, qui fidem frangunt sponsaliorum.

Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore a comunione abstineant.

Si uero idem sponsus uel sponsa in illo graui crimine non fuerint deprehensi, excusati erunt parentes.

Si uero in eodem fuerint uicio, et polluerint se consentiendo, superior sententia seruetur.

Gratian. Ecce, quod non licet parentibus sponsalia filiorum suorum frangere.

Verum hoc de illis intelligendum est, que illorum consensu contrahuntur.

### CAUSA XXXII.

#### GRATIANUS.

Quidam, cum non haberet uxorem, quandam meretricem sibi coniugio copulauit, que erat sterilis, neptis ingenui, filia originarii; quam cum pater uellet alii tradere, auus huic eam copulauit, causa solius incontinentiæ.

Deinde hic, penitencia ductus, ex ancilla propria filios sibi querere cepit.

Postea de adulterio conuictus et punitus quendam rogauit, ut ui uxorem suam opprimeret, ut sic eam dimittere posset, quo facto quandam infidelem sibi copulauit, ea tamen condicione, ut ad Christianam religionem transiret.

(Qu. I).

Hic primum queritur, an licite meretrix ducatur in uxorem?

(Qu. II).

Secundo, an ea, que causa incontinentiæ ducitur, sit coniux appellanda?

(Qu. III).

Tercio, cuius arbitrium aliqua sequatur, an liberi aui, an originarii patris?

(Qu. IV).

Quarto, si uiuente uxore liceat alicui ex ancilla filios querere?

(Qu. V).

Quinto, si ea, que uim patitur, pudicitiam amittere conprobetur?

(Qu. VI).

Sexto, si adulter adulteram possit dimittere? (Qu. VII).

Septimo, si uiuente dimissa aliam possit accipere? (Qu. VIII).

Octauo, si infidelem sub premissa condicione licet alicui fidelium in coniugem ducere?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem meretrix in coniugem duci non debeat, multis auctoritatibus et rationibus probatur.

Illa enim, que adulterii rea conuincitur, nisi post peractam penitentiam in coniugii consortio retineri non debet.

Unde Iohannes Crisostomus [id est auctor operis imperfecti hom. XXXII]. ait super Mattheum c. 9:

**C. I.** Patronus turpitudinis est qui uxorem suam adulteram dimittere noluerit.

Sicut crudelis et iniquus est qui castam dimittit, sic fatuus est et iniustus qui retinet meretricem.

Patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen uxoris.

**C. II.** Causa fornicationis uir dimittat uxorem, non tamen alteram ducat.

Item Ieronimus. [in comm. ad c. 19. Matth.].

Ait Dominus in euangelio: “Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mechatur, et qui dimissam duxerit, mechatur”.

Sola fornicatio est, que uxoris uincit affectum; imo, cum illa unam carnem in aliam diuiserit, et se fornicatione a marito separauerit, non debet teneri, ne uirum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura: “Qui tenet adulteram stultus et inpius est”.

Ubi cumque est igitur fornicatio uel fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur.

Et quia poterat accidere, ut aliquis calumpniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptialem ueteri copulæ crimen inpingeret, sic priorem dimittere iubetur uxorem, ut prima uiuente secundam non habeat.

**C. III.** Sola uiri fornicatio uxorem maculat.

Idem in epistola Pauli ad Corinthios. [1. c. 6. in glossa ordinaria]

In coniugio quis positus quecumque peccata fecerit, non propriam infuscant coniugem; sed fornicatio etiam uxorem coinquinat, ut iam non sit uiro suo licita, sed adultera.

**C. IV.** Qui uxorem suam dimittere noluerit adulteram, duobus annis peniteat, si ei debitum reddiderit.

Item Iohannes Crisostomus.

Si quis uxorem suam inuenerit adulteram, et postea deinceps placuerit habere eam in matrimonio, duobus annis peniteat ideo, quia cum adultera mixtus sit, que adhuc crimine suo non est purgata, aut abstineat se a matrimonio eius, donec expleatur satisfactio criminis penitentiæ suæ, ideo, quia post satisfactionem penitentiæ non meretur uocari adultera.

Similiter, si uxor inuenerit uirum suum adulterum, non ad inparia iudicatur.

## **II. Pars.**

Gratian. Subauditur, nisi ab adulterio mulier uoluerit recedere, quo casu uxorem suam uir recipere potest, nullum periculum ei illaturus.

Unde Pelagius Papa Melleo Subdiacono:

**C. V.** Post penitentiam adulterii uxorem suam uir recipere potest.

De Benedicto quoque, quem uxorem alienam facinoroso spiritu indicasti sustulisse, et in suum hactenus presumere detinere consortium, si hoc rerum ueritas habet, iubemus experientiæ tuæ, ut eum cum ipsa quoque adultera districte non differas mactare, et caluatos ab inuicem separare, et illum quidem ad Lucium defensorem in Apuliæ prouinciæ patrimonium sine dilatione migrare; illam uero, siquidem maritus suus sine aliquo dolo recipere forte uoluerit, tua ordinatione sub cautela recipiat, nullum ei dumtaxat de cetero simile committenti periculum illaturus.

Si uero omnino eam recipere noluerit, in alium quendam locum, in quo ei non liceat male uiuere, prouida eam dispensatione constitue.

**C. VI.** Qui adulteræ reddit debitum tribus annis peniteat.

Item ex Penitentiali Theodori.

Si quis uxorem suam scit adulteram, et non uult dimittere eam, sed in matrimonio habere, tres annos peniteat, et quamdiu illa penitet, abstineat se ab illa.

**C. VII.** Adulterio purgato per penitentiam potest fieri reconciliatio coniugii.

Item Augustinus ad Polentium [de adulterinis coniugiis] libro II. [c. 6].

Quod autem tibi durum uidetur, ut post adulterium reconcilietur coniux, si fides adsit, non erit durum.

Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos credimus uel baptismate ablutos, uel penitencia esse sanatos?

Hec crimina in ueteri lege Dei nullis sacrificiis mundabantur, que in lege noui testamenti sine mundatione mundantur, et ideo tunc omnino prohibitum est ab alio contaminatam accipere uxorem, quamuis David Saulis filiam, quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tamquam noui testamenti prefigurator sine cunctatione receperit.

Nunc autem, posteaquam Christus ait adulteræ: “Nec ego te condempnabo; uade, deinceps noli peccare.” quis non intelligat maritum debere ignoscere quod uidet ignouisse Dominum amborum?

nec iam se debere adulteram dicere, cuius penitentis crimen deletum est a Deo?

**C. VIII. De eodem.**

Idem de adulterinis coniugiis.

Non erit turpis neque difficilis etiam post patrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugii, ubi per claues regni celorum non dubitatur fieri remissio peccatorum; non ut post uiri diuortium adultera reuocetur, sed ut post Christi consortium adultera non uocetur.

**C. IX. Cum fornicationis uicium excluditur, castitatis uirtus asciscitur.**

Item Ambrosius. [l. II. de Cain et Abel, c. 4].

Cum renunciatur improbitati, statim asciscitur uirtus.

Egressus enim maliciæ uirtutis operatur ingressum, eodem que studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.

**C. X. Non habetur fallax apud Deum qui penitendo ad ueritatem reuertitur.**

Item Gregorius. [hom. XXIX. Euangel.].

Apud misericordem namque iudicem nec ille fallax habebitur, qui ad ueritatem reuertitur, etiam postquam mentitur, quia omnipotens Deus, dum libenter nostram penitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc, quod errauimus, abscondit.

Gratian. Quod si in adulterio perseuerare elegerit, patronus turpitudinis et lenocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream facere uoluerit.

Unde in VIII. libro Codicis titulo de adulterio et stupro Inp. Seuerus et Antoninus: "Crimen lenocinii contrahunt qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio detinuerunt, non qui suspectam habuerunt adulteram".

**§. 1. Hoc in mulieribus non obtinet.**

Non enim eis permittitur maritos suos adulterii reos facere.

Unde in libro, et titulo eodem, idem Imp.: "publico iudicio non habere mulieres adulterii accusationem, quamuis de matrimonio uiolato queri uelint, lex Iulia declarat, que cum masculis iure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem feminis priuilegium detulit".

**§. 2. Si ergo, ut ex his auctoritatibus colligitur, adulteram retinere nulli permittitur, multo minus in coniugium duci licebit cuius pudicitia nulla spes habetur.**

Debet enim inter coniuges fides seruari et sacramentum, que cum defuerint, non coniuges, sed adulteri appellantur.

Unde Augustinus scribit contra Iulianum libro I:

**C. XI. Veritas nuptiarum non consistit in conmixtione maris et feminæ.**

Non in sola, ut deliras, conmixtione maris et feminæ nuptiarum ueritas est, quamuis sine illa nuptiæ filios procreare non possint.

Sed alia sunt proprie ad nuptias pertinentia, quibus ab adulteriis nuptiæ decernuntur, sicuti est tori coniugalis fides, et cura ordinate filios procreandi, et (que maxima differentia est) bonus usus mali, hoc est bonus usus concupiscentiæ carnis, quo bono adulteri male utuntur.

Gratian. Hec sunt bona, quibus commendantur, et ab illicito usu discernuntur.

**III. Pars.**

Contra uero Ambrosius improbare nuptias uidetur, dicens:

**C. XII.** Primæ ac secundæ nuptiæ hac auctoritate improbari uidentur.

Nuptiæ terram replent, uirginitas paradisum.

Sed et hoc intuendum est dumtaxat iuxta hebraicam ueritatem, quod scriptura in primo, et tertio, et quarto, et quinto, et sexto die expletis operibus singulorum dierum dixit: “Et uidit Deus, quia bonum est;” in secundo die hoc omnino subtraxit, nobis intelligentiam derelinquens non esse bonum duplicem numerum, qui ab unione diuidat, et prefiguret federa nuptiarum.

Unde et in arca Noe omnia animalia, quecumque bina ingrediuntur, inmunda sunt.

Inpar numerus mundus est, quamquam in duplici numero intelligatur et aliud sacramentum, quod nec in bestiis quidem, et inmundis aibus digamia comprobata sit: bina enim et bina ingrediuntur inmunda, et septena, que munda sunt; ut haberet Noe post diluuium, quod impari numero statim Deo posset offerre.

Gratian. Verum hoc ad exhortationem, non ad necessitatem obseruandæ uirginitatis refertur.

Unde idem Ambrosius ait: [in libro exhortationis ad uirgines]

**C. XIII.** Virginitas ex consilio suadetur, non ex inperio precipitur.

Integritas corporis expetenda a nobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro inperio precipio.

Sola est enim uirginitas, que suaderi potest, inperari non potest: res magis est uoti, quam precepti.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Cum ergo in meretrice, ut diximus, nulla sit spes fidei, nulla sit certitudo pudicitia, patet, quod non est in coniugium ducenda.

§. 1. Sed obicitur: Raab Hierichontina, quamuis esset meretrix, tamen principi de tribu Iuda coniugio copulata est, de qua etiam Christus postea nasci dignatus est.

Osee quoque, duodecim Prophetarum primus, ex precepto Domini choro hordei meretricem emit, quam sibi in coniugio sociauit.

Sed aliud est meretricem ducere, uel adulteram retinere, quam tua consuetudine, castitate et pudicitia exornes: atque aliud aliquam habere earum, quam nullo pacto a luxu carnis suæ reuocare ualeas.

Hoc enim penitus prohibetur: illud laudabiliter factum legitur.

Unde Ieronimus super Osee libro I.: [ad c. 1].

**C. XIV.** Non est peccatum meretricem ducere in uxorem.

Non est culpandus Osee propheta si meretricem, quam duxit, ad pudicitiam conuertit: sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecit.

Non enim qui bonus permanet polluitur, si societur malo: sed qui malus est in bonum uertitur, si boni exempla sectetur.

Ex quo intelligimus, non Prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat.

#### **QUESTIO II.**

#### **GRATIANUS.**

**I. Pars.**

Quod autem non sit uxor que sola causa incontinentiæ ducitur, hinc uidetur posse probari, quia coniugium propagationis, non explendæ libidinis causa a Deo institutum est.

Hec namque fuit benedictio coniugii: “Crescite et multiplicamini”.

Unde Ambrosius super Lucam: [l. I. ad c. 1].

**C. I.** Partus feminarum est eis sola causa nubendi.

Pudor est feminis nuptiarum premia non habere, quibus hec sola nubendi causa est.

Idem:

[lib. 2. in princ.] §. 1. Cum coniugii premium et gratia nuptiarum partus sit feminarum, non mediocris causa est, ut uirginitas Mariæ falleret principem mundi.

Gratian. Qui ergo non procreandæ causa sobolis, sed explendæ libidinis sibi inuicem copulantur, non tam coniuges quam fornicarii uidentur.

Hinc etiam Ieronimus: [ad c. 5. epistolæ ad Ephesios]

**C. II.** Non coniuges, sed adulteri uocantur, qui non secundum precepta Christi iunguntur.

Sicut non omnis congregatio hereticorum ecclesia Christi dici potest, nec caput eorum Christus; sic non omne matrimonium, quo non uiro suo secundum precepta Christi coniungitur, rite coniugium appellari potest, sed magis adulterium.

**II. Pars.**

Gratian. His ita respondetur: Prima institutio coniugii in paradyso facta est, ut esset immaculatus thorus, et honorabiles nuptiæ, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent.

Secunda propter illicitum motum eliminandum extra paradysum facta est, ut infirmitas, prona in ruinam turpitudinis, honestate exciperetur coniugii.

Unde Apostolus scribens ad Chorinthios ait: “Propter fornicationem unusquisque suam uxorem, et unaqueque uirum suum habeat”.

Ex hac itaque causa fit, ut coniugati se sibi inuicem debeant, nec se sibi negare possint.

Unde Apostolus: “Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu, et ad tempus, ut expeditius uacetis orationi, et iterum reuertimini in id ipsum, ne temptet uos sathanas.

Hoc autem dico propter incontinentiam uestram”.

Qui ergo propter incontinentiam in naturalem usum redire monentur, patet, quod non propter filiorum procreationem tantum misceri iubentur.

§. 1. Non tamen ideo nuptiæ malæ iudicantur.

Quod enim preter intentionem generandi fit, non est nuptiarum malum, sed est ueniale propter nuptiarum bonum, quod est tripertitum; fides uidelicet, proles, et sacramentum.

Unde Augustinus de bono coniugali: [c. 6].

**C. III.** Inmoderatus usus coniugatorum non est nuptiarum malum, sed est ueniale propter nuptiarum bonum.

Quicquid inter se coniugati inmodestum, inuerecundum, sordidum gerunt, uicium est hominum, non culpa nuptiarum.



Iam in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis non secundum inperium precepit, sed secundum ueniam concedit Apostolus, ut etiam preter causam procreandi sibi misceantur, etsi eos prauis mores ad talem concubitus inpellunt, nuptiæ tamen ab adulterio seu fornicatione defendunt.

Neque illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur.

Debent ergo sibi coniugati non solum ipsius sexus sui conmiscendi fidem liberorum procreandorum causa (que prima est humani generis in ista mortalitate societas), uerum etiam infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos concubitus euitandos, mutuam quodammodo seruitutem, ut, etsi alteri eorum continentia perpetua placeat, nisi ex alterius consensu non possit.

### III. Pars.

Gratian. Non autem datur presentia S. Spiritus tempore, quo coniugales actus geruntur. Unde Ieronimus super Mattheum:

**C. IV.** Non datur presentia S. Spiritus tempore, quo coniugales actus geruntur.

Conubia legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo, quo coniugales actus geruntur, presentia S. Spiritus dabitur, etsi propheta esse uideatur qui offitio generationis obsequitur.

Sed et alia plura sunt, in quibus sufficit sibi sola uis humana, et neque res indiget, neque decet adesse presentiam S. Spiritus.

Gratian. Sicut ergo talis concubitus non est fornicarius, sed propter bonum coniugii licitus: sic et coniunctio illa, de qua queritur, non est fornicaria, sed propter bonum coniugii licita.

Item, sicut Augustinus ait in libro de bono coniugali: [c. 14].

[[C. V].

“Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec etiamsi causa filiorum concumbant, iustum faciunt concubinatum suum”.

### IV. Pars.

[Gratian.] Sic econtrario datur intelligi de his, qui coniugali affectu sibi copulantur, quod etsi non causa procreandorum filiorum, sed explendæ libidinis conueniunt, non ideo fornicarii, sed coniuges appellantur.

Probatur hoc idem auctoritate Augustini in libro de bono coniugali: [c. 5].

**C. VI.** Coniuges sunt qui causa solius incontinentiæ sibi inuicem copulantur.

Solet queri, cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptiæ sint uocandæ?

Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari conubium, si usque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, et prolis generationem, quamuis non ea causa coniuncti sint, non tamen uitauerint, ut uel nolint sibi nasci filios, uel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur.

Ceterum, si uel utrumque, uel unum horum desit, non inuenio, quemadmodum has nuptias appellare possimus.

Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam honoribus, uel suis facultatibus inueniat, quam in coniugio ducat, animo ipso adulter est, nec cum illa, quam cupit inuenire, sed cum ista, cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium.

**C. VII.** Fornicarii sunt non coniuges, qui sterilitatis uenena procurant.

Idem de nuptiis et concupiscentiis. [lib. I. c. 15].

Aliquando eo usque peruenit hec libidinosa crudelitas, uel libido crudelis, ut etiam sterilitatis uenena procuret, et, si nichil ualuerit, conceptos fetus aliquo modo intra uiscera extinguat aut fundat, uolendo suam prolem prius interire quam uiuere; aut, si in utero uiuebat, occidi ante, quam nasci.

Prorsus, si ambo tales sint, coniuges non sunt, et, si ab initio tales fuerunt, non sibi per conubium, sed per stuprum pocius conuenerunt.

Si autem ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter uxoris.

## **V. Pars.**

Gratian. De his, qui aborsum procurant, queritur, an iudicentur homicidæ, uel non?

Augustinus in libro questionum Exodi [quest. LXXX]. ait:

**C. VIII.** Non est homicida qui aborsum procurat ante, quam anima corpori sit infusa.

Quod uero non formatum puerperium ad homicidium pertinere noluit, profecto nec hominem deputauit, quod tale in utero geritur.

Hic de anima questio solet agitari, utrum quicquid formatum non est nec animatum quidem possit intelligi, et ideo non homicidium sit, quia nec exanimatum dici potest, si animam non habebat.

Item:

§. 1. Si illud informe puerperium iam quidem fuerat sed adhuc informiter quodammodo animatum (quoniam magna de anima questio non est) precipitanda indiscussa temeritate sententiæ, ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima uiua in eo corpore, quod sensu caret.

[[**C. IX.**]

Idem in libro questionum Veteris et Noui Testamenti. [c. 23].

Moyses tradidit: “Si quis percusserit mulierem in utero habentem, et abortiuum fecerit, si formatum fuerit, det animam pro anima; si autem informatum fuerit, mulctetur pecunia,” ut probaret non esse animam ante formam.

Itaque si iam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata.

Nam si cum semine et anima existit ex anima, et multæ animæ cottidie pereunt, cum semen fluxu quodam non proficit natiuitati; sed si prius respiciamus, uidebimus, quid sequi debeamus.

Contemplemur facturam Adæ.

In Adam enim exemplum datum est, ut ex eo intelligatur, quia iam formatum corpus accepit animam.

Nam poterat animam limo terræ admiscere, et sic formare corpus.

Sed ratione infirmabatur, quia primum oportebat domum compaginari, et sic habitatorem induci.

Anima certe, quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur habitare.

Cum ergo liniamenta compacta non fuerint, ubi erit anima?

[[C. X].

Item Ieronimus ad Algasiam. [quest. IV].

Sicuti semina paulatim formantur in utero, et tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines membra que suscipiant: ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc in uentre retinetur, et cito perit ab hoste.

## VI. Pars.

Gratian. Cum ergo qui aliquam sibi ad tempus adhibet, cum ea adulter esse dicitur, nec ab ea discedens, nec filiam suam illi tradens peccat.

Unde Leo: [Papa ad Rusticum, Narbonensem Episcopum, epist. XC. al. XCII., c. 5. et 6].

C. XI. Profectus est honestatis fornicariam abicere, et uxorem legitimam accipere.

Ancillam a thoro abicere, et uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, sed profectus est honestatis.

§. 1. Culpanda sit sane talium negligentia, sed non penitus desperanda, ut crebris cohortationibus incitati quod necessarie expetiuerunt fideliter exequantur.

Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnumquam quod diffidentia etatis differtur consilio maturiore perficitur.

C. XII. Legitimo matrimonio copulatur que concubinam habenti traditur.

Idem. [ibidem, c. 4].

Non omnis mulier coniuncta uiro uxor est uiri, quia nec omnis filius heres est patris.

Nuptiarum autem federa inter ingenuos sunt legitima, et inter coequales et multo prius hoc ipsum Domino constituate, quam initium Romani iuris existeret.

Itaque aliud est uxor, aliud concubina; sicut aliud ancilla et aliud libera.

§. 1. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandum harum personarum discretionem testimonium posuit ex Genesi, ubi dicitur Abrahæ: “Eice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ”.

§. 2. Igitur cuiuslibet loci clericus si filiam suam uiro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit, nisi forte illa mulier et ingenua facta, et dotata legitime, et publicis honestata nuptiis uideatur.

§. 4. Paterno arbitrio uiris iunctæ carent culpa, si mulieres, que a uiris habebantur, in matrimonio non fuerint, quia aliud est uxor, aliud concubina.

## VII. Pars.

Gratian. Cum dicitur: “paterno arbitrio feminæ iunctæ uiris,” datur intelligi, quod paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habeantur, iuxta illud Euaristi Papæ: “Aliter non fit legitimum coniugium, nisi a parentibus tradatur”.

[[C. XIII].

Item Ambrosius in libro de Patriarchis. [id est lib. I. de Abraham, cap. ult.].

“Honorantur parentes Rebeccæ muneribus, consulitur puella non de sponsalibus (illa enim iudicium expectat parentum: non est enim uirginalis pudoris eligere maritum), sed iam desponsata uiro de profectionis consulitur die, nec inmerito dilationem non attulit.

Iure etenim properare debuit ad maritum.

Unde illud Euripideon, quod mirantur plerique, unde translatum sit manifestum est.

Ait enim in persona mulieris, que tamen maritum uolebat relinquere, et ad alias petebatur nuptias: ‘sponsaliorum meorum pater meus curam subibit.

Hoc enim non est meum’.

Ergo quod et ipsi philosophi mirati sunt seruare uirgines.

Sed etiam, si qua mulier amisso cito marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si uult nubere, nubat, tantum in Domino; ut electionem mariti parentibus deferat, ne appetentiæ estimetur auctor si ipsa de nuptiis suis electionem sibi uendicet.

Expedita magis debet uideri a uiro, quam ipsa uirum expetisse.

Verecundiam premitat ante, quam nubat, quo ipsum coniugium plus commendat uerecundia”.

[[C. XIV].

Item in libro Numerorum. [c. XXX. u. 4. seqq.].

“Mulier, si quippiam uouerit, et se constrinxerit iuramento, que est in domo patris sui, et in etate adhuc puellari, si cognouerit pater uotum, quod pollicita est, et iuramentum, quo obligauit animam suam, et tacuerit, non rea erit, quicquid pollicita est et iurauit, opere complebit.

Sin autem statim, ut audierit, contradixerit pater, et uota et iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni eo, quod contradixerit pater”.

[[C. XV].

Augustinus. [quest. LVII. super Numero]

“Merito hic queritur etiam de uoto uirginitatis.

Mulieres enim etiam uirgines in scriptura solent appellari, et uidetur etiam Apostolus de patre loqui, cum dicit: ‘Seruet uirginem suam;’ et: ‘Det nuptum uirginem’”.

Contra in Concilio Tolletano III: [c. 10].

**C. XVI.** Viduæ et uirgines propria uoluntate sibi maritos eligant.

Hoc sanctum affirmat concilium, ut uiduæ, quibus placuerit, teneant castitatem.

Quod si prius, quam profiteantur continentiam, elegerint nubere, illis nubant, quos propria uoluntate uoluerint habere maritos.

Similis condicio et de uirginibus habeatur, nec extra uoluntatem parentum uel suam cogantur maritos accipere.

Si quis uero propositum castitatis uiduæ uel uirginis inpedierit, a sancta comunione et a liminibus ecclesiæ habeatur extraneus.

Gratian. Premissis auctoritatibus euidenter asseritur quod, quamuis aliqui non filiorum procreandorum, sed incontinentiæ causa conueniant, tamen coniuges appellantur.

### QUESTIO III.

**GRATIANUS.**

De tertia uero questione Pelagius diffinit, scribens Potentio Defensori:

**C. UN.** Arbitrium liberi aui, non originarii patris, puellam in nuptiis sequi oportet. Patrem puellæ ecclesiæ uestræ famulum, auum uero liberis ortum constat esse natalibus, et ideo aui magis electionem de coniunctione neptis, quam patris eius, cuius nullo modo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi. Gratian. Quia ergo electione aui huic ista nupsisse probatur, hanc constat legitime sibi copulatam.

**QUESTIO IV.****GRATIANUS.**

Quod autem ex ancilla propter uxoris sterilitatem filios querere alicui liceat, exemplo probatur Abrahæ, qui propter sterilitatem uxoris suæ Sarai ingressus est ad Agar Egiptiam, ut ex ea filios acciperet.

Item Iacob, cum ex Rachele filios habere non posset, filios ex ancilla eius sibi suscitauit, nec solum propter sterilitatem, uerum etiam propter fecunditatem cessantem legitur intrasse ad ancillam Liæ, et ex ea filios genuisse.

Ex quibus omnibus colligitur, propter sterilitatem uxoris siue ex ancilla siue ex qualibet alia licite filios queri; alioquin adulterii macula Abraham et Iacob notabuntur.

Sed sicut post mortem Saræ Abraham Cethuram duxit in uxorem, ne secundum Augustinum Christiani putarent esse peccatum post mortem uxoris aliam ducere: sic uidetur uiuente uxore sua filios ex ancilla suscepisse, ne aliquibus hoc reputaretur in crimen.

Illud autem Augustini dicitur contra aduersarium legum et Prophetarum, libro II.: [c. 9].

**C. I.** Quomodo Abraham excusetur a crimine fornicationis.

Iste Abrahæ etiam usque ad decrepitam senectutis etatem fornicationis obicit crimen: profecto quia et post mortem Saræ alteram duxit.

Ubi etsi nullum intelligeretur rei abditæ sacramentum, propter hoc solum id facere debuit Abraham, ne putarent heretici aduersus populum Dei (quibus etiam Tertullianus astipulator assistit) post uxoris mortem crimen esse ducere uxorem.

Gratian. Sacramentum huius rei est quod per bonos mali et boni erant in fide generandi, et per malos boni et mali ad fidem accessuri.

Unde Augustinus super Iohannem: [tract. XI].

**C. II.** Sicut bonorum ministerio mali et boni, ita ministerio malorum boni et mali in fide generantur.

Recurrat nunc animus uester ad Abraham, Ysaac, et Iacob. In istis tribus inuenimus parere liberas, parere ancillas.

Inuenimus ibi partus liberarum, inuenimus ibi partus ancillarum.

Ancilla nichil boni significat.

“Eice ancillam,” inquit, “et filium eius”.

**§. 1.** Inuenimus rem miram in istis generationibus liberarum et ancillarum: quatuor scilicet genera hominum, in quibus quatuor generibus completur figura totius populi

Christiani, ut non sit mirum quod in illis tribus dictum est: “Ego sum Deus Abraham, et Deus Ysaac, et Deus Iacob.” In omnibus enim Christianis (fratres adtendite) aut per malos nascuntur boni, aut per bonos nascuntur mali, aut per bonos boni, aut per malos mali.

Amplius istis quatuor generibus non potest inueniri.

§. 2. Inuenis ibi bonos filios Iacob natos de ancillis, et bonos filios natos de liberis.

Nichil obfuit natiuitas de uteris ancillarum, quando in patre cognouerunt semen suum, et consequenter regnum cum fratribus tenuerunt.

Quomodo ergo in filiis Iacob non obfuit illis, qui nati sunt de ancillis, quo minus tenerent regnum, et terram promissionis quam cum fratribus acceperunt, non illis obfuerunt natales ancillarum, sed preualuit semen paternum: sic quicumque per malos baptizantur tamquam de ancillis uidentur nati, sed tamen, quia ex semine uerbi Dei, quod figuratur in Iacob, simul hereditatem cum fratribus possidebunt.

Securus ergo sit qui de semine bono nascitur: tantum ne imitetur ancillam.

Si de ancilla nasceris, ancillam malam superbientem ne imiteris.

Unde enim filii Iacob de ancillis nati possederunt terram promissionis cum fratribus, Ismahel autem de ancilla natus expulsus est ab hereditate?

Unde, nisi quia ille superbus erat, illi humiles?

Erexit ille ceruicem, et uoluit seducere fratrem suum, ludens cum illo.

Magnum ibi sacramentum.

Ludebant simul Ismahel et Ysaac; uidit illos Sara ludentes.

§. 3. Que autem peperit Abel, et Enoch, et Noe, et Abraham, ipsa peperit Moysen et Prophetas tempore posteriores ante Domini aduentum, et que istos, ipsa et Apostolos, et martires nostros, et bonos omnes Christianos.

Omnes enim peperit qui diuersis temporibus nati apparuerunt, sed societate unius populi continentur et eiusdem ciuitatis ciues labores huius peregrinationis experti sunt, et quidam eorum nunc experiuntur, et usque in finem ceteri experientur.

Item que peperit Cayn, et Cham, et Ismahel, et Esau, eadem ipsa peperit et Dathan, et alios in eodem populo similes, et que istos, eadem ipsa et Iudam pseudoapostolum, et Symonem magum, et ceteros usque ad hec tempora pseudochristianos, in affectione animali pertinaciter obduratos, siue sint permixti in unitate, siue aperta precisione dissentiant.

§. 4. Sed cum tales a spiritualibus euangelizantur, et sacramentis inbuuntur, tamquam per se ipsam Rebecca eos parit, sicut Esau; cum autem per illos, qui non caste annunciant euangelium, tales in eodem populo generantur, non Sara quidem per se ipsam parit, sed per Agar.

Item boni spirituales, quando euangelizantibus uel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem uel Rachel iure coniugali eos, sed per ancillarum uterum parit.

§. 5. Cum uero per spirituales in euangelio generantur boni fideles, qui uel uadunt in spiritualem affectum pietatis, uel eo tendere non desistunt, uel ideo non faciunt, quia non possunt, sicut ex utero Saræ Ysaac, uel Rebeccæ Iacob in nouam uitam et nouum testamentum nascuntur.

Itaque siue intus uersari uideantur, siue aperte foris sint, quod caro est caro est; siue in area in sua sterilitate perseuerent, siue occasione temptationis tamquam uento extra tollantur, quod palea est palea est, et semper ab illius ecclesiæ, que sine macula est et ruga, unitate diuisus est etiam qui congregationi sanctorum in carnali obduratione miscetur.

De nullo tamen desperandum est, siue qui intus talis appareat, siue qui foras manifestius aduersetur.

## II. Pars.

Gratian. His ita respondetur: Pro uarietate temporum uaria inuenitur dispensatio conditoris.

Promissum erat Abrahæ, quod in semine eius benedicerentur omnes gentes; promiserat quoque se daturum semini eius terram peregrinationis suæ.

Cum ergo, ceteris in idolatria relictis, Abraham et filios eius in peculiarem populum sibi Dominus elegisset, rite multarum fecunditate mulierum populi Dei multiplicatio querebatur, quia in successione sanguinis erat successio fidei.

Unde in lege dicebatur: “Maledicta sterilis, que non reliquerit semen suum super terram”.

Hinc etiam sacerdotibus coniugia decreta sunt, quia in successione familiæ successio constabat offitii.

Quia uero per incarnationem Christi gratia fidei ubique dilatata est, nec iam dicitur: “Dic domui Iudæ, et domui Israël;” sed: “Euntes docete omnes gentes,” et: “In omni gente quicumque timet Deum, et operatur iusticiam, acceptus est illi.” nec electio muneris queritur in successione generis, sed in perfectione uitæ et sinceritate scientiæ, et uirginitas fecunditati preferitur, et sacerdotibus continentiæ castitas inperatur.

Nec ergo Abraham aut Iacob deliquit, quia preter uxorem filios ex ancilla quesierit, nec illorum exemplo, preter coniugale debitum, fecunditatem in aliqua licet alicui querere, cum illorum coniugia nostrorum euentur uel preferantur uirginitati, et inmoderatus usus coniugii nostri temporis turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis.

Unde Ambrosius scribit in libro de Patriarchis: [lib. I. de Abraham, c. 4].

### C. III. Abraham non est reus adulterii, qui uxore uiuente filios ex ancilla suscepit.

Dixit Sara ad Abraham: “Ecce conclusit me Dominus, ut non pariam; intra ergo ad ancillam meam, ut filium facias ex illa”.

Et ita factum est.

Sed considera primum, quod Abraham ante legem Moysi et ante euangelium fuit; nondum interdictum adulterium uidebatur.

Pena criminis ex tempore legis est, que crimen inhibuit, nec ante legem nulla rei dampnatio est, sed ex lege.

Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem preuenit.

Deus in paradiso coniugium laudauerat, non adulterium dampnauerat.

#### §. 1. Habes Abrahæ defensionem primam.

Secunda illa est, quod non ardore aliquo uagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio coniugalem posthabuit thorum, sed studio querendæ posteritatis, et propagandæ sobolis.

Adhuc post diluuium raritas erat generis humani; erat etiam religionis, ne quis non reddidisse debitum uideretur naturæ.

Denique et Loth sancti hanc filiæ causam querendæ posteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum, et ideo publici muneris gratia priuatam culpam pretextuit.

### C. IV. Quod preter legitimam uxorem committitur adulterii crimine dampnatur.

Idem in eodem. [libro de cap.].

Nemo sibi blandiatur de legibus hominum.

Omne stuprum adulterium est, nec uiro licet quod mulieri non licet.

Eadem a uiro, que ab uxore, debetur castimonia.

Quicquid in eam, que non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii dampnatur crimine.

In eodem:

[lib. cap. 7]. §. 1. Nulli licet scire mulierem preter uxorem; ideo que coniugii tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, et cum aliena muliere delinquas.

§. 2. Tollerabilior est, si lateat culpa, quam si culpæ usurpetur auctoritas.

Nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne, quod non habet potestatem coniugii.

Tamen locus iste docet, grauius crimen esse, ubi celebrati coniugii iura temerantur, et uxoris pudor soluitur.

Ideo que, cum pretenderet Abimelech, quod uxorem alienam esse ignorauerit, quam sororem esse uir ipse suam dixerit, respondit ei Dominus: “Et ego cognoui, quoniam puro corde fecisti hoc, et peperci tibi, ut non peccares in me; propter hoc non sum passus te tangere eam”.

Cognoscimus uelut presulem custodem que esse coniugii Deum, qui non patiat alienum thorum pollui, et si quis fecerit, eum peccare in Deum, cuius legem uiolet, et gratiam soluat.

Et, quia in Deum peccat, sacramenti celestis amittit consorcium.

C. V. Nichil fedius est quam amare uxorem quasi adulteram.

Item Ieronimus. [contra Iouinianum lib. I].

### III. Pars.

Origo quidem honesta erat amoris, sed magnitudo deformis.

§. 1. Nichil autem interest ex qua honesta causa quis insaniat.

Unde et Sextus in sentenciis: “Adulter est,” inquit, “in suam uxorem amator ardentior”.

In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius.

Sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu.

Non regnat in eo inpetus uoluptatis, nec preceps fertur ad coitum.

Nichil est fedius quam uxorem amare quasi adulteram.

§. 2. Certe, qui dicunt se causa reipublicæ et generis humani uxoribus iungi, et filios procreare, imitentur saltim pecudes, et post, quam uenter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos.

C. VI. Virginalis castitas non prefertur coniugio Abrahæ.

Idem. [libro II].

Quis ignoret, sub altera dispensatione Dei retro omnes sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt?

Quomodo ante Abraham placuit in coniugio, sic nunc uirgines placent in castitate.

Seruiuit ille legi et tempori suo: seruiamus et nos legi et tempori nostro, in quos fines seculorum deuenerunt.

C. VII. Patriarchæ non concupiscentia explendæ libidinis, sed causa numerosæ prolis plures habebant uxores.



Item Augustinus. [lib. XXII. contra Faustum, c. 47. et 48].

Obiciuntur Iacob quatuor uxores, quod, quando mos erat, crimen non erat.

Sicut Patriarchæ coniugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendæ uoluptatis, sed prouidentia propagandæ successionis: sic Apostoli admirantibus auditoribus doctrinam suam condelectabantur, non auiditate consequendæ laudis sed karitate seminandæ ueritatis.

**C. VIII.** Satius est absque liberis defungi, quam ex illicito concubitu stirpem querere.

Item Augustinus de bono coniugali. [c. 16].

#### **IV. Pars.**

Sicut satius est mori fame, quam ydolothitis uesci: ita satius est defungi sine liberis, quam ex illicito coitu stirpem querere.

Undecumque autem nascantur homines, si parentum uicia non sectentur et Deum recte colant, honesti et salui erunt.

Semen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura est, et eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit.

**C. IX.** Ex ancilla filii non sunt querendi.

Item sermo sancti Ambrosii de S. Iohanne, qui sic incipit: “Diximus superiore Dominica”. [num. LXV].

Dicat aliquis: uxorem non habeo, et ideo ancillam michi sociaui.

Audi, quid dicat scriptura ad Abraham: “Eice ancillam et filium eius; non enim erit heres ancillæ filius cum filio liberæ”.

Si igitur ancillæ filius heres non est, nec ergo filius est.

Cur autem queritur tale coniugium, de quo susceptus filius nec successionis possit esse heres nec sanguinis?

Nec enim potest habere hereditatis consortium qui non habet originis priuilegium.

Cur, inquam, queritur tale contubernium, de quo nati filii non sunt testes matrimonii, sed adulterii?

Cur huiusmodi suscipiuntur adulterini, qui patri pudori sunt, non honori?

Dicit scriptura: “Adulterorum filii etc.”.

Mulier igitur tua, si talibus moribus pedita est, ut mereatur consortium, mereatur et nomen uxoris.

Presta concubinæ tuæ libertatem et nomen uxoris, ne tui adulter sis potius quam maritus.

**C. X.** Adulteria non sunt faciendæ uoluntate generandi filios.

Item Augustinus ad Claudium contra Iulianum libro V.

Sic non sunt faciendæ adulteria etiam uoluntate filios generandi, quemadmodum nec furta sunt faciendæ etiam uoluntate pascendi pauperes sanctos; quod tamen est faciendum non furta perpetrando, sed bene utendo mammona iniquitatis.

#### **V. Pars.**

Gratian. Ecce, quod nullo modo licet alicui uiuente uxore sua, uel ex ancilla, uel ex alia qualibet filios querere, qui etiam suscepti filiorum nomine iudicantur indigni.

Simplex etiam fornicatio sacra scriptura prohibetur.

Unde Augustinus in questionibus Deuteronomii: [quest. XXXVII. ad c. 23].

**C. XI.** Illicitus concubitus et omnis non legitimus usus illorum membrorum nomine mechiae intelligitur.

Meretrices esse, et ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publice uenalis est turpitude.

In Decalogo autem mechiae nomine non uidetur hoc aperte prohibuisse, quoniam mechia non nisi adulterium intelligi solet.

Idem super Exodum:

[quest. 71]. §. 1. Omnis mechia etiam fornicatio in scripturis dicitur.

Sed utrum etiam omnis fornicatio mechia dici possit, in eisdem scripturis non michi interim occurrit locutionis exemplum; sed si omnis fornicatio etiam mechia dici non potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt qui uxores non habent, cum feminis, que uiros non habent, an inueniri possit, ignoro.

Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienae (non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed utique a parte totum intelligere uoluit, quicquid illicite rerum proximi aufertur) profecto nomine mechiae omnis illicitus concubitus atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

**C. XII.** Extraordinaria uoluptas et inuerecunda opera nuptiarum luxuria et immundicia appellantur.

Item Ieronimus. [in c. 5. epist. ad Gal. ad uers. Manifesta autem].

In eo fornicator est maioris criminis, quia tollit membra Christi, et facit ea membra meretricis; “erunt quippe duo in carne una”.

Qui non est fidelis, nec credit in Christo, sua membra facit membra meretricis.

E contrario infidelis in fornicatione sua utrum uiolet, an edificet templum idolo, nescio.

Per uicia quippe uel maxime demones coluntur.

Hoc unum scio, quod qui post fidem Christi fornicatur uiolat templum Dei.

Secundum opus carnis immunditia nuncupatur, et eam comes luxuria sequitur.

Quomodo enim in ueteri lege de nefandis criminibus, que in occulto fiunt, que etiam nominare turpissimum est, ne et dicentis os, et aures audientium polluerentur, generaliter scriptura complexa est, dicens: “Verecundos uel uerentes facite filios Israel ab omni immundicia,” sic in hoc loco ceteras extraordinarias uoluptates, ipsarum quoque opera nuptiarum, si non uerecunde et cum honestate quasi sub oculis Dei fiant, ut tantum liberis seruiatur immunditiam et luxuriam nominauit.

**C. XIII.** Inmoderatus usus mulierum Salomonem ad idolatriam traxit.

Item Gregorius. [in Moralibus lib. XII. c. 12].

Salomon quippe inmoderato usu atque assiduitate mulierum ad hoc usque perductus est, ut templum idolis fabricaret, et qui prius Deo templum construxerat, assiduitate libidinis et perfidiae substratus idolis construere templa non timuit.

**C. XIV.** Liberorum procreatio in matrimonio laudatur; meretricia uoluptas etiam in uxore dampnatur.

Item Ieronimus. [in c. 5. epist. ad Ephesios, ad uers. Viri diligite].

Liberorum ergo, ut diximus, in matrimonio opera concessa sunt; uoluptates autem, que de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore dampnatæ.

**VI. Pars.**

Gratian. Quare autem tales non dicantur filii, uel quem suorum parentum sequantur, qui ex libero et ancilla nascuntur, Ysidorus Ethimologiarum libro IX. [c. 5]. determinat:

**C. XV.** Qui sint liberi, et quam condicionem parentum sequantur.

Liberi dicti sunt, qui ex libero matrimonio sunt orti.

Nam filii ex libero et ancilla seruilis condicionis sunt.

Semper enim qui nascitur deteriores partes sumit.

Naturales autem filii dicuntur ingenuarum concubinarum filii, quos sola natura genuit, non honesta coniugii.

§. 1. Hii uero, qui non sunt de legitimo matrimonio, matrem potius quam patrem secuntur.

**QUESTIO V.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Quod autem pudicitia uiolenter eripi non possit, multorum auctoritatibus probatur.

Est enim uirtus animi, que uiolentiam non sentit.

Corpori namque uis infertur, non animo.

Unde, quamuis corpus uiolenter corrumpatur si pudicitia mentis seruetur illesa, tamen castitas duplicatur.

Sicut B. Lucia fertur dixisse Pascasio.

“Si inuitam me feceris uiolari, castitas michi duplicabitur ad coronam”.

De sensibus enim et uoluntatibus iudicat Deus.

Hinc Ambrosius scribit in libro V. de uirginibus:

**C. I.** Melior est uirginitas mentis quam carnis.

Tollerabilius est mentem uirginem, quam carnem habere.

Utrumque bonum, si liceat; si non liceat, saltem non homini casti, sed Deo simus.

§. 1. Virgo prostitui potest, adulterari non potest.

Ubi cumque Dei uirgo est, templum Dei est; nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam.

**C. II.** Mente incorrupta non corrumpitur caro.

Idem. [ad uirginem lapsam, c. 4].

Reuera non potest caro ante corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta.

**C. III.** Aliena libido neminem polluit.

Item Augustinus de ciuitate Dei. [lib. I. c. 18].

Ita, ne aliquem polluat aliena libido, metuitur?

Non polluet, si aliena erit, si autem polluet, non aliena erit.

Sed cum pudicitia sit uirtus animi, comitem que habeat fortitudinem, potius quelibet mala tollerare, quam malo consentire decernat, nullus autem magnanimus et pudicus in

potestate habet quid de sua carne fiat, sed tantum quod annuat mente uel rennuat: quis tandem sana scilicet mente putauerit, se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa uel oppressa carne sua exerceatur et expleatur libido non sua?

[[C. IV].

Idem. [ibidem]

Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, ipsi corpori non aufert sanctitatem uiolentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia suæ continentiæ.

An uero, si aliqua femina mente corrupta, uiolato que proposito, quod Deo uouerat, pergat uicianda ad suum deceptorem, adhuc eam pergentem sanctam uel corpore dicimus, ea sanctitate animi, per quam corpus sanctificatur, amissa atque destructa?

Absit hic error, et hinc potius ammoneamur, ita amitti corporis sanctitatem, etiam intacto corpore.

Idem:

[c. 19]. §. 1. Lucretiam, matronam nobilem ueterem que Romanam, magnis pudicitia laudibus efferunt.

Huius corpore cum uiolentus Tarquini regis filius libidinose potitus esset, illa scelus inprobissimi iuuenis marito Collatino, et propinquo Bruto, uiris clarissimis et fortissimis indicauit, eos que ad uindictam constrinxit.

Deinde fedi in se conmissi egra atque inpatiens se peremit.

Quid dicimus? adultera hec, an casta dicenda est?

Quis in hac controuersia laborabit? Egregie quidam ex hoc et ueraciter declamans ait: "Mirabile dictu; duo fuerunt, et adulterium unus admisit".

Splendide atque uerissime.

Intuens enim in duum corporum conmixtione unius inquinatissimam cupiditatem, unius castissimam uoluntatem, et non quod corporum coniunctione, sed quod animorum diuersitate ageretur, attendens: "Duo," inquit, "fuerunt, et unus adulterium admisit".

[PALEA. C. V.

Idem in eodem libro, capitulo 27.

Non fidelibus Christi sit tedio uestra uita, si ludibrio fuit hostibus castitas uestra.

Habetis magnam ueram que consolationem, si fidam conscientiam retinetis, non consensisse peccatis eorum, qui in uos peccare permissi sunt.

Idem in libro de duabus animabus:

[c. 10]. §. 1. Non nisi uoluntate peccatur].

[[C. VI].

Idem in libro I. de libero arbitrio. [c. 5].

De pudicitia quis dubitauit, quin ea sit in animo constituta, quandoquidem uirtus est?

Unde a uiolento stupratore nec ipsa eripi potest.

Item Ieronimus super epistolam ad Romanos libro 1.:

§. 1. Fieri non potest, ut, nisi quis prius mechetur in corde, mechari possit in corpore.

[PALEA. Idem super Lucam in libro 2.:

§. 2. Finge in persecutione aliquam uirginem prostitutam; hec apud euangelium, quia uoluntate non peccat, uirgo suscipitur, in lege quasi corrupta repudiatur.

Idem in libro hebraicarum questionum:

(in Genes. ad cap. 12). §. 3. Corpus mulieris non uis maculat, sed uoluntas].

Item Augustinus in libro de sancta uirginitate:

[c. 8]. §. 4. Sicut nemo in pudice utitur corpore, nisi prius spiritu concepta nequitia: ita nemo seruat pudicitiam in corpore, nisi spiritui prius insita castitate.

**C. VII.** In corpore pudicitia uiolari non potest, si mens inuiolata seruetur.

Idem Victoriano. [epist. CXXII].

Ad Deum ingemiscuntibus omnino suis aderit qui suis adesse consuevit, et aut nichil in earum castissimis membris libidine hostili perpetrare permittit, aut si permittit, cum earum animus nulla consensionis turpitudine maculatur, etiam carnem suam defendunt a crimine, et quicquid in ea nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpæ facientis, omnis que illa uiolencia non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis uulnere deputabitur.

Tantum enim ualet in mente integritas castitatis, ut illa inuiolata nec in corpore possit pudicitia uiolari, cuius membra potuerunt superari.

**C. VIII.** Caro non peccat, si a contagione anima fuerit munda.

Item Ysidorus in Sinonimis, libro II. [c. I].

Non potest corpus corrumpi, nisi prius animus corruptus fuerit.

Munda namque a contagione animi caro non peccat.

**C. IX.** Pudicitia carnis non eripitur, si mente seruatur.

Item Augustinus Honorato Episcopo. [ep. CLXXX].

Magis timeamus, ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei, quam ne feminæ constuprentur uiolenter in carne, quia uiolencia non uiolatur pudicitia, si mente seruatur, quoniam nec in carne uiolatur, quando uoluntas patientis turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolleratur quod alius operatur.

**C. X.** Nec peccatum, nec iusticia opere sine uoluntate perficitur.

Item Iohannes Crisostomus [id est auctor operis imperfecti] super Mattheum. [hom. XXXII. ad. c. 19].

Sicut enim peccatum opus sine uoluntate non facit, ita et iusticia ex opere non consummatur, nisi et uoluntas affuerit.

Multi enim corpore quidem castitati student, adulterium quidem uoluntate committunt cum Dominus dicat: “Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo”.

Ergo uoluntas sine opere frequenter peccat.

Illa est ergo gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur uoluntas sancti propositi.

**C. XI.** Virginitas carnis non seruatur mente corrupta.

Item Ieronimus in epistola ad Eustochium. [de custodia uirginitatis]

## **II. Pars.**

Si Paulus apostolus uas electionis, et preparatus in euangelio Christi, ob carnis aculeos et incentiua uiciorum reprimat corpus suum, et seruituti subicit, ne aliis predicans ipse reprobis inueniatur, et tamen uidet aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, et captiuantem se in lege peccati; si post nuditatem, ieiunia, famem

carceres, flagella, supplicia, in semet reuersus exclamat: “Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?”

tu te putas securam esse debere? Caue, queso, ne quando et de te dicat Deus: “Virgo Israël cecidit, et non est qui suscitetur eam”.

Audenter dicam: cum omnia possit Deus suscitare uirginem non potest post ruinam.

Valet quidem liberare de pena, sed non ualet coronare corruptam.

§. 1. Timeamus illam prophetiam, ne in nobis etiam compleatur: “Et uirgines bonæ deficient”.

Obserua quid dicat: Et uirgines bonæ deficient, quia sunt et uirgines malæ.

“Qui uiderit,” inquit, “mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo”.

Perit ergo et mente uirginitas.

Istæ sunt uirgines malæ, uirgines carne, non spiritu; uirgines stultæ, que oleum non habentes excluduntur a sponso.

Si autem et illæ, que uirgines sunt, ob alias tamen culpas uirginitate corporum non saluantur, quid fiet illis, que prostituerunt membra Christi, et inmutauerunt templum sancti Spiritus in lupanar?

Illico audient prophetam dicentem: “Descende, sede in terra uirgo filia Babilonis, sede in terra; non est filiæ Chaldeorum thronus; non uocaberis ultra mollis et delicata.

Accipe molam, mole farinam, discooperi uelamen tuum, denuda crura tua, transi flumina, reuelabitur ignominia tua, apparebunt opprobria tua”.

Et hoc post Dei filii thalamum, post oscula fratruelis et sponsi; illa, de qua quondam sermo propheticus concinebat: “Astitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato, circumdata uarietate,” nudabitur, et posteriora eius ponentur in faciem ipsius.

Sedebit ad aquas solitudinis, et posito uase diuaricabit pedes suos omni transeunti, et usque ad uerticem polluetur.

Rectius fuerat hominem subisse coniugium, et ambulasse per plana, quam ad altiora tendentem in profundum inferni cadere.

Non fiat, obsecro, ciuitas meretrix filia Syon, ne post Trinitatis hospitium ibi demones saltent, et Syrenæ nidificent et hericii.

**C. XII.** Corpore intacto nonnumquam castitas amittitur.

Item Augustinus de fide christiana.

### **III. Pars.**

Nec solo tactu et affectu sed aspectu quoque concupiscentia appetitur et appetitularum.

Nec dicatis uos habere animos pudicos, si habeatis oculo inpudicos, quia inpudicus oculus inpudici cordis est nuncius et, cum se inuicem sibi, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant inpudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab inmunda uiolatione corporibus fugit ipsa castitas de moribus.

**C. XIII.** Adulterium perpetratur, cum uel innupta uel nupta turpiter concupiscitur.

Item Gregorius. [in Moralibus, lib. XXI. c. 9].

“Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo”.

Quia enim greco uerbo adulter mechus dicitur, cum non aliena coniux, sed mulier uideri prohibetur, aperte ueritas ostendit, quia etiam solo uisu, cum turpiter uel innupta concupiscitur, adulterium perpetratur.

Quod tamen plerumque ex loco uel ordine concupiscentium discernitur, quia sic hunc studiosa in sacro ordine concupiscentia, sicut illum adulterii inquinat culpa, in personis tamen non dissimilibus idem luxuriæ distinguitur reatus.

#### IV. Pars.

Gratian. Quamuis autem uiolenter oppressæ pudicitiam non amiserint, incontaminatis tamen se non audeant exequare uirginibus.

Unde Leo Papa: [epist. LXXXV. al. LXXXVII. ad Episcopos Afric., c. 5].

C. XIV. Que opprimuntur incontaminatis se uirginibus comparare non audeant.

Illæ autem famulæ Dei, que integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac uerecundia, si se incontaminatis non audeant comparare uirginibus.

Quamuis enim omne peccatum ex uoluntate nascatur, et potuerit corruptione carnis mens inuita non pollui, minus tamen hoc illis oberit, si quod potuerunt animo non amittere doleant se uel corpore perdidisse.

Gratian. Cum ergo hec, que uiolentiam passa est, pudicitiam amisisse probari non potest, nullo modo conuincitur fornicationis uel adulterii crimen incurrisse.

Ut enim Augustinus ait in libro de bono coniugali: [c. 4]. “Adulterium committitur, cum uel propriæ libidinis instinctu, uel alienæ consensu cum altera uel altero contra pactum coniugale concumbitur, atque ita frangitur fides, que in rebus corporeis et abiectis magnum animi bonum est, et ideo ei salutem quoque corporalem, qua etiam uita ista continetur, certum est debere postponi”.

C. XV. Mechatur qui alicui preter matrimonii fedus miscetur.

Item Ysidorus super Exodum. [c. 29].

“Non mechaberis,” id est, nec quisquam preter matrimonii federa aliis feminis admisceatur ad explendam libidinem.

Nam adulterium facit qui preter suam ad alteram accedit.

C. XVI. Qui uiuente uxore sua alteram cognoscit adulterium committit.

Item Augustinus de adulterinis coniugiis. [l. II. c. 13].

Puto Christianum neminem reluctari, adulterum esse, qui uel diu languente, uel diu absente, uel continenter uiuere cupiente sua uxore, alteri conmixtus est feminæ.

#### V. Pars.

Gratian. Cum ergo nichil horum in ista deprehendatur fuisse, quia nec propriæ libidinis instinctu, nec alienæ consensu, nec uiro languente uel absente, uel continenter uiuere cupiente alii adhesit, sed uiolenter aliena libidine oppressa uim pertulit, apparet, quod nec fornicaria, nec adultera dici potest.

Unde nec aliqua occasione ualet dimitti.

Cum enim quererent Iudei Christo, utrum liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa, respondit eis: “Numquam legistis, quia qui fecit eos ab inicio masculum et feminam creavit eos?”

Quod ergo Deus coniunxit homo non separet”.

Deinde ita sermonem suum conclusit, ut diceret, neminem posse dimittere uxorem suam, excepta causa fornicationis.

Hinc Apostolus ait in epistola ad Corinthios: “His, qui matrimonio iuncti sunt, precipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere”.

Unde datur intelligi, quod qualiscumque fuerit uir et uxor, ex quo coniugali affectu sibi adhererint, ulterius ab inuicem discedere non ualent.

Unde Ambrosius in Hexameron, titulo diei quartæ, scribit:

**C. XVII.** Qualiscumque sit uir, ex quo semel placuit, non est dimittendus.

Horrendus et incultus est uir qui semel placuit; numquid uir alius est eligendus?

Conparem suum equus diligit, et, si mutetur alius, trahere iugum nescit conpar alterius, et se non totum putat.

Tu iugalem repudias tuum, et sepe mutandum putas?

muta et si uno defecerit die, superduc riualem, et statim, incognita causa, quasi cognitam pudoris exequeris iniuriam?

**C. XVIII.** Similiter de uxore intelligitur.

Item Augustinus. [de sermone Domini in monte, lib. I. c. 32].

Si uxorem quis habeat sterilem, siue corpore deformem siue debilem membris, uel cecam, uel surdam, uel claudam, uel si quid aliud, siue morbis, uel laboribus doloribus que, confectam, et quicquid (excepta fornicatione) cogitari potest uehementer horrible, pro societate fide que sustineat.

**C. XIX.** Non licet uiro uxorem dimittere nisi causa fornicationis.

Item Ieronimus ad Oceanum de morte Fabiolæ.

Precepit Dominus, uxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, et, si dimissa fuerit, manere innuptam.

Quicquid uiris precipitur, hoc consequenter redundat ad feminas.

Neque enim adultera uxor dimittenda est, et uir mechus tenendus est.

[[**C. XX**].

Item.

Apud nos quod non licet feminis eque non licet uiris, et eadem seruitus pari condicione censetur.

**C. XXI.** Communione priuetur qui citra fornicationis causam uxorem suam dimittit.

Item ex Concilio Tolletano XII. [c. 8].

## **VI. Pars.**

Preceptum Domini est, ut excepta causa fornicationis uxor a uiro dimitti non debeat, et ideo quicumque citra culpam criminis supradicti uxorem suam quacumque occasione reliquerit, quia quod Deus iunxit ille separare disposuit, tamdiu ab ecclesiastica



communione priuatus, et a cetu omnium Christianorum maneat alienus, quamdiu societatem relictæ coniugis sinceriter amplectatur et foueat.

Itaque qui iam admoniti sacerdote semel et bis et ter, ut corrigantur, ad suæ coniugis noluerint redire consortium ipsi se suis meritis et a palatinæ dignitatis offitio separabunt, et insuper generosæ dignitatis testimonium, quamdiu in culpa fuerint, amissuri sunt, quia carnem suam discidii iugulo tradiderunt.

[[C. XXII]. Item.

Nykolaus ad consulta Bulgarorum. [c. 96].

Quicquid mulier contra te cogitauerit uel si te accusauerit, non est, excepta causa fornicationis, reicienda uel prorsus odio habenda

## VII. Pars.

Gratian. Sed queritur, cum sit par utriusque condicio, cur communicantes uiri cum adulteris uxoribus non conueniant, cum econtra uxores in consortio adulterorum uirorum manere uideantur.

De his ita scribit Innocentius Papa: [epist. III., ad Exsuperium Episcopum, c. 4].

C. XXIII. In utroque sexu adulterium pari ratione punitur.

Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condempnat.

Sed uiros suos mulieres non facile de adulterio accusant, et non habent latentia peccata uindictam.

Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt, et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communitio denegatur; uirorum autem latente commisso non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur; qui utique submouebitur, si eius flagitium detegatur.

Cum enim par causa sit, interdum probatione cessante uindictæ ratio conquiescit.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

Ecce, quod ista dimitti non ualet, cum innocens a fornicatione inueniatur.

Sed ponatur, quod ipsa sit adultera, queritur, si adulter possit dimittere eam causa fornicationis?

Non enim uidetur, quod pari crimine infectus alium de eodem punire possit.

Unde, cum Iudei adulteram accusarent equitatis sententiam a Domino acceperunt: “Quicumque uestrum sine peccato est primus in illam lapidem mittat”.

Hinc etiam in euangelio precipitur: “Ypocrita, primum eice trabem de oculo tuo, et postea educes festucam de oculo fratris tui”.

Hinc etiam Augustinus scribit in libro I. de sermone Domini in monte: [c. 28].

C. I. Qui fornicatur fornicationis causa uxorem suam dimittere non potest.

Nichil iniquius est quam causa fornicationis dimittere uxorem, si et ipse conuincitur fornicari.

Occurrit enim illud: “In quo alterum iudicas te ipsum condempnas, eadem enim agis, que iudicas”.

Quapropter quisquis fornicationis causa uult abicere uxorem, prior debet a fornicatione esse purgatus.

Quod similiter etiam de femina dixerim.

**C. II.** Qualem quisque uult inuenire uxorem, talem se seruet eidem.

Idem de uerbis Domini, tractatu [siue serm.].

XLVI.

Si ducturi estis uxores, seruare uos uxoribus uestris.

Quales uultis eas inuenire, tales et ipsæ uos inueniant.

Quis iuuenis est, qui non castam uelit ducere uxorem?

et si accepturus est uirginem, quis non intactam desideret?

Intactam queris intactus esto; queris puram? purus esto.

Non enim illa potest, et tu non potes.

**C. III.** Iudicium de alio expetere non debet qui de se iudicari contempnit.

Idem in epistola ad Paxentium, Comitem Arrianum. [epist. CLXXIV].

Iniustum est, ut quisque de alio iudicare uelit, et iudicari de se nolit.

**C. IV.** Viri grauius sunt puniendi quam mulieres de adulterio.

Idem de adulterinis coniugiis. [lib. II. c. 8].

Indignantur mariti, si audiant adulteros uiros pendere similes adulteris feminis penas, cum tanto grauius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et uirtute uincere, et exemplo regere feminas.

**C. V.** Sicut uir est caput mulieris, sic adulterando grauius delinquit quam mulier.

Idem de decem cordis. [c. 3].

“Non mechaberis,” id est non ibis ad aliquam aliam preter uxorem tuam.

Tu autem exigis hoc ab uxore, et non uis reddere hoc uxori?

et cum debeas in uirtute precedere uxorem, (quoniam castitas uirtus est) tu sub uno impetu libidinis cadis?

et uis uxorem tuam uictricem esse, tu uictus iaces?

et cum tu caput sis uxoris precedit te ad Deum cuius caput es?

uis tuam domum capite deorsum pendere? Caput enim mulieris est uir.

Ubi autem melius uiuit mulier quam uir, capite deorsum pendet domus.

Si caput est uir, melius debet uiuere uir, et precedere in omnibus bonis factis uxorem suam.

Gratian. His auctoritatibus monstratur, quod adulter adulteram dimittere non ualet.

## QUESTIO VII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Nunc autem queritur, si ille, qui dimiserit uxorem suam causa fornicationis, illa uiuente aliam ducere poterit?

Quod autem hoc fieri non possit, testatur Augustinus in libro de bono coniugali [c. 7]. dicens:

**C. I.** Vinculum coniugii fornicatione dissolui non potest.

Interueniente diuortio non aboletur confederatio nuptialis, ita ut sibi coniuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committitur, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati.

**C. II.** Nulla ratione dissoluitur coniugium, quod semel initum probatur.

Idem de adulterinis coniugiis, libro II. [c. 4. et 5].

Licite dimittitur uxor ob causam fornicationis, sed manet uinculum prioris.

Propter quod fit reus adulterii quicumque duxerit dimissam ob causam fornicationis.

Sicut autem, manente in se sacramento regenerationis, excommunicatur quisquis reus criminis est, ita que separatur a uiro numquam carebit sacramento coniugii, etiamsi non reconcilietur uiro.

Carebit autem, si mortuus fuerit uir eius.

Reus uero excommunicationis ideo numquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus, quia numquam moritur Deus.

**C. III.** Siue uir ab uxore, siue uxor a uiro causa fornicationis discesserit, alteri adherere prohibetur.

Idem super epistolam Pauli ad Chorinthios.

Apostolus dicit: “His, qui sunt in coniugio precipio non ego, sed Dominus, uxorem a uiro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari uir suo”.

Potest enim fieri, ut discedat ea causa, quam Dominus permisit.

At, si feminæ licet uirum dimittere propter causam fornicationis quid respondebimus de hoc, quod dicit posterius: “Et uir uxorem non dimittat?”

quare non addit: “excepta causa fornicationis,” quod Dominus permittit?

nisi quod similem formam uult intelligi, ut, si dimiserit, (quod causa fornicationis permittitur), maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori?

Et post pauca:

§. 1. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti.

Sed quia permisit, non iussit.

[[**C. IV.**]

Idem de sermone Domini in monte. [lib. I. c. 25].

Fieri potest, ut uir dimittat uxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse uoluit.

Iam uero si nec illi nubere conceditur uiro uiuo, a quo recessit, neque huic alteram ducere uiua uxore, quam dimisit, multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere.

**C. V.** Ab uxore dimissus, uel dimissa a uiro, ad penitentiam redigantur, nisi aut continenter uiuere, aut sibi reconciliari uoluerint.

Item ex Concilio Mileuitano. [c. 17].

Placuit, ut secundum euangelicam et apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.

Quod si contempserint, ad penitentiam redigantur.

**C. VI.** Mechatur qui a uiro dimissam ducere presumit.

Item Augustinus [l. I]. de sermone Domini in monte. [c. 25].

Dominus ad illud confirmandum, ut non facile dimittatur uxor, solam causam fornicationis exceptit, ceteras uero uniuersas molestias, si que extiterint, iubet pro fide coniugali, et pro castitate fortiter sustineri.

Et mechum dicit etiam uirum, qui eam duxerit, que soluta est a uiro.

**C. VII. Adultera probatur que uiuente marito alteri nubit.**

Item Ieronimus ad Amandum Presbiterum.

Omnes causationes Apostolus amputans apertissime diffiniuit, uiuente uiro esse adulteram mulierem, si alteri nupserit.

Nolo michi proferas raptoris uiolentiam, matris prestationem, patris auctoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias, parentum dampna rei familiaris.

Quamdiu uiuit uir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagiciis omnibus coopertus, et ab uxore propter hec scelera derelictus, maritus est reputatus, cui alterum uirum accipere non licet.

Non hoc Apostolus propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente Christi uerba sectatus est, qui ait in euangelio: “Qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mechari, et qui dimissam acceperit adulter est”.

Unde et Apostoli grauem coniugii sarcinam intelligentes: “Si ita est,” inquit, “non expedit homini uxorem accipere”.

Ad quod Dominus, “qui potest,” inquit, “capere capiat,” statim que sub exemplo trium eunuchorum uirginitatis infert beatitudinem, que nulla carnis lege retinetur.

**C. VIII. Mulieri fideli, que uirum adulterum dimittit, alii nubere non licet.**

Item ex Concilio Elibertano. [c. 9].

Fidelis femina, que adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat.

Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquerit, de seculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.

**C. IX. Ad penitenciam est cogendus qui multis nuptiis copulatur.**

Item ex Concilio Martini Papæ. [id est ex cap. Martini Bracarenis, c. 80].

Si quis fuerit multis nuptiis copulatus, penitenciam agat.

Conuersatio autem et fides penitentis tempus comprehendat.

**C. X Qui ob fornicationem uxorem dimittit, et aliam ducit, mechari probatur.**

Item Augustinus de adulterinis coniugiis, libro I. [c. 9].

Quemadmodum non recte dici potest: si nescit homo, non peccat, (sunt enim etiam peccata ignorantium, quamuis minora quam scientium), ita non recte dici potest: si causa fornicationis dimiserit uxorem uir, et aliam duxerit, non mechatur.

Est enim mechatio etiam eorum, qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt.

## II. Pars.

Gratian. Sunt enim in fornicatione gradus, ut, sicut grauius peccat adulter quam fornicator, sic grauius delinquit qui nec sua dimissa aliam ducit, eo, qui suam dimittens

aliam cognoscit; grauius quoque, qui uxorem habens ad coniugem proximi sui accedit, quam qui sine uxore thorum alterius uiolat, uel uxoratus ad solutam accedens. Sed hos omnes incestuosi transcendunt, quos uincunt contra naturam delinquentes. Unde Augustinus de adulterinis coniugiis:

[[C. XI].

“Adulterii malum uincit fornicationem, uincitur autem ab incestu.

Peius est enim cum matre, quam cum aliena uxore concumbere.

Sed omnium horum pessimum est quod contra naturam fit, ut si uir membro mulieris non ad hoc concessio uoluerit uti.

Usus enim naturalis si ultra modum prolabitur, in uxore quidem ueniale est, in meretrice dampnabile. Iste, qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore.

Tantum ualet ordinatio creatoris et ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tollerabilius, quam in eis, que concessa non sunt, uel unus uel rarus excessus”.

**C. XII.** Minus est secundum naturam coire, quam contra naturam delinquere.

Item Ambrosius in libro de Patriarchis. [lib. I. de Abraham c. 6].

Offerebat sanctus Loth filiarum pudorem.

Nam etsi illa quoque flagiciosa impuritas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam aduersus naturam delinquere.

Preferebat domus suæ uerecundiæ hospitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem.

**C. XIII.** Grauiora sunt flagicia, que contra naturam probantur.

Item Augustinus Confessionum libro III. [c. 8].

Flagicia, que sunt contra naturam, ubique ac semper repudianda atque punienda sunt; qualia Sodomitarum fuerunt.

Que si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, que non sic fecit homines, ut se illo uterentur modo.

Violatur quippe ipsa societas, que cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ipse auctor est, libidinis peruersitate polluitur.

**C. XIV.** Turpior et flagitiosior est usus contra naturam, quam fornicationis uel adulterii.

Idem contra Iouinianum, libro I.

Usus naturalis et licitus est sicut in coniugio, et illicitus sicut in adulterio.

Contra naturam uero semper illicitus, et proculdubio flagitiosior atque turpior, quem S. Apostolus et in feminis, et in masculis arguebat, dampnabiliores uolens intelligi, quam si in usu naturali uel adulterando uel fornicando peccarent.

**C. XV.** Omnis immunda pollutio fornicatio est, licet uaria sint peccata fornicationis.

Item Ysidorus. [lib. II. de summo bono c. 39].

### III. Pars.

Non solum de comissa fornicatione peccatum regnat in homine, sed, si adhuc delectatur, atque animum teneat, proculdubio regnat.

Fornicatio carnis adulterium est: fornicatio animi seruitus est idolorum.

Est autem et spiritualis fornicatio, de qua Dominus ait: “Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo”.

Omnis inmundanda pollutio fornicatio dicitur, quamuis quisque diuersa turpitudinis uoluptate prostituatur.

Ex delectatione enim fornicandi uaria gignuntur flagicia, quibus regnum Dei clauditur, ut homo a Deo separetur.

§. 1. Inter cetera septem uicia fornicatio maximi est sceleris, quia per carnis inmunditiam templum Dei uiolat.

Sunt autem quedam, que sicut animalia absque ulla discretionem indiesinenter libidini seruiunt, quas ego nec mutis pecudibus conparauerim.

Pecora enim cum conceperint, ultra non indulgent maribus copiam sui.

**C. XVI.** Adulterium secundum in penis obtinet locum.

Item ex epistola [I]. Clementis. [ad Iacobum]

Quid in omnibus peccatis est adulterio grauius?

Secundum namque in penis obtinet locum, quem quidem primum illi habent, qui aberrant a Deo, etiamsi sobrie uixerint.

Gratian. His auctoritatibus eidentissime monstratur, quod quicumque causa fornicationis uxorem suam dimiserit, illa uiuente aliam ducere non poterit, et, si duxerit, reus adulterii erit.

#### **IV. Pars.**

§. 1. His ita respondetur.

He auctoritates de eis locuntur, quorum continentiam carnalis infirmitas non inpedit, uel de his, qui, prestantes causam discidii, aliorum coniunctione se reddiderunt indignos.

Unde Ambrosius super [1]. epistolam Pauli ad Chorinthios: [ad c. 7].

[[C. XVII].

“Uxor a uiro non discedat, nisi causa fornicationis; quod si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur uiro suo; et uir similiter non dimittat uxorem”.

Ideo non subdit de uiro quod de uxore premisit, quia uiro licet ducere aliam”.

**C. XVIII** Licet ducere aliam infirmo, cui sua ob infirmitatem corporis debitum reddere non ualet.

Item Gregorius iunior Bonifatio Episcopo. [epist. IV].

Quod posuisti, si mulier infirmitate correpta non ualuerit uiro debitum reddere, quid eius faciat iugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ uacaret.

Sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen ei subsidii opem subtrahat, quam infirmitas prepedit, non detestabilis culpa excludit.

#### **V. Pars.**

Gratian. Sed illud Ambrosii a falsatoribus dicitur insertum.

Illud Gregorii sacris canonibus, imo euangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus inuenitur aduersum.

Quidam uero, sententiam Ambrosii seruare cupientes, non de qualibet fornicatione illud arbitrantur intelligi, ut ob quamlibet fornicationem uir licite dimittat uxorem, et uiuente dimissa aliam ducat, sed de incestuosa tantum fornicatione intelligitur, cum uxor uidelicet alicuius, patri et filio, fratri uel auunculo uiri sui, uel alicui similibus se constuprandam publice tradiderit.

Hec autem, quia uiro suo se illicitam reddidit in perpetuum, dum per copulam consanguinitatis in primum, uel secundum, uel tertium gradum transiuit affinitatis, licite dimittitur, et ea uiuente superducitur alia.

Hic si quis contendat, non magis uiro, quam mulieri licitum esse, si uir alicuius eodem modo fornicetur, sciat, uirum ab Ambrosio appellatum non sexu, sed animi uirtute; mulierem quoque nominatam sentiat non sexu corporis, sed mollicie mentis.

Sed quia nulla auctoritate permittitur, ut uiuente uxore alia superducatur, intelligitur illud Ambrosii in supradicto fornicationis genere: non tamen, quod uiuente dimissa aliam ducere possit, sed post mortem fornicariæ uel fornicarii, (quorum uterque, ut supra dictum est, a corruptione luxuriæ mulier appellatur), ille, qui a fornicatione mundus est, uir siue mulier aliis copulari possunt; adulteri autem, si superuixerint, nullo modo aliis copulari poterunt.

Sic et illud intelligitur, quod in Capitulo cuiusdam Concilii legitur:

**C. XIX.** Licitum coniugium non negetur illi, cuius uxor cum suo fratre dormiuit.

Quedam cum fratre uiri sui dormiuit: decretum est, ut adulteri numquam coniugio copulentur; illi uero, cuius uxor stuprata est, licita coniugia non negentur.

Sic et illud Maguntiensis Concilii intelligitur:

**C. XX.** Disiungantur, et numquam coniugio copulentur, qui quodlibet infra subiectorum admiserit.

Si quis uiduam duxerit uxorem, et postea cum filiastra fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre et filio, si quis relictam fratris, si quis neptem, aut nouercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam auunculi, aut eius relictam, aut priuignam polluerit, eos disiungi, et ulterius numquam coniugio copulari precipimus.

**C. XXI.** Sororem uxoris polluens neutram habere ualet.

Item.

Qui dormierit cum duabus sororibus, et una ex illis antea uxor fuerit, neutram ex ipsis habeat: nec ipsi adulteri umquam in coniugio copulentur.

**C. XXII.** Causa adulterii uxorem relinquens continentiam seruet.

Item illud Gregorii.

Hii uero, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit nec eum, nec illam aliam uxorem accipere, uel alium uirum, quamdiu ambo uiuunt.

Si autem adultera mortua fuerit, uir eius, si uult, nubat, tantum in Domino; adultera uero numquam, etiamsi mortuus fuerit uir eius.

Omnibus tamen diebus uitæ suæ acerrimæ penitentiæ lamenta persoluat.

**C. XXIII.** Neutram habeat qui sororem uxoris polluit.

Item ex Decreto Zachariæ Papæ.

Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas, et si illa, que uxor tua fuit, conscia sceleris non fuit, si se continere non uult, nubat in Domino cui uelit. Tu autem et adultera sine spe coniugii permaneatis, et, quamdiu uiuitis, iuxta preceptum sacerdotis penitentiam agite.

**C. XXIV.** Cum nouerca, uel filiastra, uel sorore uxoris dormiens ad coniugium non potest peruenire; uiris earum legitima non negantur coniugia.

Item ex Triburiensi Concilio.

Si quis cum nouerca sua dormierit, neuter potest ad coniugium peruenire; sed uir eius potest, si uult, aliam accipere, si se continere non potest.

§. 1. Similiter qui cum filiastra sua, uel cum sorore suæ uxoris dormierit, obseruandum est.

Gratian. Quamuis illud, quod in fine Maguntiensis concilii ponitur, a nonnullis non de legitime coniunctis, sed de fornicariis dictum intelligatur, uidelicet ut fornicarii discedant ab inuicem, et sine spe coniugii maneant; illud uero Gregorii ad Bonifatium Anglicis pro tempore permissum est, quibus B. Gregorius in quarta et quinta generatione coniugia contrahi permisit; alias autem inane esset, cum Augustinus dicat in sermone Domini in monte: “Si uxorem quis habeat sterilem, etc.”.

**C. XXV.** Ob infirmitatem uel dampna corporis coniugium solui non licet.

Item Nykolaus ad Carolum, Maguntiensem Episcopum.

## **VI. Pars.**

Hii, qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solui non possunt.

Similiter est sciendum de his, qui ab aduersariis excecantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.

**C. XXVI.** Furiosus et furiosa matrimonium contrahere non possunt.

Item Fabianus Papa.

Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur.

## **VII. Pars.**

Gratian. Ut ergo ex premissis colligitur, non licet huic dimissa uxore sua aliam ducere. Manet enim inter eos quoddam uinculum coniugale, quod nec ipsa separatione dissoluitur.

Unde Augustinus ait in libro de bono coniugali: [cap. 7].

**C. XXVII.** Sterilem uxorem dimittere, et causa fecunditatis aliam ducere alicui non licet.

Tantum ualet sociale uinculum, ut, cum causa procreandi colligitur, nec ipsa causa procreandi soluat.

Posset enim homo dimittere sterilem uxorem et ducere de qua filios haberet, et tamen non licet.

Item:



[c. 15]. §. 1. Manet uinculum nuptiarum, etiam si proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita, ut iam scientibus coniugibus non se filios habituros, separare se tamen uel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare non liceat.

Quod si fecerint, cum eis, quibus se copulauerint, adulterium committunt, ipso autem coniugio manente.

Plane uxoris uoluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius conmixtione ac semine, alterius autem iure ac potestate, apud antiquos patres fas erat.

Utrum et nunc fas sit, temere non dixerim.

[[C. XXVIII].

Idem in eodem.

Usque adeo manent inter uiuentes semel inita iura nuptiarum, ut potius inter se sint coniuges etiam separati, quam cum his, quibus adheserunt.

Et post:

§. 1. Manet inter uiuentes quoddam uinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre; sicut apostata anima, uelut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit.

Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens.

Habet autem hoc, qui recessit, ad cumulum supplicii, non ad meritum premii.

## QUESTIO VIII.

### GRATIANUS.

Cum itaque probatum sit, quod hic uxorem suam dimittere, et aliam ducere non potest, queritur, si liceat ei hac condicione peccare, ut infidelem ad fidem adducat?

Quod non posse fieri Augustinus affirmat, in libro [I]. de adulterinis coniugiis [c. 24]. ita dicens:

C. UN. Non debet aliquis a continentiae uoto recedere, etiamsi infidelis Christianam se fieri polliceatur.

Non solum mechandum non est, (quod faciunt quidam, sed omnis, qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, etsi propterea duxerit, ut Christianam faciat,) sed etiam quisquis non alligatus uxori continentiam Deo uouit, nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideo credat uxorem sibi esse ducendam, quia promisit que nuptias eius appetit, futuram se esse Christianam.

Quod enim cuiquam ante, quam uouisset, licebat, cum id se numquam facturum uouerit, non licebit: si tamen id uouerit, quod uouendum sit, sicuti est perpetua uirginitas, uel post experta conubia solutis a uinculo coniugali uidualis castitas, seu ex consensu uouentibus et carnalia debita sibi inuicem relaxantibus fidelibus castis que coniugibus (quod alterum sine altera, uel alteram sine altero uouere fas non est) iugis continentia.

Hec ergo, et si qua alia sunt, que rectissime uouentur, cum homines uouerint, nulla condicione rumpenda sunt, que sine ulla condicione uouerunt.

## CAUSA XXXIII.

### GRATIANUS.

Quidam uiri maleficiis inpeditus uxori suæ debitum reddere non poterat.

Alius interim clanculo eam corrumpit; a uiro suo separata corruptori suo publice nubit; crimen, quod admiserat, corde tantum Deo confitetur; redditur huic facultas cognoscendi eam: repetit uxorem suam; qua recepta, ut expedicius uacaret orationi, et ad carnes agni purus accederet, continentiam se seruaturum promisit; uxor uero consensum non adhibuit.

(Qu. I).

Queritur, an propter impossibilitatem coeundi, a uiro suo) aliqua sit separanda?

(Qu. II).

Secundo, an post separationem ei nubere ualeat, cum quo prius fornicata est?

(Qu. III).

Tertio, si sola confessione cordis crimen possit deleri?

(Qu. IV).

Quarto, si tempore orationis quis ualeat reddere coniugii debitum?

(Qu. V).

Quinto, an uir sine consensu uxoris continenciam uouere possit, uel si minis uel terroribus licentiam uouendi ab ea extorquere ualeat?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem propter impossibilitatem reddendi debitum mulier a uiro suo separari non possit, auctoritate euangelica et apostolica probatur.

Sic enim Christus ait in euangelio: “Nulli licet dimittere uxorem suam, nisi causa fornicationis,” uel qua alter eorum (sicut Augustinus exponit) fornicatus fuerit, uel ad quam alter alterum pertrahere uoluerit.

Item Apostolus: “Mulier, quanto tempore uiuit uir eius, alligata est legi ipsius,” non legi reddendi sibi debitum, sed non transferendi se ad alium.

Item: “His, qui matrimonio iuncti sunt, precipio non ego, sed Dominus, uxorem a uiro non discedere, nisi causa fornicationis”.

Euangelica itaque et apostolica auctoritate prohibetur mulier a uiro discedere, nisi ob causam illam cunctis notissimam, qua interueniente si discesserit, oportet eam manere innuptam, aut reconciliari uiro suo.

Unde datur intelligi, quod impossibilitas reddendi debitum non facit discidium coniugii.

§. 1. His ita respondetur: Coniugium confirmatur offitio, ut supra probatum est; postquam uero offitio confirmatum fuerit, nisi causa fornicationis non licet uiro uxorem dimittere, uel uxori a uiro discedere.

Verum ante, quam confirmetur, impossibilitas offitii soluit uinculum coniugi.

Unde Gregorius scribit Iohanni, Rauennati Episcopo:

C. I. Licet mulieri alteri nubere, quam ob frigiditatem uir cognoscere non potuit.

Quod autem interrogasti de his, qui matrimonio iuncti sunt, et nubere non possunt, si ille aliam, uel illa alium ducere possit?

De quibus scriptum est: “Vir et mulier, si se coniunxerint, et dixerit postea mulier de uiro, quod non possit coire cum ea, si potest probare, quod uerum sit, per iustum iudicium, accipiat alium.

Si autem ille aliam acceperit, separentur”.

[[C. II]. Item ex epistola eiusdem.

De his requisisti, qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se inuicem non posse operam carni dantes commisceri.

Iste uero si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi sororem.

Quod si retinaculum uoluerint coniugale rescindere, maneant utriusque innupti.

Nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conueniet?

Igitur si uir aliam uult uxorem accipere, manifesta patet ratio, quia, suggerente diabolo odii fomitem, exosam eam habuit, et idcirco eam dimittere mendacii falsitate molitur.

Quod si mulier causatur, et dicit: Volo mater esse, et filios procreare, uterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis iureiurando dicat, ut numquam per commixtionem carnis coniuncti una caro effecti fuissent, tunc uidetur mulierem secundas posse contrahere nuptias.

Humanum dico propter infirmitatem carnis eorum.

Vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat sine coniuge.

Quod si et ille aliam copulam acceperit, tunc hii, qui iurauerant, periurii, crimine rei teneantur, et penitencia peracta priora cogantur recipere conubia.

## II. Pars.

Gratian. Hoc autem seruari precipitur, cum uterque idem fatetur.

Ceterum si uir asseruerit, se reddidisse debitum uxori, et illa diffitetur, cui potius habenda sit fides, merito queritur.

De his in Concilio apud Compendium habito ita statutum est:

C. III. In ueritate uiri consistat, si mulier negat se cognitam ab eo.

Si quis accepit uxorem, et habuit eam aliquo tempore, et ipsa femina dicit, quod numquam coisset cum ea, et ille uir dicit, quod sic fecit, in ueritate uiri consistat, quia uir est caput mulieris.

## III. Pars.

Gratian. Ecce, quod impossibilitas reddendi debitum uinculum soluit coniugii.

Sed hoc de naturali impossibilitate statutum est.

Hec autem maleficii impedimento, non frigiditate naturali debitum coniugale prohibente, a uiro suo separata est.

Unde queritur, si liceat ei etiam in hoc casu a uiro suo discedere, et alii se copulare?

De his ita scribit Igmarius Remensis Archiepiscopus:

C. IV. De his, qui maleficiis impediti coire non possunt.

Si per sortiarias atque maleficas occulto, sed numquam iniusto Dei iudicio permittente, et diabolo preparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eueniunt, ut corde contrito et spiritu humiliato Deo et sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, et profusis lacrimis, et largioribus elemosinis et orationibus atque

ieiuniis Domino satisfaciant, et per exorcismos ac cetera munia ecclesiasticæ medicinæ ministri ecclesiæ tales, quantum annuerit Dominus, qui Abimelech et domum eius Abrahæ orationibus sanauit, sanare procurent.

Qui si forte sanare non potuerint, separari ualebunt; sed post, quam alias nuptias expetierint, illis in carne uiuentibus, quibus iunctæ fuerint, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.

Gratian. Sed in hoc uidetur contrarius premissis capitulo Gregorii.

Ibi enim post possibilitatem redditam iubetur separari ab eo, cui secundo nupserat, et redire ad primum.

Hic autem uiuente eo, cui secundo copulata fuerat, primo reconciliari non poterit.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quod autem ei, cum quo prius fornicata fuerat, post separationem nubere possit, superius probatum est.

Mortuus est enim sibi uir eius.

Ex quo, iudicio ecclesiæ ab eo separata, ab eius lege soluta est.

Unde iuxta Apostolum nubat cui uult, tantum in Domino.

§. 1. Sed queritur, si sine ecclesiastico iudicio nulla causa discidii rationabiliter probata ab ea discessisset, an esset cogendus redire ad eam.

De hoc ita statutum est in Concilio Cartaginensi, cui interfuit Augustinus, c. 30.:

C. I. Non licet alicui uxorem dimittere, nisi causa discidii primum ecclesiæ probetur.

Seculares, qui coniugale consortium nulla grauiori culpa dimittunt uel etiam dimiserunt, et, nullas causas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena presumant: si ante, quam apud episcopos conprovinciales discidii causas dixerint, et prius, quam iudicio dampnentur, uxores suas abiecerint, a communionem ecclesiæ et sancto populi cetu pro eo, quod fidem et coniugia maculant, excludantur.

C. II. Lex diuina prohibet uirum uxorem dimittere, nisi causa fornicationis.

Item Ambrosius super Lucam. [ad c. 16].

An quod in subditos nefas est in conparem fas est?

dimittis ergo uxorem quasi iure, sine crimine, et putas, hoc tibi licere, quia lex humana non prohibet?

Sed prohibet lex diuina.

Qui hominibus obsequeris, Deum uerere; audi legem Domini, cui obsecuntur etiam qui leges ferunt: “Quos Deus coniunxit homo non separet”.

C. III. Absque causæ cognitione a uiro suo dimissa ad omnia restituatur.

Item Nykolaus Papa Karolo Inperatori.

Istoria ecclesiastica, ab Eusebio Cesariensi episcopo confecta, de muliere quadam, que de castitate a marito accusabatur, ait: “Preceptum est ab inperatore lege lata, ut primo permitteretur ei libere rem familiarem diutius ordinare; tunc deinde responderet obiectis.

Hoc omnes leges tam ecclesiasticæ quam uulgares publicæ que precipiunt”.

§. 1. Si autem de mulieribus et secularibus uiris hec constituta sunt, multo magis ecclesiasticis hominibus et sacerdotibus sunt concessa.

C. IV. Nisi post restitutionem, neque de coniugii federe, neque de adulterii crimine inter uirum et uxorem iudicium est agitandum.

Item Nykolaus Papa. [in epistola Karolo Regi]

## II. Pars.

Siue de coniugii federe, siue de adulterii crimine iudicium sit agitandum, nulla ratio patitur, Thebergam cum Lothario posse inire certamen, nisi prius ad tempus suæ fuerit reddita potestati, et consanguineis propriis libere sociata.

Inter que etiam locus prouidendus est, in quo nulla uis multitudinis formidetur, nec sit difficile testes producere uel ceteras personas, que tam a sanctis canonibus, quam a uenerandis Romanis legibus in huiusmodi controuersiis requiruntur.

## III. Pars.

Gratian. In hoc capitulo quamuis causa uideatur exposita, quare sua auctoritate non licet alicui uxorem dimittere, qua cessante ipsa quoque prohibitio cessare uidetur: tamen quia ipsa separatio pena est, et pena nulli est inferenda nisi per iudicem, generaliter hoc intelligendum est, ut siue ob causam premissam, siue nulla causa existente, non liceat alicui sua auctoritate uxorem dimittere.

Quod etiam de pena homicidii uel qualibet alia intelligendum est.

Unde Nykolaus Papa scribit Rodulpho, Bituricensi Archiepiscopo:

C. V. Coniugia penitus interdicanter his, qui suas uxores occidunt.

Interfectores suarum coniugum sine iudicio, cum non addis, adulterarum, uel aliquid huiusmodi, quid aliud habendi sunt quam homicidæ, ac per hoc ad penitentiam redigendi?

Quibus penitus coniugium denegatur, exceptis adolescentibus, de quibus est B. Leonis Papæ XXV. regula decretalium, imo indulgentia obseruanda.

Gratian. In hoc capitulo uidetur Nykolaus permittere maritis causa adulterii, uel alterius eiusmodi criminis, uxores suas interficere.

Sed ecclesiastica disciplina spiritali gladio, non materiali criminosos feriri iubet; illo uidelicet gladio, quo Petrus iubetur mactare et manducare.

De quo etiam gladio Christus ait in euangelio: “Non ueni pacem mittere in terram, sed gladium”.

Hinc idem Nykolaus scribit Albino Archiepiscopo:

C. VI. Non licet alicui uxorem adulteram occidere.

Inter hec uestra sanctitas addere studuit, si cuius uxor adulterium perpetraverit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere.

Sed sancta Dei ecclesia numquam mundanis constringitur legibus; gladium non habet, nisi spiritualement; non occidit, sed uiuificat.

C. VII. Penitentia eius, qui propriam uxorem absque causa perimit.

Item Pius Papa.

Quicumque propriam uxorem absque lege, uel sine causa et certa probatione interfecerit, aliam que duxerit uxorem, armis depositis publicam agat penitentiam, et, si contumax fuerit, et episcopo suo inobediens extiterit, anathematizetur, quousque consentiat.

Eadem lex erit illi, qui seniore suum interfecerit.

**C. VIII. Penitentia Astulphi, qui uxorem suam interfecerat.**

Item Stephanus V. Astulpho.

Admonere te cum lacrimis et multo gemitu cordis curamus, fili Astulphe; sed non filius dici debes, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti.

Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quocumque modo uitæ tuæ.

Non inuenisti eam cum alio uiro nefariam rem facientem, sed concitatus a diabolo, in pio furore flammatus, more latronum atrocius eam gladio tuo, crudelior omni bestia, interemisti, et nunc post mortem eius addis iniquitatem super iniquitatem, filiorum tuorum inprobe predo.

Qui matri non pepercisti, filios tuos orphanos fecisti, inducere super eam uis mortis causam post mortem, per unum hominem homicidam et reprobum testem.

Quoniam nec euangelium, nec ulla diuina humana que lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condempnat uel iustificat: quanto magis per istum scelestum et flagiciosissimum nec illa uiua debuit condempnari, nec a te post mortem eius accusari?

Prius causa criminis subtiliter erat inuestiganda, et tunc, si ita fuisset inuenta, secundum legis tramitem debuit excipere ultionis uindictam.

Nam si uerum (quod absit) fuisset, sicut adulter mentitus est, post septem annos peracta penitentia dimittere eam per approbatam causam poteras, si uoluisses; occidere tamen eam nullatenus debuisti.

Non enim uult Deus mortem peccatoris, sed ut conuertatur ad penitentiam, et uiuat.

Idcirco placeat tibi consilium nostrum, et facias hoc, quod melius tibi et leuius uideri potest: miserere animæ tuæ, ut non sis tuus tibi met ipsi homicida.

Relinque quapropter, te rogamus, hoc malum seculum, quod te traxit ad tam inmanissimum peccati facinus; ingredere monasterium, humiliare sub manu abbatis, multorum fratrum precibus adiutus obserua cuncta supplicii animo, que tibi fuerint inperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis et refrigeret animam tuam prius, quam crucieris perpetuis flammis.

Hoc leuius et melius tibi esse certissime scias.

Sin autem publicam penitentiam, permanens in domo tua uel in hoc mundo, uis agere (quod tibi peius, et durius, et grauius esse non dubites) ita, ut agere debeas, exhortamur, omnibus diebus, quibus penitere debes, uinum et omnem siceram non libas, carnem numquam ullo tempore comedas, preterquam in Pasca, et in die Natalis Domini; in pane, et aqua, et sale penitentiam age; in ieiuniis, in uigiliis, orationibus, et elemosinis omni tempore perseuera; armis numquam cingere, nec in quolibet loco litigare presumas.

Uxorem numquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas; in balneo numquam laueris, in conuiuuiis letantium numquam te misceas; in ecclesia segregatus ab aliis Christianis post hostium et postes humiliter te repone; ingredientium et egredientium suppliciter orationibus commendare, communionem corporis et sanguinis

Domini cunctis diebus uitæ tuæ indignum te existimes; in ultimo tamen exitus uitæ tuæ die, si merueris, pro uiatico, si sit qui tribuat, tantummodo uenialiter tibi ut accipias concedimus.

Sunt et alia multa, que tibi durius et satis acrius erant iuxta magnum pondus peccati, infelix, adicienda.

Sed si hec omnia, que tibi misericorditer supra dicta sunt, perfecto corde Domino auxiliante feceris et custodieris, confidimus de immensa clementia Dei, remissionem te tuorum habiturum peccatorum, et secundum dictum iusti boni que pastoris resoluet te sancta ecclesia ab hoc uinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine acquisiuit, solutus sis in celis.

Si autem aliter feceris, et sanctæ matris ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse tibi sis iudex, et in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, permanebis; sanguis tuus super caput tuum; nos alieni a consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare, et Domini misericordiam attentius cottidie inplorare.

**C. IX.** Potius uxore uiuente quis aliam ducat, quam humanum sanguinem fundat.

Item Augustinus de adulterinis coniugiis. [lib. II. c. 15].

Si (quod uerius dicitur) non licet homini Christiano adulteram coniugem occidere, sed tantum dimittere: quis est tam demens, qui dicat ei: fac quod non licet, ut liceat tibi quod non licet?

Cum enim utrumque secundum legem Christi illicitum sit, siue adulteram occidere, siue alteram ducere illa uiuente, ab utroque est abstinendum, non illicitum pro illicito faciendum.

Si enim facturus est quod non licet, iam faciat adulterium et non faciat homicidium, ut uiuente uxore aliam ducat, non humanum sanguinem fundat.

#### **IV. Pars.**

Gratian. In premissis auctoritatibus quique prohibentur adulteras coniuges suas occidere; sed post septem annorum penitentiam permittitur eis illas dimittere.

Si autem illas interfecerint, iubentur sine spe coniugii perpetuo manere, nisi forte propter lapsum iuuenilis incontinentiæ ad matrimonia contrahenda eis misericordia inpendatur.

Clericis autem conceditur, si uxores eorum peccauerint, sine mortis acerbitate habere eas in custodia, et ad ieiunia eas cogere, non tamen usque ad necem affligere.

Unde in Tolletano Concilio I. [c. 7]. legitur:

**C. X.** Clerici si uxores eorum peccauerint, preter necem eas domi custodiant, et ad salutaria eas ieiunia cogant.

Placuit, ut, si quorumcumque clericorum uxores peccauerint, ne forte licentiam peccandi plus habeant, accipiant mariti earum hanc potestatem, preter necem custodiendi, ligandi in domo sua, ad ieiunia salutaria, non mortifera eas cogentes, ita, ut inuicem sibi clerici pauperes auxilium ferant, si seruicia non habeant.

Cum uxoribus autem ipsis, que peccauerant, non cibos sumant, nisi forte ad timorem Dei acta penitentia reuertantur.

**V. Pars.**

Gratian. Nunc autem queritur, quare sacris canonibus sit institutum, ut post septem annos penitentes in pristinum statum reuocentur?

De his ita scribit Ysidorus ad Masonem Episcopum: [in prefatione ad librum de summo bono]

**C. XI.** Quare sit institutum post septem annos in pristinum statum penitentem redire.

Hoc ipsum, quod canonum censura post septem annos remeare penitentem in pristinum statum precepit non electione proprii arbitrii sancti Patres, sed potius ex sententia diuini iudicii sanxerunt.

Nam legitur, quod Maria soror Aaron prophetissa, dum detractionis aduersum Moysen incurrisset delictum, illico stigmatem lepræ perfusa est, cum que peteret Moyses, ut emundaretur, precepit eam Dominus extra castra septem diebus egredi, et post emundationem rursus eam in castra admitti.

Maria ergo soror Aaron caro intelligitur sacerdotis, que, dum superbiæ dedita sordidissimis cogitationum maculatur contagiis, extra castra septem diebus, hoc est extra collegium sanctæ ecclesiæ septem annis proiciatur, ut post emundationem uiciorum loci uel pristinæ dignitatis recipiat meritum.

Et post pauca:

§. 1. In fine autem epistolæ hoc adiciendum putauit, ut, quotiescumque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius magis teneatur sententia, cuius antiquior aut potior extat auctoritas.

Gratian. Hoc quamquam de sacerdotibus uideatur specialiter dictum, generaliter tamen de omnibus penitentibus oportet intelligi.

Ad imitationem namque illius dominicæ sententiæ Daudid de adulterio et homicidio reprehensus unius ebdomadæ ieiunium in satisfactionem admissi sceleris Deo legitur obtulisse.

Hinc etiam ecclesiastica consuetudine est usurpatum, ut maiorum criminum penitencia septem annorum spacio concludatur, nisi uel offitii excellentia, uel criminum magnitudo uulgarem consuetudinem excedens (ueluti dum contra naturam humanæ societatis parentibus, uel liberis, uel aliis huiusmodi personis inpudice adheremus, uel dum relicto naturali usu contra naturam more Sodomitico fornicamur, uel usque ad coitum brutorum animalium prolabimur), premissum spacium transcendere cogat.

**VI. Pars.**

§. 1. De penitentibus quoque queritur, an eis generaliter post penitenciam peractam coniugia concedantur?

Generaliter enim canonica auctoritate penitentes prohibentur ad secularem miliciam redire, uel matrimonia contrahere.

Unde Siricius Papa: [epist. I. ad Himerium Episcopum, c. 5].

**C. XII.** Penitentes matrimonia contrahere prohibentur.

De his uero non incongrue dilectio tua sedem apostolicam credidit consulendam, qui acta penitencia tamquam canes et sues ad uomitus pristinos et uolutabra redeuntes, et miliciæ cingulum, et ludicras uoluptates, et noua coniugia, et inhibitos denuo appetiuere



concubitus, quorum inprofessam continentiam generati post absolutionem filii prodiderunt.

De quibus, quia iam suffragium non habent penitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacris misteriorum celebritatibus (quamuis non mereantur) intersint, a dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur, ut hac saltim distractione correcti et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur.

Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, uiatico munere, cum ad Dominum ceperint proficisci, per communionis gratiam uolumus subueniri, quam formam et circa mulieres, que se post penitentiam talibus pollutionibus deinxerunt, seruandam esse censemus.

Gratian. Sed quia timore soluendi coniugii nonnulli ad penitentiam accedere differunt, uel propter lapsum adolescentiæ, quem formidant, penitentiæ remedium suscipere negligunt, auctoritate canonica permittitur eis uel contracta matrimonia retinere, uel alia contrahere.

Unde Leo Papa scribit Galerio Episcopo Tripolitano:

**C. XIII.** Ex indulgentia post penitentiam legitima non negentur matrimonia.

Audiuimus a quibusdam, quod in uestris diocesibus et finibus Christianorum cetus leui occasione se subtrahunt penitentiæ iugo, dicentes, quia, si penitentiam agimus, coniugii debemus relinquere copulam; in quo errant et de ueritatis calle discedunt, quia pro omnibus illicitis penitentiam unusquisque Christi nominis cultor sustinere atque peragere summopere debet, dicente Domino: “Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum”.

Coniugium uero legitimum nulli orthodoxorum penitentiam sustinenti soluere licet.

Et infra:

§. 1. Sacris uos expedit eos alloquiis edocere, ut erroris eripiantur caligine, et licitis copulationibus iuncti de omnibus illicitis penitentiam agere procurent.

**C. XIV.** Propter lapsum iuuenilis incontinentiæ non negentur penitentibus licita coniugia.

Item Leo IV.

In adolescentia constitutus si urgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo penitentiam gesserit et postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis copulam uxoris elegerit, ne crimen fornicationis incurreret, rem uidetur fecisse ueniam, si preter coniugem nullam omnino cognouerit.

In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tollerabilius estimamus.

**C. XV.** Hec penitentia est inponenda ei, qui matrem occiderit.

Item Nykolaus Papa Rhatoldo, Episcopo sanctæ Argenteæ Retensis.

## **VII. Pars.**

Latorem presentium matricidam esse cognouimus.

Cui precipimus, ut sub penitentiæ iugo permaneat ita, ut per annum unum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans orans, et deprecans Deum perseueret, qualiter tanto eripiatur piaculo.

Completo uero anni circulo introeundi licentiam in ecclesiam habeat; tantum inter audientes stet, et nondum communicet.

Completo autem trium annorum curriculis sacræ communionis illi gratia concedatur, oblationes uero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur.

§. 1. In his autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec uinum bibere presumat, exceptis festis diebus atque dominicis, et a Pasca usque ad Pentecosten.

Et, quocumque ire uoluerit, nullo uehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur; arma non sumat, nisi contra paganos; ieiunet autem tribus diebus per ebdomadam usque ad uesperam.

A propria ac legitima coniuge non separetur, ne in fornicationis uoraginem corruat, quod ne fiat optamus.

Si autem ante annorum trium cursum finis uitæ illius appropinquauerit, corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fiat; sin autem, ut supra statui efficiatur.

Tamen, si illius conuersionem et lacrimarum fontem in omnibus uideritis floridis actionibus et optimis operibus pullulare, humanius circa eum sollicitudo peruigil appareat, mitis que omnibus demonstratur.

C. XVI. Post penitenciam legitimam adolescentibus permittuntur licita coniugia.

Item.

### VIII. Pars.

Si quis cum duabus fuerit sororibus fornicatus, aut cum his personis, de quibus sancta scriptura prohibet, si dignam egerit penitenciam, et castitatis non ualuerit sustinere continentiam, liceat ei legitimam in coniugio uxorem accipere.

Similiter et mulier, que tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos. Sed hoc de laicis uiris ac mulieribus solummodo statuimus.

C. XVII. Puniatur qui hec crimina committit, non tamen legitimam dimittat uxorem.

Idem.

Si quis cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathematis (ut scitis) percutitur ictibus.

Similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa, quam ante episcopum tenuerit, cum sacro crismate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit scelus; legitimam tamen, si habuerit, non dimittat uxorem.

### IX. Pars.

Gratian. §. 1. Quos enim Deus coniunxit iudex sua auctoritate separare non debet.

Quamquam Ysidorus hoc aliter intelligat, dicens:

C. XVIII. Non homo separat quos pena dampnat.

“Quos Deus coniunxit homo non separet”.

Queris quomodo? subaudis uiolenter, sine lege, abs que ratione quos Deus coniunxit homo non separet.

Non enim homo separat quos pena dampnat, quos reatus accusat, quos maleficium coartat.

Gratian. Verum hoc pro his dictum intelligitur, quos iudices seculi pro suis sceleribus legum seueritate percellunt, quos uel morte puniunt, uel deportari iubent.

**C. XIX.** De eodem.

Item ex Concilio Tolletano VI. [c. 8].

## **X. Pars.**

Antiqui et sanctissimi est patris sententia Papæ Leonis, ut is, qui in etatis adolescentia positus, dum mortis formidat casum, si peruenerit ad penitentiæ remedium, si coniugatus forte fuerit incontinens, ne postea adulterii lapsum incurrat, redeat ad pristinum coniugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiae statum, quod nos ut de uiris, ita et de feminis equo modo censemus.

Non quidem hoc generaliter et canonicè preceptum, sed constat uobis pro humana fragilitate indultum ea dumtaxat ratione, ut si is, qui penitentiæ non est legibus deditus, ante ab hac uita discesserit, quam ex consensu ad continentiam unus eorum fuerit regressus, superstiti non liceat denuo ad uxoris transire amplexus.

Si autem illius uita extiterit superstes, qui non accepit absolutionem penitentis, nubat, si se continere non potest, et alterius consortio fruatur uxoris.

Quod in utroque sexu pari modo a nobis manifestum est esse decretum, ita uidelicet, ut in his omnibus sacerdotis expectetur ordinatio, ut, iuxta quod etatem aptam prospexerit, penitentiæ absolutionis tribuat legem.

## **[TRACTATUS DE PENITENCIA.]**

### **QUESTIO III.**

#### **GRATIANUS.**

His breuiter decursis, in quibus extra negotii finem aliquantulum euagati sumus, ad propositæ causæ terciam questionem pertractandam, qua queritur:

#### **DISTINCTIO I.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Utrum sola cordis contritione, et secreta satisfactione, absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere, redeamus.

Sunt enim qui dicunt, quemlibet criminis ueniam sine confessiones a ecclesias et sacerdotali iudicio posse promereri, iuxta illud Ambrosii super Lucam: [ad cap. 22].

[[C. I].

“Petrus doluit et fleuit, quia errauit, ut homo.

Non inuenio quid dixerit; scio, quod fleuerit.

Lacrimas eius lego, satisfactionem non lego”.

[[C. II].

Item Iohannes Chrisostomus.

“Lacrimæ lauant delictum, quod uoce pudor est confiteri”.

[[C. III].

Item Propheta.

“Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias”.

[[C. IV].

Item.

“Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei”.

Quod Augustinus exponens, ait:

[[C. V].

“Magna pietas Dei, ut ad solam promissionem peccata dimiserit.

§. 1. Nondum pronunciat ore, et tamen Deus iam audit in corde, quia ipsum dicere quasi quoddam pronunciare est.

Votum enim pro opere reputatur”.

[[C. VI].

Codicis libro I. titulo de Episcopis et Clericis Inp. Iouinianus.

## II. Pars.

“Si quis non dicam rapere, sed attemptare tantum matrimonii iungendi causa sacratissimas uirgines ausus fuerit, capitali pena ferietur”.

[[C. VII].

Libro Codicis titulo de postulando Inp. Leo et Ant. Nicostrato P. P.

“Nemo uel in foro magnitudinis tuæ, uel in prouinciali iudicio, uel apud quemquam iudicem accedat ad togatorum consortium, nisi sacrosanctis catholicæ religionis fuerit inbutus misteriiis.

Sin autem aliquid quoquo modo uel quadam machinatione factum uel attemptatum fuerit, offitium quidem sublimitatis tuæ centum librarum auri iacturam pro condemnatione sustineat”.

[[C. VIII].

Idem.

“Quicumque uero ausus fuerit contra prouidum nostræ serenitatis decretum offitium aduocationis per subreptionem arripere, et prohibitum patrocinium prestiterit, aduocationis offitia remotus stilum proscriptionis atque perpetui exilii specialiter sustinebit; scituris etiam prouinciarum rectoribus, quod is, sub cuius amministrazione aliquid huiusmodi fuerit attemptatum, partis bonorum dimidiæ proscriptionem, et penam exilii per quinquennium sustinebit”.

[[C. IX].

Item libro IX. titulo ad legem Iuliam maiestatis. [l. 5].

“Quisquis cum militibus cogitauerit (eadem enim seueritate uoluntatem sceleris, qua effectum iura puniri uoluerunt)”.

[Gratian.] Item ad legem Corneliam de sicariis: “Is qui cum telo ambulauerit hominis necandi causa, sicut is, qui hominem occiderit, uel cuius dolo malo factum erit commissum, legis Corneliae de sicariis coherceatur pena”.

[[C. X].

Inpp. Valentinianus, Valens, et Gratianus.

“Si quis necandi infantis piaculum aggressus aggressa ue fuerit, sciat, se capitali supplicio esse puniendum”.

[[C. XI].

Inpp. Gratianus et Valentinianus.

“Si forte mulier marito mortis parasse insidias, uel quolibet alio genere uoluntatem occidendi habuisse inueniatur, uel forte maritus eo modo insequetur uxorem, in eadem questione non solum ab omni familia mariti, sed etiam uxoris (que tamen tunc temporis domi fuerit) querendum est, sine cuiusquam defensione”.

[[C. XII].

Item Digestorum titulo de iniuriis, lege Sed est questionis.

“Si quis tam masculum quam feminam, siue ingenuos siue libertinos, inpudicos facere attemptauerit, iniuriarum tenebitur.

§. 1. Sed et si serui pudicitia attemptata sit, iniuria locum habet.

§. 2. Attemptari pudicitia dicitur, cum id agitur, ut ex pudico inpudicus fiat.

§. 3. Non solum is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, hoc est qui percussit, uerum ille quoque continetur, qui dolo fecit, uel qui curauit ut cui mala pugno percuteretur”.

[[C. XIII].

Item apud Labeonem.

“Si quis pulsatus quidem non est, uerum manus aduersus eum leuatae, et sepe territus, quasi uapulaturus, non tamen percussus, iniuriam actione tenetur”.

### III. Pars.

Contra libro eodem titulo de penis:

[[C. XIV].

“Cogitationis penam nemo patiatur”.

[[C. XV].

Titulo de extraordinariis criminibus.

“Sollicitatores alienarum nuptiarum, item que matrimoniorum interpellatores, etsi effectum sceleris potiri non possunt, propter uoluntatem perniciosae libidinis extra ordinem puniuntur.

§. 1. Qui stuprum puero (abducto uel corrupto comite,) persuaserit, aut mulierem aut puellam interpellauerit, quid ue inpudicitiae gratia fecerit, domum prebuerit pretium ue,

quo is persuadeat, dederit, perfecto flagicio punitur capite, imperfecto in insulam deportatur.

Corrupti comites summo supplicio afficiuntur”.

[[C. XVI].

Item titulo de furtis.

“Vulgaris est questio, an is, qui ex aceruo frumenti modium sustulit, totius rei furtum faciat, an uero eius tantum, quod abstulit.

Ofilius totius acerui furem esse putat.

Nam et qui aurem alicuius tetigit (inquit Trebatius) totum eum uideri tetigisse.

Proinde et qui dolium aperuit, et exinde parum abstulit uini, totius furtum uidetur fecisse.

Sed uerum est, in tantum eum furti actione teneri, quantum abstulerit.

Nam et si quis armarium, quod tollere non poterat, aperuerit, et omnes res, que in eo erant, contrectauerit, atque ita discesserit, deinde reuersus unam ex his abstulerit, et ante, quam reciperet se quo destinauerat, deprehensus fuerit, eiusdem rei et manifestus, et nec manifestus fur erit.

Sed et si quis segetem ante lucem secat et contrectat eius, quod secat, manifestas et nec manifestus fur est”.

[[C. XVII].

Item libro II. titulo Quod quisque iuris, lege 1.

“Hec autem uerba: ‘Que statuerit qui iurisdictioni preest,’ cum effectum accipimus, non uerbotenus; et ideo, si, cum uellet statuere, prohibitus sit, nec effectum decretum habuit, cessat edictum.

Nam ‘statuit’ uerbum rem perfectam significat, et consummatam iniuriam, non ceptam”.

[CAP. XVIII]. “Penæ” (sicut in Digestorum titulo de penis legitur) “legum interpretatione molliendæ sunt potius, quam exasperandæ”.

[Gratian.] Atque ideo proprium casum non excedunt; sed que de raptu uirginum, uel aduocatis, seu de crimine maiestatis, uel de sicariis dicta sunt, fauore religionis et fidei, atque principali odio sicariorum introducta sunt.

Iniuriarum uero pro earum uarietate multipliciter quis reus fieri potest.

Varietas itaque criminum uarietatem inducit penarum.

Unde in Digestis titulo de penis:

[[C. XIX].

[IV. Pars].

“Aut facta puniuntur, ut furta cedes que; aut dicta, ut conuicia et infidæ aduocationes; aut scripta, ut falsa et famosi libelli; aut consilia, ut coniurationes, aut latronum conscientia, quosque alios suadendo monuisse sceleris est instar.

§. 1. Sed hec quatuor genera consideranda sunt septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu.

§. 2. Causa, ut in uerberibus, que impunita sunt a magistro illata uel parente, quoniam emendationis animo, non iniuriæ gratia uidentur adhiberi.

Puniuntur, cum quis per iram ab extraneo pulsatur.

§. 3. Persona duppliciter spectatur, eius qui fecit, et eius qui passus est.

Aliter enim puniuntur ex eisdem facinoribus serui, quam liberi; et aliter qui in dominum parentem ue ausus est, quam qui in extraneum et in magistratum quam qui in priuatum.

In huius rei consideratione etatis quoque ratio habeatur.

§. 4. Locus facit, ut idem uel furtum uel sacrilegium sit, et capite luendum, uel minore supplicio.

§. 5. Tempus discernit emansorem a fugitio et effractorem uel furem diurnum ac nocturnum.

§. 6. Qualitate, factum uel atrocius, uel leuius est, ut furta manifesta a non manifestis discerni solent, rixa a crassaturis, expilationes a furtis, a uiolentia petulantia, de qua re maximus apud Grecos orator Demosthenes sic ait.

§. 7. Quantitas discernit furem ab abigeo.

Nam qui unum suum subriperit, ut fur cohercebitur: qui gregem, ut abigeus.

§. 8. Euentus spectatur, ut a clementissimo queque facta; quamquam lex non minus eum, qui inuentus occidendi hominis causa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat, et ideo apud Grecos exilio uoluntario fortuiti casus luebantur, ut apud precipuum poetarum scriptum est”.

[[C. XX].

## V. Pars.

Cogitatio non meretur penam lege ciuili, cum suis terminis contenta est.

Discernuntur tamen a maleficiis ea, que de iure effectum desiderant.

In his enim non nisi animi iudicium consideratur.

Unde in Digestis titulo de repudiis:

[[C. XXI].

“Diuortium non est uerum nisi, quod animo perpetuam constituendi dissensionem fit.

Itaque quicquid calore iracundiæ fit, uel dicitur, non aliter ratum est, quam si perseuerantia apparuerit, iudicium animi fuisse.

Ideo que per eum calorem misso repudio, si breui reuersa est uxor, nec diuertisse uidetur”.

Hinc etiam in Canonibus:

[[C. XXII].

“Si quis iratus crimen alicui obiecerit etc.”.

## VI. Pars.

[Gratian.] Ex consilio autem uelut ex facto aliquem teneri Augustinus probat, ita dicens:

C. XXIII. Non solum qui manibus occidunt, sed etiam quorum consilio et fraude alii occiduntur, homicidæ probantur.

Periculose se decipiunt, qui existimant, eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, et non potius eos, per quorum consilium, et fraudem, et exhortationem homines exstinguntur.

Nam Iudei Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, sicut scriptum est: “Nobis non licet interficere quemquam”.

Sed tamen illis Domini mors imputatur, quia ipsi lingua eum interfecerunt, dicentes: “Crucifige, crucifige eum”.

Unde unus Euangelista dicit, Dominum crucifixum esse hora tertia, alius sexta, quia Iudei crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora sexta manibus.

Qui ergo hominem tradidit, ille interfecit eum, Domino dicente: “Maius peccatum habet qui me tradidit tibi”.

Unde Psalmo: “Filiis hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus”.

Subiciant ergo se penitentiæ quorum consilio sanguis funditur, si ueniam promereri uoluerint.

**C. XXIV.** Interfectores fratrum, detractores eorum, eos que odientes, homicidæ habentur.

Item ex epistola Clementis. [I. ad Iacobum]

Homicidiorum uero tria genera esse dicebat B. Petrus, et penam eorum parilem fore dicebat.

Sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita detractores eorum, eos que odientes, homicidas esse manifestabat, quia et qui occidit fratrem suum, et qui odit, et qui detrahit, ei pariter homicidæ esse demonstrantur.

**C. XXV.** In maleficiis uoluntas pro opere reputatur.

Item Ieronimus in Ysaia. [c. 33].

Omnis iniquitas, et oppressio, et iniusticia, iudicium sanguinis est: et, licet gladio non occidas, uoluntate tamen interficis.

**C. XXVI.** De eodem.

Item Ciprianus. [tract. IV. de mortalitate].

Numquid Cayn, cum Domino, munus offerret peremerat fratrem?

et tamen parricidium mente conceptum Deus prouidus ante dampnauit.

Ut illic cogitatio mala et perniciosa conceptio Deo prouidente prospecta est, ita et in Dei seruis, apud quos cogitatur, et martirium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur.

Aliud est martirio animum deesse, aliud animo defuisse martirium.

Qualem te inuenit Dominus, cum uocat, talem pariter et iudicat, quando ipse testatur et dicit: “Et scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutator renum et cordis”.

**C. XXVII.** Homicida est qui fratri suo mala suadet.

Item Augustinus. [tract. XLII. ad c. 8. Ioannis].

Noli putare, te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades.

Si fratri tuo mala persuades, occidis.

Et ut scias, quia occidis, audi Psalmum: “Filiis hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machera acuta”.

**C. XXVIII.** Occidit qui ad nocendum mouetur.

Idem. [lib. XIX. contra Faustum, c. 23].

Homicidium lege uetitum putabatur non aliud esse, nisi corporis peremptio.

Aperuit ergo Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari.

**C. XXIX.** Furti tenetur qui solo timore non furatur.



Item Augustinus. [lib. L. Hom., homil. 28].

Si propterea non facis furtum, quia times ne uidearis, intus, in corde fecisti; furti teneris, et nil tulisti.

**C. XXX.** Non ideo minus delinquit, cui sola deest facultas.

Idem de libero arbitrio. [lib. I. c. 3].

Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo sit eum cupere, et, si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur.

Item, sicut auctoritas testatur:

§. 1. Voluntas remuneratur, non opus.

Voluntas autem in cordis contritione est, opus uero in oris confessione.

Gratian. Luce clarius constat cordis contritione, non oris confessione peccata dimitti.

[[C. XXXI].

Item Prosper. [lib. II. de uita contemplatiua, cap. 7].

“Porro illi, quorum peccata humanam noticiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri uel emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem.

Et quid eis prodest humanum iudicium uitare, cum, si in malo suo permanserint, ituri sunt in eternum, Deo retribuente, supplicium?

Quod si sui ipsi iudices fiant, et ueluti suæ iniquitatis ultores, hic in se uoluntariam penam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus penis mutabunt eterna supplicia, et lacrimis ex uera cordis conpunctione fluentibus restinguent eterni ignis incendia”.

[[C. XXXII].

Et infra.

“Facilius Deum sibi placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed ultro agnoscunt crimen, qui aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis (quales occulti sunt) ipsi in se uoluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, et ab altari, cui ministrabant, non animo, sed offitio separati uitam suam tamquam mortuam plangunt, certi, quod reconciliati sibi efficacis penitentiæ fructibus a Deo non solum amissa recipiant, sed etiam ciues supernæ ciuitatis effecti ad gaudia sempiterna perueniant”.

## VII. Pars.

[Gratian.] Hoc idem probatur auctoritate illa prophetica: “In quacumque hora peccator fuerit conuersus, et ingemuerit”.

Non enim dicitur: ore confessus fuerit, sed tantum: “Conuersus fuerit, et ingemuerit, uita uiuet, et non morietur”.

Hinc Iohel Propheta ait:

[[C. XXXIII].

“Scindite corda uestra, et non uestimenta uestra”.

[Gratian.] Ostendens contritionem cordis, que in eiusdem scissione intelligitur, non in confessione oris, que pars est exterioris satisfactionis, quam scissuram uestium nominauit, a parte totum intelligens, peccata dimitti.

Hinc etiam per eundem Prophetam Dominus ait:

**C. XXXIV.**

“Conuertimini ad me et ego conuertar ad uos”.

[Gratian.] Conuersio autem dicitur quasi cordis undique uersio.

Si autem cor nostrum undique ad Deum a malo uertitur, mox conuersionis suæ fructum meretur, ut Deus ab ira ad misericordiam conuersus peccati prestet indulgentiam, cuius primo preparabat uindictam.

Unde datur intelligi, quod etiam ore tacente ueniam consequi possumus.

Hinc etiam leprosi illi quibus Dominus precepit, ut ostenderent se sacerdotibus, in itinere, ante, quam ad sacerdotes uenirent, mundati sunt.

Ex quo facto nimirum datur intelligi, quod ante, quam sacerdotibus ora nostra ostendamus, id est peccata confiteamur, a lepra peccati mundamur.

Hinc etiam Lazarus de monumento uiuus prodiit; non prius de monumento est eductus, et postea a Domino suscitatus, sed lapide remoto, quo monumentum claudebatur, in sepulchro reuixit, et foras uiuus prodiit.

§. 1. Hinc etiam, ut Dominus ostenderet, quod non sacerdotali iudicio, sed largitate diuinæ gratiæ peccator emundatur, leprosum tangendo mundauit, et postea ut sacerdoti sacrificium ex lege offerret precepit.

Leprosus enim tangitur, cum respectu diuinæ pietatis mens peccatoris illustrata compungitur.

Unde post trinam negationem Petrus, Domino eum respiciente, profudit amaras lacrimas, quibus culpam suæ negationis diluit.

Leprosus semetipsum sacerdoti representat, dum peccatum suum sacerdoti penitens confitetur.

Sacrificium offert ex lege, dum satisfactionem ecclesiæ iudicio sibi inpositam factis exequitur.

Sed ante, quam ad sacerdotes perueniat, emundatur, dum per contritionem cordis ante confessionem oris peccati uenia indulgetur.

Hinc etiam medici negantur resuscitare aliquem, ut resuscitatus confiteatur, dum per prophetam dicitur: “Numquid medici resuscitabunt, et confitebuntur tibi?”

Item: “A mortuo, ut auctoritas ait, uelut ab eo, qui non est, perit confessio”.

Unde penitens ille, qui timore octauæ territus exclamauerat: “Domine, ne in furore tuo arguas me,” postea supplicans aiebat: “Saluum me fac propter misericordiam tuam, quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem nullus confitebitur tibi”.

Si ergo nullus confitetur, nisi suscitatus, nemo autem uiuit eternæ gehennæ filius, et perpetua dampnatione dignus, patet, quod ante, quam quisque confiteatur peccatum, a reatu suæ preuaricationis, quo eterna sibi debebantur supplicia, per gratiam internæ compunctionis absoluitur.

§. 2. Item: Si ante, quam quisque confiteatur, a Domino resuscitatur, uel resuscitatus uiuit, dum confitetur, uel post resuscitationem iterum mortuus est, et confitetur.

Sed, sicut ante, quam resuscitaretur mortuus, confiteri non poterat, sic post resurrectionem mortuus confiteri non ualet.

Restat ergo, ut resuscitatus uiuat, dum peccatum confitetur.

Habet itaque resuscitatore suum sibi presentem, se que inhabitantem.

Ut enim Augustinus ait in Psalmo LXII.:

[[C. XXXV].

“Resuscitatus corpore uiuit absente suscitatore.

Non autem sic resuscitatus in anima”.

[Gratian.] Cum enim Deus sit uita animæ, anima uero uita corporis, sicut corpus uiuere non potest anima absente, ita non nisi Deo presente anima uiuere ualet.

Habet itaque anima sibi Deum presentem per gratiam, que uiuens peccatum suum confitetur, eam que uita, que Deus est, inhabitat, quam inhabitando uiuere facit.

Si autem illam inhabitat, ergo templum Spiritus sancti facta est, ergo illuminata est, ergo a tenebris peccatorum expiata est, ergo templum diaboli esse desiit, que ad lucem uenit, cuius respectus tenebras fugat.

Nulla enim (ut ait Apostolus) conuentio Christi ad Belial, nulla participatio lucis ad tenebras, nulla communicatio iusticiæ et iniquitatis, nullus consensus templo Dei cum ydolis.

Item, ut Christus ait: “Omnis, qui odit malum, in luce agit”.

Qui autem in luce agit, operatur, sicut Augustinus ait, cum Deo.

Qui autem in Christo operatur, eius filius probatur.

Cuius enim opera quisque facit, eius filius esse perhibetur.

Unde quibusdam Dominus ait: “Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite”.

Item: “Vos ex patre diabolo estis, quia opera patris uestri uultis facere”.

Nemo autem filius Dei et diaboli simul esse potest.

“Nemo enim,” ut ipse ait, “potest duobus Dominis seruire”.

Item, ut Iohannes ait in epistola sua: [I. cap. 3].

[[C. XXXVI].

“Qui natus est ex Deo, non peccat”.

[Gratian.] Ergo nec est filius diaboli.

Solo enim peccato filii diaboli sumus.

Ergo de regno eius translati sumus in regnum karitatis filii Dei, et sumus erepti de potestate tenebrarum, et facti filii lucis.

Cum ergo ante confessionem, ut probatum est, simus resuscitati per gratiam, et filii lucis facti, euidentissime apparet, quod sola contritione cordis sine confessione oris, peccatum remittitur.

[[C. XXXVII].

Item.

“Omnis, qui non diligit, manet in morte”.

[Gratian.] Si ergo uiuit, et diligit; si diligit, dilectio in eo est; dilectio autem in malo non est.

Est enim fons bonorum proprius, in quo non communicat alienus.

Quod si malus non est, membrum diaboli non esse probatur: nec ergo dignus est gehenna, que diabolo et eius membris solummodo debetur, sicut eterna beatitudo solummodo membris Christi paratur.

Non ergo in confessione peccatum remittitur, quod iam remissum esse probatur.

Fit itaque confessio ad ostensionem penitentiæ, non ad inpetrationem ueniæ, sicut circumcisio data est Abrahæ in signum iusticiæ, non in causam iustificationis, sic confessio sacerdoti offertur in signum ueniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ.

## II. Pars.

§. 11. Alii e contra testantur, dicentes sine confessione oris et satisfactione operis neminem a peccato posse mundari, si tempus satisfaciendi habuerit.  
Unde Dominus per Prophetam ait: “Dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris”.

[[C. XXXVIII].

Item Ambrosius in libro de Paradyso. [cap. 14].

“Non potest quisquam iustificari a peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus”.

[[C. XXXIX].

Idem in sermone [I]. Quadragesimæ.

“Ecce nunc tempus acceptabile adest, in quo confessio a morte animam liberat, confessio aperit paradysum, confessio spem saluandi tribuit.

Unde scriptura dicit: ‘Dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris’.

His uerbis ostenditur, quia non meretur iustificari qui in uita sua peccata non uult confiteri.

Illa confessio uos liberat, que fit cum penitencia.

§. 1. Penitencia uera est dolor cordis, et amaritudo animæ pro malis, que quisque commisit.

Penitencia est et mala preterita plangere, et plangenda iterum non committere”.

[[C. XL].

Item Iohannes Os aureum. [in hom. de penitencia, que incipit: “Prouida mente”].

“Perfecta penitencia cogit peccatorem omnia libenter sufferre.

§. 1. In corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas: hec est fructifera penitencia”.

[[C. XLI].

Idem.

“Non potest quis gratiam Dei celestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati per penitentiæ confessionem, per donum baptismi salutaris”.

[[C. XLII].

Item Augustinus. [in lib. de continentia, cap. 6].

“Nullus debitæ grauioris penæ accipit ueniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem quam debeat, soluerit penam.

Ita enim inperitur a Deo largitas misericordiæ, ut non relinquatur iusticia disciplinæ”.

[[C. XLIII].

Idem Vincentio. [epist. XLVIII].

“Neminem putes ab errore ad ueritatem, et a peccato quocumque seu paruo seu magno ad correctionem sine penitencia posse transire”.

[[C. XLIV].

Idem [in lib. L. Homil., hom. 49]. de penitencia.

“Agite penitenciam, qualis agitur in ecclesia, ut oret pro uobis ecclesia.

Nemo dicat sibi: occulte ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui ignoscit michi, quia in corde ago.

Ergo sine causa dictum est: 'Que solueritis in terra soluta erunt et in celo'.

Ergo sine causa clauē datae sunt ecclesiae Dei, frustramus euangelium Dei, frustramus uerba Christi; promittimus uobis quod ille negat: nonne uos decipimus?

Iob dicit: 'Si erubui in conspectu populi peccata mea confiteri'.

Atque ideo, si non potuistis habere uel nolulistis pudicitiam coniugalem, seu continentiam, et deuiastis a proposito, uel uinculo coniugali, uel deuotione continentiae, sit in uobis humilitas et dolor penitentiae.

Apertius dico: Nemo dicat, non intellexi.

Quia post uxores uestras illicito concubitu uos maculastis, si preter uxores uestras cum aliqua concubuistis, agite penitentiam etc.”.

[[C. XLV].

Item Ieronimus super Exodum.

## II. Pars.

“‘Et uenit,’ inquit, ‘Aaron, et omnes presbiteri de Israel, manducare panem cum socero Moysi in conspectu Dei’.

Omnia ergo, que faciunt sancti, in conspectu Dei faciunt, peccator autem a conspectu Dei fugit.

Denique scriptum est, quia Adam, postquam peccauit, fugit a conspectu Dei, et interrogatus respondit: ‘Audiui,’ inquit, ‘uocem tuam, et abscondi me, quia nudus eram’.

Sed et Cayn, de fratricidio condempnatus Deo: ‘Exiit,’ inquit, ‘a facie Dei, et habitauit in terra Naim’.

Exiit ergo a facie Dei qui indignus est conspectu eius.

Sancti autem manducant et bibunt in conspectu Dei, et omnia, que agunt, in conspectu Dei agunt.

Ego amplius adhuc locum presentem discutiens uideo, quia qui pleniorē scientiam Dei accipiunt, et plenius diuinis inbuti sunt disciplinis, isti, etiamsi malum faciunt, coram Deo faciunt, et in conspectu eius faciunt, sicut ille, qui dixit: ‘Tibi soli peccaui, et malum coram te feci’.

Quid ergo plus habet qui malum coram Deo facit?

Continuo penitet, et dicit: Peccaui.

Qui autem discedit a conspectu Dei, nescit conuerti, et peccatum penitendo purgare.

Hoc ergo interest, malum coram Deo facere, et a Dei conspectu discessisse peccantem”.

[[C. XLVI].

Item Augustinus.

“Sed et continuo, qui dixerat: ‘Sicut Adama faciam te, et sicut Seboym,’ que duae urbes ex uicinia Sodomorum parilis excidii traxere consortium, ‘Conuersum est,’ inquit, ‘cor meum: in me ipso conturbata est anima mea; non faciam secundum iracundiam furoris mei’.

Nonne ergo apparet, quod ideo nobis peccantibus indignatur Dominus Iesus, ut indignationis suae terrore nos conuertat?

Indignatio ergo eius non ultionis executio, sed magis absolutionis operatio est”.

[[C. XLVII].

Item Ambrosius in libro de Paradyso. [cap. 14].

“Serpens decepit me, et manducaui”.

Venialis culpa, quam sequitur confessio delictorum.

Ideo non desperata mulier, que non reticuit Deo, sed magis confessa est peccatum quam medicabilis sententia secuta est.

Bonum est condemnari in peccato, et flagellari in delicto, ut cum hominibus flagellemur.

Denique Cayn, qui uoluit crimen negare, indignus iudicatus est, qui puniretur in peccato, sed remissus est sine prescripto penæ, fortasse non tam maiore crimine parricidii (illud enim commisit in fratrem) quam sacrilegii, quod Deo creditur mentiendum, dicens: ‘Nescio; numquid custos fratris mei sum ego?’

Et ideo accusatori eius diabolo accusatio reseruata est, ut cum eius angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari.

§. 1. Nam pastor ille euangelicus lapsam ouem uexisse legitur, non abiecisse, et Salomon ait: ‘Noli esse nimis iustus’.

Debet enim iusticiam temperare moderatio.

Nam quemadmodum tibi curandus prebeat, quem fastidio habeas?

qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurum?”

[[C. XLVIII].

Idem.

“Libenter ignosco, prompte indulgeo, misericordiam malo quam sacrificium, quia per sacrificium iustus commendatur, per misericordiam peccator redimitur.

‘Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad penitentiam’.

In lege sacrificium, in euangelio misericordia est; lex per Moysen data est, per me gratia”.

[[C. XLIX].

Item Leo Episcopus Theodoro, Foroiuliensi Episcopo. [epist. LXXXIX. al. XCI].

“Multiplex misericordia Dei lapsibus humanis ita subuenit, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per penitentiæ medicinam spes uitæ reparatur eternæ, ut qui regenerationis dona uiolassent, proprio iudicio se condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ uoluntatis presidii ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum, nequeat obtineri.

Mediator enim Dei et hominum homo dominus Christus Iesus hanc prepositis ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus penitentiæ satisfactionem darent, et eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent”.

Et post pauca:

§. 1. “Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere indulgentiæ presentis excesserit, et prius, quam ad constituta remedia perueniat, temporalem uitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit”.

Et post aliqua:

§. 2. “His autem, qui tempore necessitatis et periculi urgentis instantia presidium penitentiæ, et mox reconciliationis inplorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas ueniæ moras patitur conuersio”.

Et item:

§. 3. “Ita ergo necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis penitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso uocis offitio per indicia integri sensus querere conprobentur.

Quod si aliqua egritudine ita fuerint aggrauati, ut quod paulo ante poscebant sub presenti significare non ualeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, simul tamen et penitentiæ, et reconciliationis beneficium consequantur.

Seruata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in dominica fide discedendo peccauerunt”.

[[C. L].

Item Ambrosius. [lib. I. de penit., c. 1].

### III. Pars.

“Nemo potest bene agere penitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.

Sed negant, his oportere reddi communionem, qui preuaricatione lapsi sunt.

§. 1. Deus autem nullius crimen exceptit, qui peccata omnia donauit”.

[[C. LI].

Item Ambrosius. [lib. II. de Cain et Abel, c. 4].

“Verbum Dei dimittit peccata: sacerdos est iudex; sacerdos quidem offitium suum exhibet, et nullius potestatis iura exercet”.

Et paulo post:

§. 1. “Dominus par ius et soluendi esse uoluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit.

Ergo qui soluendi ius non habet nec ligandi habet”.

Et infra:

§. 2. “Certum est, quod utrumque licet ecclesiæ, heresis utrumque non habet.

Ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus.

Recte igitur ecclesia hoc uendicat, que ueros habet sacerdotes; heresis uendicare non potest, que sacerdotes Dei non habet”.

[[C. LII].

Item in eodem. [I. lib. de penit. c. 3].

### IV. Pars.

“Potest fieri, ut aliquis uictus suppliciis sermone neget, et corde adoret.

Numquid eadem causa eius, qui sponte negat, et eius, quem tormenta inclinauerunt ad sacrilegium? Non.

Quam indignum autem est, cum apud homines ualeat certaminis gratia, ut apud Deum non ualere asseratur?

Nam sepe in hoc athletarum seculari certamine etiam uictos, quorum fuerunt certamina probata, hominum uulgus cum uictoribus coronare consueuit; maxime quos uiderit aut forte, dolo, aut fraude excussos uictoria.

Et Christus athletas suos, quos uiderit grauibus paulisper cessisse suppliciis, sine uenia patietur manere?

Numquid non habebit remunerationem laboris, qui etiam aliquos proiecit?”

Et infra:

[c. 6]. §. 1. “Dicis Petro excusanti, ne eius pedes lauare: ‘Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem me cum’.

Quid ergo isti possunt te cum consortium habere, qui clauis regni non suscipiunt, negantes, quod peccata dimittere debeant?

Quod recte quidem de se fatentur.

Non enim Petri hereditatem habent qui Petri sedem non habent, quam in pia diuisione discerpunt”.

Et paulo post:

§. 2. “Egritudo carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet.

Illuditur ergo diabolus, ut se ipsum morsu suo uulneret, et contra se armet, quem debilitandum putauit”.

Et infra:

§. 3. “Quod nocet corpori iuuat spiritum”.

Et paulo post:

§. 4. “Sicut semel pro omnibus immolatus est Christus, ita, quotiescumque peccata donantur, corporis eius sacramentum sumimus, ut per sanguinem eius remissio peccatorum detur.

Ergo euidentissime Domini predicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati penitentiam gerant, sacramenti celestis perfundendam gratiam”.

[[C. LIII].

Idem. [lib. II. de penit., c. 7].

## V. Pars.

“Quantuslibet ergo mortui fetor sit, aboletur omnis, ubi sacrum redoleuerit unguentum, et surgit defunctus, solui iubentur uincula eius, qui adhuc in peccato est; tollitur uelamen de facie eius, quod ueritatem gratiæ, quam acceperat, obumbrabat.

Sed quia uenia donatus est, reuelare faciem, aperire uultum iubetur.

Non enim habet quod erubescat, cui peccatum dimissum est.

In tanta enim Domini gratia tanto que diuini muneris miraculo cum oporteret uniuersos letari, commouebantur in pii, et aduersus Christum concilium congregabant, Lazarum quoque interficere uolebant.

Nonne merito eorum successores uos fore cognoscitis, quorum heredes duriciæ estis?

Nam et uos indignamini, et contra ecclesiam congregatis concilium, quia uidetis mortuos in ecclesia reuiuiscere, et peccatorum indulgentia resuscitari.

Itaque (quod in uobis est) per inuidiam rursus uultis interficere resuscitados.

Sed Iesus non reuocat beneficia, immo cumulo libertatis amplificat, reuiuiscit sollicitate suscitatus, et celebrata resurrectionis gratia letus ad cenam uenit”.

[[C. LIV].

Item. [ibidem, c. 4].

“His potestatis suæ gratiam negat, (que in remissione peccatorum est), qui celestem eius potestatem diabolico spiritu separant ab ecclesia Domini, ut omnium temporum



hereticos et scismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat quod omne peccatum circa singulos est ac uniuersos”.

Et infra:

[c. 5]. §. 1. “Quid mirum, si salutem negatis aliis, qui uestram recusatis?

licet illi nichil a uobis differant, qui a uobis penitentiam petunt.

Arbitror enim, quod et Iudas potuisset tanta miseratione Domini non excludi a uenia, si penitentiam non apud Iudeos, sed apud Christum gessisset”.

Et paulo post:

§. 2. “Qui agit penitentiam, non solum diluere lacrimis debet peccatum sed etiam emendationibus operire, et tegere delicta superiora, ut non inputetur ei peccatum”.

[[C. LV].

Item in eodem. [II. lib. c. 9].

## VI. Pars.

“Nonnulli ideo poscunt penitentiam, ut statim sibi reddi communionem uelint.

Hii non tam se soluere cupiunt, quam sacerdotem ligare.

Sua enim conscientia se non tam exuunt, quam sacerdotem indui cupiunt, cui preceptum est: ‘Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas uestras ante porcos;’ hoc est: immundis spiritibus sacræ communionis non sunt facile tribuenda consortia”.

[[C. LVI].

In eodem.

“Sunt qui arbitrentur, hanc esse penitentiam, si abstineant sacramentis celestibus.

Hii seueriores in se iudices sunt, qui penam prescribunt si remedium declinant, quos ob penam conueniebat dolere, quia celesti fraudarentur gratia”.

Et paulo post:

§. 1. “Facilius autem inuenis qui innocentiam seruauerit, quam qui congrue egerit penitentiam peccati; ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi uini effusio, ubi ipsius copulæ coniugalibus usus?

Renunciandum seculo est, et ipsi somno minus indulgendum quam natura postulet, interpellandum est gemitibus, interrumpendum est suspiriis, sequestrandum orationibus, uiuendum ita, ut uitali huic moriatur usui, se ipsum homo abneget, et totus inmutetur”.

Et infra:

[c. 11]. §. 2. “Nemo in peccatis positus arrogare sibi debet auctoritatem aut usurpationem sacramentorum, quia scriptum est: ‘Peccasti? quiesce’”.

(Et paulo post):

§. 3. “Dicimus ergo, agendam penitentiam, et eo tempore agendam, quo culpa deferuescat luxuriæ, et in peccati captiuitate positos reuerentiores, non usurpatores esse debere.

Nam si Moysi propius accedere gestienti, ut cognitionem misterii celestis hauriret, dicitur: ‘Solue calciamentum pedum tuorum:’ quanto magis nos animæ nostræ pedes exuere uinculis corporalibus, et nexu mundi istius gressus eius debemus absoluere?”

Et infra:

§. 4. “Nichil est, quod tam summi doloris sit, quam si unusquisque positus sub captiuitate peccati recordetur, unde lapsus sit, atque unde deciderit, et quod ad corporea atque terrena ab illa speciosa ac pulchra diuinæ conditionis intentione defluerit”.

[[C. LVII].

Item Ciprianus. [lib. IV. epist. 2. ad Antonianum]

“Miror autem quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis penitentiam, aut penitentibus existiment ueniam denegandam, cum scriptum sit: ‘Memento, unde cecideris, et age penitentiam, et priora opera fac’.

Quod utique ei dicitur, quem constat cecidisse, et quem Dominus hortatur per opera rursus exurgere, quia scriptum est: ‘Elemosina a morte liberat,’ non utique ab illa morte, quam semel Christi sanguis exstinxit, et a qua nos salutaris baptismi et redemptoris nostri gratia liberauit, sed ab ea, que per delicta postmodum serpit”.

[[C. LVIII].

Item Ieronimus.

“Inportuna in euangelio mulier tandem meruit audiri, et clauso cum seruis ostio, media licet nocte, ab amico panes amicus accepit; Deus ipse, qui nullis intra se superari uiribus potest, publicani precibus uincitur.

Niniue ciuitas que peccato periit, fletibus stetit.

Quorsum ista tam longo repetita principio? uidelicet ut paruum magnus aspicias, ut diues pastor morbidam non contempnas ouem.

Christus in paradysum de cruce latronem intulit, et, ne quis aliquando seram conuersionem putaret, fecit homicidii penam martirium.

Christus, inquam, prodigum filium reuertentem letus amplectitur, et nonaginta nouem pecudibus derelictis una ouicula, que remanserat, humeris boni pastoris aduehitur.

§. 1. Ubi uero peccator intelligens uulnus suum tradit medico se curandum, ibi non est uirga necessaria, sed spiritus lenitatis”.

### III. Pars.

[Gratian.] Quod autem omni peccanti auctoritate Ambrosii uenia promittitur, falsum uidetur.

Quibusdam enim uenia denegatur aut ex magnitudine peccati, aut ex gradu offitii.

Unde Iohannes in epistola: “Est peccatum ad mortem: quis orabit pro eo?”

Alibi quoque legitur: “Quis medebitur incantatori uulnerato a serpente?”

[[C. LIX].

Item.

“Si sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?”

[Gratian.] Sed huiusmodi interrogationes non semper negationem inferunt; sed potius difficultatem uel raritatem notant, ut est illud euangelii: “Quis, putas, est fidelis seruus et prudens etc.”.

Hinc etiam Ambrosius: “Deus, quis similis erit tibi?

non utique nullus; quia imago patris filius est”.

Similiter accipiendum: “Quis orabit pro eo?” hoc est, singularis uitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccauit in Domino.

“Nam quomodo Iohannes diceret, non orandum pro delicto grauiori, qui legisset, Moysen rogasse, et inpetrasse, ubi erat preuaricatio uoluntaria?”

qui sciret etiam Ieremiam rogasse?” §. 1. Potest etiam secundum Augustinum aliter intelligi illud Iohannis: “Est peccatum ad mortem etc.” ut nulla sit eius et superiorum contrarietas.

Ait enim: ‘Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis’.

De quo peccato, quoniam non est expressum, possunt multa et diuersa sentiri.

Ego autem dico, hoc esse peccatum, fidem, que per dilectionem operatur, deserere usque ad mortem”.

Hec etiam est blasphemia in Spiritum sanctum, quam neque in hoc seculo, neque in futuro remittendam in euangelio Dominus asseruit.

Siue autem delectatione peccati, siue desperatione ueniæ usque ad mortem quis in peccato perseueret, iustum est, ut sine fine puniatur qui sine fine peccauerit.

Unde Gregorius: [Papa, lib. IV. Dial. c. 43].

[[C. LX].

“Voluissent iniqui, si potuissent, sine fine uiuere, ut potuissent sine fine peccare.

Ostendunt quia in peccato semper uiuere cupiunt, qui numquam peccare desinunt, dum uiuunt.

Ad magnam ergo iusticiam iudicantis pertinet, ut numquam careant supplicio qui in hac uita numquam uoluerunt carere peccato”.

#### IV. Pars.

[Gratian.] Ex his itaque apparet, quod sine confessione oris et satisfactione operis peccatum non remittitur.

Nam si iniquitates nostras necesse est, ut dicamus, ut postea iustificemur; si nemo potest iustificari a peccato, nisi antea fuerit confessus peccatum; si confessio paradysum aperit, ueniam acquirit; si illa solum confessio utilis est, que fit cum penitencia (in quo notatur aliud esse confessio, aliud penitencia, siue interior siue exterior accipiatur); si ille, qui promittit ueniam occulte apud Deum non apud ecclesiam penitenciam agentis, frustrat euangelium et clauas datas ecclesiæ, promittit etiam quod Deus negat delinquenti; si nemo potest consequi ueniam, nisi quantulumcumque, etsi minorem quam debeat, peccati soluerit penam; si solis sacerdotibus ligandi soluendi que potestas a Deo tradita est; si nullus ueniam accipit, nisi ecclesiæ supplicationibus ipsam inpetrare contendat: concluditur ergo, quod nullus ante confessionem oris et satisfactionem operis peccati abolet culpam.

§. 1. Denique, ut perspicue appareat, neminem sine confessione a peccato mundari, ab ipsius humani generis principio sumamus exordium.

Peccato transgressionis primi parentes corrupti a Domino sunt requisiti de culpa, ut peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent.

Serpens autem de culpa requisitus non est, quia per confessionem non reuocabatur ad uitam.

Cayn quoque, cum primæ preuaricationi fratricidium addidisset, similiter a Domino de culpa requisitus est, dum dicitur ei: “Ubi est Abel frater tuus?”

Sed quia superbus peccatum suum confiteri noluit, potius mendaciter negando Dominum fallere conatus est, dicens: “Numquid custos fratris mei sum ego?”

indignus uenia iudicatus est.

Unde in desperationis profundum mersus, dum ait: “Maior est iniquitas mea, quam ut ueniam merear” Vagus et profugus exiit a facie Domini, significans, eos, qui peccatum suum confiteri dissimulant, respectu diuinæ miserationis indignos haberi.

Reges quoque, qui ignorantia ducti in Abraham deliquerant, non nisi eodem orante sanari meruerunt.

In quo figuratur, quod passiones morum non sanantur, nisi orationibus ecclesiæ.

Moysi quoque precepit Dominus, ut lepra, siue in cute, siue in domo, siue in ueste, appareret, sacerdoti ostenderetur, et, iuxta eius arbitrium separata, eius iudicio contaminaretur, uel mundaretur.

Saul quoque, cum a spiritu maligno uexaretur, non poterat ad sanæ mentis offitium redire, nisi prius Dauid psalterium arriperet, et coram eo psalleret, et ita ab eius uexatione cessaret diabolus.

In quo mystice ostenditur, quod quicumque diabolo propter peccatum mancipatur, ab eius dominio eripi non ualet, nisi Dauid, id est ecclesia, psalterium accipiat, et coram eo psallat, id est participem spiritualis gratiæ ipsum faciat, et salubriter ammonendo, et pie pro eo orando, et exempla boni operis sibi prebendo, diabolum ab inuisibili eius uexatione conpescat.

Dauid quoque, cum adulterium commisisset et homicidium, non ante audiuit a Propheta: “Transtulit Dominus peccatum tuum a te,” quam ipsum peccatum confiteretur.

Prius enim Prophetæ redarguenti peccatum confessus est, et postea audiuit: “Transtulit Dominus peccatum tuum a te”.

Achab quoque, cum de innocentis sanguinis effusione sententiam conminantis Dei audiret, induit se ipsum cilicio, satisfaciens Deo per penitentiam.

Unde Dominus ad Helyam ait: “Quoniam Achab reueritus est faciem meam, non inducam malum in diebus eius”.

Niniuita cum audirent: “Adhuc quadraginta dies, et Niniue subuertetur,” ex edicto regis et principum penitentiam egerunt, dicentes: “Quis scit, si conuertatur, et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem?”

Hac humilitate satisfactionis inminentem subuersionem euadere meruerunt.

Quorum exemplis euidenter ostenditur, quod nullus a Deo consequatur ueniam, nisi primum satisfecerit sibi per penitentiam.

Nabuchodonosor propter superbiam suam a rationabili mente in bestialem animum conmutatus, atque a regno suo profugus recedens, non ante regnum recepit, quam conuersus Deum predicauit.

Denique plebs Isrælitica ob culpam suæ transgressionis captiuitati tradita non ante liberari meruit, quam peccata sua confitens Danielis et aliorum sanctorum precibus ueniam accepit.

§. 2. In euangelio quoque uenientes ad Iohannem, ut baptizarentur ab eo baptismo penitentiæ, primum confitebantur peccata sua, ostendentes, quod quisque debet peccata sua dampnando: confiteri, et inuouationem melioris uitæ promittere, si regenerationis gratiam desiderat accipere.

Christus quoque alios legitur suscitasse a mortuis, alios a lepra mundasse, alios illuminasse, aliorum membra paralisi dissoluta consolidasse: omnium tamen sanitatem petitio propriæ uocis uel amicorum legitur precessisse.

Luca enim referente didicimus, quod pro socru Petri prius rogatus est, quam eam sanitati redderet.

Leprosus uero ille, quem descendens Dominus de monte mundauit, prius clamauit ad eum: “Domine, si uis, potes me mundare,” quem postea tangendo mundauit.

Cecus quoque dum clamaret ad eum: “Miserere mei, fili Dauid,” interrogauit eum Iesus: “Quid uis, ut faciam tibi?”

ait: “Rabboni, ut uideam lumen”.

Tres quoque mortuos audiuit, quos aliis orantibus reddidit uitæ.

Quartum quoque discipulo nunciante audiuit; sed quia defuerunt uiui, qui pro eo precarentur, resuscitari non meruit.

§. 3. Quibus nimirum exemplis euidentissime datur intelligi, quod ille, quem macula grauioris culpæ inficit, nisi confessione proprii oris, uel intercessionem ecclesie suffragante, sanari non poterit.

Hinc penitens ille, qui prius tacendo peccata flagellari meruerat, postea correptus dicebat: “Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die”.

Hinc Christus ex persona membrorum ait: “Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum”.

Quod Augustinus exponit, dicens: “Puteus est humanæ iniquitatis profunditas, in quem si cecideris, non claudet super te os suum, si tu non claudis os tuum; confitere ergo, et dic: De profundis clamaui ad te, Domine, et euades.

Claudet super illum, qui in profundo contempnit, a quo mortuo, uelut ab eo, qui non est, perit confessio”.

Hinc idem Propheta ait: “Introite portas eius in confessione,” ostendens ad portas misericordiæ non nisi per confessionem peccati aliquem posse pertingere.

§. 4. Hinc etiam B. Iohannes Baptista, et Saluator noster exordium suæ predicationis a penitencia sumpserunt dicentes: “Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum;” ostendentes neminem ad regna celorum posse pertingere, nisi primum per penitentiam Deo curauerit satisfacere.

Hinc etiam in Actibus Apostolorum legitur, quod credentes ueniebant ad Apostolos, annunciantes actus suos.

§. 5. Ex his omnibus facile monstratur, sine confessione nullum ueniam posse mereri.

Hinc etiam Leo Papa ait: [epist. LXXVIII. al. LXXX. ad Episcopos Campaniæ]

[[C. LXI].

“Sufficit penitentia confessio, que primum Domino offertur, deinde sacerdoti, qui pro delictis penitentium precator accedit”.

[[C. LXII].

Idem. [ad Rusticum, Narbonensem Episcopum, epist. XC. al. XCII. c. 7].

“Penitentia, que dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur, ut eo modo ad indulgentiæ medicinam anima uulnerata perueniat”.

[[C. LXIII].

Item Augustinus in sermone de penitencia: [al. lib. de penitentiæ medicina]

“Non sufficit mores in melius conmutare, et a preteritis malis recedere, nisi etiam de his, que facta sunt, satisfiat Domino per penitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosinis et ieiuniis”.

[[C. LXIV].

Item Ambrosius. [in c. 1. Lucæ].

“Nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum”.

[[C. LXV].

Item Leo Papa. [epist. XC. al. XCII. ad Rusticum, c. 8].

“Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contempnere. Illicitorum ueniam postulantem oportet etiam a multis licitis abstinere; dicente Apostolo: ‘Omnia michi licent, sed non omnia expediunt’.

Unde si penitens habeat causam, quam negligere forte non debeat, melius expetet ecclesiasticum, quam forense iudicium”.

[[C. LXVI].

Item Ieronimus in Malachia.

“Qui sanctus sacerdos est, et comedit Pasca Domini, accingatur baltheo castitatis, et audiat cum Apostolis: Sint lumbi uestri precincti, et lucernæ ardentes in manibus uestris.

Qui autem peccator est, et quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, et plangat uel propria delicta uel populi, et ingrediatur ecclesiam, de qua fuerat egressus propter peccata, et cubet uel dormiat in sacco, ut preteritas delicias, per quas Deum offenderat, austeritate uitæ compenset”.

[[C. LXVII].

Idem in Amos Propheta. [ad c. 9].

“Si agamus penitentiam, ipsum quoque suæ penitebit sententiæ.

Rursus iuxta eundem Iheremiam promittit prospera si penitentiam egerimus.

Quod si negligentia dissoluamur, et illum penitebit sponsionis, promissa que mutabit.

Cuius rei exemplum Samariam et Iherusalem habere possumus, quorum alii de imminentibus suppliciis liberati sunt, alii que patribus promissa fuerant perdidit”.

[[C. LXVIII].

Idem super Daniele. [ad c. 4]. “Quamobrem, consilium meum placeat tibi, et peccata tua elemosinis redime, et iniquitates tuas in misericordiis pauperum: si forte ignoscat Deus delictis tuis’.

Si predixit sententiam, que mutari non potest, quomodo hortatur ad elemosinas pauperum et misericordiam ut Dei sententia permutetur?

Quod facile soluitur regis Ezechiaë exemplo (quem Ysaïas dixit esse moriturum) et Niniuitarum, quibus dictum fuerat: ‘Adhuc quadraginta dies et Niniue subuertetur’.

Et tamen ad preces Ezechiaë et Niniue Dei sententia mutata est.

Rursum bona agenti se asserit polliceri et indulgentiam, alioquin et in reuerentiam loquitur deus se mala minari super gentem, et, si bona fecerit minas clementia commutare.

Rursum agenti asserit polliceri, et, si male fecerit, dicit, suam mutare sententiam, non in homines, sed in opera, que mutata sunt.

Neque enim Deus hominibus irascitur, sed uiciis, que cum in homine non fuerint, nequaquam punit quod mutatum est.

Dicamus quidem et aliter.

Fecit igitur Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes, et idcirco usque ad mensem duodecimum in eo dilata est sententia.

Sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur, et dicit: ‘Nonne hec est Babilon magna, quam ego edificauit in domum regis et in robore fortitudinis meæ, et gloria nominis mei?’

bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ.

‘Forsitan ignoscat Deus delictis tuis’.

Cum B. Daniel prescius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt qui audacter ueniam peccantibus pollicentur.

Et tamen sciendum est, quod Nabuchodonosor bona opera facienti uenia repromittitur”.

[[C. LXIX].

Idem.

“Vide benignum Dominum misericordiam cum seueritate miscentem, et ipsius penæ modum iusta et clementi libratione pensantem.

Non in perpetuum tradidit delinquentes, sed quanto, inquit, tempore seruierunt Chusarsathon, hoc est octo annis.

Disce et hoc, o tu auditor, quisquis ille es, qui tibi conscius es alicuius erroris, et quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nichilominus tempore humilia te ipsum Deo, et satisfacito ei in confessione penitentiæ; non expectes, ut humiliet te Chusarsathon, et inuito necessitas extorqueat penitentiam: sed ipse preueni tortoris istius duriciam, quia, si te ipse emendaueris, si te ipse correxeris, pius est Dominus et misericors, qui uindictam temperet ab eo, qui illam penitendo preuenit.

Sed et illud consideremus, quia, donec seruierunt Chusarsathon hi, qui traditi fuerant pro delictis suis, et non clamauerunt ad Dominum, nemo suscitatus est, qui saluare eos posset.

Cum uero clamauerunt ad Dominum, tunc suscitauit Dominus saluatorem Israël et saluauit eos”.

[[C. LXX].

Idem. [Ieronimus in c. 5. epistolæ ad Ephesios]

“Ecclesia Christi est, non habens maculam neque rugam, aut aliquid istiusmodi.

Qui ergo peccator est, et aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici.

Possibile autem est, ut, quomodo ecclesia, que prius rugam habuerit et maculam, et immunditiam postea restituta est, ita et peccator currat ad medicum, quia non habent opus sani medico, sed male habentes, ut curent uulnera ipsius, et fiat de ecclesia, que est corpus Christi”.

[[C. LXXI].

Idem. [in c. 1. Amos].

““Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non conuertam eum’.

Iuxta tropologiam hoc possumus dicere.

Primum peccatum est cogitasse que mala sunt.

Secundum, cogitationibus acquieuisse peruersis.

Tertium, quod mente decreueris opere complesse.

Quartum, post peccatum non agere penitentiam, et suo sibi conplacere delicto”.

[[C. LXXII].

Idem. [epist LXV. ad Pammachium et Oceanum]

“Secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri.

Imitati estis errantem, imitamini et correctum.

Errauimus iuuenes, emendemur senes; iungamus gemitus et lacrimas copulemus”.

[[C. LXXIII].

Idem.

“Quia diuinitatis natura clemens est et pia, magis que ad indulgentiam quam ad uindictam prona, quia non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur et uiuat: si quis post lapsum peccatorum ad ueram penitenciam se conuertit, cito a misericordiæ iudice ueniam inpetrabit”.

[[C. LXXIV].

Idem in Malachia.

“Ne forsitan peccati memores tardius reuertantur ‘adhuc,’ inquit, ‘sedere uos faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis,’ ut, quod facit baptisma, hoc faciat penitencia, et habitent in tabernaculis Saluatoris, hoc est in ecclesia”.

[[C. LXXV].

Idem. [in c. 9. Danielis]

“Predixerat Iheremias septuaginta annos dessolationis templi, post quos rursum ueniret populus in Iudeam, et edificaretur ibi templum et Iherusalem.

Que res Daniele non facit negligentem, sed magis prouocat ad rogandum, ut quod Deus per suam clementiam promisit per eorum impleat preces, ne negligentia, et superbia pariat offensam.

§. 1. Denique in Genesi legimus, centum et uiginti annos penitencias constitutos ante diluuium, quia tanto tempore, hoc est centum annis, noluerunt agere penitenciam, nequaquam expectat, ut et uiginti alii compleantur, sed infert ante quod postea fuerat conminatus.

Unde Iheremiæ dicitur ob duriciam cordis populi Iudeorum: ‘Ne ores pro populo hoc, quia non exaudiam te’.

Et ad Samuel: ‘Usquequo luges super Saul? Et ego abieci eum’.

In cinere igitur et sacco postulat impleri quod promiserat Deus, non quod esset incredulus futurorum, sed ne securitas negligentiam, et negligentia preparet offensam”.

**C. LXXVI.** Operibus misericordiæ non Deum emimus, sed nosmetipsos redimimus.

Item Ambrosius in sermone in Dominica de Abraham.

“Medicina misericordiæ tollit peccata magna”.

Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimimus: pecuniam habes, redime peccatum tuum.

Non uenalis est Dominus, sed tu ipse uenalis es.

Peccatis tuis uenundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua; uilis pecunia, sed preciosa est misericordia.

§. 1. “Elemosina,” inquit, “a peccato liberat”.

Gratian. Crimina ergo elemosinis redimuntur.

[[C. LXXVII].

Item Iohannes Os aureum. [homil. IX. ad c. 6. epist. ad Hebræos].

“Medicamentum fortius, quod maxime operatur in penitencia, hoc est.

Sicut in preceptis medicinæ medicamentum multas quidem herbas accipit, unam autem dominantissimam: sic et in penitencia ista herba dominantior et potentior est, et uniuersum ipsa efficit.



Audi enim quid dixit diuina scriptura: ‘Date elemosinam, et ecce, omnia munda sunt uobis’”.

[[C. LXXVIII].

Item Ambrosius in libro [I]. de penitentia. [c. 2].

“Deus diffinitionem non facit, qui misericordiam suam omnibus promisit, et sacerdotibus suis relaxandi licentiam sine ulla exceptione concessit.

Sed qui culpam exaggerauerit exaggeret penitentiam.

Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus”.

[[C. LXXIX].

Idem. [lib. II. de penit. c. 10].

“Fleat pro te mater ecclesia, et culpam tuam lacrimis lauet.

Videat te Christus merentem, et a dicat: ‘Beati tristes, quia gaudebitis,’ Amat, ut pro uno multi rogent.

Denique in euangelio motus uiduæ lacrimis, quia plurimi pro ea flebant, filium eius resuscitauit”.

[[C. LXXX].

Idem. [eodem lib. II. c. 11].

“Adam de paradyso statim post culpam Deus eiecit.

Non distulit; sed statim separauit a deliciis, ut ageret penitentiam; statim tunica uestiuit eum pellicea, non serica”.

[[C. LXXXI].

Item Augustinus ad Felicianum.

## V. Pars.

“Tres sunt autem actiones penitentiæ, quas me cum uestra eruditio recognoscit.

Una est, que nouum hominem parturit, donec per baptismum salutare omnium preteritorum fiat ablutio peccatorum.

Omnis enim, qui iam uoluntatis suæ arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum peniteat uitæ ueteris, nouam non potest inchoare.

Ab hac penitentia, cum baptizantur, soli paruuli immunes sunt.

Nondum enim uti possunt libero arbitrio.

Quibus tamen ad consecrationem remissionem que originalis peccati prodest eorum fides, a quibus offeruntur.

§. 1. Altera uero penitentia est, cuius actio per totam uitam istam, qua in carne degimus mortali, perpetua supplicationis humilitate subeunda est.

Primo, quia nemo uitam eternam, incorruptibilem inmortalem que desiderat, nisi eum uitæ huius temporalis, corruptibilis, mortalis peniteat.

Non enim sic quisque in nouam uitam per sanctificationem baptismi nascitur, ut, quemadmodum ibi deponit omnia peccata preterita, ita etiam statim mortalitatem ipsam carnis, corruptionem que deponat.

§. 2. Tertia est actio penitentiæ, que pro illis peccatis subeunda est, que legis Decalogus continet, et de quibus Apostolus ait: ‘Si enim nos iudicaremus, non a Domino utique iudicaremur’”.

Et infra:

§. 3. “Est etiam penitencia humilium et bonorum fidelium pena cottidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: ‘Dimitte nobis debita nostra etc.’.

Neque ea dimitti nobis uolumus, que dimissa in baptismo non dubitamus, sed illa utique, que humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra subrepunt, que, si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, eo oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum.

Quid enim interest ad naufragium, utrum non grandi fluctu nauis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, et per negligentiam derelicta atque contempta inpleat nauem atque submergat?

propter hec ieiunia, elemosinæ, et orationes inuigilant: in quibus cum dicimus: ‘Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus,’ manifestamus nos habere quod nobis dimittatur, atque in his uerbis humiliantes animas nostras cotidianam quodammodo agere penitentiam non cessamus”.

[[C. LXXXII].

Item Gregorius.

## VI. Pars.

“Si peccatum Dauid Dominus transtulit tam detestabile, quid est, quod post omnia que de eodem peccato per Prophetam ei a Domino dicta sunt postmodum tanta tollerauit?

Sed proculdubio Dominus delictum sine ultione non deserit.

Aut enim ipse homo hoc in se penitens punit, aut hoc Deus cum homine uindicans percutit.

Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine uindicta laxatur.

Sic enim Dauid audire post confessionem meruit: ‘Dominus transtulit peccatum tuum,’ et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens reatum culpæ, quam perpetrauerat, exsoluit.

Sicut nos salutis unda a culpa primi hominis absoluimur.

Sed tamen, reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus, quia delicta nostra siue per nos, siue per semetipsum resecat etiam, cum relaxat.

Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non uult uidere”.

[[C. LXXXIII].

Item Augustinus. [de peccatorum meritis et remiss. lib. II., c. 34].

“Sicut primi homines postea iuste uiuendo merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo iudicio liberati non tamen illa uita meruerunt ad paradysum reuocari: sic et caro peccati, etiamsi peccatis remissis homo in ea iuste uixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati.

Tale aliquid nobis insinuatum est de patriarcha Dauid in libro Regnorum, ad quem cum Propheta missus esset, ei que propter peccatum, quod admiserat, euentura mala conminaretur, confessione peccati ueniam meruit, respondente Propheta, quod illud ei flagitium facinus que remissum sit; et tamen consecuta sunt que Deus fuerat conminatus, ut sic humiliaretur a filio.

Quare et nunc dicitur, si Deus propter peccatum illud fuerat conminatus, cur dimisso peccato, quod erat ei minatus, inpleuit?

nisi quia rectissime, si dictum fuerit, respondetur, remissionem illam peccati factam, ne homo a percipienda uita inpediretur eterna; subsecutum uero illud conminationis exemplum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur.

Sic et mortem corporis propter peccatum Deus homini inflixit, et post peccatorum remissionem propter exercendam iusticiam non ademit”.

**C. LXXXIV.** Doloris mensura potius quam temporis in actione penitentiæ consideranda est.

Idem in omelia de penitencia.

## **VII. Pars.**

In actione penitentiæ, ubi tale commissum est, ut is, qui conmisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris: “Cor enim contritum et humiliatum Deus non despiciet”.

Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum noticiam nisi per uerba uel quecumque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur: “Gemitus meus a te non est absconditus;” recte constituuntur ab his, qui ecclesiis presunt, tempora penitentiæ, ut satisfiat etiam ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. Extra eam quippe non remittuntur.

Ergo cum tanta est plaga peccati, atque inpetus morbi, ut medicamenta corporis et sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis debet se quisque ab altario remouere ad agendam penitentiam, et eadem auctoritate reconciliari.

**C. LXXXV.**

Idem in eadem. [hom. L., c. 11].

Iudicet se ipsum homo uoluntate, dum potest, et mores conuertat in melius, ne, cum iam non poterit, preter uoluntatem a Domino iudicetur.

Et cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ sed tamen utilissimæ sententiam, ueniat ad antistites, per quos illi clauis in ecclesia ministrantur tamquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a prepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, in offerendo sacrificio contribulati cordis deuotus et supplex, id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum, ut, si peccatum eius non solum in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati ecclesiæ uidetur antistiti, in noticia multorum, uel coram totius plebis multitudine, agere penitentiam non recuset, nec resistat, ne letali et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.

§. 1. Multi enim corriguntur, ut Petrus; multi tollerantur, ut Iudas, etc.

**C. LXXXVI.** Mortificatio uiciorum magis quam abstinentia ciborum penitenti est necessaria.

Item Ieronimus.

Mensuram temporis in agenda penitencia idcirco non satis aperte prefigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant, qualiter unumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam ualet mensura temporis, quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum, quam mortificatio uiciorum.

Propter quod tempora penitentiæ pro fide et conuersatione penitentium abbrevianda precipiunt, et pro negligentia protelanda existimant.  
Tamen pro quibusdam culpis modi penitentiæ sunt inpositi.

### C. LXXXVII.

Item Iohannes Crisostomus. [id est, auctor operis imperfecti in Matthæum, homil. 40].  
Quis aliquando uidit clericum cito penitentiam agentem? et si deprehensus humiliauerit se, non ideo dolet, quia peccauit, sed confunditur, quia perdidit gloriam suam.

## VII. Pars.

Gratian. His auctoritatibus asseritur, neminem sine penitencia et confessione propriæ uocis a peccatis posse mundari.

Unde premissæ auctoritates, quibus uidebatur probari, sola contritione cordis ueniam prestari, aliter interpretandæ sunt, quam ab eis exponantur.

Negationem namque Petri secuta est satisfactio lacrimarum, et trina confessio dominicæ dilectionis, qua penitus deleuit peccatum trinæ negationis.

Non ergo necessaria sibi erat certa satisfactio peccati, cuius totum uitæ tempus obedientiæ inpendebatur sui conditoris.

Imitabatur enim illud propheticum: “Declina a malo, et fac bonum;” et illud Ysaïæ: “Derelinquat inpius uiam suam, et uir iniquus cogitationes suas etc.”.

Amplius horum a peccatore nichil exigitur.

Non ergo illa auctoritate Leonis Papæ satisfactio penitentiæ negatur esse necessaria cuilibet delinquenti, sed ei tantum, qui B. Petrum imitatus huic seculo penitus abrenunciat, et cunctorum uitiorum fomitem in se funditus mortificat.

§. 1. Item illud Iohannis Crisostomi: “Lauant lacrimæ delictum, quod uoce est pudor confiteri;” et illud aliud, quod scribit in epistola ad Ebreos: “Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios accuses; sed obedire te uolo Prophetæ dicenti: Reuela uiam tuam ante Dominum.

Ergo confitere peccata tua, apud uerum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, et tunc demum spera, te misericordiam posse consequi, si habueris in mente peccata tua continue, numquam malum in corde aduersus proximum tenebis;” non ita intelligendum est, ut sine confessione oris peccata dicantur dimitti, sed sine publica satisfactione.

Secreta namque peccata secreta confessione et occulta satisfactione purgantur, nec est necesse, ut que semel sacerdoti confessi fuerimus denuo confiteamur, sed lingua cordis, non carnis apud iudicem uerum ea iugiter confiteri debemus.

Hinc etiam idem Iohannes Crisostomus ait: “Nunc autem si recorderis peccatorum tuorum, et frequenter ea in conspectu Dei pronuncies, et pro eis clementiam eius depreceris, citius illa delebis.

Si autem nunc obliuiscaris peccatorum tuorum, tunc eorum recordaberis nolens, quando in toto mundo publicabuntur, et in conspectu proferentur omnium tam amicorum quam inimicorum tuorum, et sanctorum angelorum, celestium que uirtutum.

Non enim ad Dauid solum dicebat: ‘Tu secreto fecisti ego cunctis manifestabo;’ sed etiam ad omnes nos hoc dicitur”.

§. 2. Similiter et illud Prosperi intelligitur: “Qui crimen suum ultro agnoscunt, et aut propriis confessionibus illud produnt, aut nescientibus aliis, quales occulti sunt etc.”.

Aliis nescientibus, id est occulta confessione istis peccatum suum confitentibus, non publice illud manifestantibus.

Item illud prophetæ: “Dixi: confitebor, et tu remisisti,” id est remissibilem iudicasti, “inpietatem peccati mei”.

Ita et illud Augustini intelligitur: “Magna pietas Dei, ut ad solam promissionem peccata dimiserit,” id est remissibilia iudicauerit.

Item: “Votum pro opere reputatur, cum deest facultas operis”.

Unde uotum confessionis reputatur pro opere uocis, cum deest facultas confessionis.

Item: “Voluntas remuneratur, non opus,” ita intelligitur: uoluntas facit opus remunerabile, non opus uoluntatem.

Item illud: “In quacumque hora peccator conuersus fuerit,” conuerti dicitur qui omnino uertitur: omnino uertitur, cuius opus, uox et cogitatio ita mortificationi desudat peccati, sicut prius seruierat iniquitati.

Ita et illud intelligitur: “Conuertimini ad me etc.”.

Item: “Scindite corda uestra, et non uestimenta, “eis dicitur, qui nulla interiori satisfactione precedente, sed sola exteriori se Deum posse placare confidunt.

Item cuncta, que de leprosis mundatis uel de Lazaro suscitato inducuntur, ad contritionem cordis, non ad ueniam remissionis referenda sunt.

Obstinatio enim animi, et confessionis contemptus, quedam mors est inpietatis et lepra superbiæ, a qua quisque reuiuiscit, dum sibi per gratiam dolor delicti et uotum confessionis inspiratur.

§. 3. Ad hunc etiam articulum pertinent ea, que de uiuentibus, uel in luce ambulantis, uel dilectionem Dei habentibus, uel de habitaculis Spiritus sancti factis dicta sunt, ut hec omnia quisque dicatur assecutus ex cordis contritione, quam habet, non ex plenaria peccati remissione, quam nondum inuenit.

Sicut enim in baptisate peccatum remittitur, et tamen eius pena reseruatur, sic per contritionem cordis quisque a Deo resuscitari dicitur, licet adhuc peccati reatu teneatur.

Non ergo premissis auctoritatibus uel argumentis sine confessione oris et satisfactione operis aliquis probatur a peccato mundari.

## II. Pars.

§. 4. Econtra auctoritas illa Iohannis Crisostomi et Prosperi contra mentem auctoris extorta uidentur.

Non enim dicitur: “non tibi dico, ut te publice accuses,” sed: “non tibi dico, ut apud alios te accuses”.

Sic et Prosper non ait: “omnibus,” sed simpliciter: “aliis nescientibus”.

Unde euidetissime datur intelligi, quod sine confessione oris possunt peccata deleri.

Ea uero, que ad exhortationem penitentiæ et confessionis dicta sunt, non huic sententiæ contraria uidentur.

Vel enim sunt uerba exhortationis, non iussionis, sicut illud: “Confitemini alterutrum peccata uestra,” uel si qua iubendo dicta sunt, non ad oris confessionem, sed cordis, non ad exteriorem satisfactionem, sed ad interiorem referenda sunt.

§. 5. Est enim penitencia alia interior, alia exterior.

Interior penitencia est illa, de qua Augustinus ait: “Omnis, qui suæ uoluntatis arbiter est constitutus, non potest inchoare nouam uitam, nisi peniteat eum ueteris uitæ”.

Item de eadem Petrus in Actibus Apostolorum legitur dixisse: “Penitentiam agite, et baptizetur unusquisque uestrum”.

Quod de interiori penitencia, non de exteriori dictum accipitur.

De exteriori uero penitencia Ambrosius ait super epistolam ad Romanos: “Gratia Dei in baptisate non requirit gemitum uel planctum, non opus aliquod, sed solam confessionem cordis, et omnia gratis condonat”.

Quecumque ergo de penitencia iubendo dicta sunt, non ad exteriorem, ut diximus, sed ad interiorem referenda sunt, sine qua nullus umquam Deo reconciliari potuit.

§. 6. Illud autem Augustini, quo quisque negatur ueniam consequi, nisi prius quantulamcumque peccati soluerit penam, non huic sententiæ inuenitur aduersum.

Nullus enim asseritur a peccato mundari, nisi penam peccati passus fuerit.

Sed aliud est peccatum sacerdoti confiteri, et eius arbitrio de peccato satisfacere: atque aliud Deo confiteri corde, et secreta satisfactione in se ipso peccatum punire.

Est enim penitencia (ut ait Augustinus) dolor cordis, quo quisque in se punit quod deliquit.

De hac iterum satisfactione idem ait in Psalmo L. exponens: “Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.

Tu ne punias, quia ego punio: ignosce, quia ego cognosco non dissimulo”.

Et infra: “Sic Deus misericordiam dat, ut seruet ueritatem, ut nec peccata eius sint impunita, cui ignoscit.

Ignoscit enim se ipsum punienti.

Misericordia est, quod homo liberatur; ueritas, quod peccatum punitur”.

Idem in Psalmo LXXXIV.: “Veritas de terra oritur, id est confessio de homine, ut se accuset, et sic iusticia de celo prospexit, ut publicanus confitens rediit iustificatus; iusticia prospicit, quasi Deus dicat: parcamus huic, quia non parcit sibi; ignoscamus, quia agnoscit.

De celo ergo iusticia prospexit, id est, a Deo data est iustificatio penitenti”.

§. 7. Hec ergo secreta satisfactio leuium siue occultorum criminum Deo offerenda est, nec sine pena relaxari probantur que sic expiari creduntur.

Ea uero, que de publica satisfactione uel oris confessione dicuntur, in publicis et manifestis criminibus intelligenda sunt.

Peccata namque Nabuchodonosor, que propheta misericordiis et elemosinis redimi suasit, peccata quoque Niniuitarum, que publica satisfactione expiata sunt, cunctis nota erant.

Et publica noxa (ut Augustinus testatur) publico eget remedio.

§. 8. Premissis itaque auctoritatibus pro manifestis criminibus manifesta probatur offerenda satisfactio et oris confessio.

Latentia uero peccata non probantur sacerdoti necessario confitenda, et eius arbitrio expianda.

### III. Pars.

§. 9. Econtra ea, que in assertionem huius sententiæ dicta sunt, partim ueritate nituntur, partim pondere carent.

Sine contritione etenim cordis nullum peccatum posse dimitti, occulta uero peccata secreta satisfactione, publica quoque manifesta penitencia expiari debere, firmissima constat ratione subnixum.

Porro sine confessione oris, si facultas confitendi non defuerit, aliquod graue delictum expiari, auctoritati penitus probatur aduersum.

Quomodo enim secundum auctoritatem Leonis Papæ sine supplicationibus sacerdotum indulgentia nequit obtineri, si sine confessione oris a peccato possumus emundari?

Quis enim supplicabit pro peccato, quod nescit? §. 10. Item, quomodo secundum Augustinum frustrat clauas ecclesiæ qui sine arbitrio sacerdotis penitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentiam inpetrat?

§. 11. Item, quomodo secundum Ambrosium ius ligandi et soluendi solis sacerdotibus a Domino creditur esse permissum, si quisque suo arbitrio se ipsum peccando ligat, uel secreta penitentia, secundum Prosperum, in se ipsum sententiam profert excommunicationis, atque post satisfactionem absque sacerdotali iudicio se ipsum Deo uel altario eius reconciliat?

§. 12. Non sunt hec premissis auctoritatibus consentanea: sed multorum exemplis probantur aduersa.

Filiam namque archisynagogi turbis eiectis Dominus resuscitauit: non tamen, nisi presentibus matre et patre puellæ, Petro quoque, Iacobo, et Iohanne, uitæ reddita est.

In quo moraliter instruimur, ut secreta peccata, que per mortem puellæ intelliguntur, non nisi supplicationibus ecclesiæ, que per matrem et patrem puellæ designantur, et sacerdotum ministerio, qui per Petrum et ceteros intelliguntur, a Domino existimentur dimitti.

§. 13. Item in Leuitico: “Qui domum suam uel agrum Domino uouendo consecrauerit, non potest eam redimere, nisi syclo sanctuarii, sacerdote quoque (non ipso) supputante annorum numerum usque ad iubileum”.

In quo similiter docemur, quod quicumque domum conscientiæ uel agrum conuersionis per penitentiam Domino offerre, atque precio bonorum operum de uana uitæ suæ conuersione se ipsum redimere uoluerit, non potest hoc facere, nisi syclo sanctuarii, id est operibus penitentiae, sacra scriptura prefixis.

Unde uenientibus ad se turbis B. Iohannes non ait simpliciter: facite penitentiam, uel fructus penitentiae, sed addidit: “dignos,” ut pro qualitate uidelicet peccatorum qualitas offeratur operum bonorum.

Non par enim debet esse fructus boni operis eius, qui nichil uel parum deliquit, atque eius, qui grandia commisit.

Ille tamquam nullius criminis sibi conscius usum sibi in rebus licitis prebet; hunc tamquam multis grauatum etiam a licitis temperare oportet.

In iubileo plena remissio prestabatur.

Unde per eum perfecta remissio peccati figuratur.

Sacerdos ergo numerum annorum usque ad iubileum supputat, cum eius arbitrio penitentiae tempora diffiniuntur, quibus quisque plenam peccati remissionem inueniat.

Non enim (sicut Esicius ait super eundem locum) statim post diffinitam penitentiam quisque a peccato plene mundatur.

§. 14. Cum ergo, ut ex premissis colligitur, tempora penitentiae sacerdotis arbitrio diffiniantur, euidenter apparet, sine confessione propriae uocis peccata non dimitti.

Quis enim tempora penitentiae alicui prefiget, nisi primum peccata sua sibi manifestare curauerit?

§. 15. Item: Taciturnitas peccati ex superbia nascitur cordis.

Ideo enim peccatum suum quisque celare desiderat, ne iniquitas sua aliis manifesta fiat, ne talis reputetur apud homines foris, qualem se iam dudum exhibuit diuino conspectui.

Quod ex fonte superbiæ nasci nulli dubium est; species etenim superbiæ est, se uelle iustum uideri, qui peccator est; atque ypocrita conuincitur qui ad imitationem primorum

parentum uel tergiuersione uerborum peccata sua leuigare contendit, uel, sicut Cayn, peccatum suum reticendo penitus suppressere querit.

Ubi autem superbia regnat, uel ypocrisis, humilitas locum habere non ualet.

Sine humilitate uero alicui ueniam sperare non licet.

Nec ergo, ubi est taciturnitas confessionis, uenia speranda est criminis.

Probatur hoc idem auctoritate Augustini, qui in libro de penitencia [c. 10]. ait:

[[C. LXXXVIII].

“Quem penitet omnino peniteat, et dolorem lacrimis ostendat, representet uitam suam Deo per sacerdotem, preueniat iudicium Dei per confessionem.

Precepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali presentia confitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda.

Dixit enim: ‘Ora monstrate,’ et: ‘Omnes,’ non unus pro omnibus; non alium statuatis nuncium, qui pro uobis offerat munus a Moyse statutum, sed qui per uos peccastis et uos erubescatis.

Erubescencia enim ipsa partem habet remissionis.

Ex misericordia enim hoc precepit Dominus, ut neminem eniteret in occulto.

In hoc enim, quod per se ipsum dicit sacerdoti, et erubescenciam uincit timore offensi, fit uenia criminis.

Fit enim ueniale per confessionem quod criminale erat in operatione, et, si non statim purgatur, et tamen uitale quod commiserat mortale.

Multum enim satisfactionis obtulit qui erubescenciae dominans nichil eorum, que commisit, nuncio Dei denegauit.

Deus enim qui misericors et iustus est; sicut conseruat misericordiam in iusticia, ita et iusticiam in misericordia.

Opus enim est misericordiae peccanti peccata dimittere: sed oportet, ut iustus iuste misereatur.

Oportet enim, ut non solum quid, sed in quo doleat consideret, si dignus est, non dico iusticia, sed misericordia.

Iusticia enim sola dampnat; sed dignus est misericordia qui spirituali labore petit gratiam.

Laborat enim mens patiendo erubescenciam, et, quoniam uerecundia magna est pena, qui erubescit pro Christo fit dignus misericordia.

Unde patet, quia quanto pluribus confitebitur in spe ueniae turpitudinem criminis, tanto facilius consequitur gratiam remissionis.

Ipsi enim sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere.

Quibus enim remittunt remittit Deus.

Lazarum enim iam de monumento suscitatum obtulit discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdoti.

Dixit enim: ‘Quodcumque solueritis super terram erit solutum et in celis,’ hoc est: ego Deus, et omnes celestis militiae ordines, et omnes sancti in gloria mea laudant uobis cum et confirmant quos ligatis et soluitis.

Non dixit: quos putatis ligare et soluere, sed in quos exercetis opus iusticiae aut misericordiae.

Alia autem opera uestra in peccatores non cognosco.

§. 1. Quare, qui confiteri uult peccata, ut inueniat gratiam, querat sacerdotem scientem ligare et soluere, ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet et petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit.



§. 2. Tanta itaque uis confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sepe enim contingit, quod penitens non potest uerecundari coram sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus.

Et si ille cui confitebitur, potestatem soluendi non habeat, tamen fit dignus uenia ex desiderio sacerdotis, qui confitetur socio turpitudinem criminis.

Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ostendere ora sacerdotibus ante, quam ad eos peruenirent.

Unde patet, Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes peruenire.

Sepe quidem eos querunt sed sani et leti; dum querunt ante, quam perueniunt moriuntur. Sed misericordia est Dei ubique, qui et iustis nouit parcere, etsi non tam cito, sicut soluerentur a sacerdote.

§. 3. Qui ergo omnino confitetur, et sacerdoti meliori, quam potest, confiteatur, si peccatum occultum est, sufficiat referre in noticiam sacerdotis, ut grata sit oblatio muneris.

Nam in resurrectione filiæ principis pauci interfuerunt qui uiderent.

Nondum enim erat sepulta, nondum extra portam ciuitatis delata, nondum extra domum in noticiam portata.

Intus resuscitauit quam intus inuenit, relictis solis Petro, et Iacobo, et Iohanne, patre et matre puellæ, in quibus figuraliter continentur sacerdotes ecclesiæ.

Quos autem extra inuenit, animaduertendum est, quomodo suscitauit.

Flebat enim turba post filium uiduæ.

Fleuit Martha et Maria, supplicantes pro fratre.

Flebat et turba, que Mariam fuerat secuta, lacrimis Mariæ admonita.

In quo docemur peccantibus publice non proprium, sed ecclesiæ sufficere meritum”.

C. LXXXIX. Sufficit illa confessio, que primum Deo, deinde sacerdoti offertur.

Item Leo Papa. [epist. LXXVIII. al. LXXX].

## IX. Pars.

Quamuis plenitudo fidei uideatur esse laudabilis, que propter Dei timorem apud homines erubescere non ueretur, tamen, quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, que penitentiam poscunt, non timeant publicare, remoueatur inprobabilis consuetudo, ne multi a penitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis suis sua facta reserare, quibus possint legum percelli constitutione.

Sufficit enim illa confessio, que primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis penitentium preceptor accedit.

Tunc enim plures ad penitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

Gratian. Quibus auctoritatibus, uel quibus rationum firmamentis utraque sententia confessionis et satisfactionis nitatur, in medium breuiter proposuimus.

Cui autem harum potius adherendum sit, lectoris iudicio reseruatur.

Utraque enim fautores habet sapientes et religiosos uiros.

Unde Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus ait in Penitenciali suo:

[[C. XC].

“Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Greci.

Quidam uero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut fere tota sancta ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam, ita dumtaxat, ut Deo, qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur, et hoc perfectorum est, et cum Dauid dicamus: ‘Delictum meum cognitum tibi feci, et iniusticiam meam non abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei’.

Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro inuicem, ut saluemur.

Confessio itaque que soli Deo fit, quod iustorum est purgat peccata.

Ea uero, que sacerdoti fit, docet, qualiter ipsa purgantur peccata.

Deus namque, salutis et sanctitatis auctor et largitor, plerumque prebet hanc suæ penitentiæ medicinam inuisibili amministrazione, plerumque medicorum operatione”.

## DISTINCTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quia uero de penitencia semel cepit haberi sermo, aliquantum altius repetendum uidetur, diuersorum sententias certis auctoritatibus munitas in medium proponentes.

Alii dicunt penitenciam semel tantum esse utilem.

Unica enim est, nec reiterari potest.

Si uero reiteratur, precedens penitencia non fuit.

Et si de sententia iudicis eius merito peccata uidentur esse remissa, apud eius tamen presentiam, cui omnia futura presentia sunt, numquam habentur remissa: quia non est seruata sententia illa ueri sacerdotis: “Vade, et amplius noli peccare”.

Item: “Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat”.

Item ex VIII. Sinodo:

**C. I.** Primam uicii causam non penitus extinguit qui in idem illam postea recidit.

Si quis semel notatus fuerit inuidiæ uel contentiois uicio, et rursum in hoc ipsum inciderit, sciat, se primam causam, ex qua inuidia uel contentio nascitur, in interioribus medullis habere reconditam.

Oportet ergo eum per contraria atque aduersa curari, id est per humilitatis exercitum.

Exercitia uero humilitatis sunt, si se uilioribus offitiis subdat, et ministeriis indignioribus tradat.

Ita namque arrogantiae et humanæ gloriæ uicium curari poterit, ut in consuetudine humilitatis affectus iam ultra non incidat arrogantiae et uanæ gloriæ delictum.

Sed in huiusmodi singulis uiciis cura similis adhibetur.

Gratian. Item sine karitate nulli adulto peccatum remittitur.

Non autem habet karitatem qui aliquando peccaturus est criminaliter.

Unde Augustinus ad Iulianum Comitem:

[[**C. II.**]

“Karitas, que deserui potest, numquam uera fuit”.

[[C. III].

Idem super epistolam [I]. Iohannis. [tract. 8].

“Radicata est karitas?

securus esto; nichil mali procedere potest”.

[[C. IV].

Item Gregorius in Moralibus.

“Valida est, ut mors, dilectio”.

Virtuti etenim dilectio comparatur, quia nimirum mentem, quam semel a delectatione mundi funditus occidit”.

[[C. V].

Item Prosper in libro [III]. de contemplatiua uita. [c. 13].

“Karitas est, ut michi uidetur, recta uoluntas, ab omnibus terrenis ac presentibus prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter et unita, igne quodam Spiritus S. a quo est et ad quem refertur, incensa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis nescia, nulli uicio mutabilitatis obnoxia, supra omnia, que carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis celestium preceptorum, mors criminum, uita uirtutum, uirtus pugnantium, palma uictorum, sanctarum mentium anima, causa meritorum bonorum, premium perfectorum; sine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis nec potuit peccare, nec poterit; fructuosa in penitentibus, leta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, uictoriosa in martiribus, operosa in omnibus omnino fidelibus, ex qua quicquid operis boni est uiuet”.

Item:

§. 1. “Hec est karitas uera germana, perfecta, quam excellentiorem uiam nominat S. Apostolus.

Sicut enim sine uia nullus peruenit quo tendit, ita sine karitate, que dicta est uia, ambulare non possunt homines, sed errare”.

Item:

[ibidem cap. 15]. §. 2. “Ergo si karitatem Deo exhibeamus, et proximo de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, facile peccato resistimus, bonis omnibus habundamus, seculi blandimenta contempnimus, et omnia, que difficilia humanæ fragilitati sunt, uel aspera etiam, cum dilectione perficimus, si tamen Deum karitate perfecta, que nobis ab illo est, ex toto corde et ex tota anima, et ex totis uiribus diligamus.

Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum; quem si ex toto corde diligamus, nichil erit in nobis, unde peccati desiderii seruiamus.

Et quid est diligere Deum, nisi illi occupari animo, concipere fruendæ uisionis eius affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum, quem in se censuit diligendum, in ipso amore seruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinem constitutum?

Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contempnendus est, diligunt, aut corpora sua minus diligenda plus diligunt, aut proximos non sicut se ipsos, aut Deum plus quam se ipsos forte non diligunt”.

Item:

§. 3. “Corpus nostrum, qua pars nostri est, ad hoc nobis diligendum est, ut saluti eius ac fragilitati naturaliter consulamus, et agamus, quatinus spiritui ordinate subiectum ad eternam salutem accepta immortalitate et incorruptione perueniat”.

Item:

§. 4. “Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas utilitates nostras, non propter speranda beneficia uel accepta, non propter affinitates uel consanguinitates, sed propter hoc tantum, quod sunt naturæ nostræ participes, diligamus”.

Item:

§. 5. “Non illi proximi nostri tantum credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis iungit, sed proximi nostri credendi sunt omnes homines naturæ nostræ, sicut dixi, participes”.

Item:

§. 6. “Proinde, secundum nos proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, et ad eternam uitam consequendam, sicut nobis, eorum saluti consulimus; quando nos in eorum peccatis ac periculis cogitamus, et, sicut nobis subueniri optaremus, ita eis subuenimus, aut, si facultas defuerit, uoluntatem subueniendi tenemus.

Quapropter est proximi tota dilectio, ut bonum, quod tibi conferri uis, uelis et proximo.

Illi uero plus quam se diligunt Deum, qui pro eius amore suæ ad tempus saluti non parcunt, se ipsos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus propriis, patriæ suæ extorres fieri, parentibus, et uxoribus, ac filiis renunciare parati sunt, et, ut totum dicam, ipsam mortem corporis non solum non refugiunt, sed etiam libenter excipiunt, ambientes a corporis sui uita magis, quam a Deo uita uitæ suæ discedere”.

[[C. VI].

Item Beda super Iohannem. [ad c. 1].

“Querendum est interea, quomodo speciale filii Dei agnoscendi signum fuerit, quod super eum descenderit et manserit Spiritus.

§. 1. Quid magni est filio Dei, quod in ipso manere Spiritus astruatur?

Notandum, quod semper in Domino manserit Spiritus sanctus; in sanctis autem hominibus, quamdiu mortale corpus gestauerint, partim maneat in eternum, partim rediturus secedat.

Manet quippe apud eos, ut bonis insistant actibus, uoluntariam paupertatem diligant, mansuetudinem consequantur, pro eterno desiderio lugeant, esuriant et sitiunt iusticiam, misericordiam, munditiam cordis, et tranquillitatem pacis amplectantur: sed et pro obseruatione iusticiæ persecutionem pati non uereantur, elemosinis, orationibus, ieiuniis, ceteris que Spiritus fructibus insistere desiderent.

Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curandi mortuos suscitandi, demones eiciendi, uel etiam prophetandi habeant facultatem.

Manet semper, ut possint habere uirtutes, ut mirabiliter ipsi uiuant.

Venit ad tempus, ut etiam aliis per miraculorum signa, quales sint intus, effulgeant”.

[[C. VII].

Item Apostolus. [I. Cor. 13].

“Karitas numquam excidit”.

[[C. VIII].

Item Augustinus super epistolam [I]. Iohannis. [tract. 3].

“Unctio inuisibilis Spiritus sanctus est, unctio inuisibilis karitas est, que, in quocumque fuerit tamquam radix illi erit, quamuis ardente sole arescere non potest, nutritur calore solis, non arescit”.

[[C. IX].

Item Gregorius super Ezechielem. [hom. III].

“Pennata animalia, minime reuertuntur, cum incedunt, quia sancti predicatorum, sic a terrenis actibus ad spiritualia transeunt, ut ad ea, que reliquerant, ulterius nullatenus reflectantur”.

Et paulo post:

‘Nemo mittens manum suam in aratrum, etc.’.

Manum quippe in aratrum mittere est quasi per quendam conpunctionis uomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire.

Sed retro post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis ad mala reuertitur, que reliquit.

Quod quia electis Dei minime contingit, recte nunc per Prophetam dicitur: ‘Non reuertebantur, cum incederent’.

Et paulo post:

“Unde et Paulus: ‘Unum uero, que retro sunt, oblitus, in ea, que sunt ante, extendens me, sequor ad palmam supernæ uocationis’.

In anteriora etenim extentus, eorum, que retro sunt, oblitus fuerat, quia temporalia despiciens sola que sunt eterna requirebat”.

[[C. X].

Idem in eodem, omelia V.

“Non reuertebantur, cum incederent,’ quia electi quique sic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant.

‘Qui enim perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit’.

Et, sicut per Salomonem dicitur: ‘Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem’.

In eorum namque animo bonum desiderium atque intellectus lucis intimæ iam pars diei est; sed quia usque ad finem uitæ in uirtute proficiunt, ad perfectum diem tunc ueniunt, quando ad regna celestia perducti, in ea luce, quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt”.

[[C. XI].

Idem in eodem omelia V.

“Potest discursus atque mobilitas Spiritus sic intelligi.

In sanctorum quippe cordibus iuxta quasdam uirtutes semper manet; iuxta quasdam uero recessurus uenit, et uenturus recedit.

In fide enim, spe atque karitate, et in bonis aliis, sine quibus ad celestem patriam non potest perueniri (sicut est castitas, humilitas, iusticia atque misericordia) perfectorum corda non deserit.

In prophetiæ uero uirtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione, electis aliquando adest, aliquando se subtrahit”.

Et paulo post:

§. 1. “In his itaque uirtutibus, sine quibus ad uitam minime peruenitur, Spiritus sanctus in cordibus electorum suorum permanet, unde recte stabilis dicitur.

In his uero, per quas sanctitatis uirtus ostenditur, aliquando misericorditer presto est, aliquando misericorditer recedit”.

Unde Ambrosius super epistolam II. ad Chorinthios: [ad c. 6].

[[C. XII].

“Ficta karitas est, que deserit in aduersitate”.

## II. Pars.

[Gratian.] Ex premissis itaque apparet, quod karitas semel habita ulterius non amittitur. Qui autem karitatem semel habuerit criminaliter ulterius peccare non poterit, ut ad gratiam, non ad naturam impossibilitas referatur.

Quod autem karitatem habens criminaliter peccare non possit, testatur Augustinus [in lib. L. Homiliarum,] omelia 8. dicens:

[[C. XIII].

“Quia radix omnium malorum est cupiditas, et radix omnium bonorum est karitas, et simul ambæ esse non possunt, nisi una radicitus euulsa fuerit, alia plantari non potest.

Sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit euellere”.

[Gratian.] Cum ergo qui criminaliter peccat karitatem numquam habuisse probatur, euidenter colligitur, penitentiam non agere, qui quandoque criminaliter peccauit.

Unde Augustinus:

[[C. XIV].

“Karitas est aqua, de qua Dominus ait in euangelio: ‘Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in eternum’”.

[Gratian.] Reprobis ergo, cum eternis mancipatus incendiis in eternum sitiatis, quomodo bibet aquam uiuam, aut quomodo potabit aquam salientem in uitam eternam, qui, quasi plumbeus demersus in ima, penas luit dampnationis eternæ?

Item: Sine karitate quomodo ueram contritionem cordis quis habere poterit?

quomodo ergo delictorum remissionem? que si non dimissa, quomodo non omnia prorsus ad penam exigenda?

Item Dominus: “Amen, amen dico uobis, qui credit in me habet uitam eternam”.

Qui ergo non habet uitam eternam non credit in Christum.

In Christum uero credit qui karitatem habet.

In Christum quippe credere est amando in ipsum tendere.

Hec est fides, ut diffinit Apostolus, que per dilectionem operatur; huic duntaxat delictorum remissio promittitur.

Quod si karitas a fide Christianorum seiungi nequit, cui scilicet soli uenia promittitur, quomodo qui karitatem non habuit fidem Christianorum habuit, id est in Christum credidit?

quomodo ergo ueniam delictorum accepit? quam si non accepit, quomodo non omnia prorsus opera eternis sunt ferienda suppliciis?

Item Dominus: “Ego sum panis uiuus, qui de celo descendi; si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in eternum”.

Qui ergo non uiuit in eternum non manducauit panem uiuum: sed qui non manducauit in eum non credidit.

Hoc est enim manducare panem uiuum, quod credere in Christum, id est amando tendere in ipsum.

Cum igitur reprobis in eum non crediderit, quem non manducauit, et ita fidem Christianorum (qua sola peccata relaxantur) non habuerit, quomodo, si uiuit Dominus, cui omne iudicium dedit Pater, iudicium perpetuæ dampnationis effugiet omnium non solum actualium, sed etiam originalium?

### III. Pars.

§. 1. Hec, que de karitate dicuntur, de perfecta intelligi possunt, que semel habita numquam amittitur.

Exordia uero karitatis enutriuntur, ut crescant, et conculcantur, ut deficiant.

Nemo enim repente fit summus, sed in bona conuersatione, que sine karitate nulla est, a minimis quisque inchoat, ut ad magna perueniat.

Sunt itaque gradus non solum inter uirtutem et uirtutem, sed etiam in eadem uirtute.

Unde Gregorius super Ezechielem [homil. XV]. scribit, dicens:

[[C. XV].

“Dum sanctam ecclesiam Dominus suscipit, in gradibus eius dinoscitur, quia eius gloria per illius incrementa declaratur.

Quantum enim sancta ecclesia ascendendo proficit, tantum Deus hominibus ex eius uirtute innotescit.

De his quoque gradibus B. Iob loquitur, dicens: ‘Per singulos gradus meos pronuntiabo illum’.

Omnipotentem quippe Dominum per singulos gradus suos pronunciat, qui per incrementa uirtutum, que accipit, ei semper laudem suæ pietatis reddit.

Si quidam gradus in cordis ascensione non essent, Psalmista non diceret: ‘Ambulabunt de uirtute in uirtutem’.

Nec mirum, si de uirtute in uirtutem gradus sunt, quando ipsa unaqueque uirtus quibusdam quasi gradibus augetur, et sic per incrementa meritorum ad summam perducitur.

§. 1. Alia namque sunt uirtutis exordia, aliud prouectus, aliud perfectio.

Si enim et ipsa fides ad perfectionem suam non gradibus quibusdam duceretur, sancti Apostoli minime dixissent: ‘Auge nobis fidem’.

Et quidam uenit ad Dominum, qui curari uoluit filium suum; sed requisitus, an crederet, respondit: ‘Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam’.

Pensate, rogo, quod dicitur.

Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si uero incredulitatem habere se nouerat, quomodo credebat?

Sed quia per occultam inspirationem gratiæ suorum meritorum gradibus fides crescit, uno eodem que tempore is, qui necdum perfecte crediderat, simul et credebat, et incredulus erat.

§. 2. Hos nimirum gradus Dominus sub messis nomine describit, dicens: ‘Sic est regnum Dei, quemadmodum si iactet homo semen in terram, et dormiat, et exurgat nocte ac die, et semen germinet, et crescat, dum nescit ille.

Ultero enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica; et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis’.

Semen homo iactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit, et post, quam semen iactauerit, dormit, quia iam in spe boni operis quiescit.

Nocte uero surgit ac die, quia inter aduersa et prospera proficit, et semen germinat et crescit, dum nescit ille, quia, et cum adhuc metiri sua incrementa non ualet, semel concepta uirtus ad prouectum ducitur, et ultro terra fructificat, quia preueniente se gratia mens hominis spontanea ad fructum boni operis assurgit.

Sed hec eadem terra primum herbam, deinde spicam deinde plenum frumentum producit in spica.

Herbam quippe producere est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere.

Ad spicam uero herba uenit, cum se uirtus animo concepta ad prouectum boni operis pertrahit.

Plenum uero frumentum in spica fructificat, quando iam tantum uirtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit.

Sed cum ex se produxerit fructum, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis.

Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, et messem suam desecat, quia, cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, eius temporalem uitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad celestia horrea perducatur.

Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus.

Cum uero operari recta incipimus, herba sumus.

Cum autem ad prouectum boni operis crescimus, ad spicam peruenuimus, cum que in eiusdem operationis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus.

§. 3. Herba etenim Petrus fuerat, qui, passionis tempore per amorem Dominum sequens, hunc confiteri ante ancillæ uocem timebat.

Erat enim iam uiriditas in mente, quia credebatur omnium redemptorem; sed ualde adhuc flexibilis pede conculcabatur timoris.

Iam in spica surrexerat, quando eum, quem moriturum confiteri timuerat, nunciante angelo in Galilea uiuentem uidebat.

Sed ad plenum granum in spica peruenerat, quando ueniente desuper Spiritu, et suam mentem in illius amore roborante, ita solidatus est, ut uires persequentium cesus despiceret, et redemptorem suum libere inter flagella predicaret.

§. 4. Nullus itaque, qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentum Dei ab herba incipit, ut granum fiat.

Vir ergo uenit ad portam, quia Dominus ac redemptor noster membris suis intrantibus perducit ad se, et ascendit per gradus eius, quia nobis proficientibus eo amplius exaltatur, quo altus et inconprehensibilis esse cognoscitur.

In uirtutum quippe nostrarum gradibus ipse ascendere dicitur, quia tanto ipse nobis sublimior ostenditur, quanto noster animus a rebus infimis separatur”.

Hinc etiam Augustinus ait in libro de libero arbitrio: [c. 17].

[[C. XVI].

“Qui uult facere Dei mandata, et non potest, iam quidem habet bonam uoluntatem, sed adhuc paruam et inualidam.

Poterit autem, cum magnam habuerit et robustam.

Quando enim martires illa mandata magna fecerunt, magna utique uoluntate, id est magna karitate fecerunt, de qua ipse Dominus ait: ‘Maiorem karitatem nemo habet etc.’”.

Et paulo post:



§. 1. “Ipsam karitatem apostolus Petrus nondum habebat, quando timore Dominum ter negavit.

Et tamen, quamuis parua et imperfecta, non deerat ei karitas, quando dicebat: ‘Domine, animam meam pro te ponam’”.

Idem super epistolam Iohannis:

[tract. 5]. §. 2. “Si quis tantam habuerit karitatem, ut paratus sit etiam pro fratribus mori, perfecta est in illo karitas; sed numquid mox, ut nascitur, iam prorsus perfecta est? ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectum uenerit, quid dicis? ‘Michi uiuere Christus est et mori lucrum’”.

[[C. XVII].

In eadem. [tract. IX].

“Sicut seta introducit linum, ita timor karitatem; crescit karitas, minuitur timor, et e conuerso”.

[[C. XVIII].

In eadem.

“Forte nata est in te karitas, sed nondum perfecta; noli desperare, nutri eam, ne forte suffocetur”.

[[C. XIX].

Idem ad Ieronimum. [epist. XXIX].

“Karitas in quibusdam perfecta est, in quibusdam imperfecta: perfectissima autem in hac uita haberi non potest”.

[[C. XX].

Item Gregorius.

“Si sermo meus inuenerit in cordibus uestris aliquam scintillam gratuiti amoris Dei, ipsam nutrite, ad hanc augendam uos aduocare studete”.

Et paulo post:

“Flate, nutrite in uobis; ut cum creuerit, et flammam dignissimam fecerit omnium cupiditatum ligna consumat”.

[Gratian.] E contrario etiam gradus in uirtute esse probantur, quia et ipsius peccati gradus euidenter apparent.

Sicut enim nemo repente fit summus, ita nemo repente fit turpis.

Hinc etiam Augustinus in [lib. I]. sermone Domini in monte: [c. 23].

[[C. XXI].

“Sicut tribus gradibus ad peccatum peruenitur, suggestione, delectatione, consensione: ita ipsius peccati tres sunt differentiae, et in corde, et in facto, et in consuetudine, tamquam tres mortes; una, quasi in domo, id est cum in corde consentitur libidini; altera, quasi prolata iam extra portam, cum in factum procedit assensio; tertia, cum in consuetudinis malae tamquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro iam putens.

Que tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis euangelium legit agnoscit”.

[[C. XXII].

Item Gregorius. [lib. XXV. Moraliū, c. 16].

“Sciendum quippe est, quod peccatum tribus modis admittitur.

Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur, et grauius quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo grauius studio, quam infirmitate peccatur”.

[[C. XXIII].

Idem. [lib. XXI. Moraliū c. 3].

“Inter hec sciendum est, aliud esse, quod animus de temptatione carnis patitur, aliud uero, cum per consensum delectationibus obligatur.

Plerumque enim cogitatione praua pulsatur, sed renititur.

Plerumque autem peruersum quid concipit intra semetipsum etiam per desiderium uoluit.

Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsatur, sed cum hanc sibi per delectationem subiugat.

Hinc etenim predicator egregius: ‘Temptatio uos non apprehendat, nisi humana’.

Humana quippe temptatio est, qua plerumque in cogitatione tangimur etiam nolentes, quia, ut nonnumquam illicita ad animum ueniant, hoc utique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus.

Iam uero demoniaca et non humana est temptatio, cum ad hoc, quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus astringit”.

[[C. XXIV].

Item Ieronimus. [ad c. 1. Amos].

“Super tribus sceleribus Damasci etc.” ut supra.

[Gratian.] Non est mirum, si in uirtute gradus esse dicuntur, quandoquidem et peccati gradus ita euidenter monstrantur.

§. 1. Hec itaque karitas, que in Petro ante negationem herba fuit, et in singulis nascitur ante, quam roboretur, ante sui perfectionem amittitur et reparatur.

Unde Augustinus in libro de correctione et gratia: [c. 7]. “Quicumque ab illa originali dampnatione ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quin procuretur eis euangelium, et, cum audiunt, credunt, et in fide, que per dilectionem operatur, usque in finem perseuerant, et, si quando exorbitant, correcti emendantur, et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in uiam, quam reliquerant, redeunt et cetera”.

[[C. XXV].

In eodem.

“Firmum fundamentum Dei stat, immobile habens signaculum hoc: Scit Dominus qui sunt eius’.

Horum fides, que per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut, si qui sunt, quorum deficit, reparantur ante, quam uita ista finiatur, et deleta iniquitate, que intercurrerat, usque in finem perseuerantia deputatur”.

[[C. XXVI].

In eodem. [c. 9].

“Nullus eorum ex bono in malum conmutatus finit hanc uitam”.

[[C. XXVII].

In eodem.

“Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut etiam, si qui eorum deuiant et exorbitant, etiam hoc ipsum faciet eis proficere in bonum”.

[[C. XXVIII].

Item Apostolus ad Galathas. [c. 5. u. 6].

“Circumcisio non est aliquid, neque preputium, sed fides, que per dilectionem operatur. Et hoc olim in uobis, quia currebatis bene per opera fidei et ex dilectione”.

[[C. XXIX].

Item ad Ebreos. [c. 6. u. 10].

“Non est tam iniustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri etc.”.

[Gratian.] Operis, quod omnia sua fecerunt communia, et hoc ex dilectione, et hoc ad gloriam Dei.

Ecce triplex bonum, quasi diceret: olim multa operati estis, pro quibus, si penitetis de malis, benefaciet uobis Deus.

Romanos quoque et Galathas dum Apostolus redargueret, merito fidei probat assecutos remissionem peccatorum, et sanctificationem in Spiritu sancto, et iusticiam bonæ operationis, que omnia aut sine karitate numquam uere in eis fuerunt, aut ueram karitatem habuerunt, a qua postea lapsi sunt qui de operibus legis gloriabantur.

Item de quolibet adulto Augustinus ait:

[[C. XXX].

“Tolle karitatem, odium tenet”.

Item:

§. 1. “Omnis, qui non diligit, odit”.

Item in euangelio:

§. 2. “Nemo potest duobus Dominis seruire; aut enim unum odio habebit, et alterum diligit, aut unum sustinebit et alterum contempnet”.

[Gratian.] Adam uero, cum in uirili etate a Domino creatus sit, ante, quam a diabolo temptaretur, dum de latere eius uxor formabatur, dum in extasi raptus angelicæ curiæ intererat, dum euigilans futura Christi et ecclesiæ sacramenta uaticinabatur, aut karitatem, aut odium habebat.

Si autem odium habebat, non fuit diabolus auctor nostri peccati.

Item, si sine karitate a Deo creatus est, similitudinem eius nequaquam in sui creatione accepit.

Item, si sine karitate creatus est, iustus et innocens a Deo factus non est; creatura namque, rationis capax et liberi arbitrii, iusticiæ et innocentiae sine karitate particeps esse non potest.

Colligitur ergo, quod Adam ante, quam peccaret, karitatem habuit, sine qua iustus et innocens esse non potuit.

Unde Augustinus in Genesi ad litteram: [lib. VI. c. 24].

[[C. XXXI].

“Quomodo renouari dicimur, si non recipimus, quod perdidit primus homo?

Hoc plane recipimus, quia iusticiam, ex qua per peccatum lapsus est”.

Et paulo post: [c. 7].

§. 1. “Expoliantes uos ueterem hominem, induite nouum, qui renouatur in agnitione fidei secundum imaginem eius, qui creauit eum”.

Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum”.

Et post pauca:

§. 2. “Stola illa prima ipsa iusticia est, unde lapsus est Adam”.

[[C. XXXII].

Idem in omelia XI.

“Princeps uiciorum omnium, dum uidit Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia conpositum, karitate splendidum, primos parentes illis donis ac tantis bonis expoliauit, pariter ac peremit.

Namque cum homini abstulisset pudicitiam, continentiam, suo dominio eum subiugauit”.

Et paulo post:

§. 1. “Adam amissa temperantia factus est intemperans; perdita karitate malus inuentus est”.

[[C. XXXIII].

Item Ambrosius [lib. VI. epist. 14]. ad Sabinum.

“Quando Adam solus erat, non est preuaricatus, quia mens eius adhebat Deo”.

[[C. XXXIV].

Idem ad eundem. [eodem lib., ep. 42].

“Primus homo Dei opus recens, confabulator assiduus, qui sanctorum, conplantatus erat uirtutibus”.

[[C. XXXV].

Idem in Exameron. [lib. VI. c. 7].

“Illa anima a Deo pingitur, que habet in se uirtutum gratiam renitentem, splendorem que pietatis.

Illa anima bene dicta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies.

Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriæ, et paternæ imago substantiæ.

Secundum hanc imaginem, que refulget, pictura preciosa est.

Secundum hanc imaginem depictus fuit Adam ante peccatum; sed ubi lapsus est deposuit”.

[[C. XXXVI].

Idem de fuga seculi. [c. 4].

“Similem Dei esse est habere iusticiam, sapientiam, et in uirtute esse perfectum”.

[[C. XXXVII].

Idem de uita beata. [c. 5].

“Sapiens numquam inanis est, sed semper in se habens amictum prudentiæ, qui potest dicere: ‘Iusticiam induebam, uestiebam iudicium’.

Mentis namque hec sunt interna uelamina, que nemo alius potest auferre, nisi cum aliquem sua culpa despoliat.

Denique sic spoliatus Adam nudus inuentus est”.

[[C. XXXVIII].

Idem in libro de Ysaac et anima. [c. 5].

“Sed nec Adam primus nudus erat, quem innocentia uestiebat”.

[[C. XXXIX].

Idem in libro de Paradyso. [c. 13].

“Ut cognouerunt, quia nudi essent”.

Et ante quidem nudi erant; sed non sine uirtutum tegumento”.

[Gratian.] Oponitur etiam illud, quod omnis clamat auctoritas: si sic permansisset, ut erat ante peccatum, esset translatus in gloriam, quam habituri sunt sancti; sed nemo adultus sine karitate intrat: karitatem ergo habebat.

§. 1. Item opponitur de Moyse, cuius fidem Apostolus in epistola sua ad Ebreos commendans, dignis preconiiis eius merita predicauit, dum se negauit esse filium filiae Pharaonis, malens affligi cum fratribus, quam perfrui iocunditate temporalis palatii; dum fratri conpatiens Egiptium sabulo obruit; dum ueritus animositatem regis Egiptum reliquit; dum diuino uallatus auxilio regis furorem contempsit, atque in uirtute signorum populum de Egipto eduxit.

Que omnia quibus laudibus sunt efferenda, si tunc karitas in eo non erat, cum non habeat in se aliquid uiriditatis ramus boni operis, nisi procedat ex radice karitatis?

Quomodo autem karitatem non habebat, cui Dominus facie ad faciem loquebatur, sicut loqui solet homo cum amico suo?

Quomodo karitatem non habebat, qui pro populo supplicans dicebat: “Aut dimitte ei hanc noxam, aut dele me de libro tuo?”

“An non proximum diligebat, qui pro populo se obiciens, illum ab interitu liberauit?”

An non Deum diligebat, qui pro eo in uituli cultores deseuiens, ipsius uituli caput in puluerem conminuit, atque, ut in secessum proiceretur, aquæ inmixtum Isrælitis bibendum dedit, nonnullos ex eius cultoribus gladio feriri precipiens, ut populum, cuius erat interitus maior futurus, Deo reconciliaret?

An non karitatem habebat, de cuius spiritu Dominus accepit, et super septuaginta seniores Isrælis posuit?

Qui tamen ad aquam contradictionis de Dei potencia, siue de eius benignitate dubitans, cum cetera certa fide promisisset, producturus aquam de petra, diffidenter excrepuit, dicens: “Numquid de petra hac potero uobis aquam educere?”

Quod nulli leue uideatur, cum in penam eius delicti sibi et Aaron a Domino dictum sit: “Quia non exaudistis uocem meam, ut glorificaretis me coram filiis Isræel, non introducetis populum hunc in terram, quam dedi eis”.

§. 2. An non karitatem habebat Aaron, quando fratri coadiutor datus est, ut esset os eius ad populum, ut fierent signa in Egipto per eum?

Qui tamen in cultura uituli postea consensum populo adhibuit.

An non karitatem habebat, quando ex omni multitudine filiorum Isræel solus electus est a Domino, ut pontificatu ante eum fungeretur?

Si karitatem non habebat, bonus non erat; si autem bonus non erat, cur pre ceteris a Domino in pontificem electus est?

An non karitatem habebat, quando pro populo cum thuribulo incendio se opposuit, et iram placauit?

Et tamen, ut premissum est, ad aquam contradictionis iram Domini aduersum se postea prouocauit.

§. 3. Numquid etiam Daudid karitatem non habuit, super quem spiritus Domini a die unctionis directus est?

An forte dicetur directus esse super eum, ut ex tunc gratiam prophetandi haberet, non ut ex eo gratiam diuinæ dilectionis acciperet?

Quod absurdum plane uidetur de eo sentire, de quo Dominus ait: “Inueni hominem secundum cor meum”.

Quomodo etiam karitatem non habebat, qui querenti animam suam pepercit, et quia oram clamidis eius precidit, postea cor suum grauiter percussit, clamans: “Quem persequeris rex Israël, canem mortuum, et culicem unum?”

Quomodo karitatem non habebat, qui mortem inimici sui tam grauissime tulit?

Quomodo karitatem non habebat, qui aquam de cisterna Bethleem suorum periculo sibi oblatam non bibit, sed coram Domino libauit?

Quomodo karitatem non habebat, qui irrisus a Michol filia Saul, eo quod ante archam Domini cytharam et psalterium percutiens saltasset, ait: “Ludam, et uilior fiam in oculis meis”.

Si karitatem non habebat, qua conscientia securus sibi ipsi inprecabatur dicens: “Si reddidi retribuentibus michi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis?”

Si karitatem non habebat, qua temeritate iuste se iudicari rogabat, dicens: “Iudica me, Domine, secundum iusticiam meam, et secundum innocentiam meam super me?”

Idem: “Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum?”

Et tamen post tot et innumera alia diuinæ et supernæ dilectionis iudicia quam grauiter deliquerit nullus ignorat, qui Bethsabeæ adulterium, et Uriæ homicidium audiuit.

Cuius penitentiam si sine karitate Domino obtulit, ueram cordis contritionem non habuit.

Quomodo ergo sacrificium contriti cordis et spiritus contribulati Domino promittere audebat, dicens: “Si uoluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus etc.?” Denique, cum falsæ penitentiæ nulla a Deo promittatur remissio, quomodo a Propheta audire meruit: “Dimissum est peccatum tuum,” si ueram contritionem cordis non habuit?

Euidenter itaque apparet, eum tunc karitatem habuisse, et ex karitate sacrificium cordis contriti et spiritus contribulati Domino obtulisse; alioquin temerarie postulasset: “Auerte faciem tuam a peccatis meis,” et cetera, que in eodem Psalmo continentur, nisi odium mali et dilectio boni ad humilitatem penitentiæ illum prouocasset.

De quo etiam S. Ambrosius in libro de anima et Ysaac [c. 3]. scribit, dicens: “Fugerat sanctus Daudid odia Saul regis, non relinquens terras, sed declinans contagia regis inmitis et superbi, quia mens eius adherebat Deo” cui nullus adultus sine karitate adherere potest.

Et tamen, quam grauiter in populi dinumeratione postea deliquerit, ipsius delicti pena indicauit.

§. 4. Item, secundum hanc sententiam qui criminaliter delinquit ueram peccatorum remissionem in baptismo consecutus non est, siue in annis infantiae siue adultus ad baptisma accessit, quia Dei amorem non habuit, sine quo nemo inuenit umquam gratiam, atque ita secundum heresim Iouiniani, si uere ex aqua et Spiritu quis renatus est, ulterius criminaliter peccare non potest, uel, si criminaliter peccat, aqua tantum, non Spiritu probatur esse renatus.

Cui sententiæ illud epistolæ Iohannis consentire uidetur: “Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; et non potest peccare quia ex Deo natus est.

In hoc enim manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli”.

Et in fine epistolæ: “Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, et malignus non tangit eum”.

Verum hec auctoritas Apostoli quantum illi sententiæ faueat, atque illa erroris secta quam ueritati sit aduersa, Ieronimus ostendit, scribens contra Iouinianum: [lib. II. in principio]

[[C. XL].

“Si enim, ‘omnis,’ inquit, ‘qui natus est ex Deo, non peccat, et a diabolo temptari non potest.’ quomodo precipit, ut caueant, ne temptentur, dicens: ‘Filioli, custodite uos a simulachris?’

Et in eadem rursus epistola: ‘Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et ueritas in nobis non est.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.

Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, et uerbum eius non est in nobis’.

Estimo, quod beatus Iohannes baptizatus ad baptizatos scripserit, et quod omne peccatum ex diabolo sit.

Ille peccatorem se confitetur, et sperat remissionem peccatorum post baptisma.

Et Iouinianus meus dicit: ‘Ne tangas me, quoniam mundus sum’.

Quid ergo? Contraria sibi Apostolus loquitur? Minime.

In eodem quippe loco, cur hoc dixerit, statim edixit: ‘Filioli mei, hec scribo uobis, ut non peccetis; sed et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostri autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.

Qui dicit se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est, et in eo ueritas non est.

Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc karitas Dei perfecta est.

In hoc scimus, quoniam in ipso sumus.

Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, et ipse ambulare’.

Propterea scribo uobis, filioli mei, omnis, qui natus est ex Deo, non peccat.

Ideo dico uobis ut non peccetis, et tamdiu uos sciatis in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaueritis; immo, qui in generatione Domini perseuerant peccare non possunt.

Que enim communicatio luci et tenebris? Christo et Belial?

Quomodo dies et nox misceri nequeunt, sic iusticia et iniquitas, peccatum et bona opera, Christus et antichristus.

Si susceperimus Christum in hospicio pectoris nostri, illico fugamus diabolium.

Si peccauerimus, et per peccati ianuam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit.

Unde et Dauid post peccatum: ‘Redde michi,’ ait, ‘leticiam salutaris tui,’ scilicet quam peccando amiserat.

‘Qui dicit se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est, et in eo ueritas non est’.

Christus ueritas appellatur immo est: ‘Ego sum,’ inquit, ‘uia et ueritas, et uita’.

Frustra in eo nobis applaudimus cuius mandata non facimus.

‘Scienti bonum et non facienti illud, peccatum est.

Quomodo enim corpus sine spiritu mortuum est, sic et fides sine operibus mortua est’.

Nec grande putemus unum Deum nosse, cum et demones credant et contremiscant.

‘Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, et ipse ambulare’.

#### IV. Pars.

§. 1. Eligat aduersarius e duobus quod uult, optionem damus; manet in Christo, an non manet?

Si manet, ita ergo ambulet, ut Christus.

Si autem temerarium est similitudinem uirtutum Domini polliceri, non manet in Christo, quia non ingreditur, ut Christus.

Ille peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui, cum malediceretur, non remaledixit, et tamquam agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum; ad quem uenit princeps mundi istius, et inuenit in eo nichil; qui cum peccatum non fecisset, pro nobis peccatum eum fecit Deus.

Nos autem iuxta epistolam Iacobi multa peccamus omnes, et nemo mundus a peccatis, nec infans, si unius diei quidem fuerit uita eius.

Quis enim gloriabitur castum se habere cor? aut quis confidet mundum a peccatis se esse?

tenemur que rei in similitudinem preuaricationis Adæ.

Unde et Daud: ‘Ecce,’ ait, ‘in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea’.

Et B. Iob: ‘Si fuero iustus, os meum in pia loquetur, et si sine crimine, prauus inueniar, et si purificatus in niue, et lotus mundis manibus, satis me sorde tinxisti, et execratum est uestimentum meum’.

Verum, ne penitus desperemus, arbitantes, nos post peccata baptismi non posse saluari, statim hoc ipsum temperat.

‘Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi’.

Hoc ad credentes post baptisma loquitur, et aduocatum pro delictis eorum Dominum pollicetur.

Nec dicit, siquid peccaueritis, aduocatum habetis apud Patrem Iesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis uestris, ne eos dices non plena fide baptisma consecutos; sed: ‘aduocatum,’ inquit, ‘habemus apud Patrem Iesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris,’ et non solum pro Iohannis aliorum que peccatis, sed etiam, ‘pro totius mundi’.

In toto autem mundo et Apostoli sunt, omnes que credentes.

Ex quibus liquido conprobatur, post baptisma posse peccare.

Frustra enim aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, si peccari non potest.



Petrus apostolus, ad quem dictum fuerat: ‘Qui lotus est, non habet necesse, ut iterum lauet;’ et: ‘Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam,’ ab ancilla perterritus negat.

Et ipse Dominus: ‘Symon, ecce,’ inquit, ‘sathanas postulauit uos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ne deficeret fides tua’”.

Et infra:

§. 2. “Si non peccamus post baptisma, cur nobis poscimus peccata dimitti, que in baptismate iam dimissa sunt?

Aliud est autem, si ad catecuminos hec oratio pertinet, ‘dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris’ et non conuenit fidelibus et Christianis.

Paulus uas electionis castigat corpus suum, et in seruitutem redigit, ne aliis predicans ipse reprobis inueniatur.

§. 3. Ad Ebreos quoque scribens ait: ‘Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, et gustauerunt donum celeste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nichilominus bonum Dei uerbum, uirtutes que seculi futuri, et prolapsi sunt, renouari iterum ad penitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes’.

Certe eos, qui illuminati sunt, et gustauerunt donum celeste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt que bonum Dei uerbum, negare non possumus baptizatos.

Si autem baptizati peccare non possunt, quomodo nunc Apostolus dicit: ‘Et prolapsi sunt?’

Verum ne Montanus et Nouatus hinc redeant, qui contendunt, non posse renouari per penitentiam eos, qui crucifixerunt sibimet filium Dei, et ostentui habuerunt, consequenter hunc errorem soluit et ait: ‘Confidimus autem de uobis, dilectissimi, meliora et uiciniora saluti, tametsi ita loquimur.

Non iniustus est Dominus, ut obliuiscatur operis uestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et nunc ministratis’.

Et reuera grandis iniusticia Dei, si tantum peccata puniret, et bona opera non susciperet. Locutus sum, inquit Apostolus ita, ut a peccatis uos retraherem, et desperationis metu facerem cautiores.

Ceterum confido de uobis, karissimi, meliora et uiciniora saluti.

Neque enim iusticiae Dei est, ut obliuiscatur bonorum operum, et ministerii, quod propter nomen eius exhibuistis et exhibetis in sanctos, et tantum meminere peccatorum”.

Et paulo post:

§. 4. “Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad uirtutem, nec ad uicia necessitate trahimur; alioquin, ubi necessitas nec corona est.

Sicut in bonis operibus perfectior est Deus: (non est enim uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei et adiuuantis, ut peruenire ualeamus ad calcem), sic in malis atque peccatis semina nostra sunt incentiua, et perfectio diaboli.

Cum uiderit, nos super fundamentum Christi edificasse fenum, ligna, stipulam, tunc supponit incendium.

Edificemus aurum, argentum, lapides pretiosos, et temptare non audebit.

Quamquam et in hoc non sit certa et segura possessio.

Sedet quippe leo in insidiis, ut in occultis interficiat innocentem: et uasa figuli probat fornax, homines autem iustos temptatio tribulationis.

Et in alio loco scribitur: ‘Fili, accedens ad seruitutem Dei, prepara te ad temptationem’.

Rursus idem Iacobus ait: ‘Estote factores uerbi, et non auditores tantum.

Si quis auditor est uerbi, et non factor, iste similis est uiro, qui considerat uultum natiuitatis suæ in speculo; considerauit illud, et statim recedens oblitus est, qualis fuerit’.

Frustra monuit, ut iungerent opera fidei si post baptisma peccare non poterant.

‘Qui totam,’ inquit, ‘legem, seruauerit, et in uno peccauerit, factus est omnium reus’.

Quis nostrum est absque peccato? conclusit Deus omnia sub delicto, ut omnibus misereatur.

Petrus quoque: ‘Nouit,’ inquit, ‘Deus pios de temptatione eripere’.

Et de falsis doctoribus: ‘Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reseruatur.

Superba enim uanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugerant, et ad errorem conuersi sunt’.

Nonne tibi uidetur pinxisse sermo apostolicus nouam imperitiæ factionem?

Aperiunt enim quasi fontes scientiæ, qui aquam non habent doctrinarum, promittunt imbrem, uelut nubes propheticæ, ad quas perueniat ueritas Dei, et turbinibus exagitantur demonum atque uiciorum.

Locuntur grandia, et totus eorum sermo superbia est, (immundus autem est apud Deum omnis, qui exaltat cor suum), ut qui paululum refugerant a peccatis ad suum reuertantur errorem, et suadent in luxuria ciborum carnis que deliciis.

Quis enim non libenter audiat: Manducemus, et bibamus, et in eternum regnabimus?

Sapientes et prudentes prauos uocant; eos uero, qui dulces sunt in sermonibus, plus audiunt.

Iohannes apostolus, immo in Iohanne Saluator scribens Angelo ecclesiæ Ephesi: ‘Scio,’ inquit, ‘opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti; sed habeo aduersum te, quod karitatem tuam primam reliquisti.

Memor esto, unde cecideris, et age penitentiam, et prima opera fac.

Sin autem, uenio tibi, et mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris’.

Similiter ceteras ecclesias, Smirnam, Pergamum, Thyatiram, Sardis, Philadelfiam, Laodiciam, ad penitentiam prouocat, et, nisi reuertantur ad opera pristina, conminatur, et in Sardis paucos habere se dicit, qui non coinquinauerunt uestimenta sua, et ambulaturi sunt cum eo in albis, quia digni sunt.

Cui autem scribit: ‘Memento, unde cecideris,’ et: ‘Ecce, missurus est diabolus ex uobis in carcerem, ut temptemini,’ et: ‘Scio, ubi habitas, ubi est sedes sathanæ,’ et: ‘In mente habe, qualiter acceperis et audieris,’ et: ‘Serua, et penitentiam age,’ et reliqua?

utique dicit, qui crediderit, et baptizatus fuerit, et stans quondam corrui per delictum.

§. 5. Paulisper de ueteri testamento exempla distuleram, quia solent, ubicumque contra eos facit, dicere: ‘Lex et prophetæ usque ad Iohannem’.

Ceterum quis ignoret sub alta dispensatione Dei omnes retro sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt?

Quomodo ante Abraham placuit in coniugio, sic nunc placent uirgines in perpetua castitate.

Seruiuit ille legi et tempori suo, seruiamus et nos legi et tempori nostro, in quos fines seculorum deuenerunt.

Dauid electus secundum cor Domini, qui omnes eius faceret uoluntates, et qui in quodam Psalmo dixerat: ‘Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor.

Proba me, Domine, et tempta me; ure renes meos, et cor meum,' postea temptatus a diabolo, et post peccatum penitens loquitur: 'Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam'.

Magnum peccatum magna uult deleri misericordia.

Salomon amabilis Domino, et cui bis fuerat Deus reuelatus, quia amator mulierum fuit, a Dei amore discessit; Manassem impiissimum regem post captiuitatem Babilonicam in pristinam dignitatem liber dierum restitutum refert.

Et Iosias uir sanctus in campo Mageddon ab Egiptio rege confoditur.

Iesus quoque filius Iosedech sacerdos magnus, quamquam in typo precesserit Saluatoris, qui nostra peccata portauit, et alienigenam sibi ex gentibus copulauit ecclesiam, tamen secundum litteram post sacerdotium sordidatus inducitur, et stat diabolus a dextris eius, et candida illi deinceps uestimenta redduntur.

Superfluum est de Moyse et Aaron scribere, quod ad aquam contradictionis offenderint Deum, et terram repromissionis non intrauerint, cum B. Iob angelos quoque et omnem creaturam peccare posse commemoret, dicens: 'Quid enim numquid homo mundus est coram Deo?

aut ab operibus suis sine macula uir? si contra seruos suos non credit, et aduersos angelos suos prauum quid repperit: quanto magis habitantes in domibus luteis, de quibus et nos ex eodem luto sumus?

Temptatio est uita hominis super terram'.

Et cecidit lucifer, qui mittebat ad uniuersas nationes, et ille, qui in paradyso deliciarum inter duodecim nutritus est lapides, uulneratus a monte Domini ad inferna descendit.

Unde et Saluator in euangelio: 'Videbam,' inquit, 'sathanam, quasi fulgur de celo cadentem'.

Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit?

Si in celo ruinæ, quanto magis in terra.

Et tamen, cum ceciderit lucifer, immo post casum coluber antiquus, uirtus eius in lumbis est et potestas eius super umbilicum uentris.

Obumbrantur in eo arbores magnæ, et dormit iuxta iuncum, et calamum, et caricem.

Ipsa est rex omnium, qui in aquis sunt, ubi scilicet uoluptas, et luxuria, et propago et irrigatio nuptiarum'.

Et infra:

§. 6. "Transiuimus ad secundam partitionem, in qua negat eos, qui tota fide baptisma consecuti sunt, deinde posse peccare, et docuimus, quod excepto Deo omnis creatura sub uicio sit, non quod uniuersi peccauerint, sed quod peccare possint, et similibus uina stantium metus sit".

[Gratian.] Euidenter itaque ex premissis apparet, nonnullos karitatem habere, quam postea criminaliter delinquendo amittunt.

Quod si quis contendat non de uirtute, sed de uirtutis opere debere intelligi, deliberet quid respondeat de innocentia Adæ, de iusticia Dauid Moysi, et ceterorum, qui plena fide ad baptisma accedentes, licet postea prolapsuri sint, tamen celestia dona degustant, et Spiritus sancti fiunt participes, ut non solum ante humanos, uerum etiam ante Dei oculos ex aqua et Spiritu sancto inueniantur renati; qui, si karitatem non haberent ante Dei oculos; aqua tantum regenerarentur, non Spiritu.

Opera enim, seu sacramentorum participatio, nisi ex karitate procedant, apud Deum nec iusticiam, nec innocentiam prestant.

“Si enim,” inquit Apostolus, “habuero omnem finem, ita ut montes transferam, et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, karitatem autem non habeam, nichil michi prodest”.

§. 1. Sed quia de predestinatis ad uitam a nonnullis conceditur, quod karitatem amittant, et amissam recuperent, de reprobis etiam uidendum est, an ipsi karitatem habeant, qua amissa postea dampnentur.

De his ita scribit Augustinus in libro de correctione et gratia: [c. 9].

[[C. XLI].

“Apostolus, sciens, nonnullos diligere Deum, et in eo modo usque in finem non perseuerare, mox addidit: ‘his, qui secundum propositum uocati sunt sancti etc.’”.

In eodem: [c. 6].

§. 1. “An adhuc et iste nolens corripitur poterit dicere: Quid ego feci, quod non accepi? quem constat accepisse, et sua culpa quod acceperat amisisse.

Possum, inquit, possum omnino, quando me arguis dicere, quod ex bona uita in malam mea uoluntate relapsus sum adhuc: quid feci, quod non accepi?

Accepi enim fidem, que per dilectionem operatur, sed in illa usque in finem perseuerantiam non accepi”.

In eodem: [c. 9].

§. 2. “In bono illos uolebam proculdubio manere; erant utique in bono, sed in eo non permanserunt”.

In eodem: [c. 13].

§. 3. “Propter huius utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseuerandi usque in finem, fide, quæ per dilectionem operatur, incipere uiuere, et postea cadere” etc.

[Gratian.] Multa similia de reprobis de euangelio etiam: “Qui perseuerauerit usque in finem, etc.”.

In eodem: “Iterum homo iste incepit, etc.”.

[[C. XLII].

Item in eodem. [c. 8].

“Mirandum est, quare Deus quibusdam filiis perditionis det fidem per dilectionem operantem, nec det in ea perseuerantiam”.

[Gratian.] Item illud euangelii: “Non qui ceperit, sed qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit”.

[[C. XLIII].

Item Gregorius. [lib. VIII. Moralium, cap. 35].

“Multi bene incipiunt, qui in malo uitam finiunt”.

[Gratian.] Non autem bene incipit qui numquam ex karitate operatur.

Quod si ex karitate aliquid agit, et karitatem aliquando in ipso necesse est esse.

## V. Pars.

§. 1. Illud autem Gregorii: “Qui seduci possunt quandoque non reuersuri etc.,” non de omnibus generaliter reprobis, sed de ypocritis specialiter intelligendum est.

Quod ex uerbis eiusdem euidenter datur intelligi.

Cum enim questionem proponeret, cur misericors Deus ista fieri permittat, ut Leuiathan seu nunc per suggestiones callidas, siue per dampnatum illum, quem replet, hominem, uel solis sibi radios, id est doctos quosque sapientes que subiciat, uel aurum, hoc est uiros sanctitatis claritate fulgentes, quasi lutum sibi uiciis coinquinando substernat, mox in eiusdem questionis solutione supposuit, dicens:

[[C. XLIV].

“Citius ad hoc respondemus, quia aurum, quod prauis eius persuasionibus quasi lutum sterni potuerit, aurum ante Dei oculos numquam fuit.

Qui enim seduci quandoque non reuersuri possunt, quasi habitam sanctitatem ante oculos hominum uidentur amittere, sed eam ante Dei oculos numquam habuerunt.

Sepe namque homo multis occulte peccatis inuoluitur, et in una aliqua uirtute magnus uidetur, que ipsa quoque uirtus inanescens deficit, quia, dum innotescit hominibus, proculdubio laudatur, eius que fauor inhianter appetitur: unde fit, ut et ipsa uirtus ante Dei oculos uirtus non sit, dum abscondit quod displicet, prodit quod placet.

Que itaque esse merita apud Deum possunt, quando et mala occulta sunt, et bona publica?

Plerumque enim, sicut diximus, latet superbia, et castitas innotescit.

Atque ideo ostensa diu castitas circa finem uitæ perditur, quia cooperta superbia usque ad finem incorrecta retinetur.

Alius elemosinis uacat, propria distribuit, sed tamen multis iniusticiis seruit, uel fortasse linguam in detractionibus exercet, et fit plerumque, ut is, qui misericors fuerat, iuxta uitæ suæ terminum rapacitatis et crudelitatis stimulis inardescat.

Quod ualde iusto iudicio agitur, ut perdat et ante homines unde hominibus placuit, qui hoc, unde Deo displicuit, corrigere numquam curauit.

Alius pacienciæ studet, sed inuidere aliis, et seruare maliciam in corde non cauet, fit quandoque impatiens, quia diu latuit dolens.

Hi itaque et per aliquid aurum sunt, et per aliquid lutum sunt.

Atque hoc aurum quasi lutum sternitur, quando occultis peccatis exigentibus etiam uirtus, que publice claruerat, dissipatur.

§. 1. Sed operæ precium credimus, si in his uirtutem superni ordinis subtilius perpendamus.

Sepe enim Deus omnipotens occulta eorum mala diu tollerat, et aperta eorum bona electorum suorum usibus profutura dispensat.

Nam nonnulli, mundum nequaquam funditus deserentes, non perseueraturi angustum iter arripiunt, sed ad querendam angustam uiam exemplo suo eos, qui perseueraturi sunt, accendunt.

Unde contingit plerumque, ut hoc ipsum, quod bene uidentur uiuere, non sibi, sed potius solis electis uiuant, dum exemplis suis ad bene uiuendi studia perseueraturos alios non perseueraturi prouocant.

Sepe enim quosdam uidemus ad uiam ingredi, ad locum propositum festinare, quos alii, quia euntes conspiciunt, secuntur, eundem que pariter locum petunt; sed fit plerumque, ut irruente aliquo implicationis articulo post se redeant qui preibant, et hi ad locum perueniant, qui sequebantur.

Ita nimirum sunt qui non perseuerant et uiam sanctitatis arripiunt.

Idcirco enim uirtutis iter non peruenturi inchoant, ut eis, qui peruenturi sunt, uiam, qua gradientur, ostendant, quorum etiam casus utilitate non modica electorum prouectibus

seruit, quia illorum lapsum dum conspiciunt, de suo statu contremiscunt, et ruina, que illos dampnat, istos humiliat.

Discunt enim in superni adiutorii protectione confidere, dum plerosque conspiciunt de suis uiribus cecidisse.

Quando ergo bene agere uidentur reprobi, quasi planum iter electis sequentibus monstrant.

Quando uero in lapsum nequiciæ corruunt, electis post se pergentibus quasi cauendam superbiæ foueam ostendunt”.

[Gratian.] Quod uero reprobi negantur comedere panem, qui de celo descendit, uel bibere aquam uiuam, non sic accipiendum est, ut a karitate penitus credantur alieni, sed ut in karitate radicem figere non intelligantur.

Aliud est enim manducare uel bibere, atque aliud degustare.

Unde in euangelio de Christo legitur: “Et cum gustasset, noluit bibere”.

Bibit ergo aquam uiuam, manducat panem, qui de celo descendit, qui in karitate radicem figit; degustat, qui ea aliquatenus communicat, a qua postea recedit delinquendo.

De qualibus Apostolus ait: “Inpossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, et gustauerunt celeste donum, et post hec omnia prolapsi sunt, rursus renouari ad penitentiam”.

§. 1. Hinc etiam diabolus in ueritate stetisse, non in ea creatus esse negatur.

Fuit enim in ueritate conditus; sed, dum de se superbiendo presumpsit, ab ea alienus factus est.

In ueritate autem quomodo creatus perhibetur, si sine dilectione sui conditoris creatus esse probatur?

Aut quomodo bonus a Deo conditus asseritur, si nichil diuinæ directionis in sui creatione accepit?

Quomodo ante superbiæ motum sine uicio extitit, si conditorem suum nullatenus dilexit?

Aut quomodo par, siue excellentior ceteris creatus dicitur, si, nonnullis eorum in Dei amore conditis, hic ab eius dilectione uacuus factus est?

Unde autem hec differentia inter bonos et malos angelos processit?

Si ex creante, iniustus uidetur Deus, qui ante peccatum infert penam, uel qui hoc punit, quod creando infudit.

Si autem non ex creante, cum non ex traduce, restat, ut ex propriæ libertatis arbitrio uicium superbiæ in angelicam naturam processerit.

Bona ergo condita est, que suo uicio a bono in malum conmutata est.

Sed quomodo bona esse potuit, si dilectione penitus caruit?

Neque enim angelus nobis similis factus est, quos usque ad tempus etatis certum infirmitas grauat, ut neque uirtus, neque uicium ullum in nobis obtineat locum.

Accepit ergo dilectionem in sui creatione, sicut et ceteri, de quibus dicitur: “Angelicæ uirtutes, que in Dei amore perstiterunt”.

Non ait, que Deum diligere ceperunt, sed: “que in eius amore perstiterunt,” que ex creatione diligere ceperant, ut principium diuinæ dilectionis omnibus credatur esse commune, perseuerantia uero eorum tantummodo intelligatur, qui in retributione hoc accipere meruerunt, ut confirmati ulterius cadere non possent, et hoc de se certissime scirent.

Unde bene apud Moysem prius celum, deinde firmamentum factum esse dicitur, qua nimirum angelica natura prius equaliter subtilis in superioribus est condita, postea in persistentibus in amore sui conditoris mirabiliter confirmata.

§. 2. Hinc etiam Gregorius in Moralibus multa de perfectione angelicæ creationis replicans, karitate repletum negat, non ea penitus uacuum asserit, qua si penitus caruisset, numquam ea, que de eius excellentia dicuntur, conuenienter de eo intelligi possent.

[[C. XLV].

“Principium enim,” inquit B. Gregorius, “uiarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirum, cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit.

Huius primatus eminentiam conspicit Propheta, cum dicit: ‘Cedri non fuerunt altiores illo in paradyso Dei; abietes non adequauerunt summitatem eius; platani non fuerunt equales frondibus illius; omne lignum preciosum paradysi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini eius, quoniam speciosum fecit eum in multis, condensis que frondibus’.

Quid namque accipi in cedris, abietibus, et platanis potest, nisi illa uirtutum celestium proceræ celsitudinis agmina, in eternæ leticiæ uiriditate plantata?

Que quamuis exelsa sint condita, huic tamen nec prelata sunt, nec equata, qui speciosus factus in multis, condensis que frondibus dicitur, quia prelatum ceteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta et supposita angelorum multitudo decorauit.

Ista arbor in paradyso Dei tot quasi condensas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit.

Qui et idcirco peccans sine uenia est dampnatus, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.

Hinc ei rursus per eundem Prophetam dicitur: ‘Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradysi Dei fuisti’.

Multa enim de eius magnitudine locuturus, primo uerbo cuncta complexus est.

Quid namque boni non habuit qui signaculum Dei similitudinis fuit?

De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur.

Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, angelo tamen quasi maius aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, ut, quo subtilior est natura, eo in illum similitudo Dei plenius credatur expressa.

§. 1. Hinc est, quod primatus eius potenciam adhuc insinuans idem Propheta subiungit: ‘Omnis lapis preciosus operimentum tuum, sardius, et topazius, et iaspis, crisolitus, onix, et berillus, saphirus, carbunculus, et smaragdus’.

Nouem dixit genera lapidum, quia nimirum nouem sunt ordines angelorum.

Nam cum per sacra eloquia angeli, archangeli, throni et dominationes, uirtutes, principatus, potestates, Cherubim et Seraphim aperta narratione memorantur, supernorum ciuium quantæ sint distinctiones ostenditur; quibus tamen Behemoth iste opertus fuisse describitur, quia eos quasi uestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit.

§. 2. De cuius adhuc descriptione subiungit: ‘Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die, qua conditus es, preparata sunt’.

Aurum opus extitit decoris eius, quia sapientiæ claritate canduit, quam bene creatus accepit.

Foramina uero in lapidibus idcirco fiunt, ut uinculati auro in ornamenti compositione iungantur, et nequaquam a se dissideant, quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat.

Huius ergo lapidis in die condicionis suæ foramina preparata sunt, quia uidelicet capax karitatis est conditus, qua si repleti uoluisset, stantibus angelis tamquam positus in regis ornamento lapidibus inherere potuisset.

Si enim karitatis auro sese penetrabilem prebuisset, sanctis angelis sociatus in ornamento, ut diximus, regio lapis fixus maneret.

Habuit ergo lapis iste foramina; sed superbiæ uicio karitatis auro non sunt repleta.

Nam quia idcirco ligantur auro, ne cadant, idcirco iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis amoris uinculis ligari contempsit.

Nunc autem ceteri lapides, qui hic similiter fuerant perforati, penetrantes se inuicem karitate ligati sunt, atque hoc in munere, isto cadente, meruerunt, ut nequaquam iam de ornamento regio cadendo soluantur.

§. 3. Huius principatus celsitudinem adhuc idem Propheta intuens adiungit: ‘Tu Cherub extentus, et protegens in monte sancto Dei, et in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti’.

Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur, et idcirco iste Cherub dicitur, quia transscendisse cunctos scientia non dubitatur, qui in medio lapidum ignitorum perfectus ambulauit, quia inter angelorum corda karitatis igne succensa clarus gloria condicionis extitit.

Quem bene extentum ac protegentem dicit.

Omne enim, quod extenti protegimus, obumbramus, quia conparatione claritatis suæ obumbrasse ceterorum claritatem creditur, ipse fuisse extentus et protegens repperitur.

Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia maiore transscendit.

§. 4. Quod ergo illic speciosus in multis frondibus, quod illic signaculum similitudinis, quod illic Cherub, quod illic protegens dicitur, hoc hic uoce dominica Behemoth iste principium uiarum Dei uocatur.

De quo idcirco tam mira, in quibus fuit, et que amisit, insinuat, ut homini ostendat, quid ipse, si superbiat, de elationis suæ culpa passurus sit, si feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloria tantæ claritatis eleuauit.

Consideret ergo homo, elatus quid in terra mereatur, et si angelis prelati in celo prosternitur”.

## VI. Pars.

[Gratian.] Karitas autem, que in aduersitate deseritur, ficta, id est fictilis et fragilis, esse perhibetur, sicut fides, ex qua karitas procedit, ficta, id est fragilis, apud Apostolum esse negatur.

Similiter karitas, que in aduersitate desereri potest, dicitur numquam uera fuisse.

Sicut enim Ieronimus contra Iouinianum scribit: “Omnis creatura sub uicio est, non quod omnis peccauerit, sed quia nulla est, que peccare non possit”.

Posse autem peccare, ut Augustinus ait, non est aliquid posse, immo aliquid non posse.

Unde ille solus uocatur omnipotens, qui hoc non potest, quia omnia potest, que posse est aliquid posse.

Sicut ergo eius conparatione, qui mutabilitatem nescit, omnis creatura uiciosa dicitur, quia mutabilitatis est capax, iuxta illud: “Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens,” et: “Astra non sunt munda in conspectu eius:” sic conparatione eius creaturæ, que mutationem non recipit, omnis creatura, que permutatur, non uera sed uana esse probatur.



Unde omnis homo mendax dicitur, et uanitati similis factus.

§. 1. Hinc etiam Ecclesiastes: Cuncta, que sub sole sunt, id est que temporum uicissitudinem recipiunt, non tantummodo uanitas, que omni creaturæ ratione mutabilitatis inest, sed etiam uanitas uanitatum, uarietate permutationis, quam recipiunt, esse dicuntur.

Sic ergo conparatione diuinæ karitatis nulla uirtus uera probatur, aut conparatione eius, que non deseritur, illa, que amittitur, uera esse dicitur, sic et karitas, que deseritur, suo modo uera esse negatur.

Sicut autem omnis creatura suo modo bona et uera esse dicitur, sic et karitas, que deseritur, suo modo uera esse monstratur: alioquin, si nullo modo in eo esset a nullo desereretur.

Quod enim nullo modo uere est nullo modo deseri potest.

Quod si aliquo modo uere deseritur, et aliquo modo id uere esse oportet.

### **DISTINCTIO III.**

#### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Hec de karitate breuiter scripsimus propter eos, qui penitenciam negant reiterari posse, asserentes, quod sicut karitas semel habita numquam amittitur, ita penitencia semel uere celebrata nulla sequenti culpa maculatur; si uero criminalis culpa illam aliquando sequitur, uera penitencia non fuit, nec ueniam a Domino inpetrauit.

Quod ex diffinitione ipsius penitentiæ, et multorum auctoritatibus probare contendunt.

Ut enim ait Ambrosius in quodam sermone Quadragesimæ:

[[C. I].

“Penitencia est et mala preterita plangere, et plangenda iterum non committere”.

[[C. II].

Idem in libro [II]. de unica penitentia. [c. 10].

“Repperiuntur qui sepius penitenciam agendam putant, qui luxuriantur in Christo.

Nam si uere in Christo penitenciam agerent, iterandam postea non putarent; quia, sicut unum baptisma, ita unica est penitencia.

Verum preteriti nos semper debet penitere peccati: sed hec delictorum leuiorum.

At ego facilius inueni qui recte seruauerit innocentiam, quam qui congrue egerit penitenciam”.

[[C. III].

Item Augustinus. [libro de dogmatibus ecclesiasticis, c. 54].

“Satisfactio penitentiæ est peccatorum causas excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere”.

[[C. IV].

Idem in libro de penitentia. [c. 8].

“Penitencia est quedam dolentis uindicta, puniens in se quod dolet commisisse”.

Et infra:

[c. 19]. §. 1. “Continue dolendum est de peccato: quod declarat ipsa dictionis uirtus. Penitere enim est penam tenere, ut semper in se puniat ulciscendo quod commisit peccando.

Pena enim proprie dicitur lesio, que punit et uindicans quod quisque commisit.

Ille penam tenet, qui semper uindicat quod commisisse dolet”.

[Gratian.] Penitencia itaque est uindicta semper puniens in se quod dolet commisisse.

[[C. V].

In eodem. [c. 13].

“Si Apostolus etiam peccata per baptismum dimissa continue plorat, nobis super fundamentum Apostolorum positis quid preter plorare restat?

quid, nisi semper dolere in uita? Ubi enim dolor finitur, deficit et penitencia.

Si autem penitencia finitur, quid relinquitur de uenia?

Tamdiu enim gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur a penitencia.

Dicit enim Dominus: ‘Vade, et amplius noli peccare’.

Non dixit: ne pecces, sed: nec uoluntas peccandi in te oriatur.

Quod quomodo seruabitur, nisi dolor in penitencia continue custodiatur?

Hinc semper doleat, et de dolore gaudeat, et de doloris penitencia, si contigerit, semper doleat, et non satis sit, quod doleat, sed ex fide doleat, et non semper doluisse doleat”.

[[C. VI].

Item Gregorius in estiuum tempus. [id est homil. XXXIV. Euang.].

“Penitentiam agere digne non possumus, nisi modum quoque eiusdem penitentiæ cognoscamus.

Penitentiam quippe est agere et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare.

Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc penitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat.

Quid enim prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, et tamen adhuc auaritiæ estibus anhelat?”

Idem:

[lib. IX. epist. 39. ad Theoctistam] §. 1. “Si autem dicunt, pauci temporis penitentiam contra peccatum debere sufficere, ut iterum liceat ad peccatum redire, recte hos pastoris primi sententia percutit, qui ait: ‘Canis reuersus ad suum uomitum, et sus lota in uolutabro luti’.

Magna est enim contra peccatum uirtus penitentiæ, sed si quis in eadem penitencia perseueret.

§. 2. Penitentiam uere agere est comissa plangere, sed iterum plangenda declinare”.

[[C. VII].

Idem. [tract. CXXIV. in c. 21. Iohannis].

“Productior est pena, quam culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur et pena.

Ac per hoc uel ad demonstrationem debitæ miseriæ, uel ad emendationem labilis uitæ, uel ad exercitationem necessariæ pacienciæ temporaliter hominem detinet pena, quem iam ad dampnationem sempiternam reum non retinet culpa.

§. 1. Ira Dei non est ut hominis, id est perturbatio concitati animi, sed tranquilla iusti supplicii constitutio”.

[[C. VIII].

Item Iohannes Os aureum. [in homilia de penitencia]

“Perfecta penitencia cogit peccatorem omnia libenter sufferre”.

Et infra:

“In corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas.

Hec est fructifera penitencia”.

[[C. IX].

Item Smaragdus. [in expositione regulæ S. Benedicti, c. 4].

“Ille penitenciam digne agit, qui sic preterita mala deplorat, ut futura iterum non committat.

Nam qui plangit peccatum, et iterum admittit peccatum, quasi quis lauet laterem crudum: quem quanto magis abluerit, tanto magis lutum facit”.

[[C. X].

Item Augustinus. [hom. XLI].

“Penitentes (si tamen estis penitentes, et non estis irridentes) mutate uitam, reconciliamini Deo, et uos cum catena pascetis.

Qua, inquis, catena? ‘Que ligaueritis in terra erunt ligata et in celo’.

Audis ligaturam, et Deo putas facere inposturam? penitenciam agis, genua figis, et rides, subsannas pacienciam Dei?

Si penitenciam agis penitet; si non penitet, penitens non es.

Si ergo penitet, cur facis quod male fecisti?

si fecisse penitet, noli facere; si adhuc facis, certe non es penitens”.

[[C. XI].

Item Ysidorus. [lib. II]. de summo bono [c. 16].

“Irrisor est, non penitens, qui adhuc agit quod penitet, nec uidetur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus; canis reuersus ad uomitum est penitens ad peccatum.

Multi enim indesinenter lacrimas fundunt, et peccare non desinunt.

Quosdam accipere lacrimas ad penitenciam cerno, et affectum penitenciæ non habere, quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrimas fundunt, nunc uero reuiuiscente usu ea, que fleuerunt, iterando committunt.

Ysaïas de peccatoribus dicit: Lauamini, mundi estote.

Lauatur, et mundus est, qui et preterita plangit, et flenda iterum non admittit.

Lauatur, et non est mundus, qui plangit que gessit, nec deserit, et post lacrimas ea, que fleuerat, repetit”.

[[C. XII].

Item Augustinus in libro soliloquiorum.

“Inanis est penitencia, quam sequens culpa coinquinat.

Vulnus iteratum tardius sanatur, frequenter peccans et lugens ueniam uix meretur.

Nichil prosunt lamenta, si replicantur peccata.

Nichil ualet a malis ueniam poscere, et mala denuo iterare.

Persiste ergo in confessione; esto in penitencia fortiter confirmatus; uitam bonam, quam cepisti, tenere non deseras; propositum bonæ uitæ conserua iugiter”.

[[C. XIII].

Item Gregorius in Pastoralis. [part. III., admon. 31].

“Qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter mundant qui uiuendo se nequiter inquinant, cum idcirco lacrimis se lauant, ut mundi ad sordes redeant”.

[[C. XIV].

Item.

“Qui admissa plangit, nec tamen deserit, penæ grauiori se subicit, quia ipsam, quam flendo inpetrare potuit ueniam, contempnit”.

[[C. XV].

Item.

“Lauamini, mundi estote”.

Post lauachrum enim mundus esse negligit quisquis post lacrimas uitæ innocentiam non custodit.

Et lauantur ergo, nec mundi sunt, qui conmissa flere non desinunt, sed rursus flenda conmittunt”.

[[C. XVI].

Item.

“Baptizatur quippe a mortuo qui mundat se fletibus a peccato; sed post baptisma mortuum tangit qui culpas post lacrimas repetit”.

[[C. XVII].

Item in Moralibus. [lib. I. c. ult.].

“Incassum quippe bonum agitur, si ante terminum uitæ deseratur, quia et frustra uelociter currit qui prius, quam ad metas ueniat, deficit”.

## II. Pars.

[Gratian.] Sed uerba diffinitionis non ad diuersa tempora, sed ad idem tempus referuntur, uidelicet, ut tempore, quo deflet mala, que commisit, non committat quod adhuc eum flere oporteat.

Quod ex subsequentibus uerbis eiusdem auctoritatis datur intelligi, dum dicitur: “Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc penitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat”.

Hinc Augustinus in Enchiridion: [c. 70].

[[C. XVIII].

“Sane cauendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, cottidie perpetranda, et elemosinis cottidie redimenda.

In melius quippe est uita mutanda, et per elemosinas de peccatis preteritis est propiciandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat inpune committere.

Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur”.

[[C. XIX].

Item.

“Qui uult ordinate dare elemosinam, a se ipso debet incipere, et eam sibi primum dare. Est enim elemosina opus misericordiæ uerissimæ dictum de qua est: ‘Miserere animæ tuæ placens Deo’.

Propter hoc renascimur, ut Deo placeamus”.

[[C. XX].

Item Iohannes Crisostomus.

“De cottidianis, breuibus, leuibus que peccatis, sine quibus hec uita non ducitur, cottidiana oratio fidelium satisfacit.

Eorum enim est dicere: ‘Pater noster, qui es in celis,’ qui iam patri taliter sunt regenerati ex aqua et Spiritu sancto.

Delet omnino hec oratio minima cottidiana peccata, delet et illa, a quibus uita fidelium etiam scelerate gesta, sed penitendo in melius mutata discedit, sic, quemadmodum ueraciter dicitur: ‘Dimitte nobis debita nostra,’ quoniam non desunt que dimittuntur ita ueraciter dicatur: ‘Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,’ id est, fiat quod dicitur, quia et ipsa elemosina est ueniam petentibus omnino ignoscere”.

[[C. XXI].

Item Pius Papa. [epist. I].

“Nichil prodest homini ieiunare, et orare, et alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur”.

### III. Pars.

[Gratian.] Ex persona huiuscemodi penitentis etiam illud Smaragdi intelligitur: “Ille penitentiam digne agit etc.” et illud Augustini: “Penitentes etc.,” et illud Ysidori: “Irrisor est, et non penitens,” et illud Ysaïæ: “Lauamini mundi estote”.

Item et illud Soliloquiorum: “Inanis est penitencia”.

Similiter et illud Gregorii: “Qui admissa plangunt,” et: “Baptizatur a mortuo”.

Illud autem Ambrosii: “Repperiuntur etc.,” non secundum generalem, sed secundum specialem consuetudinem ecclesiæ de solempni penitencia dictum intelligitur, que apud quosdam semel celebrata non iteratur.

Unde Augustinus scribit ad Macedonium: [ep. LIV].

[[C. XXII].

“Quamuis caute et salubriter prouisum sit, ut locus illius humillimæ penitentiæ semel in ecclesia concedatur, ne medicina uilis minus utilis esset egrotis, que tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat Deo dicere: quare huic homini, qui post primam penitenciam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?”

### IV. Pars.

[Gratian.] Hac auctoritate et illud Ambrosii determinatur, et iterum peccaturo per primam penitenciam uenia dari monstratur; alioquin nequaquam iterum parceret Deus, qui nec dum pepercisset.

“Satisfactio quoque penitentiæ,” et: “Vade, et amplius noli peccare,” eundem cum diffinitione intellectum habet.

Illud autem, quod in libro de penitencia dicitur, de perfecta intelligendum est.

Sicut enim karitas alia est incipiens, alia est proficiens, alia perfecta: sic et penitencia alia est incipientium, alia proficientium, alia perfectorum.

Sicut autem karitati, licet nondum perfectæ, in baptismo datur uenia peccatorum, ut quamuis postea grauius aliquis sit peccaturus, tamen tunc intelligatur esse renatus, non aqua tantum (sicut Iouinianus tradidit), sed aqua et spiritu (sicut Ieronimus contra eum scribit): sic et incipientium penitentiæ uenia non negatur, que quadam ratione perfecta dici potest, quia toto corde gemit et dolet, licet alia ratione potest dici imperfecta, quia non usque in finem duratura.

§. 1. Secundum primum modum perfectionis intelligitur illud Iohannis Oris aurei: “Perfecta penitencia etc.”.

Iuxta secundum modum perfectionis illud Augustini intelligitur: “Penitencia est uindicta semper puniens in se quod dolet commisisse”.

Illud autem: “Si penitencia finitur, nichil de uenia relinquitur,” dupliciter intelligi potest.

Si enim iuxta quorundam sententiam peccata dimissa redeunt, facile est intelligere, nichil de uenia relinquitur, quoniam peccata, que prius erant dimissa, iterum replicantur.

Sicut enim ille, qui ex iusta seruitute in libertatem manumittitur, interim uere liber est, quamuis ob ingratitude in seruitutem postea reuocetur: sic et peccata uere remittuntur penitenti, quamuis ob ingratitude ueniæ eisdem postea sit implicandus.

Si autem peccata dimissa non redeunt, dicitur nichil relinqui de uenia, quia nichil sibi relinquitur de uitæ mundicia, et spe eternæ beatitudinis, quam cum uenia assecutus est.

Sicut enim argento perfecte purgato nichil sui decoris relinquitur, si sequenti erugine fedatur, non tamen prima, sed subsequenti sordidatur: sic expiato per penitenciam nichil de uenia dicitur relinqui, cum tamen iam non deletis, sed adhuc expiandis coinquinetur.

## V. Pars.

§. 2. Quod autem per penitenciam non semel tantum, sed sepiissime peccata remittantur, multorum auctoritate probatur.

Ait enim Ieronimus ad Rusticum de penitencia:

[[C. XXIII].

“Septies cadit iustus, et resurgit”.

Si cadit, quomodo iustus? si iustus, quomodo cadit?

sed iusti uocabulum non amittit qui per penitenciam semper resurgit.

Et non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si conuertatur ad penitenciam, peccata donantur.

‘Cui plus dimittitur, plus diligit’.

[Gratian.] Daud quoque per penitenciam adulterii simul et homicidii ueniam inpetrauit.

De cuius penitencia in eodem libro Ieronimus ait:

[[C. XXIV].

“Totam penitenciam peccatoris ostendit Psalmus quinquagesimus, quando ingressus est Daud ad uxorem Uriæ et a Nathan propheta correptus, respondit dicens: ‘peccaui,’ statim que meruit audire: ‘et Dominus abstulit a te peccatum’.

Adulterio enim iunxerat homicidium, et tamen conuersus ad lacrimas: ‘Miserere,’ ait, ‘mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam’.

Magnum enim peccatum magna indiget misericordia.

Unde iungit et dicit: ‘Multum laua me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum, meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui,’ (rex enim, alium non timebat,) ‘et malum coram te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, et uincas, cum iudicaris’.

Concluit enim Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur.

Tantum que profecit, ut dudum peccator et penitens transierit in magistrum: ‘Docebo iniquos uias tuas, et inpii ad te conuertentur’.

Confessio enim et pulchritudo coram eo, ut qui fuerit peccata sua confessus, et dixerit: ‘Corruptæ sunt et conputruerunt cicatrices meæ, feditatem uulnerum in sanitatis decorem conmutet’.

[[C. XXV].

Item Ambrosius in Apologia Daud. [c. 2].

“Ille rex tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed prematura confessione atque inmenso dolore reddidit peccatum suum Domino”.

Et infra: §. 1. “Denique Dominum dolor intimi mouet affectus, ut Nathan diceret: ‘Quoniam penituit te, et Dominus transtulit peccatum tuum’.

Maturitas itaque ueniæ profundam regis fuisse penitenciam declarauit, que tanti erroris offensam transduxerit”.

Et infra:

§. 2. “Sancti qui consummare pium certamen gestiunt, et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruunt, naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse estimetur lapsus impedimentum, sed etiam uelocitatis incentiua cumulasse.

Ergo si currentium non soluitur cursus, cum aliqui forte ceciderint, non luctantium contentio, sed inoffensa manent certamina, quin etiam plerique post unum uel alterum lapsum gratia maiore uicerunt: quanto magis agonem pietatis ingressi non debent unius prolapsionis offensione censi, cum beatus sit qui se potuit reparare post lapsum?”

Et infra:

[c. 4]. §. 3. “Quod peccauit, condicionis est; quod supplicauit, correctionis; lapsus communis, sed specialis confessio.

Culpam itaque incidisse naturæ est, diluisse uirtutis”.

Et infra:

[c. 13]. §. 4. “Peccatum aut donatur, aut deletur, aut tegitur.

Donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per karitatem; similiter et iniquitas, que estimatur habitudo mentis iniustæ, licet Iohannes in epistola eum, qui fecerit peccatum, et iniquitatem fecisse dixerit.

Peccatum est iniquitas, quia in peccato ipso iniquitas est.

Tamen, ut nobis uidetur, peccatum opus est iniquitatis, iniquitas autem operatrix culpæ atque delicti.

Prius est ergo, ut ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix et seminarium peccatorum.

Itaque quemadmodum intrans in animam sapientis disciplina imprudentiam tollit, et scientia ignorantiam: sic perfecta uirtus iniquitatem, et remissio peccatorum delet omne peccatum”.

[[C. XXVI].

Item in eodem. [c. 7].

“Illud uero quam ammirabile est, quod angelo ferenti plebem se obtulit, dicens: ‘Grex iste quid fecit?

fiat manus tua in me, et in domum patris mei’.

Quo facto statim sacrificio dignus iudicatus est qui absolutione estimabitur indignus.

Nec mirum, si tali sua oblatione pro populo peccati sui adeptus est ueniam, cum Moyses, offerendo se Domino pro plebis errore peccata diluerit.

Textit igitur peccata sua, an non? Sed quis hoc neget cum ipse Propheta docuerit, quod remittantur iniquitates, tegantur peccata, non inputentur a Domino?

‘Delictum meum agnosco, et iniusticiam meam non operui.

Dixi, pronuntiabo iniusticiam meam Domino, et tu dimisisti impietatem cordis mei’.

Si dixit: ‘pronuntiabo,’ et ueniam meruit ante, quam pronuntiaret; quanto magis, ubi de se pronunciauit dicens: ‘iniquitatem meam ego agnosco et delictum meum coram me est semper,’ remissum est ei omne peccatum?

licet specialiter de hoc Nathan propheta responderit: ‘Et Dominus transtulit peccatum tuum’.

Ergo et remissionem meruit iniquitatis, et textit karitate atque operuit peccata sua et textit operibus bonis, nec inputatum est ei peccatum, quia non fuit in eo dolus maliciæ, sed lapsus erroris; denique non fuit improbitatis estus, sed umbra misterii, et tamen confessus est delictum suum, agnouit iniquitatem, uidit lauacrum, et uidit, et credidit; dilexit multum, ut nimia karitate tegere quemuis posset errorem”.

## VI. Pars.

[Gratian.] Ecce, cuius penitencia hic commendatur, cui uenia etiam per prophetam data monstratur, quam grauius postea deliquerit, populi multitudo prostrata ostendit.

Achab quoque (ut Ieronimus contra Iouinianum scribit) rex impiissimus, ut sententiam Dei subterfugeret, et euersio domus eius differretur in posteros, ieiunio inpetrauit et sacco.

De quo ad eundem Rusticum scribit idem Ieronimus, dicens:

[[C. XXVII].

“Achab rex impiissimus uineam Nabuthæ cruore possedit, et, cum Iezabel, non tam coniugio sibi quam crudelitate coniuncta, Helyæ increpatione corrigitur, hec dicit Dominus: ‘Occidisti et possedisti,’ et iterum: ‘In loco, in quo linxerunt canes sanguinem Nabuthæ, ibi lingent sanguinem tuum.

Et Iezabel canes comedent ante muros Iezrahel.

Quod cum audisset Achab, scidit uestimenta sua, et posuit saccum super carnem suam, ieiunauit que et dormiuit in cilicio.

Factus que est sermo Domini ad Helyam, dicens: Quoniam reueritus est faciem meam Achab, non inducam malum in diebus eius’.



Unum scelus Achab et Iezabel commiserunt; tamen et conuerso ad penitentiam Achab pena differtur in posteros, et Iezabel in scelere perseuerans presenti condempnatur iudicio”.

[[C. XXVIII].

Item Iohannes Crisostomus de reparatione lapsi. [epist. V. ad Theodorum lapsum].

“Talis, michi crede, talis est erga homines pietas Dei; talis nunquam spernit penitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur.

Etiam si ad summum quis perueniat malorum, et inde tamen reuerti uelit ad uirtutis uiam, suscipit, libenter amplectitur; facit omnia, quatinus ad priorem reuocet statum, quodque est adhuc prestantius et eminentius, etiamsi non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen et quamlibet breui tempore gestam non respuit penitentiam; suscipit etiam ipsam, nec patitur quamuis exiguæ conuersionis perdere mercedem.

Hoc enim michi indicat Ysaïas, ubi de populo Iudeorum talia quedam dicit: ‘Propter peccatum modice conturbauit eum, et percussit eum, et auerti faciem meam ab eo; et contristatus est, et ambulauit tristis, et sanauit eum, et consolatus sum eum’.

Euidentiùs autem nobis testimonium dabit etiam rex ille impius, qui cupiditatis suæ quidem predam uxoris nequicia quesiuit, sed perturbatus ipsius sceleris inmanitate penituit, et cilicio circumdatus facinus suum fleuit, atque erga se ita Domini misericordiam prouocauit, ut a cunctis absolueret eum peccatis.

Sic enim Deus ait ad Helyam: ‘Vidisti, quomodo conpunctus est Achab a facie mea? et quia fleuit in conspectu meo, non inducam mala in diebus eius’”.

[[C. XXIX].

Item Gregorius in omelia X. super Ezechielem. [in extremo].

“Sicut Achab rex iniquus a propheta reprehensus, cum contra se diuinam sententiam audisset, pertimuit, in magno merore deprehensus est, ita ut Prophetæ suo Dominus diceret: ‘Nonne uidisti humiliatum Achab coram me?’

Quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius’.

In quibus Domini uerbis pensandum est, quomodo ei in electis suis meror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum si sic ei et in reprobis penitentia placuit, qui timebat perdere presens seculum; aut quomodo ei grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis, qui placent, si hec ad tempus placuit et in illo, qui displicebat”.

[Gratian.] Niniuitæ quoque, quos Dominus in euangelio commendat, penitentiam egerunt in predicatione Ionæ, et ex misericordia Domini indulgentiam consecuti subuersionis interitum subterfugere meruerunt.

Sed qualis Achab post acceptam ueniam uixerit, textus libri Regum declarat, de quo etiam scribit Ambrosius, quod Iezabel uxor eius, cuius inflammabatur arbitrio, cor eius conuertit, et nimis sacrilegiis execrabilem fecit, et hunc penitentiæ eius affectum reuocauit.

De Niniuitis autem in principio Ionæ scribit Ieronimus

[[C. XXX].

“Sicut ait Herodotus, Niniue a Rege Medorum subuersa est, regnante apud Ebreos Iosia.

Unde patet, illam predicante Iona ex penitentia ueniam meruisse, sed quia post ad uomitum rediit, ex ira Dei fuisse subuersam”.

[[C. XXXI].

Item in principio Naum.

“Naum prophetam ante aduentum regis Assyriorum, qui populum Israhel captiuum in suas regiones transtulerat, fuisse, Ebreorum traditio confirmat.

Siquidem in fine huius lectionis predicti regis aduentum idem Propheta annunciare monstratur.

Sed cum habitatores Niniuæ, Iona interitum ciuitatis predicante, ne diuina ira denunciatum interitum sustinerent, peccatorum et impietatis penitentiam egissent, accepta Dei misericordia grauioribus se criminibus implicuerunt.

Qua de causa memoratus Propheta, Spiritu sancto plenus iudicium Dei annuncians, ita est elocutus: ‘Deus zelans et ulciscens Dominus’”.

## VII. Pars.

[Gratian.] Item, quod frequenter penitenti uenia frequenter prestetur, testatur Augustinus in libro de penitencia scribens contra quosdam hereticos, qui peccantibus post baptismum semel tantum dicebant utilem esse penitentiam, contra quos scribit Augustinus dicens:

[[C. XXXII].

“Adhuc instant perfidi, quoniam sapiunt plus quam oportet, non sobrii, sed excedentes mensuram.

Dicunt enim: etsi semel peccantibus post baptismum ualeat penitencia, non tamen sepe peccantibus proderit iterata; alioquin remissio ad peccatum esset incitatio.

Dicunt enim: quis non semper peccaret, si redire semper posset?

Dicunt enim Deum incitatore mali, si semper penitentibus subuenit, et etiam ei placere peccata, quibus semper presto est gratia.

Errant autem, immo multum constat ei displicere peccata, qui semper presto est ea destruere.

Si enim ea amaret, non ita semper destrueret, sed conseruaret, atque ut sua munera foueret.

Semper destruit peccata, que inuenit, ne soluatur quod creauit, ne corrumpatur quod amauit.

Sumunt ypocritæ occasionem isti ex factis Domini.

Quem enim bis illuminauit? quem leprosum bis mundauit?

quem mortuum bis suscitauit? non Lazarum, quem dilexit; non filium uiduæ, quem misertus matri reddidit; non filium dissipatorem legitur bis suscepisse; non filiam Abrahæ bis a demonio liberasse.

In nulla persona iterauit factum, docens, ut aiunt, non sepe a Domino fieri remedium.

Dixit multis: ‘Vade, et amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat,’ promittens penam, non amplius ueniam.

§. 1. Quod autem multos cecos et in diuerso tempore illuminauit, et multos debiles confortauit, ostendit in diuersis illis eadem sepe peccata dimitti, ut quem prius sanauit leprosum alio tempore illuminauit cecum.

Ideo enim tot sanauit claudos, cecos, et aridos, ne desperet sepe peccator; ideo non scribitur aliquem nisi semel sanatum, ut quisque timeat iungi peccato.

Videmus adhuc cottidie in ecclesia sepe febricitantes, sepe languidos, sepe passionibus captos sepe liberari, ut appareat tociens opus miserentis, quociens confessio fit penitentis.

Quomodo enim corpus, quod uilius est et ab ipso dissimilius, sepe sanaret, et animam digniorem et redemptam tociens non liberaret?

Medicum se uocat, et non sanis, sed male habentibus oportuno.

Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nesciret curare?

Medicorum enim est centies infirmum centies curare.

Qui ceteris minor esset, si aliis possibilia ignoraret, memor est sui, qui promisit: 'Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur et uiuat'.

Quem enim peccatorem excludit? Qui omnibus promisit indulgentiam, aliis promissionibus declarat.

'Qui me confessus fuerit coram hominibus,' omnis quantumcumque et quociens peccator, cuiuscumque ordinis, etiamsi fuerit sacerdos, 'confitebor et ego eum'.

Nam 'qui inuocauerit nomen Domini,' (id est secundum quod nominatur Dominus, id est qui inuocauerit eum ad se seruiendo, et non contradicendo, ut forsitan sepe fecit,) 'omnis' (id est quicumque sit ille peccator,) 'saluus erit'.

Omnem enim animam iste promissor saturauit bonis, etiam sedentes in tenebris et umbra mortis, nullam excipiens animam.

§. 2. Hunc magistrum intellexit discipulus ille, qui Chorinthios per epistolas suas corrigere uoluit, et, ut ipse testatur, ter in litteris eos correxit.

Oportebat enim, ut quociens uidebat eos cadere, tociens iuuaret surgere.

Memor enim erat illius, qui dixerat: 'Quorum remisistis peccata, remittuntur eis'.

Scimus autem, et primos patres, et in omni tempore ecclesiam Dei semper usque in septuagies septies (quod est semper) peccata remittere.

Quam potestatem isti ab ecclesia auferre conantur.

Oportet enim ecclesiam sic credere, que confitetur se peccare.

Negant enim ueritatem seductis esse, qui se absque peccato audent iactare.

In multis enim offendimus omnes, nec infans unius diei absque peccato super terram esse potest.

Quapropter eliminandus est ab ecclesia, qui umquam penitentibus negat indulgentiam.

Non enim inquit quid Apostolus senserit, qui dixit: 'Nichil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum'.

Sentiens etiam iustis peccata solere contingere, non se confirmabat absque peccato, qui se cognouit indissolubili uinculo karitatis coniunctum Christo.

Nisi enim sciret, iustos sepe uenire ad ueniam, quomodo dubitaret, se peccare, qui se sciebat spiritum Dei habere, et intentione mundissima ei seruire?

Cur enim Dominus pedes lauisset Petri, et ecclesiam hoc idem docuisset, nisi (quoniam cottidiana est offensio) oportet, ut cottidiana sit remissio?

Cur docuisset orantes dicere: 'Dimitte nobis debita nostra,' nisi ipse misericors perseueraret, qui nos ab hac petitione non uult deficere?"

[[C. XXXIII].

Item Augustinus ad Macedonium. [epist. LIV].

"In tantum autem hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam post actam penitentiam, post altaris reconciliationem, uel similia uel grauiora committant.

Et tamen facit Deus etiam super tales oriri solem suum, nec minus tribuit, quam ante tribuerat, largissima munera uitæ ac salutis; et quamuis eis in ecclesia locus ille penitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos pacienciæ suæ non obliuiscitur.

Ex quorum numero si quis nobis dicat dicite, utrum michi aliquid prosit ad uitam futuram, si in ista uita illecebrosissimæ uoluptatis blandimenta contempsero, si me penitendo uehementius quam prius excruciauero, si miserabilius ingemuero, si fleuero uberius, si uixerō melius, si pauperes sustentauero largius, si karitate, que operit multitudinem peccatorum, flagrauerō ardentius: quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat: Nichil tibi ista in posterum proderunt; uade, saltem huius uitæ suauitate fruire? Auertat Deus tam inanem sacrilegam que dementiam”.

### VIII. Pars.

[Gratian.] Siue autem quis dicat, primam penitenciam tantum post baptismum utilem esse, non sequentem, siue quis contendat, ultimæ tantum ueniam dari, non precedenti, semper tamen auctoritati aduersatur, que sepissime penitenti ueniam repromittit.

Que autem sit uera penitencia, cui numquam uenia negatur, et que sit falsa, cui numquam indulgentia promittitur, Adamantius et Esitius super Leuiticum testantur.

Adamantius:

[[C. XXXIV].

“Inter hec hyrcum, qui oblatu fuerat, etc.”.

Non peccare solius Dei est: emendare sapientis.

Sed raro inuenias qui se corrigat.

Rara confessio peccati, rara penitencia.

Repugnat natura et uerecundia, quia obnoxia est culpæ omnis caro, et quisque erubescit peccatum confiteri, dum magis presentia cogitat quam futura.

Vult Moyses peccati uacuam reperire animam, ut exuias erroris deponat, et culpæ nuda sine pudore sui discedat.

Sed irrationabilis inpetus preuenit, et flamma celerrimi motus animam depascitur, exurit eius innocentiam. preponderant enim futuris presentia, seriis iocunda, et tristibus leta, et tardioribus prepropera.

Velox enim iniquitas, que ad nocendum occasionem suggerit; lenta uirtus et cunctatrix ante iudicat, quam incipit, quid decorum, quid honestum; iniquitas omnia precipitat.

Pigra ergo et uerecunda penitencia, quia presentium pudore premitur.

Solis enim intendit futuris, quorum spes sera, tardior fructus.

Interim precurrit inprudencia, et spe presentium penitencia excluditur, et affectus eius exuritur et aboletur.

Querit eam lex, et non inuenit, combusta est enim feruore et fumo iniquitatis.

Inde irascitur, et dicit, deuorandam fuisse penitenciam in sanctis sanctorum; sacerdotes quasi segnes increpat.

§. 1. Respondet Aaron, prouidum esse debere sacerdotale iudicium, nec male sanæ conscientiæ facile esse credendum id muneris, ne fiat error deterior priore.

Vase enim fetido uel oleum uel uinum facile corrumpitur.

Quomodo autem poterat, ubi ignis alienus erat, peccatum exuri et in conspectu Domini, cui cuncta sunt aperta?

quasi non conplacet Deo qui iniusticiam corde inclusam tenet, et se penitenciam agere perhibet.

Ignis alienus libido, auaricia, et omnis cupiditas praua.

Hic ignis exurit, non mundat.

In quibus enim est, si offerant in conspectu Domini, ignis eos celestis absumit, sicut Nadab et Abiud cum his, que pro peccato fuerant oblata.

§. 2. Qui ergo uult mundari ignem alienum remoueat, et illi igni se offerat, qui culpam exurit, non hominem.

Hic ignis siccauit emoroissæ sanguinem profluentem; hic siccauit culpam latronis.

Ignis enim consumens est; sanat simpliciter et pure confitentes.

Iudas: ‘Peccaui,’ inquit, ‘tradens sanguinem iustum;’ sed in pectore habuit ignem alienum, quo inflammante cucurrit ad laqueum.

Indignus autem remedio fuit, quia non pura mente penituit.

Culpam ergo eius non auferunt sacerdotes, qui dolose offert se, nec in eo possunt epulari, quorum cibus est peccatorum remissio.

Unde uerus sacerdos ait: ‘Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris mei,’ id est, ut peccatores conuersi et penitentes saluentur.

Non est acceptum Deo sacrificium, nisi uerum et sincerum”.

[[C. XXXV].

Item Esitius. [lib. II. ad c. 10. Leuitici]

“Inter hec hyrcum, qui offertur etc.’.

Quia omne peccatum per penitentiam deletur, et qui predictum peccatum alterius doctrinæ et blasphemix commiserunt saluati non sunt, causam mortis eorum Legislator exponit: ‘Inter hec hyrcum, qui oblatus fuerat etc.’.

Quia scilicet non comederunt filii Aaron quod pro peccato erat in loco sancto, id est, penitentiam commissi peccati in ecclesia peragi non fecerunt, quibus hoc preceptum est, quos Christus uicarios suos in ecclesia constituit.

Ipse autem oblationis suæ sanguinem, que pro nostro sanguine oblata est, in sanctum, id est in celum, in conspectu patris obtulit.

Debet autem comedi hoc sacrificium in loco sancto, scilicet in ecclesia, in propitiationem peccatorum.

Unde addit: ‘quemadmodum preceptum est michi,’ sic precepi.

Moyses ergo gerit personam Christi.

Exustum repperit, quia in Spiritum sanctum peccauerant; ab intelligibili igne Spiritus sancti oblatio pro penitencia ablata est.

Voluntarie peccantibus non relinquitur hostia pro peccato.

Nam sicut uera penitencia ueniam promeretur, ita simulata irritat Deum, quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.

Hoc autem sancti Patres irremissibile peccatum et blasphemiam in Spiritum sanctum dixerunt, in sceleribus usque ad finem uitæ perseuerare, de potentia et misericordia Dei et redemptoris diffidere”.

[[C. XXXVI].

Item Iohannes Os aureum [hom. XXXI]. in [c. 12]. epistola ad Ebreos.

“Iudas penituit, sed male; laqueo namque se suspendit; penituit etiam Esau, magis iste neque penituit.

Lacrimæ quippe non erant penitentiæ, sed animi uiolenti, et indignationis infernæ.

Quod eius operibus aperitur.

§. 1. Non igitur negemus peccata nostra, neque nos inpudentia duros efficiat.

Sponte nostra puniamus, ne pendamus non sponte supplicia.

Audiuit Cayn a Deo: ‘Ubi est Abel frater tuus?’

et dixit: ‘Nescio, numquid custos fratris mei sum?’

Vides, quomodo ex hoc peccatum amplius operatus est; nonne et pater eius similiter?

Audiens enim et ipse: ‘Adam ubi es?’ dixit: ‘Vocem tuam audiui Domine, et timui, quoniam nudus sum, et abscondi me’.

Magnum est, ut quis peccata sua agnoscat, et memoriam eorum perseueranter retineat.

Nullum inuenitur delictorum tale remedium, sicut eorum continuata memoria”.

[[C. XXXVII].

Item Ambrosius in libro [II]. de penitencia. [c. 11].

“In Salicibus,’ inquit, ‘in medio eius suspendimus organa nostra’.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si enim caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo et mentis imperio, aliena est terra, que non domatur exercitio cultoris.

Non potest fructus karitatis penitentiæ pacis afferre.

Melius ergo est tunc quiescere, quam exercere non queras opera penitentiæ, ne in ipsa penitencia fiat quod postea indigeat penitencia.

Que si semel fuerit usurpata, nec iure celebrata, nec prioris fructum obtinet, et usum aufert posterioris.

Sane et cum caro repugnat, mens ad Deum debet esse intenta, et, si opera non secuntur, fides non deserat; et, si carnis impugnant illecebræ uel potestates aduersariæ, maneat mens Deo dedita.

Tunc enim maxime urgetur, cum caro non cedit, et sunt qui uehementer incumbant, miseræ animæ querentes omne auferre presidium.

Unde illud est: ‘Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea’.

Quam miseratus Dauid ait: ‘Filia Babylonis misera,’ utique, Babylonis filia est, que Dei esse filia desinit, cui tamen medicum inuitat, dicens: ‘Beatus, qui tenebit et allidet paruulos suos ad petram,’ hoc est qui infirmas et lubricas cogitationes habet elidat ad Christum, qui omnes irrationabiles motus sui reuerentia et discretione conminuat”.

[[C. XXXVIII].

Item Ieronimus super Mattheum. [ad c. 27].

“Nichil profuit Iudæ egisse penitenciam, per quam scelus corrigere non potuit.

Si quando frater sic peccat in fratrem, ut emendare ualeat quod peccauit, potest ei diuinitus dimitti; sin autem permanent opera, frustra uoce assumitur penitencia.

Hoc est quod de eo dicitur: ‘Et oratio eius fiat in peccatum,’ ut non solum emendare nequierit proditiōis nefas, sed proprii homicidii scelus addiderit”.

[[C. XXXIX].

Item Leo Papa in sermone: “Inter omnia”.

“Sceleratior omnibus, Iuda, et infelicioꝝ extitisti; quem non penitencia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum.

Expectasses consummationem criminis tui, et donec sanguis Christi pro peccatoribus funderetur, informis lethi suspendium distulisses”.

## IX. Pars.

[Gratian.] His auctoritatibus, que sit uera, que falsa penitencia ostenditur, et falsæ nulla indulgentia dari probatur; in quo illorum sententia destruitur, qua eum, qui pluribus irretitus fuerit, asseritur unius delicti penitencia eiusdem ueniam a Domino consequi sine alterius criminis penitencia.

Quod etiam multorum auctoritatibus probare conantur.

Quarum prima est illa Naum prophethæ: “Non iudicabit Deus bis in idipsum”.

Sed quem sacerdos iudicat Deus iudicat, cuius personam in ecclesia gerit.

Qui ergo a sacerdote semel pro peccato punitur, non iterum pro eodem peccato a Deo iudicabitur.

[[C. XL].

Item Gregorius super Ezechielem. [hom. X].

“Pluit Dominus super unam ciuitatem, et super alteram non pluit, et eandem ciuitatem ex parte conpluit, et ex parte aridam relinquit.

Cum ille, qui proximum odit, ab aliis uiciis se corrigit, una eadem que ciuitas ex parte conpluitur, et ex parte arida manet, quia sunt, qui, cum uicia quedam resecant, in aliis grauiter perdurant”.

[[C. XLI].

Item Ambrosius in XVIII. octonario. [Psalm. 118].

“Prima consolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus; secunda per punitionem ubi etsi fides desit, pena satisfacit et releuat”.

[Gratian.] Item opponitur de Ieronimo, qui super Naum sentire uidetur, quod, si infidelis adulterando interficeretur, de adulterio non amplius a Deo puniretur.

Item, si illa satisfactio non fuit, quam in adulterio uiuens pro homicidio obtulit, cum adulterii eum penituerit, utriusque penitencia ei inponenda erit; quod a ratione alienum ecclesiastica probatur consuetudine, que pro eodem peccato (nisi reiteratum fuerit) nulli penitenciam bis inponit.

§. 1. Sed quod ei, qui crimen sibi reseruat, de alio uenia non prestetur, non solum premissis probatur auctoritatibus Esitii, Adamantii, Augustini, Smaragdi, Ysidori, Gregorii, uerum etiam alia auctoritate eiusdem Augustini in libro de penitencia.

Ait enim:

[[C. XLII].

“Sunt plures, quos penitet peccasse, sed non omnino, reseruantes sibi quedam, in quibus delectentur, non animaduertentes, Dominum simul mutum et surdum a demonio liberasse.

Per hoc docet, nos numquam nisi de omnibus sanari.

Si enim uellet peccata ex parte reseruari, habentem septem demonia, perficere potuit sex expulsis.

Expulit autem septem, ut omnia crimina simul eicienda doceret.

Legionem autem ab alio eiciens, neminem reliquit de omnibus, qui liberatum possideret, ostendens, quod, etiamsi peccata sint mille, oportere de omnibus penitere.

Laudatus est enim Dominus, quoniam eiecto demonio locutus est mutus.

Numquam aliquem sanauit, quem non omnino liberauit.

Totum enim hominem sanauit in sabbato, quia et corpus ab infirmitate, et animam ab omni contagione, indicans penitentes oportere simul dolere de omni crimine in anima orto et in corpore.

Scio enim Dominum inimicum omni criminoso.

Quomodo ergo qui crimen reseruat de alio reciperet ueniam?

Sine amore Dei consequeretur ueniam, sine quo nemo umquam inuenit gratiam.

Hostis enim Dei est, dum offendit perseueranter.

Quedam enim impietas infidelitatis est, ab illo, qui iustus et iusticia est, dimidiam sperare ueniam.

Nam sine uera penitencia inueniret gratiam? Penitencia enim uera ad baptismi puritatem confitentem conatur ducere.

Recte enim penitens quicquid sordis post purificationem contraxit oportet ut abluat, saltim lacrimis mentis.

Sed satis durus est cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare; sed sciati culpabiliter se durum, qui deflet dampna temporis, uel mortem amici, et dolorem peccati non ostendit in lacrimis.

Non itaque est, ut quis excuset se fontem non habere lacrimarum, qui umquam lacrimis ostendit dolorem temporalium.

Quem ergo penitet omnino peniteat etc.”.

## X. Pars.

[Gratian.] Auctoritas illa Naum prophetæ: “Non iudicabit Deus bis etc.,” non ostendit omnia, que temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda.

Quamquam enim Sodomitas, Egyptios, Isrælitas in heremo super eundem locum dicat Ieronimus temporaliter a Deo punitos, ne in eternum punirentur, non tamen intelligendum est de omnibus hoc generaliter; alioquin cuique sceleroso optandum esset, ut celesti fulmine percussus, aut aquis immersus, aut a serpentibus uulneratus pro peccatis suis diuinitus interiret, ut eternos cruciatus breuis et pena momentanea terminaret.

Illud etiam Apostoli falsum esset, quod de prostratis in deserto in epistola ad Ebreos scribens ait: “Propter incredulitatem suam non intrauerunt in terram promissionis”.

Ubi probatur, quod sicut merito suæ infidelitatis requiem illam amiserunt, ita propter eandem infidelitatem ueram requiem eternæ beatitudinis nullo modo intrauerunt.

§. 1. Intelligitur ergo illud Ieronimi de his tantum, qui inter ipsa flagella penitenciam egerunt, quam, etsi breuem et momentaneam, tamen non respuit Deus; sicut et illud Prophetæ: “Non iudicabit Deus bis in idipsum,” de his tantum intelligi oportet, quos supplicia presentia conmutant, super quos non consurget duplex tribulatio.

Qui autem inter flagella duriores et deteriores fiunt, sicut Pharao, qui flagellatus a Domino durior factus est, presentibus eterna connectunt, ut temporale supplicium sit eis eternæ dampnationis initium.

Unde Augustinus in Cantico Deuteronomii:

[[C. XLIII].

““Ignis succensus est etc.”.

Hoc est, uindicta hic incipiet, et ardebit usque ad extremam dampnationem”.



[Gratian.] Hoc contra illos notandum est, qui dicunt: “Non iudicabit Deus bis in id ipsum,” ad omnia pertinere flagella, quia quidam hic flagellis emendantur uel iudicantur, alii hic et in eternum puniuntur, sicut Antiochus et Herodes.

§. 1. Quod autem super eundem locum de adultero infideli Ieronimus sentire uidetur, ex uerbis eiusdem falsum esse probatur.

Exemplo enim illius, qui Isrælitas maledixerat, et qui ligna in sabbato collegerat, ostendit parua peccata breuibus et temporalibus suppliciis purgari, magna uero diuturnis et eternis suppliciis reseruari.

Ait enim: [in primum caput Naum]

[[C. XLIV].

“Querat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat. Aut enim punietur, et falsum est hoc, quod dicitur: ‘Non iudicabit Deus bis in idipsum in tribulatione;’ aut non punietur, et optandum est adulteris, ut in presentiarum breui pena puniantur ut frustrentur cruciatus eternos.

Ad quod respondemus, Deum, ut omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras, et non preueniri sententia iudicis, nec illi in peccatorum exercendæ dehinc penæ auferri potestatem, et magnum peccatum magnis diuturnis que lui cruciatibus; si quis autem punitus sit, ut ille in lege, qui Isrælitæ maledixerat, et qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpa leuis presenti supplicio compensata sit”.

[Gratian.] Illud autem Gregorii: “Pluit Dominus super unam ciuitatem etc.,” non ad criminis ueniam, sed ad eius detestationem referendum est, ut ideo pars ciuitatis dicatur esse conpluta, quia crimen, quod dilexerat, detestari incipit, non quod eius ueniam consequatur.

Criminis autem detestatio pluuiæ uocatur, quia ex fonte diuinæ gratiæ cordi nostro instillatur, ut uel sic quisque ad ueram penitentiam perueniat, aut eo minus a Deo puniatur, quod diuturniori delectatione peccati maius sibi supplicium accumulasset.

Si uero ad indulgentiam criminis pluuiæ referatur, euangelicæ sententiæ contraire uidebitur.

Si enim propter odium fraternum etiam que dimissa sunt replicantur ad penam: multo magis que non sunt dimissa ad uindictam reseruari probantur.

§. 1. Item, si secundum Augustinum arbiter suæ uoluntatis non potest inchoare nouam uitam, nisi peniteat eum ueteris uitæ, quomodo ad nouitatis indulgentiam perueniet qui odii uetustatem non deposuit?

Ad detestationem ergo criminis, ut dictum est, non ad eius indulgentiam pluuiæ illa pertinere probatur.

§. 2. Item illud Ambrosii: “Et si fides desit, pena satisfacit,” non de ea fide intelligitur, de qua dicitur: “fides sine operibus mortua est,” sed de ea, de qua Apostolus ait: “Omne, quod non est ex fide,” id est omne, quod contra conscientiam fit, “peccatum est”.

Deest ergo fides, cum non subest conscientia peccati.

Sed quia delicta omnia nullus intelligit, est aliquando in homine peccatum, cuius conscientiam non habet.

Unde Apostolus: “Nichil michi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum”.

Cuius ergo peccati deest conscientia, illius pena, si patienter feratur, satisfacit, et releuat grauatum.

Quod autem in fine obicitur: “Si satisfactio illa fuit, ueniam inpetrauit; si autem ueniam non inpetrauit, satisfactio non fuit; si autem satisfactio non fuit, adhuc sibi pena inponenda est,” non procedit argumentatio; satisfactio namque est, dum exciditur illius

peccati causa, et eius suggestionibus aditus non indulgetur, sed eius fructus non percipitur, ineditus peccato, quod nondum deseritur.

Percipietur autem, cum eius penitencia fuerit subsecuta, sicut ad lauacrum fite accedens regenerationis accipit sacramentum, non tamen in Christo renascitur; renascitur autem uirtute sacramenti, quod perceperat, cum fictio illa de corde eius recesserit ueraci penitencia.

Hinc etiam Augustinus scribit in libro de penitencia:

[[C. XLV].

“Pium est credere, et nostra fides hoc expostulat, ut, cum gratia Christi in homine destruxerit mala priora, etiam remuneret bona, et, cum destruit quod suum non inuenit, amat et diligit bonum, quod in peccante plantauit”.

Ex hoc sensu etiam illud Ieronimi dictum uidetur: [ad c. 1. Aggæi]

[[C. XLVI].

“Si quando uideris inter multa opera peccatorum facere quemquam aliqua, que iusta sunt, non est tam iniustus Deus, ut propter multa mala obliuiscatur paucorum bonorum”.

## XI. Pars.

[Gratian.] Quamquam memoria bonorum ad presentem remunerationem possit referri, sicut Gregorius in omelia de diuite et Lazaro scribit:

[[C. XLVII].

“Cauendum est nobis, ut, si forte aliquod bonum agimus, in presenti seculo remunerationem accipiamus, ne forte dicatur nobis: ‘Receperunt mercedem suam’.

Nisi enim diues iste aliquod bonum egisset, unde in presenti seculo remunerationem accepisset, nequaquam Abraham ei diceret: ‘Recepisti bona in uita tua’”.

[[C. XLVIII].

Item Iohannes Crisostomus. [hom. LXVII. ad populum Antiochenum]

“Quid ergo turbamur?

nemo, uidens malignos prosperitatem habere, turbetur.

Non est hic retributio malignitatis, neque uirtutis; ac, si aliquando contingit, ut aliqua sit retributio uel maliciæ, uel uirtutis, non tamen secundum quod dignum est, sed simpliciter, ueluti quidam gustus iudicii, ut, qui resurrectionem non credunt, talibus doceantur.

Quando itaque uidemus malignum ditescere, non subruamur, et quando uidemus bonum mala pati, non turbemur.

Illic corona: illic supplicia.

Est et alia ratio, quia non potest uel malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua bona, neque bonus in omnibus bonus esse, sed habet aliqua peccata.

Quando ergo prosperitatem habet malus, malo capitis sui est.

Cum enim pro illis bonis paucis retributionem hic accipit, illic iam plenius punietur”.

[Gratian.] Potest etiam memoria bonorum referri ad mitiorem penam habendam, ut bona, que inter multa mala fiunt, non proficiant ad presentis uel futuræ uitæ premium obtinendum, sed ad tollerabilius extremi iudicii supplicium subeundum, sicut de fide, et ceteris, que sine karitate habentur Augustinus scribit in libro de patiencia dicens: [c. 26].

[[C. XLIX].

“Si quis autem non habens karitatem, que pertinet ad unitatem spiritus et uinculum pacis, quo catholica ecclesia congregata connectitur, in aliquo scismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, uincula, tormenta, gladium, uel flammam, uel bestias, uel ipsam crucem timore gehennarum et ignis eterni, nullo modo ista culpanda sunt; immo uero et hic laudanda patiencia est; non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut Christum negando nichil eorum pateretur, que passus est confitendo, sed estimandum est, fortasse tollerabilius ei futurum iudicium, quam si Christum negando nichil eorum pateretur.

Ut illud, quod ait Apostolus: ‘Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, karitatem autem non habuero nichil michi prodest,’ nichil prodesse intelligatur ad regnum celorum obtinendum, non ad extremi iudicii tollerabilius supplicium subeundum”.

Et infra:

[c. 23]. §. 1. “Hec propter karitatem dicta sunt, sine qua in nobis non potest esse uera penitencia, quoniam in bonis karitas Dei est, que tollerat omnia”.

## XII. Pars.

[Gratian.] Penitencia ergo, ut ex premissis apparet, nulli in peccato perseueranti utilis est, non tamen alicui deneganda est, quia sentiet fructum eius, cum alterius criminis penitenciam egerit.

Sic itaque penitentiæ diffinitio, et ceteræ auctoritates sibi consonantes negant, eum agere penitenciam, qui perseuerat in crimine, utilem uidelicet sibi et fructuosam §. 1. Illud autem Ambrosii: “Penitencia semel usurpata, nec uere celebrata, et fructum prioris aufert, et usum sequentis amittit,” de solempni intelligitur, que, cum non uere celebrata fuerit, et fructum prioris, id est sui ipsius securam precedentis, amittit, (quia ueniam, quam impetrare potuit, contempsit), et usum sequentis aufert, secundum consuetudinem quarundam ecclesiarum, apud quas solempnitas penitentiæ non reiteratur.

De hac eadem penitencia etiam illud intelligitur: “Non est secundus locus penitentiæ”.

## DISTINCTIO IV.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Quia uero multorum auctoritatibus supra monstratum est, penitenciam uere celebrari, et peccata uere dimitti ei, qui aliquando in crimen recasurus est: queritur, an peccata dimissa redeant?

Huius questionis diuersorum uaria est sententia, aliis asserentibus, aliis econtra a negantibus, peccata dimissa ulterius replicari ad penam.

§. 1. Quod autem peccata semel dimissa redeant, multorum probatur auctoritatibus; quarum prima est illa Prophetæ: “In memoriam redeat iniquitas patrum eius etc.,” secunda illa euangelii: “Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, etc.”.

Deinde Augustinus in libro Psalmorum ait: [ad Psalmum CVIII].

[[C. I].

“Si Iudas teneret illud, ad quod uocatus est, nullo modo ad eum uel sua preterita, uel parentum iniquitas pertineret.

Quia ergo non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem uetusti generis potius elegit, rediit iniquitas patrum in conspectu Domini, ut in eo etiam ipsa puniretur”.

Item Rabanus:

§. 1. “Tradidit eum tortoribus etc.’.

Considerandum est, quod dicit: ‘uniuersum debitum,’ quia non solum peccata, que post baptismum homo egit, reputabuntur ei ad penam, uerum etiam peccata originalia, que in baptismo ei dimissa sunt”.

[[C. II].

Item Gregorius. [lib. IV. Dialog., c. 60].

“Ex dictis euangelicis constat, quia, si, in nos, quod delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur, quod nobis iam per penitentiam dimissum fuisse gaudebamus”.

[[C. III].

Item Augustinus in omelia L.

“Dicit Dominus: ‘Dimitte et dimittetur tibi.’ sed ego prius dimisi, dimitte uel postea.

Nam si non dimiseris, reuocabo te, et quicquid dimiseram replicabo tibi”.

[[C. IV].

Item.

“Qui diuini beneficii oblitus suas uult uindicare iniurias, non solum de futuris peccatis ueniam non merebitur, sed etiam preterita, que iam sibi dimissa credebat, ad uindictam ei replicabuntur”.

[[C. V].

Item Beda super Lucam. [lib. IV. c. 48].

“Reuertar in domum meam’.

Timendus est uersiculus iste, non exponendus, ne culpa, quam in nobis exstinctam credebamus, per incuriam nos uacantes opprimat”.

[[C. VI].

Item.

“Quecumque enim post baptisma siue prauitas heretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox prosternet in ima omnium uiciorum”.

[[C. VII].

Item Augustinus in libro questionum Deuteronomii. [quest. XLII].

“Peccatum, quod ex Adam trahitur, temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur, non autem in eternum eis qui fuerint per gratiam regenerati, si in ea usque in finem permanserint”.

## II. Pars.

[Gratian.] Eorum uero, qui hanc sententiam secuntur, alii dicunt, quod peccata reditura dimittuntur secundum iusticiam, sed non secundum prescientiam, sicut nomina

discipulorum, qui retro abierunt, erant scripta in libro uitæ propter iusticiam, cui deseruiebant, non secundum prescientiam, que in numero saluandorum eos non habebat. Sic a latere Dei dicuntur mille casuri, et decem millia a dextris eius, quos tamen diuina prescientia numquam suis annumerauerat.

Hinc etiam Dominus ait Moysi: “Si quis peccauerit ante me, delebo eum de libro uitæ,” ut secundum iusticiam iudicis ille peccando dicatur deleri, qui secundum prescientiam numquam fuerat ascriptus.

§. 1. Hinc Augustinus in epistola ad Chorinthios: “Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo,” etsi in aliquibus.

Communia omnia sacramenta, sed non communis gratia; ita et nunc baptismus communis est, sed non uirtus baptismi.

### III. Pars.

§. 2. Verum hoc de fecte accedentibus, uel de his, qui extra ecclesiam baptizantur, intelligitur, qui sacramenti quidem integritatem accipiunt, uirtutem uero eius minime assecuntur.

Paruulis uero, uel adultis plena fide accedentibus omnino peccata remittuntur, etsi aliquando a bono recessuri in malo uitam sint finituri.

Unde Augustinus in libro de correctione et gratia: [c. 8. et 9].

[[C. VIII].

“Si ex bono in malum deficientes bona uoluntate moriuntur, respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie uiuerent, non tunc de uitæ huius periculis rapuit, ne malicia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum?

Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nesciuit?

Nempe nichil horum nisi peruersissime atque insanissime dicitur.

Cur ergo non fecit? Respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus: ‘Quam inscrutabilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles uiæ eius’.

Neque enim hoc non donat Deus quibus uoluerit, aut uero illa scriptura mentitur, que de morte uelut in matura hominis iusti ait: ‘Raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius, et ne fictio deciperet animam eius’.

Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, et in cuius potestate est, quamdiu quisque in hac uita maneat, que temptatio dicta est super terram?

Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse ut finiat homo uitam istam ante, quam ex bono mutetur in malum, cur autem id aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: id tamen donum Dei esse in bono perseuerantiam secundum scripturas (de quibus testimonia multa iam posui), fateantur nobis cum, et cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure aduersus Deum dignentur ignorare nobis cum.

§. 1. Nec nos moueat, quod filiis suis Deus quibusdam non dat istam perseuerantiam.

Absit enim, ut ita sit, si de illis predestinatis essent, et secundum propositum uocatis, qui uere sunt filii promissionis.

Nam isti, cum pie uiuunt, dicuntur filii Dei; sed quia uicturi sunt in pie, et in eadem impietate morituri, non eos dicit filios prescientia Dei.

Sunt enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, et sunt iam Deo, de quibus euangelista Iohannes ait: ‘quia Iesus moriturus erat pro gente, nec tantum pro gente, sed etiam, ut filios Dei dispersos congregaret in unum,’ quod utique credendo futuri erant per

euangelii predicationem, et tamen ante, quam factum esset, iam filii Dei erant in memoriali patris sui inconcussa stabilitate conscripti sunt.

Et sunt rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam uel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec tamen sunt Dei, de quibus ait idem Iohannes: 'Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; quod si fuissent ex nobis, mansissent utique nobis cum'.

Non ait: ex nobis exierunt, sed quia non manserunt nobis cum, iam non sunt ex nobis; uerum ait: 'ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis;' hoc est: et quando uidebantur in nobis, non erant ex nobis.

Et tamquam ei diceretur, unde id ostendis? 'Quod si fuissent,' inquit, 'ex nobis, permansissent utique nobis cum'.

Filiorum Dei uox est: Iohannes loquitur in filiis Dei loco precipuo constitutus.

Cum ergo filii Dei dicunt de his, qui perseuerantiam non habuerunt: 'ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis;' et addunt: 'quod si ex nobis fuissent, permansissent utique nobis cum;' quid aliud dicunt, nisi non erant filii Dei, etiam quando erant in professione et nomine filiorum non quia iusticiam simulauerunt, sed quia in ea non permanserunt.

Neque enim ait: nam, si fuissent ex nobis, ueram, non fictam, iusticiam tenuissent utique nobis cum; sed: 'si fuissent,' inquit, 'ex nobis, permansissent utique nobis cum'.

In bono illos uolebat proculdubio permanere, erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est usque in finem non perseuerauerunt, non erant, inquit, ex nobis, et quando erant nobis cum; hoc est: non erant ex numero filiorum, et quando erant in fide filiorum, quoniam qui uere filii sunt presciti et predestinati sunt conformes imaginis filii Dei et secundum propositum uocati sunt, ut electi essent.

Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis.

Fuerunt ergo isti ex multitudine uocatorum; ex electorum autem paucitate non fuerunt.

Non igitur filiis suis predestinatis non dedit Deus perseuerantiam.

Haberent enim eam, si in eo filiorum numero essent, et quid haberent, quod non accepissent secundum apostolicam ueram que sententiam?

Ac per hoc tales filii filio Christo dati essent, quemadmodum ipse dicit ad patrem: 'Ut omne, quod dedisti michi, non pereat, sed habeat uitam eternam'.

Hi ergo intelliguntur Christo dari, qui ordinati sunt in uitam eternam.

Ipsi sunt illi predestinati et secundum propositum uocati, quorum nullus perit, ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc uitam, quoniam sic et ordinatus, et ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat uitam eternam.

Et rursus, quos dicimus inimicos eius, uel paruulos filios inimicorum eius, quoscumque eorum sic regeneraturus est, ut in ea fide, dilectionem operatur, hanc uitam finiant, iam et ante, quam hoc fiat, in illa predestinatione filii sunt eius, et dati sunt Christo filio eius, ut non pereant, sed habeant uitam eternam.

§. 2. Denique ipse Saluator: 'Si manseritis,' inquit 'in uerbo meo, uere discipuli mei estis'.

Numquid in his computandi sunt illi, de quibus euangelium sic loquitur?

ubi Dominus, cum commendasset manducandam carnem suam, et bibendum sanguinem suum, ait Euangelista: 'Hec dixit in synagoga docens in Capharnaum.

Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, quis eum potest audire?

Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurabant de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc uos scandalizat?

Si ergo uideritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?

Spiritus est qui uiuificat: caro autem non prodest quicquam.

Verba, que ego locutus sum uobis, spiritus et uita sunt.

Sed sunt quidam ex uobis, qui non credunt.

Sciebat enim Iesus ab inicio, qui essent credentes, et quis esset eum traditurus, et dicebat: Propterea dixi uobis, quia nemo uenit ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo.

Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, et iam cum illo non ambulabant’.

Numquid non et isti discipuli appellati sunt, loquente euangelio?

et tamen non erant uere discipuli, quia non manserunt in uerbo eius, secundum id, quod ait: ‘Si manseritis in uerbo meo, uere discipuli mei eritis’.

Quia ergo non habuerunt perseuerantiam, sicut non uere discipuli Christi, ita nec filii Dei uere fuerunt, etiam quando esse uidebantur, et ita uocabantur.

Appellamus ergo nos electos et Christi discipulos, et Dei filios, quia appellandi sunt quos regeneratos pie uiuere cernimus.

Sed tunc uere sunt quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur.

Si autem perseuerantiam non habent, id est in eo, quod ceperunt esse, non manent, non uere appellantur propter quod appellantur, et non sunt.

Apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quod futuri sunt, id est ex bonis mali’.

#### IV. Pars.

[Gratian.] Finis huius auctoritatis eorum sententiæ concordat, qui peccata dicunt remitti secundum iusticiam, et non secundum prescientiam.

Alii uero, quamuis fateantur peccata redire, tamen seu per baptisma, seu per penitentiam asserunt omnino remitti peccata, et plena fide accedentem ad lauacrum renasci non aqua tantum, sed etiam Spiritu sancto, et, si postea peccaturus sit, deinde penitentem, etsi aliquando recasurus sit, tamen tempore suæ penitentiæ ita perfecte expiatum affirmant, ut, si tunc moreretur, salutem inueniret eternam.

Quorum sententiæ eiusdem auctoritatis principium consentit.

Cum enim questionem proponat, quare prescitos ad mortem, cum fideliter ac pie uiuerent, non tunc de uitæ huius periculis Deus rapuit, ne malicia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum, cum de inmatura morte predestinati scriptura dicit: “Raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius, et ne fictio deciperet animam illius,” euidenter ostendit, illos tales fuisse, qui, si fatali necessitate huius uitæ subducti essent periculis, profecto uitam consecuti essent eternam.

Ut ergo finis principio conueniat, et ne sibi ipsi contraire uideatur, diffiniendum est, quid sit scribi in libro uitæ, uel de eodem deleri secundum iusticiam, quid secundum prescientiam.

Secundum prescientiam scribi est ad uitam preordinari; quod ab eterno factum est.

Unde Apostolus in epistola ad Ephesios: [c. 1].

[[C. IX].

“Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in karitate; cui predestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum”.

[Gratian.] Similiter secundum prescientiam deleri est ad mortem, non ad uitam prescribi, quod et ipsum ab eterno factum est.

Unde Dominus in euangelio: “Qui credit in me, habet uitam eternam; qui autem non credit, iam iudicatus est”.

Hinc etiam Augustinus ait:

[[C. X].

“Nouit Dominus qui sunt eius’.

Ex his nemo seducitur.

Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est”.

[Gratian.] Porro secundum iusticiam scribi est Deo auctore ea operari, quorum merito sit dignus eterna salute.

Hunc duplicem modum scribendi in euangelio Deus a assignauit, discipulis dicens: “In domo patris mei mansiones multæ sunt; si quo minus, dixissem uobis, quia uado parare uobis locum; et si abiero, et preparauero uobis locum, iterum uenio, et accipiam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego et uos sitis:” Dicens: “In domo patris mei mansiones multæ sunt; si quo minus, dixissem uobis, quia uado parare uobis locum,” ostendit, eos, quibus loquebatur, scriptos in libro uitæ predestinatione.

Subiciens: “si abiero, et preparauero uobis locum etc.,” ostendit, illos adhuc esse scribendos operatione.

Hinc etiam Augustinus in eiusdem loci explanatione ait:

[[C. XI].

“In domo patris mei mansiones multæ sunt’.

Domus Dei, templum Dei, regnum celorum sunt homines iusti, in quibus sunt multæ differentiæ, et hæ sunt mansiones ipsius domus.

Hæ autem iam paratæ sunt in predestinatione, sicut ait apostolus: ‘Qui elegit nos ante mundi constitutionem,’ predestinando, parando autem in operatione.

Unde: ‘Quos predestinauit, hos et uocauit,’ secundum hoc dicitur: ‘Fecit Deus que futura sunt,’ id est que facturus est”.

Et infra:

§. 1. “‘Si quo minus,’ esse confirmat, quia, si non essent, dixisset: ibo et parabo, id est predestinabo.

Sed quia ibi sunt, non est opus aliqua parare.

Quia uero nondum sunt in operatione, addit: ‘Et si abiero et preparauero’.

Abiens, sed non relinquens, parat, quia subtrahit se et latet, ut sit fides, que non est de uisa re, et inde est meritum fidei”.

§. 2. “Ex hac uiuit iustus, et mundatur ei cor, dum peregrinatur, et in ea desideratur quod nondum habetur.

Hec preparatio mansionis est, quia sic parat nos sibi, et se nobis, ut maneat in nobis, et nos in eo, quantum quisque erit particeps eius plus uel minus pro diuersitate meritorum.

Et hec est multitudo mansionum”.

[Gratian.] Secundum iusticiam deletur quia gratia subtracta ea operari permittitur, quibus eternam dampnationem meretur.

Hinc Propheta loquens ex persona Christi ait: “Deleantur de libro uiuentium,” hoc est: subtrahatur eis gratia, qua subtracta hi in profundum uiciorum, deinde in eternam dampnationem precipitentur, “et cum iustis non scribantur,” id est: non apponatur eis gratia, quo fiant digni eterna salute.

Sic itaque peccata secundum prescientiam remittuntur, cum ab eterno gratia preparatur, qua uocatus iustificetur, iustificatus tandem eternaliter glorificetur.



Secundum iusticiam uero peccata remittuntur, cum uel baptisma plena fide accipitur, uel penitencia toto corde celebratur, que remissio et ipsa secundum prescientiam non inconuenienter fieri dicitur.

§. 1. Ut enim ex premissa auctoritate Apostoli datur intelligi, duæ sunt preordinationes; uno, qua quisque preordinatur hic ad iusticiam et remissionem peccatorum percipiendam; altera, qua aliquis predestinatur ad uitam eternam in futuro obtinendam. Harum effectus sunt presens iustificatio, et futura glorificatio, que omnia in premissa auctoritate conuenienter distinguuntur.

Prima enim predestinatio qua preordinantur ad presentem iusticiam, designatur, dum dicitur: “Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem etc.,” cuius effectus infra supponitur: “in qua gratificauit nos in dilecto filio suo etc.”.

Secunda preordinatio ibi ostenditur: “qui predestinauit nos in adoptionem filiorum etc.”. Eius effectus premititur, dum dicitur: “qui benedixit nos in omni benedictione etc.”.

§. 2. Hæ duæ preordinationes et earum effectus ita se habent, ut prima et eius effectus natura precedant, lege consequendi inferantur.

Si enim est aliquis preordinatus ad uitam, consequenter infertur, ergo predestinatus est ad iusticiam, et, si consequitur uitam eternam, est ergo consecutus iusticiam; sed non conuertitur.

Unde multi sunt participes primæ preordinationis et eius effectus, ad quos secunda uel eius effectus minime pertinere probantur.

§. 3. Iuxta hanc distinctionem intelligenda est auctoritas illa Iohannis: Ex nobis exierunt; sed non erant ex nobis”.

Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobis cum.

“Ex nobis,” inquit, “exierunt,” id est: a nostra societate recesserunt, qua primæ preordinationis et eius effectus nobis cum participes erant; “sed non erant ex nobis,” id est secundæ preordinationis et eius effectus societatem nobis cum non inierant.

Quod ex eo uideri potest, quia, si fuissent ex nobis, id est, si illius preordinationis nobis cum participes essent, mansissent utique nobis cum, id est, a societate effectus eius preordinationis, quam nobis cum contraxerant, non recessissent.

Si enim ad secundam preordinationem utrumque referretur, non conuenienter illud inferretur: ‘mansissent;’ immo cepissent utique esse nobis cum.

Si uero ad primam, falsa esset propositio: ‘si fuissent ex nobis etc.’.

Multi enim presentis iusticiæ et sanctitatis participes fiunt, qui tamen in ea non perseuerant.

Unde Dominus in euangelio ait: “Non qui ceperit, sed qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit”.

[[C. XII].

Hanc societatem si quis solo nomine et professione, non autem rei ueritate a dampnandis dicat contrahi, eiusdem auctoritatis testimonio conuincitur.

De his enim, qui primæ, non secundæ preordinationis sunt participes, ait: “Nec nos moueat, quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam.

Absit enim, ut ita sit, si de predestinatis essent,” et cetera, que in eadem auctoritate supra continentur.

Oues namque, de quibus in euangelio ait Dominus: “Et alias oves habeo, que non sunt ex hoc ouili,” et filii, de quibus Iohannes ait: “ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum,” ita prescientia erant oves et filii, ut qualitate presentium, non specie tantum, sed etiam ante Dei oculos essent filii iræ et perditionis eternæ.

Unde Apostolus non ait: uidebatur esse, sed: “eramus,” inquit, “et nos natura filii iræ”. Nec ait: reputabimini ab hominibus, sed: “fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino”.

De ſe quoque ſcribens ad Tymotheum non ait: uidebar, ſed: “fui blaſphemus, et perſecutor, et contumelioſus; nunc autem ſum miſericordiam conſecutus”.

Omnes quoque, qui in Chriſto reſcuntur, et qui eius ſanguine a diabolo redimuntur, prius ex Adam peccatores naſcuntur, et diabolicæ ſeruituti obnoxii.

Sicut ergo iſti, quamuis ſint futuri filii Dei, tamen prius ſunt filii diaboli: ſic hi, de quibus ſermo habetur, quamuis recedendo a iuſticia ſint filii futuri perditionis eternæ, tamen cum pie et fideliter uiuunt, uere ſunt filii Dei, et iuſti, et eterna beatitudine digni.

Unde auctoritas non ait: cum uiderentur pie et fideliter uiuere, ſed: “cum pie et fideliter uiuerent”.

Ne ueraciter a bono in malum conmutarentur qui numquam ueraciter boni fuerunt.

Dominus quoque non ait per Ezechielem: ſi auerterit ſe iuſtus a iuſticia, quam uidebatur habere, ſed: “ſua,” ſcilicet quam ueraciter habet.

§. 1. Quod autem in eadem auctoritate ſequitur: “Non erant in numero filiorum, quando erant in profeſſione filiorum,” ita intelligendum eſt: filii Dei duobus modis appellantur.

Dicuntur filii Dei participatione hereditatis eternæ, ſicut Iohannes ait in euangelio: “Quotquot crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri”.

Et Apoſtolus in epiſtola ad Romanos: “Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat”.

Et infra:

“Ipsa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei”.

Et infra:

“Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes”.

Hinc etiam Auguſtinus, eadem uerba Apoſtoli exponens, ait: “Modo tantum creatura, cum nondum filiorum forma perfecta”.

Hoc ergo modo non ſunt filii, niſi participes beatitudinis eternæ.

§. 2. In preſenti etiam dicuntur filii tribus modis, uel predeſtinatione tantum (ſicut hi, de quibus Iohannes ait: “ut filios Dei, qui erant diſperſi etc.,” uel predeſtinatione, et ſpe eternæ beatitudinis (ſicut illi, quibus Dominus ait: Filioli, adhuc modicum uobis cum ſum),” uel merito fidei et preſentis iuſticiæ, non autem predeſtinatione, claritatis eternæ, (ſicut hi, de quibus Dominus ait: “Si dereliquerint filii eius legem meam, et in iudiciis meis non ambulauerint etc.”).

Hi ergo, de quibus in preſenti agitur, filii ſunt merito fidei et preſentis iuſticiæ, non autem ſunt filii adoptionis eternæ.

Qui ergo peccata diſmiſſa redire fatentur, ſecundum iuſticiam, non etiam ſecundum preſcientiam ea diſmittere neceſſe eſt ut confiteantur, ſicut ſaluandis peccata ſecundum iuſticiam ad eternam dampnationem inputantur, non ſecundum preſcientiam, quia et illis a bono in malum deficientibus ſingula replicabuntur ad ſupplicium, et hiſ uſque in finem in bono perſeuerantibus nulla inputabuntur ad penam.

## V. Pars.

[Gratian.] Qui autem dicunt, quod peccata diſmiſſa non redeant, auctoritate Gregorii et Proſperi ſententiam ſuam affirmare conantur.

Ait enim Gregorius in Moralibus, libro XV.: [c. 22].

[[C. XIII].

“Quid est quod dicitur: ‘Qui reddis iniquitatem filiis ac nepotibus?’

Peccatum scilicet originale a patribus trahimus, et nisi per baptismi gratiam saluamur, etiam parentum culpam portamus, quia unum cum illis sumus.

Reddet iniquitatem patrum in filiis, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis.

Et rursus non reddit iniquitatem patrum in filiis, quia, cum ab originali culpa per baptismum liberamur, non iam parentum culpas, sed quas ipsi committimus habemus”.

Item in responsionibus Prosperi: [ad secundam obiectionem Gallorum]

[[C. XIV].

“Qui recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc uitam quid nisi in perditionem uadit?

sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato dampnabitur; qui tamen ea morte afficitur, que ei propter dimissa, debebatur”.

[Gratian.] Finis huius auctoritatis principio contraire uidetur.

Neque enim est aliud peccata dimissa redire, uel in originali peccato dampnari, quam penam peccato debitam post eiusdem remissionem excipere.

Auctoritates uero sibi contrarias assertores huius sententiæ ita determinant: peccata dimissa redire dicuntur, quia quisquis post acceptam remissionem ad uomitum redierit tanto grauius punietur, quanto magis benignitate Dei abusus singulorum remissionis acceptæ ingratus extitit.

## VI. Pars.

§. 1. Verum illa sententia fauorabilior uidetur, quia pluribus roboratur auctoritatibus, et euidentiore ratione firmatur.

Ut enim Dominus ait per Ezechielem: [c. 18].

[[C. XV].

“Si auerterit se iustus a iusticia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abhominaciones, quas operari solet inpius, numquid uiuet?

omnes iusticiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur; in peccato suo morietur, et non erunt in memoria iusticiæ eius, quas fecit”.

[[C. XVI].

Item Gregorius in eiusdem loci explanatione.

“Hoc nobis maxime considerandum est, quia, cum mala committimus, sine causa bona nostra transacta reuocamus, quoniam in perpetracione malorum nulla debet esse fiducia bonorum preteritorum”.

[[C. XVII].

Idem. [in homil. IV. ad c. 1. Ezech.].

“De pertuso quippe sacco aliunde exit quod aliunde inmittitur, quia indiscretæ mentes mercedem, que ex bono opere acquiritur, non aspiciunt, quomodo ex malo opere perdatur”.

[[C. XVIII].

Item Petrus in epistola II. [c. 2].

“Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri et saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.

Melius enim erat illis non cognoscere uiam iusticiæ, quam post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato”.

Paulus quoque scribens ad Ebreos ait: [c. 6].

[[C. XIX].

“Intermittentes sermonem inchoationis Christi feramur ad eius perfectionem, non rursus iacientes fundamentum penitentiæ ab operibus mortuis”.

[Gratian.] Dicens opera mortua, priora bona significat, que per sequens peccatum erant mortua, quia hi peccando priora bona irrita fecerunt.

Hec, sicut peccando fiunt irrita, ita per penitentiam reuiuiscunt, et ad meritum eternæ beatitudinis singula prodesse incipiunt etiam illa, que peccatis inueniuntur admixta.

Unde Augustinus: “Pium est credere etc.” et Ieronimus: “Non est iniustus Deus etc.”.

Apostolus etiam scribens ad Ebreos, cum fidem, et dilectionem, et bona opera eorum breuiter commemorasset, horum omnium mercedem, quam peccando amiserant, post penitentiam a Domino eos recepturos ostendit.

Porro, qui per Prophetam dixit: “Si auerterit se iustus a iusticia sua etc.,” ipse per eundem prophetam promisit dicens: “Si inpius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, que operatus est, et custodierit uniuersa precepta mea, et fecerit iudicium et iusticiam, uita uiuet, et non morietur; omnium iniquitatum eius non recordabor, quas operatus est; in iusticia sua, quam operatus est, uiuet”.

Filiis quoque Israhel per Assyrios captiuandis ueteris ydolatriæ peccatum per Osee Dominus inproperat, et peccatum, quod Moyse supplicante patribus fuerat dimissum, hoc in filiis reuixisse ostendit, dicens:

[[C. XX].

“Ve eis, quoniam recesserunt a me; uastabuntur, quia preuaricati sunt in me.

Ego tamen redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia, et non clamauerunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis; super triticum et uinum ruminabant, et recesserunt a me, et ego erudiui eos, et confortauit brachia eorum, et in me cogitauerunt maliciam; reuersi sunt, ut essent absque iugo; facti sunt quasi arcus dolosus; cadent in gladio principes eorum a furore linguæ suæ”.

## VII. Pars.

[Gratian.] Antiqua peccata parentum filiis inproperat sermo diuinus, et propterea principes eorum in gladio casuros predicat.

Sed per eundem Prophetam contra se Dominus facere ostendit, dicens:

[[C. XXI].

“Ne forte dicant in cordibus suis, omnem maliciam eorum me recordatum, nunc circumdederunt eos adinventiones suæ; coram facie mea factæ sunt”.

[[C. XXII].

Ieronimus. [ad c. 7. Oseæ]

“Cum ita puniantur, ne cogitent, quod pro ueteribus peccatis patrum puniam eos, quia nunc, id est in presenti, pro maliciis suis, quas inuenerunt, circumdati sunt pena, et mala eorum, sicut putant, non possunt me latere; sed potius ipsæ adinventiones apertæ sunt coram facie mea, que omnia clare uidet”.

[[C. XXIII].

Idem.

“Heretici non possunt uetera peccata contra Deum causari, cum antiquis operibus nouam addant impietatem, et suis ligentur peccatis, et, cum Deum celare se putant, oculos eius uitare non possunt, quia uultus Domini super facientes mala”.

[[C. XXIV].

Item Gelasius.

“Diuina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur”.

[Gratian.] Sed his auctoritatibus docentur filii, ab originali peccato expiati, non ideo puniendi, quia patres peccauerunt, sed ideo peccata patrum in eos redire, quia eorum culpam secuntur.

Sic et bona, que peccato moriuntur, non proficient ad premium, quia facta sunt, sed quia per penitentiam reuiuiscunt.

Tale est et illud Augustini in libro Psalmorum: “Si Iudas teneret adoptionem etc.”.

Sic etiam illud Gregorii in Moralibus intelligitur: “Quid est quod dicitur: ‘Reddis iniquitatem patrum etc.’”.

Illis namque parentum iniquitas redditur, qui propterea puniuntur, quia in radice traxerunt amaritudinem peccati.

Illis autem non reddi dicitur, in quibus merito suæ iniquitatis non reuiuiscunt parentis peccata.

Sicut ergo bona, que peccato moriuntur, per penitentiam reuiuiscunt ad premium: sic et mala, que per penitentiam delentur, reuiuiscunt ad supplicium.

Unde Propheta ex persona penitentis deplorat dicens: “Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ,” id est plagæ per baptismum sanatæ.

Hinc etiam idem propheta, quamuis fide et sacramento circumcisionis ab originali peccato se mundatum cognosceret, tamen adulterio et homicidio, quod commiserat, illud reuixisse intelligens, non sine causa inter cetera ipsum confitetur, et dicit: “Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum etc.”.

## **DISTINCTIO V.**

### **GRATIANUS.**

#### **I. Pars.**

In penitencia autem, que peccatorem considerare oportet, Augustinus in libro de penitencia docet, dicens:

[[C. I].

“Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in uarietate personæ, et quali hoc fecerit temptatione, et in ipsius uicii multiplici executione.

Oportet enim penitere fornicantem secundum excellentiam sui status aut officii aut secundum modum meretricis, et in modo operis sui, et qualiter turpitudinem suam peregit, si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei (ut sunt domus dominorum, et aliorum multorum), si in tempore orationi constituto, ut festiuitates sanctorum et tempora ieiunii.

Consideret, quantum perseuerauerit, et defleat quod perseueranter peccauit, et quanta fuerit uictus inpugnatione.

Sunt qui non solum non uincuntur, sed ultro se peccato offerunt, nec expectant temptationem, sed preueniunt uoluptatem, et pertractet se cum, quam multiplici actione uicii delectabiliter peccauit.

Omnis ista uarietas confitenda est et deflenda, ut, cum cognouerit quod peccatum est multum, cito inueniat Deum propitium.

§. 1. In cognoscendo augmentum peccati inueniat se, cuius etatis fuerit, cuius sapientiæ, et ordinis, et statum omnem alterius non peccantis.

Inmoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis, purgans lacrimis omnem qualitatem uicii.

§. 2. Defleat uirtutem, qua interim caruit.

Dolendum enim est, et dolore purgandum, non solum quia peccauit, sed quod se uirtute priuauit.

Nam, licet speret se consecuturum ueniam, dolere tamen potest, quia non promeruit unde remunerari confidat.

§. 3. Anxietur et doleat, quod modo effugiens de preteritis penam, miser non inde exspectet gloriam, cuius omne tempus, quoniam breuissimum est, debuit decertauisse ad consequendum premium.

§. 4. Defleat etiam, quoniam offendens in uno factus est omnium reus.

Ingratus enim extitit qui plenus uirtutibus Deum non omnino timuit.

In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior.

Ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono habundauit.

Etiam alio modo offendens in uno est omnium reus, quia omnis uirtus patitur detrimentum ab uno uicio.

Nam si quis cadit in auariciam, largitatem destruit, et etiam castitatem minorauit.

Amore enim pecuniæ uel uiolaret castitatem, uel saltim minus amaret.

Si enim tanta propter Deum adhuc castitas inest, ut nolit eandem perdere, tamen saltim minori gaudio, minori affectione tuetur eam, ubi uidet inde procedere dampnum pecuniæ, sic que et in aliis, que, etiamsi non expellantur, tamen perceptione unius uicii uel satis uel parum minuuntur, uel intentione deteriorantur.

Unde omnis uirtus cuicumque crimini est deflenda, et de omnibus indulgentia est petenda.

§. 5. Animaduertere etiam oportet, et animaduertendo deflere animam proximi, quam fornicator Deo eripuit, uel ereptam in malo confirmauit; etiam quod exemplum extitit mali in operatione sui criminis; cui magis profuisset, si aliis causa fuisset conuersionis.

Gemat itaque aliorum uitam in sua corruptam, uel incorruptam conseruatam, et commodum proximi, quod dedisset exemplo boni.

Doleat de tristitia, quam bonis peccando intulit, et de leticia, quam eis non adhibuit.

Et non solum cogitet quid et qualiter fecerit, sed quam iniuste Deum, ut diximus, peccando offenderit.

Timeat illam sententiam ueritatis: 'Non potestis duobus dominis seruire'.

Timeat ergo, ne omnia bona, que fecit, dum in uno peccato perseuerauerit, excommunicatione mali perdiderit, ut qui seruiuit diabolo per crimen, Deo, quas obtulit, uirtutes amiserit.

Pium tamen est credere, ut recepta gratia Dei, que in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona, ut, cum destruxerit quod suum non inuenit, amet et diligat bonum, quod etiam in peccante plantauit.

§. 6. In omnibus dolens aut seculum derelinquat, aut saltim illa, que sine ammixtione mali non sunt amministrata, ut mercatura, et milicia, et alia, que utentibus sunt nociua, ut amministrationes secularium potestatum, nisi his utatur ex obedientiæ licentia.

Ponat se omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nichil sibi reseruans sui, ut omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda uita animæ, quecumque faceret pro euitanda corporis morte, et hoc cum desiderio, quia uitam recuperat infinitam, ut Deus.

Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus que faceret pro differenda morte moriturus.

Semper deprecetur Deum, certus de uenia, qui omnibus modis et sine tedio dubius rogaret potestatem terrenam.

Abstineat a multis licitis qui in libertate arbitrii conmisit illicita.

Semper offerat Deo mentem, et cordis contritionem, deinde et quod potest de possessione; tunc quod offerat securus offerat.

‘Respexit enim Dominus ad Abel, et ad munera eius’.

Sed prius dicit ad Abel, quam ad munera.

Sumens enim mentem, quam cognouit humilem et puram, remunerauit eius largitatis munera.

Ad Cayn uero non respexit, neque ad munera eius.

Mentem enim eius, quam uiderat, quoniam non cognouit, eius munera non recepit.

In iudicio itaque cordis consideranda est elemosina tribuentis, nec iam considerandum est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest.

Vidua enim duobus, que habuerat, minutis larga, plus omnibus posuit.

Qui igitur peccata sua redimere uult temporalium oblatione, caueat prius offerat mentem.

§. 7. Cautus sit, ne uerecundia ductus diuidat apud se confessionem, ut diuersa diuersis uelit sacerdotibus manifestare.

Quedam enim uni celant que alii manifestanda conseruant, quod est se laudare, et ad ypocrisim tendere, et semper uenia carere, ad quam per frustra totam putat peruenire.

§. 8. Paueat preterea quem uera delectat penitencia; non prius ad corpus Domini accedat, quam confortet bona conscientia.

Sed in hac separatione tremendum iudicium cogitet ubi maius et terribilius inpenitentes separabit in ignem.

Doleat, quod nondum audet sumere, quem multum desiderat, cibum salutarem.

Isti sunt digni fructus penitentiæ, animam captiuam elaqueantes et in libertate seruantes.

§. 9. Cohibeat se preterea a ludis, a spectaculis seculi, qui perfectam uult consequi gratiam remissionis.

Nam Dina, si se cohibuisset, si inter suos remansisset, ab extraneo raptore corrupta non esset.

Tanto itaque magis sibi anima caueat et cohibeat se, que sepe uel semel rapta est et corrupta; timeat iam docta experimento, quod ignorauit uirgo; eligat quem imitetur; non sequatur quem animus suus dampnat.

Se enim iudicat qui penitentiæ fructus non habentem a se non elongat.

Laudat enim et amat quos digne fructificare non ignorat; querat fructus dignos etsi non dignos penitentiæ.

Sunt enim digni fructus uirtutum fructus, qui non sufficiunt penitentibus.

Penitentia enim grauiore expostulat, ut sic pacetur ecclesia, ut, pacata dolore et gemitibus, mortuis uitam inpetret”.

**C. II.** Penitens negotiationis lucra abiciat.

Item Leo Papa. [epist. XC. al. XCII. ad Rusticum Episcopum, c. 9].

## **II. Pars.**

Qualitas lucri negotiantem aut accusat, aut arguit, quia et est honestus questus, et turpis. Verumtamen penitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis astringi, quia difficile est inter ementis uendentis que commercium non interuenire peccatum.

**C. III.** Post penitentiam ad miliciam secularem redire non licet.

Idem. [ibidem, c. 10].

Contrarium omnino est ecclesiasticis regulis, post penitentiæ actionem redire ad miliciam secularem, cum Apostolus dicat: “Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus”.

Unde non est liber a laqueis diaboli qui se miliciæ mundanæ uoluerit implicare.

**C. IV.** Decennio peniteant qui post penitentiam ad secularem miliciam redeunt.

Item ex Niceno Concilio. [c. 11].

Si qui uero per Dei gratiam uocati primo quidem ostenderunt fidem suam deposito miliciæ cingulo, post hec autem ad proprium uomitum reuersi sunt, ut et pecunias darent, et ambirent rursus ad miliciam, isti decem annis sint inter penitentes post primum triennium, quo fuerint inter audientes.

Ab omnibus uero illud precipue obseruetur, ut animus eorum et fructus penitentiæ attendatur.

Quicumque enim cum omni timore, et lacrimis perseuerantibus, et operibus bonis conuersionem suam non uerbis solis, sed opere et ueritate demonstrant, cum tempus statutum a his fuerit inpletum, et orationibus iam ceperint communicare, licebit episcopo etiam humanius circa eos aliquid cogitare.

Qui uero indifferentem habuerint lapsum, et sufficere sibi, quod ecclesiam introierint, arbitrantur, isti omnimodo tempora statuta complebunt.

**C. V.** A communione suspendantur qui post penitentiam ad secularia redeunt.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 13].

De his, qui suscepta penitentia religionem suæ professionis obliti ad secularia relabuntur, placuit eos et a communione suspendi, et ab omnium catholicorum conuiuuiis separari.

Quod si post interdictum cum eis quisque presumpserit manducare, et ipse communione priuetur.

**C. VI.** Que sit falsa penitentia.

Item Gregorius. [VII. in Sinodo Romana, celebrata anno 1078., c. 6].



**III. Pars.**

Falsas penitencias dicimus, que non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum inponuntur.

Ideo que miles, uel negotiator, uel alicui offitio deditus, quod sine peccato exerceri non possit si culpis grauioribus irretitus ad penitenciam uenerit, uel qui bona alterius iniuste detinet, uel qui odium in corde gerit, recognoscat, se ueram penitenciam non posse peragere, per quam ad eternam uitam ualeat peruenire, nisi negotium relinquat, uel offitium deserat, et odium ex corde dimittat, bona quidem que iniuste abstulit, restituat, arma deponat, ulterius que non ferat, nisi consilio religiosorum episcoporum pro defendenda iusticia.

Ne tamen desperet, interim quicquid boni facere poterit hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illustret ad penitenciam.

**C. VII.** Post conuersionem ad negotium redire non licet, quod sine peccato agi non potest.

Item Gregorius in omelia XXIV. [Euangel.].

Negotium, quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit.

Sunt enim pleraque negotia, que sine peccatis exhiberi aut uix, aut nullatenus possunt.

Que ergo ad peccatum implicant, ad hec necesse est ut post conuersionem animus non recurat.

**C. VIII.** De eodem.

**IV. Pars.**

Fratres nostros et presbiteros ammonemus, ne falsis penitenciis laicorum animas decipi et in infernum pertrahi patiantur.

Falsam autem penitenciam esse constat, cum spretis pluribus de uno solo penitencia agitur, aut cum sic de uno agitur, ut ab alio non discedatur.

Unde scriptum est: "Qui totam legem obseruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus;" scilicet quantum ad uitam eternam; sicut enim si peccatis omnibus esset inuolutus, ita si in uno tantum maneat, eternæ uitæ ianuam non intrabit.

Falsa est etiam penitencia, cum penitens ab offitio uel curiali uel negotiali non recedit, quod sine peccatis nullatenus agi preualet; aut si odium in corde gesserit, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra iusticiam gerat.

**DISTINCTIO VI.****GRATIANUS.****I. Pars.**

Cui autem debeat fieri confessio, uel qualem illum oporteat esse, qui aliorum crimina iudicat, ex eodem libro [de penitencia c. 10]. docetur, cum dicitur:

[[C. I].

“Qui uult confiteri peccata, ut inueniat gratiam, querat sacerdotem scientem ligare et soluere, ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet et petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit”.

Et infra:

“Tanta itaque uis confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo.

Sepe enim contingit, quod penitens non potest uerecundari coram sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert, et, si ille, cui confitebitur, potestatem soluendi non habet, fit tamen dignus uenia ex desiderio sacerdotis qui socio confitetur turpitudinem criminis.

Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ostendere ora sacerdotibus ante, quam ad eos peruenirent.

Unde patet, Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes peruenire.

Sepe quidem eos querunt sed sani et leti; dum querunt ante, quam perueniant moriuntur. Sed misericordia Dei est ubique, qui et iustis nouit parcere, etsi non tam cito, ut soluerentur a sacerdote.

Qui ergo omnino confitetur, sacerdoti meliori, quam potest, confiteatur; si peccatum occultum est, sufficiat referre in noticiam sacerdotis, ut grata sit oblatio muneris”.

Et infra:

[c. 12]. §. 1. “Laboret itaque penitens in ecclesia esse, et ad ecclesiæ, unitatem tendere; nisi enim unitas ecclesiæ succurrat, nisi quod deest peccatori sua operatione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui.

Credendum est enim, et fidei pietas exostulat credere, quod omnes elemosinæ totius ecclesiæ, et orationes, et opera iusticiæ, et misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conuersionem.

Ideo que nemo digne penitere potest, quem non sustineat unitas ecclesiæ, ideo que non petat sacerdotes per aliquam culpam ab ecclesiæ unitate diuisos.

Iudas enim qui penitens iuit ad Phariseos, relinquens Apostolos, nichil inuenit auxilii nisi augmentum desperationis.

Dixerunt enim: ‘Quid ad nos? tu uideris;’ si peccasti, tibi sit; non tibi succurrimus, non peccata tua karitatiue suscipimus, non conportanda promittimus, non qualiter deponas onus docemus.

Quid enim nobis et misericordiæ, qui nec opera sequimur iusticiæ?

Isset ad fratres, isset ad illos, qui orauerant pro socru Petri febricitante, qui Cananeam inprobam misericordiæ obtulerant.

Interrogasset Petrum pro se effudentem lacrimas; non fugisset Mariam et Martham, que uitam Lazaro inpetrauerant; non turbam plorantem, que unicum filium acquisierat uiduæ.

Iuit ad diuisos, et diuisus periit”.

Et infra:

[c. 20]. §. 2. “Sacerdos itaque, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, que in alio est iudicare promptus.

Iudicans enim alium, qui est iudicandus, condempnat se ipsum.

Cognoscat igitur se, et purget in se quod alios uidet sibi offerre.

Caueat, ut a se proiecerit quicquid in alio dampnosum repperit; animaduertat quod dicitur: ‘Qui sine peccato est primus in illam lapidem mittat’.

Ideo enim liberauit peccatricem, quia non erat qui iuste proiceret lapidem.

Quomodo lapidaret qui se lapidandum cognosceret? Nullus enim erat sine peccato: in quo intelligitur, omnes fuisse reos.

Nam uenialia semper remittebantur per ceremonias.

Si quod ergo in eis erat peccatum, criminale erat.

Deteriores itaque in hoc sacerdotes sunt, se prius non edificantes, illis, qui Dominum obseruabant insidiis.

In hoc itaque patentissimum est crimen sacerdotum et ultra modum detestabile, qui non prius se iudicant, et alios alligant.

Deberent enim timere crimen, quod timuerunt, et detestabile esse senserunt.

Hi qui adeo erant ceci, quod summam sapientiam sperabant capere suis insidiis.

Quod illis patuit, quod tunc quisque uitauit, uitet sacerdos, qui in hoc errore peior illis Iudeis extitit.

§. 3. Caueat spiritualis iudex, ut, sicut non commisit crimen nequiciæ, ita non careat munere scientiæ.

Oportet, ut sciat cognoscere quicquid debet iudicare.

Iudiciaria enim potestas hoc expostulat, ut quod debet iudicare discernat.

Diligens igitur inquisitor subtilis inuestigator sapienter et quasi astute interroget a peccatore quod forsitan ignoret, uel uerecundia uelit occultare.

Cognito itaque crimine uarietates eius non dubitet inuestigare, et locum, et tempus, et cetera, que supra diximus in exponenda eorum qualitate.

Quibus cognitis adsit beniuolus, paratus erigere, et se cum onus portare; habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in uarietate; adiuuet confitentem orando, elemosinas faciendo; et cetera bona pro eo faciendo; semper eum iuuat leniendo, consolando, spem promittendo, et, cum opus fuerit, etiam increpando.

Doceat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris qui uult particeps feri gaudii: doceat perseuerantiam; caueat, ne corruat, ne iuste perdat potestatem iudiciariam.

Etsi enim penitencia ei possit acquirere gratiam, non tamen mox restituit in primam potestatem.

Etsi enim Petrus post lapsum restitutus fuerit, et sepe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non tamen est necesse, ut omnibus concedatur quasi ex auctoritate.

Inuenitur auctoritas, que concedit et quasi inperat; inuenitur alia, que minime concedit, sed uetat; que scripturæ non repugnant, sed concordant, si tempus et locus, et modus penitentiæ pacem adhibeant.

Cum enim tot sunt qui labuntur, ut pristinam dignitatem ex auctoritate defendant, et quasi usum peccandi sibi faciant, recidenda est spes ista.

Si uero locus est, ubi ista non concurrant, restitui possunt qui peccant.

Itaque pontifex iustus atque discretus non cogitur suos sacerdotes semper abicere, nec mox restituere, nisi statutum fuerit a Romano Pontifice”.

## II. Pars.

[Gratian.] Caueat sacerdos, ne peccata penitentium aliis manifestet.

Quod si fecerit, deponatur.

Unde Gregorius:

[[C. II]. Deponatur sacerdos, qui peccata penitentis publicare presumit.

Sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata sua, recitet alicui quod ea confessus est non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo.

Nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus uitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.

### III. Pars.

Gratian. Quod autem dicitur, ut penitens eligat sacerdotem scientem ligare et soluere, uidetur esse contrarium ei, quod in canonibus inuenitur, ut nemo uidelicet alterius parrochianum iudicare presumat.

Sed aliud est fauore uel odio proprium sacerdotem contempnere, quod sacris canonibus prohibetur; aliud cecum uitare, quod hac auctoritate quisque facere monetur, ne, si cecus ceco ducatum prestat, ambo in foueam cadant.

Unde Urbanus II.:

**C. III.** Cuilibet sacerdoti commissum, nisi pro eius ignorantia, alter sacerdos ad penitentiam non suscipiat.

Placuit, ut deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad penitentiam suscipere sine eius consensu, cui se prius commisit, nisi pro ignorantia illius, cui penitens prius confessus est.

Qui uero contra hec statuta facere temptauerit gradus sui periculo subiacebit.

## DISTINCTIO VII.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Tempus uero penitentiæ est usque in ultimum articulum uitæ.

Unde Leo Papa: [ep. XC. ad XCII. ad Rusticum, c. 5].

[[C. I].

“Nemo desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnumquam quod diffidentia etatis differtur consilio maturiore perficitur”.

#### II. Pars.

[Gratian.] Quamquam de differentibus penitentiam Augustinus scribat: [in lib. L. Homil., hom. 41].

[[C. II].

“Si quis positus in ultima necessitate suæ egritudinis uoluerit accipere penitentiam, et accipit, et mox reconciliabitur et hinc uadit: fateor uobis, non illi negamus quod petit, sed non presumimus, quia bene hinc exit; si securus hinc exierit, ego nescio; penitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus.

Numquid dico: dampnabitur? Sed nec dico: liberabitur.

Vis ergo a dubio liberari? uis quod incertum est euadere?

age penitentiam, dum sanus es.

Si sic agis, dico tibi, quia securus es, quia penitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti.

Si autem uis agere penitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa”.

[[C. III].

Idem. [in eadem homilia, paulo superius].

“Qui egerit penitentiam ueraciter, et solutus fuerit a ligamento, quo erat obstrictus, et a Christi corpore separatus, et bene post penitentiam uiixerit, sicut ante penitentiam uiuere debuit, post reconciliationem quodcumque defunctus fuerit, ad Deum uadit, ad requiem uadit, regno Dei non priuabitur, a populo diaboli separabitur”.

[[C. IV].

“Si quis autem etc.”.

Et infra:

“Baptizatus ad horam securus hinc exit; fidelis bene uiuens securus hinc exit; agens penitentiam, et reconciliatus, cum sanus est et postea bene uiuens, hinc securus exit.

Agens penitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.

Unde sum securus, dico, et do securitatem; unde non sum securus, penitentiam dare possum, securitatem dare non possum”.

Et post pauca:

§. 1. “Sed unde scis, inquit, ne forte Deus dimittat michi?

uerum dicis: illud scio; hoc nescio.

Nam ideo do tibi penitentiam, quia nescio; nam si scirem nichil tibi prodesse, non tibi darem.

Item si scirem, tibi prodesse, non te ammonerem, non te terrerem.

Duæ sunt res: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur.

Quid horum tibi futurum sit, nescio.

Ergo tene certum, et dimitte incertum”.

[Gratian.] Hoc autem quare Augustinus dixerit, Ciprianus ostendit, [lib. IV. epist. 2. ad Antonianum] dicens:

[[C. V].

“Idcirco, frater karissime, penitentiam non agentes, nec in dolore delictorum suorum toto corde manifestam lamentationis suæ professionem testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communionis et pacis, si in infirmitate atque periculo ceperint deprecari, quia rogare illos non delicti penitencia, sed mortis urgentis ammonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitauit moriturum”.

[[C. VI].

Item Augustinus in libro de penitencia. [cap. 17. et 18].

“Nullus expectet, quando peccare non potest.

Arbitrii enim querit libertatem, ut delere possit commissa, non necessitatem.

Qui prius itaque a peccatis relinquitur, quam ipse relinquat, ea non libere, sed quasi necessitate condempnat.

Licet enim latro ueniam meruisset in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi et perseuerandi auctoritatem.

Tunc enim baptizatus est qui tunc primum in cruce Christum confessus est.

Penitentia enim, si in extremo hiatu uitæ aduenerit, sanat et liberat in ablutione baptismi ita, quod nec purgatorium sentiunt qui in fine baptizantur; sed ipsi ditati bonis sanctæ matris ecclesiæ recepturi sunt multiplex bonum in uera beatitudine.

Illi autem, qui, cum potuerunt, numquam conuerti uoluerunt, confitentes, cum iam peccare nequeunt, nec sic facile acquirunt, quod uolunt.

Oportet enim, ut penitentia fructificet, ut uitam mortuo inpetret.

Scriptum est, sine karitate saluum neminem esse.

Non itaque in solo timore uiuit homo.

Quem ergo sero penitet, oportet non solum timere Deum iudicem, sed iustum diligere; non tantum penam timeat sed anxietur pro gloria.

Debet enim dolere de crimine, et de omni eius predicta uarietate.

Quod quoniam uix licet, de eius salute Augustinus potuit dubitare.

§. 1. Credo quidem illi, qui dixit: 'Quacumque hora peccator ingemuerit, et conuersus fuerit, uita uiuet'.

Dixit conuersum, non tantum uersum uiuere.

Versum quidem puto qui dolet de crimine; conuersum, qui dolet de omni eius, quam exposuimus, uarietate.

Vertitur a peccato qui iam uult dimittere peccatum; conuertitur id est totus et omnino uertitur, qui iam non penas tantum non timet, sed ad bonum Deum festinat tendere.

Que conuersio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de eius remissione. Sed quoniam uix uel raro est tam iusta conuersio, timendum est de penitente sero.

Quem enim morbus urget et pena terret, uix ad ueram ueniet satisfactionem, maxime cum filii, quos illicite dilexit, sint presentes, uxor et mundus ad se uocet.

Multos solet serotina penitentia decipere.

Sed quoniam Deus semper potens est, semper, etiam in morte iuuare ualet quibus placet. Cum itaque opus sit non hominis, sed Dei fructifera penitentia, inspirare eam potest, quandocumque uult, sua misericordia, et remunerare ex misericordia quos dampnare potest ex iusticia.

Sed quoniam multa sunt, que inpediunt et languentem retrahunt, periculosissimum est, et interitui uicinum, ad mortem protrahere penitentiæ remedium.

Sed magnum est, cui Deus tunc inspirat ueram penitentiam qui exspectat, Dei clementiam, maiorem sentiens Dei bonitatem sua nequicia.

§. 2. Sed si etiam sic conuersus fuerit, uita uiuat et non moriatur non promittimus, quod euadat omnem penam.

Nam prius purgandus est igne purgationis qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis.

Hic autem ignis, etsi eternus non sit, miro modo est grauis.

Exellit enim omnem penam, quam umquam passus est aliquis in hac uita.

Numquam in carne tanta inuenta est pena, licet mirabilia martires passi sint tormenta, et multi nequiter quanta sepe sustinuerunt supplicia.

Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat penam tollerare.

§. 3. Quedam enim peccata sunt, que mortalia, in penitentia sunt uitalia, non tamen statim sanata: Sepe enim est qui moreretur, nisi medicaretur.

Non statim sanatur; languet uicturus qui prius erat moriturus.

Qui autem inpenitens moritur omnino moritur, et eternaliter cruciatur.

Qui enim inpenitens finitur, si semper uiueret, semper peccaret.

At Dei est miserentis, quod operatur finem peccanti; ob hoc etiam sine fine torquetur, quia numquam uirtute ditatur; semper plenus iniquitate, semper sine karitate, torquetur sine fine”.

#### QUESTIO IV.

#### GRATIANUS.

##### I. Pars.

Quod autem orationis tempore coniugali operi alicui uacare non liceat, B. Ieronimus, scribit in quodam sermone ita dicens:

**C. I.** Tempore, quo uxori debitum redditur, a carnibus agni abstinere oportet. Sciatis, fratres karissimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit uacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere.

Item:

§. 1. Si panes propositionis ab his, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis ille, qui de celo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulo ante complexibus hesere, uiolari atque contingi? non quod nuptias condempnemus, sed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, uacare a carnalibus operibus debeamus.

**C. II.** A coniugali concubitu in sanctorum solempnitatibus est abstinendum. Item Augustinus. [serm. II. de tempore, id est, de 2. dominica Aduentus] Quocienscumque aut dies natalis Domini, aut reliquæ festiuitates aduenerint, non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinere debemus.

**C. III.** Diebus ieiuniorum a propriis etiam uxoribus abstinere oportet. Item Ambrosius in sermone de aduentu Domini. Fratres, non solum debetis ab omni inmundicia abstinere, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissime contineatis. Nullus omnino uxori suæ iungatur.

**C. IV.** Idem super epistolam I. ad Chorinthios. [in c. 7]. Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum uidetur ad ipsum usum, quia et dies festi, et dies processionis, et ipsa ratio conceptus et partus iuxta legem cessare usum carnis debere his temporibus demonstrant.

**C. V.** Uxoris usus certis diebus cessare iubetur. Item Augustinus libro questionum Veteris et Noui Testamenti. [quest. CXXVII]. Christiano cum uxore sua conuenire aliquando licet, aliquando non licet. Propter processionis enim dies et ieiuniorum aliquando non licet conuenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius inpetrari possit quod postulatur. Unde Apostolus ex consensu, ait, abstinendum est ad tempus, ut uacatis orationi. Nam etiam secundum legem in ieiunio cedere et iurgari non licet, post uero licet.

C. VI. Non uere agit penitenciam qui continentiam non seruat.

Item Iohannes Crisostomus.

Qui in castigatione uictus se dicit agere penitenciam, frustra hoc sermone promittit, nisi egrediatur de cubili suo, et ieiunio continentiam addat.

C. VII. Ab ingressu ecclesiæ temperare debet uir cum propria uxore dormiens.

Item Gregorius. [in responsione X. ad interrogationes Augustini]

## II. Pars.

Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua, ecclesiam intrare non debet: §. 1. Quamuis de hac re diuersæ hominum nationes diuersa sentiant atque alia custodire uideantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post ammixtionem propriæ coniugis et lauacri purificationem querere, et ab ingressu ecclesiæ paululum temperare.

Nec hoc dicentes culpam deputamus esse coniugium; sed quia ipsa licita ammixtio coniugis sine uoluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu est abstinendum, quia uoluptas ipsa sine culpa esse nullatenus potest.

Non enim de adulterio uel fornicatione, sed de legitimo matrimonio susceptus erat qui dicebat: “Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum”.

§. 2. Oportet itaque legitimam carnis copulam ut causa prolis sit, non uoluptatis, et carnis conmixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio uiciorum.

Si quis uero sua coniuge non cupidine uoluptatis raptus, sed solummodo creandorum liberorum gratia utitur, iste profecto siue de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo dominici corporis sanguinis que misterio, suo est iudicio relinquendus, quia a nobis prohiberi non debet accipere qui in igne positus nescit ardere.

Cum uero non amor procreandæ sobolis, sed uoluptas dominatur in opere conmixtionis, habent coniuges etiam de conmixtione sua quod defleant.

§. 3. Tunc autem uir, qui post ammixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam sacram communionem ualet accipere, cum ei secundum prefinitam sentenciam ecclesiam licuerit intrare.

## III. Pars.

Gratian. Hinc etiam in diebus abstinentiæ nuptiæ celebrari prohibentur.

Unde in Laodicensi Concilio: [c. 52].

C. VIII. In diebus Quadragesimæ nuptiæ celebrare non licet.

Non oportet in Quadragesima aut nuptias uel quelibet natalicia celebrari:

C. IX. De eodem.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 48].

Non licet in Quadragesima natales martirum celebrare, sed tantum in sabbato et dominica pro commemoratione eorum oblationes offerre.

Sed nec natalicia, nec nuptias liceat in Quadragesima celebrari.

C. X. De eodem.

Item ex Concilio Ylerdensi.



Non oportet a Septuagesima usque in octauam Pascae, et tribus ebdomadibus ante festiuitatem sancti Iohannis et ab Aduentu domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare.

Quod si factum fuerit, separentur.

**C. XI.** De eodem.

Item Nycolaus ad consulta Bulgarorum. [c. 48].

Nec uxorem ducere, nec conuiuia facere in quadragesimali tempore conuenire posse, nullo modo arbitror.

#### **IV. Pars.**

Gratian. Hec autem seruanda sunt, si uxor consensum adhibere uoluerit; ceterum sine eius consensu nec causa orationis continentia seruari debet.

Unde Augustinus in libro [I]. de adulterinis coniugiis: [c. 2].

**C. XII.** Nisi ex consensu communi orationi coniuges uacare non possunt.

Apostolus nec ad tempus, ut uacent orationi, nisi ex consensu uoluit coniuges inuicem carnali fraudari debito.

Hinc etiam in II. Concilio Arelatensi [c. 22]. legitur:

**C. XIII.** Nisi ex consensu coniugatis penitencia non detur.

Penitenciam coniugatis non nisi ex consensu dandam esse precipimus.

#### **QUESTIO V.**

##### **GRATIANUS.**

##### **I. Pars.**

Quod autem sine consensu uxoris uir continentiam uouere non possit, multis auctoritatibus probatur.

Ait enim Augustinus super Psalmum CXLVI.:

**C. I.** Non potest uir continentiam seruare, nisi uxoris teneat assensum.

Si dicat uir: continere iam uolo; nolo iam uxorem; non potest.

Quod enim tu uis illa non uult.

Numquid per tuam continentiam debet illa fieri fornicaria?

si alii nupserit te uiuo, adultera erit.

Non uult tali lucro Deus tale dampnum compensari.

Redde debitum, et, si non exigis, redde.

Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod uxori debetur.

**C. II.** Non debet extorqueri mulieris consensus ad continentiam Deo uouendam.

Item Alexander II. Landulpho in Corsica.

Notificasti, te morte tenus infirmatum, et peccatorum tuorum recordatione et terrore ualde pauefactum anxie quesisse monachum fieri, et a tua uxore minis et terroribus eam

occidendi ad hoc licentiam extorsisse, et sic te monachicam uestem sine abbate sumpsisse, et monasterium petisse; postea uero, cum sanus factus esses, tuæ uxoris reclamationibus, eiulatibus et planctibus, tuæ que familiæ dispersionibus, utpote penitens deuictus, domum remeasse, et post multos dies quorundam sapientum consilio ad iam dictæ mulieris cubile rediisse.

Nunc autem, si tua uxore uti liceat, nostrum requiris consilium.

Si ita denique est, ut tuus nuncius narrat, non uidetur nobis rationabiliter iuste factum, quoniam, cum omni homini ad monachicam uitam tendenti legaliter, sancte et iuste sit peragendum, tu contra leges minaciter et uiolenter a tua uxore partim terrore mortis, partim tuæ infirmitatis doloribus exanimatus, deuia secutus, nulla, ut dicitur, licentia accepta recessisti, et monasterium petisti.

Non enim uiolentia, sed ex pari uoluntate et consensu (sicut sancti Patres dicunt) hoc fieri debet, neque uir monasterium eligere, aut professa continentia habitum cum festinatione debet mutare.

**C. III.** Vir potest abnuere uota continentiae, que sine eius consensu Deo uxor obtulerit.

Item ex Concilio apud Compendium.

Mulier, si sine licentia mariti sui uelum in caput miserit, si uiro placuerit, recipiat eam iterum ad coniugium.

**C. IV.** Non potest uir continentiae uota rescindere, que eius assensu mulier Deo promisit.

Item Augustinus ad Editiam. [ep. CXCIX].

Quod Deo pari consensu uoueratis perseueranter usque in finem reddere debuistis.

A quo proposito si ille lapsus est, tu saltim instantissime perseuera.

Quod non te exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse sensit.

Nam si numquam tenuisses eius assensum, numerus te nullus defendisset annorum.

Et post pauca:

§. 1. Non quia pariter temperabatis a conmixtione carnali, ideo tuus maritus esse destiterat, immo uero tanto sanctius inter uos coniuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita seruabatis.

Nichil ergo de tua ueste, nichil de auro uel argento, uel quacumque pecunia, uel rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio eius facere debuisti.

Et infra:

§. 2. Est quidam pro modulo personæ habitus matronalis a uiduali ueste distinctus, qui potest fidelibus coniugatis salua religionis causa uel obseruantia conuenire.

Hunc te maritus si deponere noluit, ne te uelut uiduam illo uiuente iactares, puta, quia non fuerat in hac re usque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiae malo, quam ullius abstinentiae bono.

Quid enim est absurdius, quam mulierem de humili ueste superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam in nigellis uestibus repugnare?

quia, etsi te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito obseruato exorato que sumi, quam illo inconsulto contempto que presumi.

Quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret?

Absit, ut hinc displiceret Deo, quod coniuge tuo nondum defuncto non indueris sicut Anna, sed sicut Susanna.

**C. V.** Continentiae meritum habet qui incontinentia uxoris debitum sibi reddere cogitur.

Idem.

Secundum uerba apostolica, etiam si uir continere uoluisset, et tu noluiesses, debitum tibi reddere cogeretur, et illi Deus inputaret continentiam, si non suæ, sed tuæ cederet infirmitati, ne in adulterium caderes.

§. 1. Quisquis igitur conpatiens infirmitati uxoris reddit, non exigit debitum, aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius, quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens, quia duxit, quisquis uendit quod nouit, quia, etsi maneret, beatum non faceret; quisquis emit quod nouit, quia transiet, et de his non presumit, et fecit ex eo, misericordiam cum non habentibus, securus expectat diem nouissimum.

**C. VI.** Vota continentiae sine uxoris consensu reddi non possunt.

Idem ad Armentarium, et Paulinam. [epist. XLV].

Una sola causa esse potest, qua te ad id, quod uouisti, non solum non hortaremur, uerum etiam prohiberemus implere, si forte tua coniunx hoc te cum suscipere animi seu carnis infirmitate recusaret.

Nam et uouenda talia non sunt a coniugatis, nisi ex consensu et uoluntate communi, et, si prepropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persoluenda promissio.

Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid uouerit, sed potius usurpare uetat alienum.

**C. VII.** Absque ceteris operibus nec sola uirginitas saluat, nec cetera absque uirginitate proficiunt.

Item Ieronimus. [lib. I. aduersus Iouinianum].

## **II. Pars.**

Tunc saluabitur mulier, si illos genuerit filios, qui uirgines permansuri sunt; si quod ipsa perdidit acquirat in liberis, et dampnum radicis et cariem flore compenset et pomis.

[[C. VIII].

Idem.

Hoc solum nunc dico, quod quomodo absque ceteris operibus uirginitas sola non saluat, sic omnia opera absque uirginitate, puritate, continentia, castitate imperfecta sunt.

[[C. IX].

Idem.

“Qui sitit ueniat et bibat; qui potest capere capiat”.

Non dicit: uelitis nolitis, bibendum est uobis atque currendum; sed: qui uoluerit, qui potuerit currere atque potare, ille uincit, ille satiabitur.

Et ideo plus amat uirgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat inperatum, maioris que gratiae est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigeris.

Apostoli uxoris onere contemplato: “Si talis est,” inquit, “causa hominis cum uxore, non expedit nubere”.

Quorum Dominus sententiam probans: recte ait, quidem sentitis, quod non expedit homini ad regna celorum tendenti accipere uxorem; sed difficilis res est, et non omnes capiunt uerbum istud, uerum quibus datum est.

Alios hominum natura facit eunuchos, alios uis hominum; michi illi eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed uoluntas; libenter illos in meo sinu recipio, qui se castrauerunt propter regnum celorum, et ob meum cultum noluerunt esse quod nati sunt.

Simul que tractanda est sententia: “Qui se,” inquit, “castrauerunt propter regnum celorum”.

Si castrati mercedem habent regnum celorum, ergo qui se non castrauerunt locum non possunt accipere castratorum.

Gratian. Finis huius auctoritatis et duæ precedentes de uirginitatis affectu intelliguntur, qui non in uoluntate solum, sed in necessitate est; principium uero de effectu intelligitur, qui non in necessitate ante uotum, sed in uoluntate est, nec exigitur, nisi repromittatur.

**C. X.** Non licet illi uxorem ducere, qui suam uelare permiserit.  
Item ex Concilio Remensi.

### **III. Pars.**

Qui uxorem suam uelare permiserit aliam non accipiat, sed similiter conuertatur.

**C. XI.** Vota abstinentiæ, que mulier permittente uiro promiserit. illo prohibente seruare non cogitur.  
Item Augustinus in Questionibus Numeri. [qu. LIX].

### **IV. Pars.**

Manifestum est, ita uoluisse legem feminam sub uiro esse, ut nulla eius uota, que abstinentiæ causa uouerit, reddantur ab ea, nisi auctor uir fuerit permittendo.

Nam cum ad peccatum eiusdem uiri pertinere uoluerit, si prius permiserit, et postea prohibuerit etiam hoc tamen non dixit, ut faciat mulier quod uouerit, quia permissa iam prius a uiro fuerat.

Viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat; non tamen mulieri ex hoc iussum dedit, ut cum prius uir ei concesserat, postea si prohibuerit, contempnatur.

Gratian. Ex premissis apparet, quod continentiæ uota nec mulier sine uiri consensu, nec uir sine mulieris consensu Deo reddere potest.

Si autem consensu alterius eorum ab altero promissa fuerit, et si postmodum in irritum deducere uoluerit qui permisit, non tamen ualet, quia in debito coniugii eque mulier habet potestatem uiri, sicut et uir mulieris; atque ideo, si quilibet eorum alterum a suo iure absoluerit, ad preteritam seruitutem ipsum reuocare non poterit.

Quia uero in ceteris uir est caput mulieris, et mulier corpus uiri, ita uota abstinentiæ uiro permittente mulier potest promittere, ut tamen eodem prohibente repromissa non ualeat implere, et hoc, ut diximus, propter condicionem seruitutis, qua uiro in omnibus debet subesse.

Unde Augustinus ait in libro questionum Genesis: [qu. CLIII].

**C. XII.** Mulieres uiris suis debent subesse.

Est ordo naturalis in hominibus, ut feminae seruiant uiris, et filii parentibus, quia in illis hec iusticia est, ut maiori seruiat minor.

**C. XIII.** Vir est caput mulieris.

Idem in Questionibus Veteris et Noui Testamenti. [ex utroque mixtim, c. 106].

Hec imago Dei est in homine, ut unus factus sit ex quo ceteri oriantur, habens imperium Dei, quasi uicarius eius, quia unius Dei habet imaginem, ideo que mulier non est facta ad Dei imaginem.

Sic etenim dicit: “Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit illum”.

Hinc etiam Apostolus: “Vir quidem,” ait, “non debet uelare caput, quia imago et gloria Dei est; mulier ideo uelat, quia non est gloria aut imago Dei”.

[[C. XIV]. Item in eodem.

Satis hinc apparet, quemadmodum uiris feminas subditas, et pene famulas lex esse uoluerit uxores, dum constituit ut diceret aduersus uxorem uir testimonium, unde lapidaretur illa, si hoc uerum esse demonstraretur, ipse tamen non uicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit; sed tantummodo castigatur, et dampnificatur, ei que perpetuo iubetur adherere, qua carere uoluerat.

In aliis autem causis eum, qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quod si probaretur, iussit occidi, eadem plecti iubet pena, qua fuerat, si uerum esset, ipse plectendus.

C. XV. De eodem.

Item Ieronimus super epistolam ad Titum. [in c. 2].

Cum caput mulieris uir sit, caput autem uiri Christus, quecumque uxor non subicitur uiro, hoc est capiti suo, eiusdem criminis rea est, cuius et uir, si non subiciatur capiti suo.

Verbum autem Domini blasphematur, uel cum contempnitur Dei prima sententia, et pro nichilo ducitur, uel cum Christi infamatur euangelium, dum contra legem fidem que naturæ ea, que Christiana est, et ex lege Dei subiecta, uiro inperare desiderat, cum gentiles etiam feminæ uiris suis seruiant communi lege naturæ.

C. XVI. Arbitrium uiri mulierem sequi oportet omnibus.

Item Augustinus in Questionibus Numeri. [qu. LIX].

Noluit itaque lex aliquid uouere Deo aduersus animam suam, ut non in aliquarum rerum licitarum atque concessarum abstinentia in eisdem uotis feminæ ualeat auctoritas, sed uiriliter.

Ita, ut si adhuc innuptæ concesserat pater uota persoluere, si ante, quam persoluerit, nupserit, et uiro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat, et hoc omnino sine peccato quia Deus mundauit eam, sicut dicit, id est mundam iudicauit.

Neque hoc contra Dominum fieri putandum est, cum ipse Deus hoc preceperit, hoc uoluerit.

C. XVII. Nulla est mulieris potestas, sed in omnibus uiri dominio subsit.

Item Ambrosius in libro questionum Veteris Testamenti. [qu. XLV].

Mulierem constat subiectam dominio uiri esse, et nullam auctoritatem habere; nec docere potest, nec testis esse, neque fidem dare, nec iudicare.

[[C. XVIII]. Idem in Exameron in tractatu diei quartæ:

Adam per Euam deceptus est, non Eua per Adam.

Quem uocauit ad culpam mulier, iustum est, ut eam in gubernationem assumat, ne iterum femina facilitate labatur.

[[C. XIX].

Idem super primam epistolam ad Corinthios. [in c. 2].

Mulier debet uelare caput, quia non est imago Dei.

Sed ut ostendatur subiecta, et quia preuaricatio per illam inchoata est, hoc signum debet habere, in ecclesia propter reuerentiam episcopalem non habeat caput liberum, sed uelamine tectum, non habeat potestatem loquendi quia episcopus personam habet Christi.

Quasi ergo ante iudicem Christum, ita ante episcopum sit, quia uicarius Domini est, propter peccatum originale debet subiecta uideri.

[[C. XX].

Idem in libro de Paradyso. [c. 10].

### V. Pars.

Nec illud otiosum est, quod non de eadem terra, de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier, ut sciremus, unam in uiro et muliere corporis esse naturam, unum fontem generis humani.

Ideo non duo a principio facti uir et mulier, neque duo uiri, neque duæ mulieres; sed primum uir, deinde mulier ex eo.

Unam enim naturam hominum uolens constituere Deus, ab uno principio creaturæ hoc incipiens, multarum et disparium naturarum eripuit facultatem.

Gratian. Euidetissime itaque apparet, ita uirum esse caput mulieris, ut nulla uota abstinentiæ uel religiosæ conuersationis liceat sibi sine eius licentia Deo offerre; etiamsi uiro permittente repromissa fuerint, non licet ei uotum opere complere, cum uir uoluerit reuocare permissum.

Vota uero continentiae ita alterius permissu ab altero ualent offerri, quod post permissionem non ualent in irritum deduci.

### CAUSA XXXIV.

#### GRATIANUS.

Quidam uir in captiuitatem ductus est; postea uxor eius, audiens illum mortuum, nupsit alii; demum ille, de captiuitate rediens, repetit uxorem suam; illa, posterioris amore capta, aspernatur thorum prioris.

(Qu. I).

Nunc primum queritur, an sit rea adulterii, que uiuente uiro suo alteri nupsit?

(Qu. II).

Secundo, an redeunte primo sit cogenda recedere a secundo, et redire ad primum?

#### QUESTIO I. et II.

#### GRATIANUS.

##### I. Pars.

Utraque questio terminatur auctoritate Leonis Papæ, qui scribens Nicetæ Aquilegensi Episcopo [epist. LXXVII. c. 1. et sequentibus] ait:

**C. I.** Que alii nupserit, putans uirum suum mortuum esse, illo redeunte ad priorem redire cogatur.

Cum per bellicam cladem, et per grauissimos hostilitatis incursus ita quedam dicatis diuisa esse coniugia, ut, abductis in captiuitatem uiris, feminæ eorum remanserint destitutæ, que uiros proprios interemptos putarent, aut ab iniqua dominatione numquam crederent liberandos, et in aliorum coniugium sollicitudine cogente transierunt; cum que, statu rerum auxiliante Domino in meliora conuerso, nonnulli eorum, qui putabantur perisse, remearunt: merito karitas tua uidetur ambigere, quid de mulieribus, que aliis sunt iunctæ uiris, a nobis debeat ordinari.

Sed quia nouimus scriptum, quod a Domino iungitur mulier uiro, et iterum agnouimus preceptum, ut quod Dominus iunxit homo non separet, necesse est, ut legitimarum federa nuptiarum redintegranda credamus, et remotis his, que hostilitas intulit, unicuique, quod legitime intulit, reformetur, omni que studio procurandum est, ut recipiat unusquisque quod proprium est.

§. 1. Nec tam culpabilis iudicetur et tamquam alieni iuris peruasor habeatur, qui personam eius mariti, qui iam non esse estimabatur, assumpsit.

Sic enim multa, que ad eos, qui in captiuitatem ducti sunt, pertinebant, in ius alienum transire potuerunt, et tamen plenæ iusticiæ est, ut eisdem reuersis propria reformentur.

Quod si in mancipiis, uel in agris, aut etiam in domibus, ac possessionibus recte seruatur, quanto magis in coniugatorum redintegratione faciendum est?

ut quod clade bellica turbatum est pacis remedio reformetur.

Et ideo, si uiri post longam captiuitatem reuersi ita in dilectione suarum coniugum perseuerant, ut eas cupiant redire in suum consortium, omittendum est, et inculpabile iudicandum est quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit.

Et infra:

[c. 4]. §. 2. Sin autem aliquæ mulieres ita posteriorum uirorum amore sunt captæ, ut maluerint his coherere, quam ad legitimum transire consortium, merito sunt notandæ, ita ut ecclesiastica communione priuentur, que de re excusabili contaminationem criminis elegerunt, ostendentes, sibimet pro sua incontinentia placuisse quod iusta remissio poterat expiare.

Redeant ergo in suum statum uoluntaria redintegratione coniugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ uoluntatis trahatur quod condicio necessitatis extorsit, quia, sicut hæ mulieres, que reuerti ad uiros suos noluerint, inpiæ sunt habendæ: ita illæ que in affectum ex Deo initum redeunt, merito sunt laudandæ.

**C. II.** Viro uel uxore de captiuitate redeuntibus priora redintegrentur coniugia.

Item Innocentius Papa Probo. [in ep. IX].

Cum in captiuitate Ursa mulier teneretur, aliud coniugium cum Restituta Fontanum conmisisset cognouimus.

Sed fauore Domini reuersa Ursa nos adiit, et nullo diffitente uxorem se esse memorati perdocuit.

Qua de re, fili karissime merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, coniugium illud esse, quod erat gratia diuina primitus fundatum, conuentum que secundæ mulieris, priore superstita nec diuortio eiecta, nullo pacto esse legitimum.

**C. III.** Que primo uiro relicto secundo adhererit, nisi secundum relinquens, primo reconciliari non potest.

Item Ieronimus ad Amandum Presbiterum.

Non satis animaduertere potui, quid sit quod dicere uoluit: “alio uiro per uim accepto”.

Congregata uidelicet multitudine nolentem rapuit.

Et uirum postea non raptorem rapta dimisit? legat libros Moysi, et inueniet desponsatam uiro, si in ciuitate fuerit oppressa, et non clamauerit, puniri quasi adulteram; ui autem in agro oppressam, innoxiam esse, et uiolentum legibus subiacere.

Ergo et ista soror, que, ut dicit, uim passa est, ut adultero iungeretur, si uult corpus Christi accipere, et non adultera reputari, agat penitentiam; ita dumtaxat, ut secundo uiro, qui non appellatur uir, sed adulter, a tempore penitentiæ non copuletur.

Quod si ei durum uidetur, et semel dilectum non potest derelinquere, neque preferre Dominum uoluptati, audiat Apostolum clamantem: “Non potestis calicem Domini bibere, et calicem demoniorum.

Non potestis mensæ Domini communicare, et mensæ demoniorum;” et in alio loco: “Que conuentio luci ad tenebras?

quis consensus Christi ad Belial?” Rem nouam loquor, immo non nouam, sed ueterem, que ueteris testamenti auctoritate firmatur.

Si reliquerit secundum uirum, et reconciliari priori uoluerit, non potest.

Scriptum est enim in Deuteronomio: “Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non inuenierit gratiam in conspectu eius propter aliquam feditatem, scribat libellum repudii, et dabit ei, et dimittet eam de domo sua.

Cum que egressa adultera maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederit que ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, aut certe mortuus fuerit, non poterit eam prior maritus recipere uxorem, quoniam polluta est, et abhominabilis facta est coram Domino, ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus tradidit tibi possidendam”.

### III. Pars.

Gratian. Si autem ineuitabili necessitate cogente uir in aliam prouinciam fugerit, et uxor eius eum sequi noluerit, illo uiuente innupta permaneat.

Unde in Concilio apud Vermeriam:

**C. IV.** Que uirum in captiuitate ductum sequi noluerit, maneat innupta, quamdiu uir eius uixerit.

Si quis necessitate cogente ineuitabili in alium ducatum seu prouinciam fugerit, et eius uxor, cum ualet et potest, amore parentum aut rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quamdiu uir eius, quem insecuta non fuit, uiuit, semper innupta permaneat.

### IV. Pars.

Gratian. Quod autem de coniugatis auctoritate Leonis Papæ dicitur, hoc etiam de uirginibus intelligendum est, ut, si preter conscientiam uiro nupserint alieno, non teneantur.

Unde Augustinus in libro de fide et operibus: [c. 7].

**C. V.** Non est adultera uirgo, que nesciens uiro nubit alieno.

Si uirgo nesciens uiro nupserit alieno, hoc si semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera.



Si autem sciat, iam ex hoc esse incipit, ex quo cum alieno sciens cubauerit, sicut in iure prediorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; cum uero scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc iuste iniustus uocabitur.

## V. Pars.

Gratian. Sic etiam ignorantia excusat eum, qui nesciens dormiuit cum sorore uxoris. Unde in Concilio Triburiensi legitur:

**C. VI.** Non cogatur legitimam deserere uxorem qui nesciens dormiuit cum eius sorore. In lectum mariti absente uxore soror iuit uxoris, quam ille uxorem suam putans esse, dormiuit cum ea.

Super hoc uisum est, si ipse per securitatem ueram hoc probauerit, quod inscius fecerit hoc scelus, penitentiam quidem, que sibi iudicata fuerit, agat; legitimum uero coniugium suum habere permittatur.

Illa uero digna uindicta affligatur, et in eternum coniugio priuetur.

### [PALEA. C. VII.

Item Hermes in libro Pastoris mandato IV.

Ego dixi pastori: Domine, si quis habuerit uxorem fidelem in Domino, et inuenerit hanc in adulterio, numquid peccat uir, si cum illa concumbit?

Et dixit michi: Quamdiu nescit peccatum eius, sine crimine est uir uiuens cum illa.

Si autem scit uir, uxorem suam deliquisse, et non egerit penitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, et coierit uir cum illa, reus erit peccati eius, et particeps mechationis illius.

Et dixi illi: Quid ergo, si permanserit in uicio suo mulier?

et dixit: Dimittat illam uir, et uir per se maneat.

Quod si dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse mechatur.

Et dixi illi: Quid, si mulier dimissa penitentiam egerit, et uoluerit ad uirum suum reuerti, nonne recipietur a uiro suo?

Et dixit michi: Immo, si non receperit eam uir suus, peccat, et magnum peccatum sibi admittit, sed debet recipere peccatricem, que penitentiam egit.

Ergo non debet dimissa coniuge sua uir aliam ducere.

Hic actus similis est in uiro et muliere].

## VI. Pars.

Gratian. De simpliciter uero fornicantibus, uel cum duabus sororibus, uel cum matre et filia, uel cum patre et filio, idem accipiendum est, ut ignorantibus coniugia non negentur, scientibus perpetuo prohibeantur.

Unde in eodem Concilio legitur:

**C. VIII.** Matrimonia legitima non prohibeantur contrahere quorum incestum ignorantia excusat.

Si quis cum duabus sororibus fornicatus fuerit, et soror sororem ab eodem antea stupratam nescierit, uel se sororem eius quam antea stuprauerat, non intellexit si digne penituerit, et se continere non ualuerit, post annos septem coniugia illis non negentur.

Si autem non ignorauerint, usque ad mortem a coniugio abstineant.

[[C. IX].

Item ex eodem.

Si quis cum matre et filia fornicatus est, ignorante matre de filia, et filia de matre, ille numquam accipiat uxorem; illæ uero, si uoluerint, accipiant maritos.

Si autem hoc scierint ipsæ feminæ, absque maritis perpetuo maneant.

[[C. X]. Item ex eodem.

Quidam fornicatus est cum quadam muliere; et postea filius nesciens patris factum, stuprauit eandem.

Quod cum pater resciret, de se filio que confessus est.

Statuerunt, melius esse, ut taliter lapsis cum digna penitencia legitima permittantur coniugia, quam forte deterius delinquant.

Fornicaria autem sine spe coniugii maneat.

## CAUSA XXXV.

### GRATIANUS.

Quidam mortua uxore sua aliam sibi matrimonio copulauit, que uxori defunctæ quarto gradu consanguinitatis, uiro autem sexta linea adherebat.

Post triennium uero, susceptis ex ea liberis, accusatur apud ecclesiam; iste pretendit ignorantiam.

(Qu. I).

Hic primum queritur, si liceat aliquam ex propria cognatione duci in uxorem?

(Qu. II).

Secundo, si ex consanguinitate uxoris aliqua possit in coniugem duci?

(Qu. III).

Tertio, usque ad quem gradum quisque debeat abstinere siue a propriis, siue ab uxoris suæ consanguineis?

(Qu. IV).

Quarto, quare usque ad septimum gradum consanguinitas computatur, ita quod nec ultra protenditur, nec infra subsistit?

(Qu. V).

Quinto, quomodo gradus consanguinitatis computandi sunt? (Qu. VI).

Sexto, qui iureiurando propinquitatem firmare debeant? (Qu. VII).

Septimo, an illi, qui de incestuosis nati sunt, filii reputentur?

(Qu. VIII).

Octauo, si ignoranter aliqua de consanguinitate uel affinitate in uxorem ducta est, an ex dispensatione uiro suo possit adherere?

(Qu. IX).

Nono, si contigerit ecclesiam decipi, et causa consanguinitatis aliquam a uiro suo separare, que post quadriennium nuptiis hinc inde celebratis deprehenditur non fuisse consanguinea prioris, an secunda coniugia sint rescindenda, et priora sint redintegrandam?

(Qu. X).

Decimo, si relicta alicuius de propria cognatione ad secundas nuptias transierit, an proles ex eis suscepta possit pertingere ad consortium alicuius de cognatione prioris uiri?

## QUESTIO I.

### GRATIANUS.

Quod consanguineas nostras siue uxoris nostræ in coniugium nobis ducere liceat, exemplis et auctoritatibus probatur.

Abraham namque Sarai filiam fratris sui, sororem uidelicet Loth, in uxorem duxit.

Ysaac Rebecam in coniugem accepit, que erat filia consobrini matris suæ.

Iacob duas sorores, Liam uidelicet et Rachel filias Laban auunculi sui, sibi matrimonio sociavit.

§. 1. In lege quoque precepit Dominus Moysi, ut nullus duceret uxorem, nisi de propria tribu et familia.

Item si aliquis absque liberis moreretur, precepit Dominus, ut frater eius uxorem defuncti sibi copularet, et ex ea semen fratri suo suscitaret.

Porro, ad quoscumque lex ipsa peruenit, eius preceptis probantur obnoxii, nisi que uel euangelicis mandatis uel apostolicis institutis euacuata monstrantur.

Nulla autem euangelii precepto uel apostolico instituto consanguineorum coniunctiones prohibita inueniuntur.

Unde sicut ab inicio, ita et nunc licita probantur.

§. 2. His ita respondetur: Consanguineorum coniunctiones alias causa necessitatis permissa, alias causa iustæ rationis inueniuntur inperata.

Cum enim unus ab inicio uir, atque una ex latere eius mulier formaretur a Deo, necessario sorores fratribus copulabantur.

Quod autem necessitate cogente fit cessante necessitate pariter cessare oportet.

Tanto ergo nunc dampnabilius usurpatur consanguineorum coniunctio, quanto minus necessaria probatur.

Unde huiusmodi copula postea lege prohibita inuenitur, Domino dicente per Moysen: “Turpitudinem sororis tuæ non reuelabis”.

Hinc Augustinus ait in libro de ciuitate Dei: [XV. c. 16].

**C. UN.** Quare constitutum fit, ne consanguineas ducamus uxores.

Cum igitur genus humanum post primam copulam uiri facti ex puluere, et coniugis eius ex uiri latere, marium feminarum que conmixtione opus haberet, ut gignendo multiplicarentur, nec essent ulli homines nisi qui ex illis duobus nati fuissent, uiri coniuges sorores suas acceperunt.

Quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea dampnabilius factum est religione prohibente.

Habita enim est ratio certissima karitatis, ut homines, quibus esset utilis atque honestissima concordia, diuersarum necessitudinum uinculis necterentur, nec unus in uno multas haberet, sed singulae spargerentur in singulos, ac sic ad socialem uitam diligentius plurimæ plurimos obtinerent.

Pater quippe et socer duarum sunt necessitudinum nomina.

Dum ergo quis alium habet patrem, alium socerum, numerosius se karitas porrigit.

Utrumque autem unus Adam esse cogebatur et filiis et filiabus suis, quando fratres sorores que coniugio iungebantur.

Sic et Eua uxor eius utriusque sexui filiorum fuit et socrus et mater; que si duæ fuissent feminæ, altera mater altera socrus, copiosius se socialis dilectio colligaret.

§. 1. Sed hoc unde fieret, tunc non erat, quando nisi fratres et sorores ex illis duobus primis nulli homines erant.

Fieri ergo debuit, quod potuit, ut existente copia unde ducerentur uxores, que iam non erant sorores, non solum illud non fieret ubi nulla necessitas esset.

§. 2. Quod humano genere crescente etiam inter impios deorum multorum falsorum que cultores sic obseruari cernimus, ut etiamsi peruersis legibus permittantur fraterna coniugia, melior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere licentiam, sic que aduersetur, quasi numquam licere potuerit.

§. 3. Copulatio igitur maris et feminæ, quantum attinet ad genus humanum, quoddam seminarium est karitatis; celestis uero ciuitas opus habet, ut noxam generationis euadat.

Gratian. Hac itaque consuetudine, que ab ipso exordio humanæ propagationis originem habuit, quam nulla lex contra iubendo euacuauerat, excusantur Abraham, Ysaac, et Iacob, et ceteri, qui de propria cognatione ducebant uxores.

Quamuis etiam alia causa rectissimæ rationis, qua id factum sit, possit intelligi.

Ceteris idolatria fedatis, sola familia Heber in cultu unius Dei remansit.

Unde Abraham a Chaldeis cum fratre suo in ignem quem adorare noluit, proiectus est, ut numen suæ diuinitatis exurendo sentiret, quem uenerando colere contempsit.

Ne ergo ex coniunctione infidelium fideles ad idolatriam prolaberentur, et ita Deum offenderent, sicut quondam ante diluuium filii Dei, conmixti filiabus hominum, ipsum ad iracundiam prouocauerant, rectissime cautum est, ut patriarchæ uiri sanctissimi non nisi de propria cognatione, id est de familia fidelium, sibi uxores acciperent.

Hinc etiam, cum filii Israël intraturi terram promissionis a Domino audirent, ne filias Chananeorum sibi in uxores acciperent, nec suas eis nuptui traderent, statim subiunxit Dominus: “Ne faciant uos recedere a Deo uestro, et fornicari cum diis alienis”.

Hinc etiam Hesdras Idumeas atque aliarum mulieres nationum, per quas filii Israël ibant ad deos alienos, ab eis separari iussit.

§. 1. Est etiam alia causa, quare coniunctiones consanguineorum in populo Dei permissæ primum, uel potius inperatæ fuerint.

Deus sic ab inicio salutem humani generis dispensauit, ut primitiuam ecclesiam in populo illo institueret, qui sibi carnis consanguinitate erat propinquus.

Unde de plebe Iudaica primum Apostolos elegit, quos quasi fundamentum ecclesiæ instituit, quorum predicatione de eadem plebe multi ad Deum conuersi, in se ipsis originem ecclesiæ prestiterunt.

Deinde in cecitate suæ perfidiæ Iudaica plebe relicta ad gentes, que tam fide quam cognatione carnis a Christo erant alienæ, predicatio euangelica translata est, et quasi consanguineæ copulam Christus aspernatus, de aliena cognatione sibi uxorem elegit, adimplens illud, quod per prophetam predixerat: “In peccatis uestris dimisi matrem uestram quasi adulteram et repudiatam”.

Et item per alium Prophetam: “Vocabo non plebem meam plebem meam”.

In huius ergo rei sacramentum consanguineorum coniunctiones primum in populo permissæ sunt, nunc autem prohibitæ.

Et quia non in una tantum familia, sed in omni multitudine gentium fidelium populus inuenitur, non de propria cognatione, sed de qualibet alia cuique uxorem ducere conceditur.

§. 2. Illud autem, quod precepta legis seruanda dicuntur, que nec euangelicis, nec apostolicis institutis euacuata probantur, uerum quidem est; sed cum omnia figuralia Apostolus probet ad tempus esse data, atque ideo ueniente ueritate affirmet illa non ultra esse seruanda, hoc autem, ut supra monstratum est, causa sacramenti a Deo institutum esse probetur: et hoc cum ceteris figuralibus euocatum certissime constat; quamquam, sicut Apostolus quedam consulendo addidit, que euangelicis preceptis non inueniebantur diffinita, nec ideo tamen tamquam temeraria uel superflua ab aliis Apostolis sunt repudiata; sic et ecclesia post apostolica instituta quedam consilio perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum, de confectione misteriorum, de celebratione offitiorum, que nullatenus sunt repudianda, sed diligenti ueneratione suscipienda.

Consanguineorum ergo coniunctiones, quamuis euangelicis et apostolicis preceptis non inueniantur prohibitæ, sunt tamen fugiendæ, quia ecclesiasticis institutionibus inueniuntur terminatæ.

## QUESTIO II. et III.

### GRATIANUS.

Quia ergo a consanguineorum coniunctionibus, sicut probatum est, abstinere oportet, uidendum est, usque ad quem gradum a consanguineis propriis abstinere oporteat, uel si ex cognatione propriæ uxoris aliquam duci in coniugem liceat?

De his ita scribit Gregorius Papa in Concilio Meldensi:

**C. I.** Usque ad septimam generationem nullus de sua cognatione ducat uxorem.

De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem obseruare.

Nam et hereditas rerum, per legales instrumentorum diffinitiones sancita, usque ad septimum gradum protendit heredum successionem.

Non enim succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur.

**C. II.** Infamia notantur qui consanguineas ducunt uxores.

Item Kalixtus Papa. [ep. II. ad Episcopos Galliæ]

Coniunctiones consanguineorum fieri prohibentur.

Quare? quia has et diuinæ seculi que prohibent leges.

Leges ergo diuinæ hec agentes, et eos, qui ex eis prodeunt, non solum eiciunt, sed etiam maledictos appellant.

Leges ergo seculi infames tales uocant, et ab hereditate repellunt.

Nos uero sequentes patres nostros infamia eos notamus, et infames esse censemus, quia infamiæ maculis sunt aspersi, nec eos uiros, nec accusationes, quas leges seculi reiciunt, suscipere debemus.

§. 1. Eos autem consanguineos dicimus, quos diuinæ, et inperatorum, ac Romanorum, atque Grecorum leges consanguineos appellant, et in hereditate suscipiunt, nec repellere possunt.

**C. III.** Affines in quinta generatione copulari possunt; in quarta, si inuenti fuerint, non separentur.

Item Fabianus Papa.

De propinquis, qui ad affinitatem per uirum et uxorem ueniunt, defuncta uxore uel uiro, in quinta generatione coniungantur; in quarta, si inuenti fuerint, non separentur.

In tertia tamen propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum eius.

Equaliter uir coniungatur in matrimonio eis, qui sibi consanguinei sunt, et uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris.

[[C. IV].

Idem.

Qui propinquam sanguinis ducunt uxorem, et separentur, non licebit eis, sibi in coniugio sociare alias uxores, quamdiu utrique uiuunt.

Gratianus nisi ignorantia excusentur.

Unde in Concilio apud Vermeriam:

**C. V.** Non prohibentur ducere uxores qui ignoranter incestum committunt.

Si quis cum matre et filia fornicatus est ignorante matre de filia, et filia de matre, illæ numquam accipiat uxorem; illæ uero, si uoluerint, accipiant maritos.

Si autem hoc scierint ipsæ feminæ, absque maritis perpetuo maneat.

[[C. VI].

Item ex eodem.

Si homo fornicatus fuerit cum muliere, et frater eius nesciens eandem duxerit uxorem, frater, eo quod fratri crimen celauerit, peniteat, et post penitentiam nubat.

Mulier autem usque ad mortem peniteat, et sine spe coniugii maneat.

Gratian. De his uero, qui ignoranter coniunguntur, ceteræ auctoritates intelligendæ sunt.

Unde Iulius Papa:

**C. VII.** Ex propinquitate sui sanguinis uel uxoris usque in septimum gradum nullus ducat uxorem.

Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sanguinis sui uel uxoris usque in septimum generis gradum uxorem ducere, uel incesti macula copulari.

Preterea illud quoque adiecimus, quia, sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate uxoris suæ coniugem ducere propter carnis unitatem.

**C. VIII.** Incestuosi nullo sunt digni nomine coniugii.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 61].

De incestis coniunctionibus nichil prorsus ueniæ reseruamus, nisi cum adulterium separatione sanauerint.

Incestos uero nullo coniugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est.

§. 1. Hos enim esse censemus, si quis relictam fratris, (que pene prius soror extiterat) carnali coniunctione polluerit; si quis frater germanam uxorem acceperit; si quis nouercam duxerit; si quis consobrinæ sobrinæ que se sociauerit; si quis relictæ uel filiæ auunculi misceatur, aut patruī filiæ, uel priuignæ suæ; aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit concubitu polluerit aut uxorem duxerit.

Quos omnes et olim, et sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, et inter catecuminos usque ad legitimam satisfactionem manere et orare precipimus.

Quod ita presenti tempore prohibemus, ut ea, que sunt hactenus constituta, non dissoluamus.

§. 2. Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem.

C. IX. Incestuosi usque ad satisfactionem excommunicentur.

Item ex Concilio Ylerdensi. [c. 4].

De his, qui incesti pollutione conmaculant placuit, quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseuerant, usque ad missam tantum catecuminum in ecclesia admittantur; cum quibus etiam nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut Apostolus iussit, licebit.

C. X. Nullus ducat uxorem a consanguineo suo cognitam, uel aliqua pollutione maculatam.

Item Gregorius Papa ad Felicem, Missenæ ciuitatis Episcopum. [lib. XII. epist. 31].

Nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuerit, uel aliqua illicita pollutione maculauerit ulli Christianorum in coniugium ducere licet uel licebit, quia incestuosus est talis coitus, et abhominabilis Deo et cunctis hominibus.

Incestuosos uero nullo coniugii nomine deputandos sanctis Patribus statutum esse legimus.

Gratian. Naturæ uidelicet ordine; si uero extraordinarie, non sic.

Ait enim Urbanus II. Hugoni, Gratianopolitano Episcopo:

C. XI. Extraordinaria pollutio in naturalibus non impedit affectum.

Extraordinaria pollutio non nisi in naturalibus admissa, uel sepius reiterata citra maritalem effectum, si prebitis sacramentis ita esse constiterit, quemadmodum nobis tuis significatum est litteris, non uidetur matrimonium impedire, quamuis ipsa criminosa sit et dampnabilis.

C. XII. Nullus ducat in coniugem relictam consanguineorum uxoris suæ usque in tertiam progeniem.

Item Iulius Papa.

Et hoc quoque statutum est, ut relictam patris uxoris suæ, relictam fratris uxoris suæ, relictam filii uxoris suæ nemo sibi in matrimonium sumat; relictam consanguineorum uxoris suæ usque in tertiam progeniem nemo in uxorem sumat; in quarta autem et in quinta si inuenti fuerint, non separentur.

C. XIII. A consanguineis propriis uel suæ uxoris pariter cuique est abstinendum.

Idem.

Equaliter uir coniungatur consanguineis propriis, et consanguineis uxoris suæ.

C. XIV. In parentela propria et coniugis eadem consanguinitas est obseruanda.

Item Ysidorus ex Concilio Maticensi.

Sane consanguinitas, que in proprio uiro conseruanda est, hec nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est.

Quia constat eos duos fuisse in carne una, ideo que communis illis utraque parentela credenda est, sicut scriptum est: “Erunt duo in carne una”.

C. XV. Nurus non aliter deputanda est quam filia.

Item Augustinus. [lib. XXII. contra Faustum, c. 61].

Si uir et uxor non iam duo, sed una caro sunt, non aliter nurus est deputanda, quam filia.

C. XVI. Usque ad septimam generationem progeniem suam unumquemque seruare oportet.

Item Gregorius Episcopis Galliaë.

Progeniem suam unumquemque usque ad septimam decernimus obseruare generationem, et, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus.

Quod si fecerint, separentur.

C. XVII. De eodem.

Item Nykolaus Amalfitanæ sedis Suffraganeis.

De consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post septimam generationem, uel quousque parentela cognosci poterit.

§. 1. Laicus uero uxorem simul et concubinam habens non communicet ecclesie.

C. XVIII. Quousque inter aliquos generatio recordatur aut in memoria retinetur, sibi inuicem non copulentur.

Item ex Concilio Wormaciensi. [c. 32].

In copulatione fidelium generationis numerum non diffinimus, sed statuimus, ut nulli Christiano liceat de propria consanguinitate seu cognatione accipere uxorem, usque dum generatio recordatur et cognoscitur aut in memoria retinetur.

C. XIX. Ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum nullus ducat uxorem.

Item ex Concilio Lugdunensi.

Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant, neque sine benedictione sacerdotis.

Qui autem nupturi erunt, a sacerdote benedicti nubere audeant.

Gratian. Premissis auctoritatibus quique prohibentur a coniunctione consanguineorum usque in septimam generationem.

Sed obicitur illud Gregorii ad Augustinum, Anglorum Episcopum: [c. 6].

C. XX. Anglis permittitur, ut in quarta uel in quinta generatione copulentur.

Quedam lex Romana permittit, ut siue frater et soror, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius et filia misceantur.

Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere.

Unde necesse est ut quarta uel quinta generatio fidelium licenter sibi iungantur.

§. 1. Sed idem humillimus Pater Gregorius, post multum temporis a Felice Messina Sicilie presule requisitus, utrum Augustino scripserit, ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minime soluerentur, inter cetera talem rationem reddidit: Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno uidelicet, ut recordaris tuo, ipsi, etiam Anglorum genti, que nuper ad fidem uenerat, ne a bono, quod ceperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, et non generaliter me certissime scripsisse cognoscas.

Unde et michi omnis Romana ciuitas testis existit.



Nec ea intentione hec eis scripsi mandata, ut post, quam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inuenti fuerint, non separentur aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem, iungantur.

Sed quod adhuc illis neophitis existentibus, eis primum illicita consentire et eos, et uerbis ac exemplis instruere oportet.

Nam iuxta Apostolum, qui ait: “Lac uobis potum dedi, non escam,” illis modo, non posteris, ut prefixum est, temporibus tenenda indulsumus, ne bonum, quod infirma radice plantatum erat, exureretur, sed aliquantulum firmaretur et usque ad perfectionem custodiretur.

Gratian. Item obicitur illud Cabilonensis Concilii.

**C. XXI.** In quinta uel sexta generatione nullus amplius copuletur coniugio.

Contradicimus, ut in quarta, uel quinta sexta que generatione nullus amplius coniugio copuletur.

Ubi autem post interdictum factum fuerit inuentum separetur.

Gratian. Hac auctoritate dum sexta generatione coniugium interdicitur, in septima permitti uidetur.

Sed gradus cognationis secundum quosdam uarie computantur.

Alii namque patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt.

Alii primum gradum filios appellant, negantes, gradum cognationis inter patrem et filium esse, cum una caro probentur pater et filius.

Auctoritates ergo, que consanguinitatis cautelam usque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu; illæ uero, que usque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant, atque ita fit, ut eadem personæ secundum hanc diuersitatem inueniantur in sexto uel septimo gradu.

§. 1. Item illud Fabiani, quo affines in quinta generatione copulari iubentur, uidetur esse contrarium illi decreto Iulii Papæ: “Sicut non licet ulli Christiano de sua consanguinitate, sic etiam non licet de consanguinitate uxoris suæ coniugem ducere propter carnis unitatem”.

Similiter inuenitur etiam contrarium illi capitulo Gregorii: “Nec eam, quam ex propria consanguinitate coniugem habuit etc.”.

Sed illud Fabiani intelligendum est de duabus personis inter se affinitate coniunctis, ut sunt uxores duorum fratrum; si contigerit unam earum alicui matrimonio copulari, post mortem eius uir non poterit affinem superstitem in coniugem ducere, nisi in quinto gradu affinitatis inueniantur.

Unde, qui nouercam alicuius in uxorem duxerit, post mortem eius uxorem priuigni ducere non poterit.

Hinc etiam idem Iulius Papa alibi ait: “Relictam consanguineorum uxoris suæ,” (non ait consanguineam uxoris suæ, sed relictam consanguineorum) “usque in quartam generationem nullus ducat in uxorem”.

Pascalis uero II., scribens Regino Episcopo, tertium genus affinitatis assignat, cuius copula non ultra secundum gradum inuenitur prohibita.

Ait enim:

**C. XXII.** Duorum consobrinorum coniuges uni et eidem nubere non possunt.

Porro duorum consobrinorum coniuges, quamuis diuersis temporibus, uiro uni alteram post alterius obitum nubere, ipsa preter auctoritatem canonicam publicæ honestatis iusticia contradicit.

Et nouit prudentia tua, quia ita ab uxoris, sicut a uiri consanguineis abstinendum est. Gratian. Illud autem Gregorii et Iulii intelligitur de consanguinitate uiri uel uxoris, ut post mortem alicuius eorum nulli de cognatione defuncti superstes matrimonio copuletur.

Demonstratum est, usque ad quem gradum quisque a propria consanguinitate uel cognatione suæ uxoris abstinere debeat.

#### **QUESTIO IV.**

##### **GRATIANUS.**

Modo queritur, quare usque ad sextum gradum consanguinitatis coniunctio prohibeatur? De his ita scribit Ysidorus Ethimologiarum libro XI. c. 6.:

**C. UN.** Quare usque ad sextum gradum consanguinitas obseruetur.

Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum se subtraxerit, et propinquitatis esse desierit, tunc primum lex in matrimonii uinculum eam recipiet, et quodammodo reuocabit fugientem.

Ideo autem usque ad sextum gradum generis consanguinitas constituta est, ut sicut sex etatibus mundi generatio, et hominis status finitur, ita propinquitatis generis tot gradibus terminetur.

#### **QUESTIO V.**

##### **GRATIANUS.**

De gradibus uero consanguinitatis, quomodo computandi sint, b. Ysidorus sic loquitur:

**C. I.** Quomodo dirimuntur gradus consanguinitatis.

Series consanguinitatis sex gradibus hoc modo dirimitur: filius et filia, quod est frater et soror, sit ipse truncus; illis seorsum seiunctis ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi: nepos et neptis: primus; pronepos et proneptis: secundus; abnepos et abneptis: tertius; atnepos et atneptis: quartus; trinepos et trineptis: quintus; trinepotis nepos et trineptis neptis: sextus.

**C. II.** Quomodo sint computandi gradus consanguinitatis.

Item Alexander II. Neapolitanis clericis et omnibus Episcopis atque Iudicibus per Italiam constitutis scribit de huiusmodi ita dicens.

Ad sedem apostolicam perlata est questio nouiter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidam legum et canonum inperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones et morem ecclesiasticum numerare nituntur, nouo et inaudito errore affirmantes, quod germani fratres uel sorores inter se sint in secunda generatione, filii eorum uel filiæ in quarta, nepotes uel neptes eorum in sexta.

Tali que modo progeniem computantes, et in huiusmodi sexto gradu eam terminantes, dicunt, deinceps uiros ac mulieres inter se nuptialia iura posse contrahere.

Et ad huiusmodi profanum errorem confirmandum in argumento assumunt seculares leges, quas Iustinianus inperator promulgauit de successionibus consanguineorum.

Quibus confisi ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes et neptes in sexto.

Sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum Patrum et antiquam ecclesiæ computationem ad nos usque perductam peruersa quadam calliditate disturbare nituntur.

Nos uero Deo annuente hanc questionem discutere curauimus in sinodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc opus episcopis, et clericis, atque iudicibus diuersarum prouinciarum.

§. 1. Denique diu uentilatis legibus et sacris canonibus distincte inuenimus, ob aliam atque aliam causam alteram fieri legum, alteram canonum computationem.

In legibus siquidem ob nichil aliud ipsa graduum mentio facta est, nisi ut hereditas uel successio ad alteram ab una personam inter consanguineos deferatur.

In canonibus uero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, is que ad quottam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum.

Ibi prescribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur; hic uero, ut rite et canonice inter fideles nuptiæ celebrentur.

In legibus distincte non numerantur gradus, nisi usque ad sextum; in canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem.

Hac igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram personam, idcirco curauit secularis inperator in singulis personis singulos preficere gradus.

Quia uero nuptiæ sine duabus non ualent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.

§. 2. Utramque tamen computationem, si attente ac subtiliter perspecta fuerit, idem sensisse, et eandem in eis sententiam esse, atque ad eundem terminum conuenire manifestissimum erit.

Iustinianus namque usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis legibus non diffiniuit.

Canones uero ultra septimam nullam numerant generationem.

Sexto quippe gradu determinato, in ipsis legibus subintulit inperator: “Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur.

Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum ulteriores gradus numerare debeamus.

Generata quippe persona gradum adicit”.

Ecce in his uerbis aperte ostenditur, tales gradus, quales isti computant, non tantum usque ad sextum, uerum etiam ultra numerari debere, quippe cum ultra sextum ulteriores gradus numerandos esse decernat.

Ubi enim ulteriores nominat gradus, aperte indicat, non sex tantummodo esse gradus, sed sex finitis adhuc alios numerandos.

Nec mirum, cum in precedentibus ipse firmauerit inperator, decimo etiam gradu, quod dicendo, non esse tantummodo sex, luce clarius confitetur.

§. 3. Hi ergo euigilent, et aciem mentis, si possunt, intendant, quos hactenus istiusmodi perculit error.

Enimuero, ubi secundum leges inter agnatos uel cognatos defertur successio, consanguineos esse non dubium est.

Neque enim sibi succederent, nisi inter se, teste Iustiniano, in decimo gradu sibi attinerent; consanguinei igitur sibi sunt qui sic sibi succedunt.

Quod si in decimo gradu consanguinei sibi existunt, non est terminata consanguinitas (ut isti fatentur) in sexto tantummodo gradu.

Quid igitur dicent? Computatis namque gradibus, sicut isti numerant, aut finitur consanguinitas in sexto gradu, aut non.

Si autem finitur, fallaces erunt leges, quibus isti nituntur, que in decimo gradu sibi succedere consanguineos iubent.

Quod si non finitur consanguinitas in huiusmodi sexto gradu, falsidici erunt isti, qui ultra illum sextum gradum nolunt computare consanguinitatem.

Igitur aut leges erunt falsæ, aut isti, qui sic finiunt generationem.

§. 4. Sed, ut ueridicæ leges et ueraces sint canones, dicamus id, quod ueritas habet, scilicet, quod non terminatur consanguinitas in huiusmodi sexto gradu, et terminatur in septimo secundum canones gradu.

Utraque enim computatio, sicut superius diximus, uno fine concluditur.

Namque duo gradus legales unum gradum canonicum efficiunt.

Fratres itaque, qui secundum leges seculares dicuntur in secundo gradu, iuxta canones numerantur in primo.

Filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in secundo; nepotes uero, qui ibi in sexto, istic numerantur in tertio; sic deinceps, qui legibus scribuntur in octauo et decimo, in canonibus diffiniuntur in quarto et quinto.

Atque hoc modo de reliquis sciendum est, ut qui secundum canones dicuntur in sexto uel in septimo, secundum leges accipiantur in duodecimo uel in quartodecimo.

§. 5. Hanc computationem intelligens prudentissimus Papa Gregorius, dum quereretur, in quota generatione fideles coniungi debeant, ipsas seculares leges in testimonium adducens, Augustino Anglorum episcopo sic rescripsit: “Quedam terrena lex in Romana republica permittit, ut siue fratris et sororis, seu duorum fratrum germanorum, uel duarum sororum filius et filia misceantur.

Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere.

Unde necesse est, ut iam in tertia uel quarta generatione copulatio fidelium licenter sibi coniungi debeat.

Nam a secunda, quam prediximus, omnimodo debet abstinere”.

Ecce hic aperte monstratur, filios et filias fratrum in secunda generatione numerari.

Et si fratrum filii uel filia numerantur in secunda, fieri non potest, ut ipsi fratres non sint in prima.

Quod si fratres computantur in prima, filii eorum in secunda, dubium non est, quin eorum nepotes sint in tertia, pronepotes in quarta, et sic de reliquis usque ad septimam.

§. 6. Sed sunt quidam, qui ex his sancti Gregorii uerbis, quibus ait, ut in tertia uel in quarta generatione copularentur fideles, occasionem accipiunt illicita matrimonia contrahendi, dicentes, se hoc iuste facere posse, quod tam prudentissimus doctor sua sententia diffiniuit.

Isti itaque, qui se hoc uelamento defendere nituntur, aduertant in eiusdem Patris sententiis, non hoc generaliter cunctis, sed specialiter Anglorum genti mandasse.

Nam postmodum a Felice Messanæ Siciliæ presule requisitus, si hoc, quod Augustino mandauerat, generaliter cunctæ ecclesiæ tenendum esset, apertissime monstrauit, non aliis hoc, quam illi genti mandasse, ne bonum, quod ceperant, metuendo austeriora desererent; sed illis, postquam in fide essent firma radice solidati, et uniuersali ecclesiæ censuit semper esse tenendum, ut nullam de propria consanguinitate uel affinitate infra septimam generationem aliquis sibi audeat coniugio copulare.

§. 7. Ecce aperte monstratum est et ex uerbis ipsius legis et auctoritate prudentissimi Papæ Gregorii, quid de gradibus consanguinitatis numerandis sentire debeamus.

Quamuis alia quoque ratio pari modo ipsos reuincat aduersarios.

Nam si, ut ipsi fatentur, in illo sexto gradu consanguinitas finiretur, omnes personarum ramusculos, qui ultra gradum illum in pictura arboris continentur, uelut superfluos oporteret detruncari.

Sed quia omnes, qui in pictura arboris predictæ numerantur, ex una parentela consistunt, numquam sine diminutione consanguinitatis a se poterunt separari, ueluti non sine dampno cuiusque personæ ualent a proprio corpore manus, brachia et pedes truncari.

§. 8. Illa quoque sacrorum preceptio canonum, que iubet a propria abstineri consanguinitate, quamdiu generatio recordatur aut in memoria retinetur, nec a predicta parentelæ discrepat computatione.

Nam si in septem gradibus, canonice et usualiter numeretur, ultra quos nec consanguinitas inuenitur, nec nomina graduum reperiuntur, nec successio potest amplius prerogari, nec memoriter ab aliquo generatio recordari.

§. 9. Ne uero in hac consanguinitatis computatione aliqua dehinc ambiguitas ualeat remanere, aliam, quam quidam faciunt, numerationem in hac etiam disputatione duximus discutiendam.

Sunt enim quidam, qui non a fratribus, sed a filiis eorum, id est patruelibus uel consobrinis, genealogiam numerare incipiunt, dicentes, filios fratrum in prima generatione computari debere, quia fratres quasi quidam truncus, ex quo ceteri ramusculi oriantur, existunt.

Sed nec ista graduum computatio, si bene intellecta fuerit, ab ea, quam superius exposuimus, in sententia poterit esse diuersa.

Isti enim, qui numerandi initium sumunt a filiis fratrum, non progrediuntur ultra sextam generationem; sed sicut totius mundi sex etates existunt, et humanæ uitæ itidem sex, ita et in consanguinitate sex tantummodo autumant computandas esse generationes, quibus finitis nouæ coniunctionis dicunt posse fieri initium, ut quasi fugientem possint reuocare consanguinitatem.

§. 10. Hec itaque computatio, que incipit a fratrum filiis, et numeratur usque ad sextam, tantumdem ualet, quantum, que incipit a fratribus, et computat usque ad septimam.

Nec ulla in sensu consistit diuersitas, quamuis in numero graduum uideatur uarietas.

Ultima enim generatio, si a fratribus sumat initium numerandi, septima inuenitur; si a filiis fratrum, sexta repperitur.

Taliter igitur determinatis gradibus consanguinitatis, apostolica auctoritate monemus uos, fratres et filii, ut omnibus sic seriem genealogiæ computandam esse intimetis, quemadmodum sancti patres numerandam esse sanxerunt, et antiquus mos sanctæ et uniuersalis ecclesiæ per longa tempora olim computasse monstratur.

Nam, si quis peruersa et obstinata mente a recto tramite apostolicæ sedis deuiare uoluerit, et aliter, quam nos, in nuptiis celebrandis gradus parentelæ numerare contenderit, primum pro sua temeritate celesti pena plectetur, postmodum uero gladio perpetui anathematis nouerit se iugulandum.

**C. III.** Quare consanguinei uxoris ad uirum pertinere dicantur, et quomodo affinitates sint computandæ.

Item Gregorius.

Porro autem de affinitate, quam dicitis parentelam esse, que ad uirum ex parte uxoris, seu que ex parte uiri ad uxorem pertinet, manifestissima ratio est, quia, si secundum diuinam sententiam ego et uxor mea sumus una caro, profecto michi et illi mea sua que parentela propinquitas una efficitur.

Quocirca ego et soror uxoris meæ in uno et primo gradu erimus, filius uero eius secundo gradu erit a me, neptis uero tertio; id que utrinque in ceteris agendum est successioneibus.

§. 1. Uxorem uero propinqui, cuiuscumque gradus sit, ita oportet me attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua femina propriæ propinquitatis sit.

Quod nimirum uxori meæ de propinquitate sui uiri in cunctis cognationis gradibus conuenit obseruari.

Qui uero aliorsum sentiunt antichristi sunt, a quibus tanto uos sollicitius oportet cauere, quanto apertius deprehenditis illos diuinis legibus oppugnare.

#### C. IV. Qualiter gradus parentelæ computantur.

Item Zacharias Papa.

Parentelæ gradus taliter computamus: Siquidem ego et frater meus una generatio sumus, primum que gradum efficimus, nullo gradu distamus.

Rursum filius meus fratris que mei filius secunda generatio sunt, ac secundum gradum faciunt, nec a se aliquo gradu separantur.

Atque ad hunc modum ceteræ successiones.

Porro de affinitate, quam dicitis parentelam etc.

ut supra capitulo Gregorii.

#### C. V. Equiuocatio est, cum soror uxoris cognata uocatur.

Item Alexander Papa II.

Quod autem frater soror ue uxoris tuæ dicuntur cognati, equiuocationis iure fit, et necessitate uulgaris appellationis potius quam ulla causa cognationis.

Uxor enim fratris fratrisa potius quam cognata uocatur.

Mariti frater leuir dicitur.

Duorum autem fratrum uxores ianitrices uocantur, quasi eandem ianuam terentes, uel per eandem ianuam intrantes.

Viri soror glos appellatur.

Sororis autem uir non habet speciale nomen, nec frater uxoris.

#### C. VI. Nomina graduum superiorum, siue inferiorum. siue ex latere uenientium.

Item Ysidorus.

Primo gradu superiori linea continentur pater et mater: inferiori filius et filia; quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.

§. 1. Secundo gradu continentur superiori linea auus, auia; inferiori neptis; in transuersa frater, soror; que personæ duplicantur.

Auus enim et auia tam ex patre quam ex matre accipiuntur.

Que personæ sequentibus quoque gradibus similiter pro substantia eorum, que in quo gradu consistunt, ipso ordine duplicantur.

(Istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo aui sunt, et paternus et maternus.

Item duo sunt genera nepotum, siue ex filio siue ex filia procreati.

Frater et soror ex transuerso ueniunt, id est, aut frater patris, aut frater matris, qui aut patruus, aut auunculus nominatur; qui et ipsi hoc ordine duplicantur).

§. 2. Tertio gradu ueniunt supra proauus, proauia; infra pronepos, proneptis.

Ex obliquo fratris sororis que filius uel filia, patruus, amita, id est patris frater et soror, auunculus, matertera, id est matris frater et soror.

§. 3. Quarto gradu ueniunt supra abauus abauia; infra abnepos, abneptis.

Ex obliquo fratris et sororis nepos, neptis, patruelis frater, soror patruelis, id est patrum filius uel filia; consobrinus, consobrina, id est auunculi et materteræ filius uel filia; amitinus, amitina, id est amitæ filius uel filia; item que consobrini, qui ex duabus sororibus nascuntur; quibus accrescit patruus magnus, amita magna, id est aui paterni frater et soror, auunculus magnus, matertera magna, id est auia tam paternæ quam maternæ frater et soror.

§. 4. Quinto gradu, ueniunt, supra quidem atauus, atauia, infra atnepos atneptis.

Ex obliquo fratris et sororis pronepos, proneptis, fratris patruelis, sororis patruelis, amitini, amitina, consobrini, consobrina filius uel filia, propius sobrinus, proprius sobrina, id est patrum magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ filius uel filia; quibus accrescunt propatruus et proamita.

Hii sunt proau paterni frater et soror, proauunculus, promatertera.

Hii sunt proauia paternæ, maternæ que frater, et soror, proau que materni.

(Hec species nec aliis gradibus, quam scripta est, nec aliis declarari uocabulis potest).

§. 5. Sexto gradu ueniunt supra tritauus tritauia; infra trinepos, trineptis.

Ex obliquo fratris et sororis abnepos, abneptis, fratris patruelis et sororis patruelis amitini, amitina, consobrini, consobrina patrum magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ nepos, neptis, propioris consobrini filius uel filia, abpatruus, abamita.

Hi sunt abau paterni frater et soror; abauunculus, abmatertera.

Hi sunt abauia paternæ maternæ que frater et soror, abau que materni.

(Hec quoque explanari amplius non possunt quam ipse auctor disseruit).

§. 6. Septimo gradu qui sunt cognati recta linea supra infra que propriis nominibus non appellantur; sed ex transuersa linea continentur fratris sororis atnepos, atneptis, consobrini filii filia que.

§. 7. Successionis idcirco gradus sex constituti sunt, quia ulterius per rerum naturam nec nomina inueniri, nec ultra successio potest prorogari (In his sex gradibus omnium propinquitatum omnia nomina continentur, ultra quos nec affinitas inueniri, nec successio potest amplius propagari).

Gratian. De gradibus consanguinitatis uel affinitatis, quot sint, et quomodo computandi, quibus etiam nominibus appellantur, auctoritate b. Ysidori, atque Gregorii, et Alexandri sufficienter monstratum est.

## QUESTIO VI.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Nunc queritur, quibus accusantibus uel testificantibus consanguineorum coniunctio dirimenda sit?

De his ita decreuit Fabianus Papa:

C. I. Consanguinei tantum, uel, si progenies defecerit, antiqui et ueraces propinquitatem in sinodo computent.

Consanguineos extraneorum nullus accuset, uel consanguinitatem in sinodo computet; sed propinqui, ad quorum noticiam pertinet, id est pater et mater, soror frater, patruus, auunculus, amita, matertera, et eorum procreatio.

Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus et ueracioribus, quibus eadem propinquitas nota sit, episcopus canonice perquirat, et, si inuenta fuerit propinquitas, separentur.

[PALEA. C. II.

Celestini Papæ Decretum Ecclesiæ Florentinæ missum.

Videtur nobis, quod secunda, quam contra prohibitionem ecclesiæ duxit, non sit uxor, etiamsi primam non haberet desponsatam.

Nam quod contra interdictum et ordinem ecclesiæ factum est, tamquam inordinatum ratum non haberi, tam diuinæ quam humanæ legis proclamat auctoritas.

Quia igitur ea, quam inordinate superduxit, prohibitione renitente uxor non est, cogendus est eam recipere, quam iurauit et desponsauit, et ex ea prolem genuit, ut iuramenti religio non uilipendatur, et fides ad inuicem promissa seruetur, et proles in cultu Dei nutriatur et educetur, et alii exinde occasionem peierandi et alios decipiendi assumere non ualeant.

§. 1. Quod autem parentes, fratres et cognati utriusque sexus in testificationem suorum ad matrimonium coniungendum uel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine quam legibus approbatur.

Ideo enim maxime parentes, et, si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus et chartis, tum etiam ex recitatione maiorum scire laborat.

Qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt, et quorum est interesse, ita ut, si non interfuerint, et consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium?

§. 2. Quod uero legitur: “Pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris,” in criminalibus causis et contractibus uerum est; in matrimonio uero coniungendo et disiungendo ex ipsius coniugii prerogatiua, et quia fauorabilis res est, congrue recipiuntur].

C. III. Qui iurando propinquitatem firmare debeant.

Item Urbanus Richario Genuensi Episcopo.

Notificamus tibi, ut post, quam duo aut tres ex propinquioribus iam defunctæ uxoris uel uiuæ eius, qui accusatur, hanc propinquitatem iureiurando firmauerint, uel si tres aut duo ex antiquioribus Genuensibus, quibus hec propinquitas nota sit, qui bonæ famæ et ueracis testimonii sint, remoto amore, timore, precio et omni malo studio, supradicto modo consanguinitatem firmauerint, sine omni mora coniugia dissoluantur.

Quod si propinqui uel extranei uerbis tantum propinquitatem testantur, et iuramento probare noluerint, uel nequuerint, coniugium nullatenus dissoluatur; sed competens eis penitencia propter infamiam uel peccati maculam (si forte in hoc contraxerint aliquam) iniungatur.

C. IV. Suæ confessioni relinquitur quorum incestum nullus iurando affirmat.

Item ex Concilio Urbani Papæ habitu in Apulia.

Si duo uiri uel tres consanguinitatem iureiurando firmauerint, uel ipsi forte confessi fuerint, coniugia dissoluantur.

Si uero neutrum contigerit, episcopi eos per baptismum, per fidem Christi, per Christi iudicium in uera obedientia obtestentur, quatinus palam faciant, utrum se sicut fama est, recognoscant consanguineos.



Si negauerint, sibi ipsis relinquendi sunt; ita tamen, ut, si aliud in conscientia habeant, se a liminibus ecclesiæ, a corpore et sanguine Domini, a fidelium comunione nouerint segregatos, atque infames effectos, donec ab incesti facinore desinant.

Si se episcoporum iudicio segregauerint, qui iuuenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.

## II. Pars.

Gratian. Ecce, quibus accusantibus uel testificantibus consanguineorum coniunctiones sunt dirimendæ.

Cuiusmodi uero iuramentum ab accusatore sit exigendum, ex Romano Ordine habetur. Est autem huiusmodi:

### C. V. Iuramentum accusatoris.

De parentela illa, quam dicunt esse inter N. et istam eius coniugem N., quicquid inde scis aut audisti a tuis uicinis, aut a tuis propinquis antiquioribus, tu per nullum ingenium, nec propter timorem aut propter amorem, aut propter premium, aut propter consanguinitatem celabis tuo episcopo, aut eius misso, cui hoc requirere iusserit, quandocumque te ex hoc interrogauerit.

Sic te Deus adiuuet, et istorum sanctorum reliquiæ.

### C. VI. Iuramentum testium.

Illud sacramentum, quod iste iurauit de parentela illa, que inter filium et eius coniugem N. computatur, quod tu illud obseruabis, in quantum sapis. te Deus adiuuet.

## III. Pars.

Gratian. Hoc iuramentum separationis non est, sed sinodale, institutum ab Euticiano Papa.

Ait enim:

### C. VII. Sinodale iuramentum.

Episcopus in sinodo residens, post congruam allocutionem septem ex plebe eius parrochiæ, uel eo amplius, prout uiderit expedire, maturiores, honestiores atque ueraciores uiros in medium debet aduocare, et allatis sanctorum pignoribus unumquemque illorum tali sacramento constringere: Amodo in antea quicquid nosti, aut audisti, aut postmodum inquisiturus es, quod contra uoluntatem Dei, et rectam Christianitatem in ista parrochia factum sit aut futurum erit, si in diebus tuis euenerit, tantum ad cognitionem tuam modo quocumque perueniat, si scis, aut indicatum tibi fuerit sinodalem causam esse, ad ministerium episcopi pertinere, quod tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter precium, nec propter parentelam ullatenus celes episcopum, aut eius missum, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque te ex hoc interrogauerit.

Sic te Deus adiuuet, et illæ sanctorum reliquiæ.

Istud sacramentum, quod iste iurauit de sinodali causa, quod tu illud ex te ita obseruabis, in quantum sapis, aut audisti, aut in antea ab hac die inquisiturus es.

Sic te Deus adiuuet.

**IV. Pars.**

Gratian. Ab hoc iuramento illud sumptum est, principio paululum deriuato.

Porro iuramentum separationis Innocentius Papa II. prescribit Ottoni Lucensi Episcopo, dicens:

**C. VIII.** Iuramentum illorum, qui consanguinitatem probant.

De parentela illa, unde nos consulere uoluisti, pro qua etiam ad nostram audientiam est appellatum, aliorum fratrum scripta suscepimus, qui utique causam ipsam diuerso modo narrabant.

Et primo quidem tam in gradibus quam in nominibus personarum discordasse, postmodum uero in altero eorum computatores eiusdem parentelæ dicuntur conuenisse.

Ceterum in huiusmodi casibus summopere consideranda est qualitas personarum, que aliquid contra quoslibet astruere uelint, que etiam iusiurandum prestare debent, quod neque gratia, neque precio, uel odio alicuius hoc dicunt contra eos, de quibus agitur; sed potius, quia credant ita uerum esse, et ita se a suis antecessoribus audiuisse.

In quibus omnibus non debet aliqua uarietas uel contrarietas inueniri.

**V. Pars.**

Gratian. Qui uero separantur ab inuicem, huiusmodi iuramentum prestabunt.

**C. IX.** Iuramentum separationis.

Ab isto die in antea tu per nullum ingenium sociabis te huic tuæ consanguineæ, nec in coniugio, nec in adulterio, nec cum illa ad unam mensam manducabis et bibes, aut sub uno tecto manebis, nisi in ecclesia, aut in alio publico loco, ubi nulla mala suspicio possit esse, ut ibi coram testibus idoneis pro certa necessitate pariter colloquamini; nec aliam coniugem accipies, nisi forte post actam penitentiam tibi licentia data fuerit ab episcopo tuo, aut eius misso.

Sic te Deus adiuuet.

**VI. Pars.**

Gratian. Occasione uero consanguinitatis uxorem suam dimittere, et aliam ducere non licet alicui, nisi causa primum fuerit probata.

Unde Alexander II. Guilielmo de Mostorico:

**C. X.** Nisi coram ecclesia consanguinitate probata uxorem dimittere non licet.

Multorum relatione cognouimus, te propriam uelle abicere uxorem, et adherere alteri, pretendente consanguinitatis occasionem.

Unde apostolica auctoritate interdicens mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes uxorem, nullatenus presumas dimittere, uel aliam ducere, donec apud episcoporum religiosorum concilium causam iustam examinaueris.

**VII. Pars.**

Gratian. Recepturus uero eam, quam iniuste dimisit, hoc modo iurabit:

**C. XI. Reconciliationis iuramentum.**

Ab isto die in antea istam coniugem N., quam iniuste dimiseras, ita tenebis, sicut maritus suam coniugem debet habere in dilectione et debita disciplina; nec eam per ullum malum ingenium a te separabis, nec ea uiuente aliam accipies.

Sic te Deus adiuuet.

Gratian. Quod autem unius testimonio coniugia apud quosdam dirimuntur, nulla ratione ratum habetur.

Cum enim Dominus dixerit: “Omne uerbum stabit in ore duorum uel trium testium;” item cum in concilio Ylerdensi [c. 20]. dicatur: “Omnis controuersia, que de ecclesiasticis rebus fit, secundum diuinam legem sub duobus uel tribus testibus terminetur, Domino dicente: ‘Non unus stet contra alium, sed in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum;’ item cum alibi dicatur: “Nullius personæ quantumlibet exercitatae testimonio aliquid credatur.” euentissime apparet, unius assertionem coniugia non esse dirimenda.

**QUESTIO VII.****GRATIANUS.**

Quod autem queritur, si illi, qui de incestuosis nascuntur, filii reputentur, Augustinus in libro questionum super Leuiticum capitulo 77. determinat, ita dicens:

**C. UN.** Non appellantur filii, qui de incestuosis nascuntur.

Quid est: “Quicumque dormierit cum cognata sua, sine filiis morietur,” cum filii ex huiusmodi coniunctionibus et ante nati sint, hodieque nascantur?

An hoc intelligendum est lege Dei constitutum, ut quicumque ex eis nati fuerint non deputentur filii, et nullo parentibus iure succedant?

**QUESTIO VIII.****GRATIANUS.**

De his uero, qui ignoranter coniuncti sunt, in quo gradu consanguinitatis uel affinitatis ex dispensatione ecclesiæ relinquuntur, Gregorius in Registro diffiniuit, dicens:

**C. I.** Non separentur qui infra septimam generationem ignoranter copulantur.

De gradibus uero cognationum, qui infra septimam generationem in matrimonio sunt inuenti, si nescienter fecerunt, et multa curricula annorum sunt reuoluta, ita ut filios habeant, in sexto qui inuenti sunt, aut fortasse in quinto, huiusmodi non separentur, donec nos permittente Domino ore ad os loquamur.

Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum inperium.

Qui uero de his duobus gradibus nouas contraxisse nuptias uidentur, idem infra anni coronam, modis omnibus separentur.

De cetero uero generalia per omnem prouinciam taliter percurrens statuta firmentur, ut nullus audeat deinceps tale scelus perpetrare, et qui fecerint sine retractionis misericordia acrius puniti ultionibus separentur.

Hi uero, qui propinquas sanguinis uxoris suæ in matrimonio sibi sociauerunt, sicut iam dudum uobis scripsimus, qui in eodem gradu inuenti sunt, separentur, aut suspendatur eorum causa, usque dum nos insimul Domino auxiliante conueniamus.

Idem:

§. 1. De his, qui mortua uxore secundas contrahere nuptias uolunt, iuste et honeste et rationabiliter prospeximus, ab earum consanguineis usque ad quartum gradum genealogiæ abstineri.

Hec nos secundum indulgentiam sanctæ matris ecclesiæ mitius prelibauimus.

Ceterum iuxta legum secularium censuram dignis coercionibus grauibus que disciplinæ inuentionibus hec omnia mala et illicita modis omnibus refutanda sunt, ut futuro deinceps tempore cuncta quiescant.

C. II. In quarto uel quinto gradu qui coniuncti inuenti fuerint separentur.

Idem Felici, Messanæ ciuitatis Episcopo.

Hec salubriter precauenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usquequo affinitatis liniamenta generis successione cognoscuntur, in matrimonio sibi desideret copulari sed, sicut a maioribus nostris diffinitum est, ita modis omnibus obseruetur, quoniam usque ad septenarium numerum parentelæ nulli umquam copulam contrahere licentiam damus, his uidelicet, qui ex patre et matre consanguinitatis descendunt parentela.

Qui autem et que in quarto uel quinto gradu coniuncti inuenti fuerint, separentur, quoniam scriptum est: “Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut reuelet turpitudinem eius;” et iterum: “Anima, que fecerit quippiam ex istis, peribit de medio populi sui”.

Sane quibus coniunctio interdicitur illicita, habebunt ineundi coniugii melioris libertatem.

Nisi in eodem crimine usque ad mortem alterius eorum contumaciter perseuerauerint.

Unde in Concilio Aurelianensi:

C. III. Non ducat uxorem qui usque ad mortem alterius in incestu perseuerauerit.

Incestuosi, dum in ipso detestando atque nefando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter cathecuminos aut gentiles habeantur, id est, cum Christianis non sumant cibum neque potum, sed soli faciant hoc; non osculentur, nec salutentur ab eis.

Sed si suis sacerdotibus inobedientes extiterint, et a tam nefando scelere segregari, atque ad publicam penitentiam redire noluerint, inter eos habeantur, qui spiritu periclitantur inmundo, uel etiam inter eos, de quibus per se ueritas ait: “Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus”.

Et si alter eorum morte preuentus fuerit, alter, quamdiu uiuit, grauius peniteat, et sine spe coniugii maneat.

Gratian. Hac auctoritate qui in quarto uel in quinto gradu consanguinitatis coniuncti inuenti fuerint ab ecclesia separari iubentur.

## QUESTIO IX.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Unde queritur, si ecclesia fraude testium aut ignorantia eorum decepta aliquos separauerit, qui post separationem alia coniugia contraxerint, si postea deprehensa fuerit calliditas uel falsa opinio testium, an priora coniugia sint redintegranda?

Quod fieri non posse argumentis et auctoritate probatur.

Sententia namque, nisi per appellationem infra terminum lege constitutum releuata fuerit, irreuocabile robur obtinebit.

Hinc etiam B. Gregorius scribit, dicens:

**C. I.** Que rationabiliter decisa sunt mutari non expedit.

Omnibus modis ecclesiasticæ disciplinæ uel moderationi conueniens est, ut que rationabiliter ordinata fuerint uel decisa nulla in posterum debeant refragatione turbari.

**C. II.** Que utiliter decisa sunt a successoribus roborentur, a temerariis presumpta resecentur.

Item Stephanus V. Paulo, Episcopo Placentino.

Loci nostri consideratio nos ammonet rationis auctoritate, que a decessoribus nostris utiliter decisa fuerint roborare, et que a temerariis presumpta fuerint in promptu nichilominus ulcisci.

Reum quippe ante conspectum diuini iudicis se nouerit esse qui nititur utiliter finita rescindere, ac roborata quolibet ausu uiolare.

Ecclesiastici quippe uigoris ordo confunditur, si aut temere illicita presumantur, aut non concessa inpune temptentur.

Proinde si negligenter ea, que male usurpantur, omittimus, excessus uiam proculdubio aliis aperimus.

Gratian. Quia ergo hec sententia rationabiliter data est, nec per appellationem infra certum terminum releuata, apparet, quod nequaquam priora coniugia sunt redintegranda.

His ita respondetur: Aliud est sententiam rescindere et rationabiliter decisa turbare, atque aliud que per surreptionem eueniunt deprehensa corrigere; suum namque errorem cuique corrigere licet, atque ideo que a quolibet illicite committuntur, siue a decessoribus admissa inueniuntur, in melius reuocari oportet.

Porro illicite uxor a uiro suo separata est, et illo uiuente alii copulata, cum Dominus solius fornicationis causa uxorem a uiro suo separari iubeat.

Sicut ergo, si aliqua, cuius uir putaretur defunctus, alicui copularetur, et qualibet occasione interueniente ab eius consortio discederet, quamuis iudicio ecclesiæ cogatur redire ad eum, quem reliquerat, tamen, si post triennium uirum, qui mortuus putabatur, redire contigerit, priora coniugia redintegrabuntur: sic, cum deprehenduntur non fuisse consanguinei qui causa consanguinitatis ab inuicem separati sunt, prioris consortii federa sunt reparanda.

## **II. Pars.**

**§. 1.** Quod autem que illicite admittuntur, uel admissa inueniuntur, corrigenda sint, uel quod sententia etiam Romanæ sedis in melius conmutari ualeat, auctoritate Hilarii Papæ, et Nykolai monstratur.

Ait namque Hilarius Episcopus Urbis Romæ Sinodo presidens: [c. 4].

**C. III.** Corrigendum est quod illicite admittitur, aut a predecessoribus admissum inuenitur.

Quod quis commisit illicite, aut a predecessoribus suis inuenit admissum, si proprium periculum uult uitare, dampnabit.

Nos enim in nullo uolumus seueritatem exercere ultionis; sed qui in causis Dei uel contumacia, uel aliquo excessu deliquerit, aut ipse qui perperam facit abolere noluerit, in se quicquid in alio non resecauerit inueniet.

Quod ut deinceps tenacius possit custodiri, si placet, omnes sententias, et subscriptiones proprias commodate, ut sinodali iudicio aditus claudatur illicitus.

**C. IV.** Secundum suæ condicionis tenorem apostolica ualet mutari sententia.

Item Gregorius.

Apostolicæ sedis sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tanta que deliberationis grauitate profertur, ut, nec inmutari necessarium ducat, nisi forte sic prolata sit, ut retractari possit, uel inmutanda secundum tenorem premissæ condicionis existat.

**C. V.** A predecessoribus dampnatos aliorum supplicationibus in pristinum statum apostolica reformat ecclesia.

Item Innocentius. [epist. XXII. ad Episcopos Macedoniæ].

Veniam nunc ad Maximum, quasi ad quoddam thema Fotinum, et (quod michi anxium est ac difficillimum) maiorum meorum reuoluam sententias.

Fuerat de illo quoquo pacto (ut etiam ipsi commeministis) aliquid utique grauius constitutum.

Verum, quoniam id per rumorem falsum, ut asseritis, subreptum huic sedi et elicium per insidias demonstratur, quia res ad salutem rediit, ueniam hinc tantum uobis annitentibus post condemnationem more apostolico subrogamus, tantis que uestris assertionibus, uobis que tam bonis, tam karis non dare consensum, omnibus duris rebus durius arbitramur.

Pro uestra ergo approbatione (fratres karissimi), et sententia, ac postulatione, episcopum Fotinum habetote, (licitum est, constituere ita, ut deprecamini), et nostram in melius conuersam sententiam, labore uel testimonio uestro conpotem, uobis suscipite.

Eustasium uero a me sepiissime conprobatum nolite expectare, ut diaconii gratia expolietur.

Sollicitos enim uos pro salute libenter audio: contra, etiam si faciendum est, non libenter admitto.

Cui manum porrigitis uobis cum porrigo, cui porrigo me cum porrigite.

**C. VI.** Sententiam Romanæ sedis in melius conmutari potest.

Item Nykolaus Papa. [ad Michælem Imp. in epist. VII].

Sententiam Romanæ sedis non negamus posse in melius conmutari, cum aut surreptum fuerit aliquid, aut ipsa pro consideratione etatum, et temporum, seu grauium necessitatum dispensatorie quiddam ordinare decreuit, (quoniam et egregium apostolum Paulum quedam fecisse dispensatorie legimus, que postea reprobasse legitur); quod tamen obseruandum est quando illa, Romana uidelicet ecclesia, disertissima consideratione hoc fieri delegerit, non quando ipsa que bene sunt diffinita retractare uoluerit.

**C. VII.**  
(VIII).

A predecessoribus depositi a successoribus restituuntur.

Item ex Libro Pontificali.

Gregorius quartus Theodosium, quem Eugenius antecessor eius presbiterii honore priuauerat, ecclesiae Segninæ consecrauit episcopum.

Leontius, dum esset presbiter, depositus fuit; et postea in Antiochia patriarcha fuit.

Misenum episcopum a Felice Papa dampnatum Gelasius successor illius et communioni reddidit, et ecclesiae suæ restituit.

### C. VIII.

(VII).

Cuiusque iudicium apostolicæ sedis auctoritas retractare ualet.

Item Innocentius Episcopis per Macedoniam constitutis. [epist. VII].

Graue non oportuit uideri piissimis mentibus uestris cuiuscumque retractare iudicium, quia ueritas sepius exagitata magis splendet in lucem, et pernicies reuocata in iudicium grauius et sine penitencia condempnatur.

Nam fructus diuinus est iusticiam sepius recenseri.

[[C. IX].

Gratian. Sicut ergo sententia Romanæ sedis in melius conmutari ualet, sic cuiuslibet ecclesiae sententia, cum per surreptionem data cognoscitur, rationabiliter reuocari poterit.

## QUESTIO X.

### GRATIANUS.

De ea autem, que ad secundas nuptias transit, utrum in eadem affinitate consanguineorum prioris uiri remaneat, an soboles ex secundis nuptiis suscepta consanguineis prioris uiri copulari possit, merito queritur.

De his ita scribit Gregorius Venerio, Caralitano Episcopo:

C. I. Affinitas in superstite non deletur.

Fraternitatis uestre studiosæ sagacitati, frater amande, quas debeo refero grates.

Quoniam quesisti que debuisti, iocundum me reddidisti.

Unde placide ad inquisita respondeo.

Sedem apostolicam consulere decreuisti, si mulier copula nuptiali extraneo uiro coniuncta cognationi eius pertineat, si eo defuncto cognatio maneat, uel si sub altero uiro cognationis uocabula dissoluantur, uel si susceptæ soboles possunt legitime ad prioris uiri cognationis transire copulam.

Est enim uerbum Dei ualidum et forte, et durabile, et perseuerabile, et inmutabile, non momentaneum, non transitorium.

Ait enim per se ipsa ueritas, que Deus est et uerbum Dei est: “Celum et terra transibunt, uerba autem mea non transibunt”.

Ante, quam Deus in carne appareret inter homines, eo inspirante dixit Adam: “Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adheret uxori suæ, et erunt duo in carne una”.

Deinde cum ueritas oriretur de terra in terram, et uisibilis appareret in humanitate, interrogatus est, si licitum esset homini uxorem relinquere.

Quod prohibens uetuit, nisi forte fornicatio excluderet maritalem copulam.

Unde statim protulit in medium eandem ipsam sententiam, quam ante secula manens cum Patre uerbum inspirauerat Adæ, ipse confirmans quod ipse primus protulit homo: “Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suæ, et erunt duo in carne una”.

Si una caro fiunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus uni pertinere nisi pertineat alteri?

Hoc minime fieri posse credendum est.

Porro uno defuncto in superstite affinitas non deletur, nec alia copula coniugalis affinitatem prioris copulæ soluere ualet.

Sed neque alterius coniunctionis soboles placet ad affinitatis prioris uiri consortium transire, pro eo, quod uerbum Domini ualidum est et forte, et, ut inquit dicit Propheta: “Verbum Domini stabit in eternum”.

Et alius Propheta: “Quoniam ipse dixit, et facta sunt, ipse mandauit, et creata sunt; statuit ea in eternum, et in seculum seculi; preceptum posuit, et non preteribit”.

Nam post uerbum atque preceptum effecit duo carnem unam (id est masculum et feminam), qui innumeram multitudinem utriusque sexus non destitit unum facere se cum, sicut per se ueritas dixit: “Non pro his rogo tantum, sed etiam pro his, qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint”.

Si quis ergo sacrilego et temerario ausu in defuncto querit propinquitatem extinguere, uel sub altero affinitatis uocabulo dissipare, uel susceptam sobolem alterius copulæ propinquitati prioris credit legitime sociari, hic negat Dei uerbum ualidum esse et forte, et qui tam facile uel tam uelociter querit dissoluere, hic non credit uerbum Dei in eternum manere.

Confice terram ex quatuor locis magna intercapedine a se distantibus, confecta et conglutinata finge cuiuscumque figuræ uel immensitatis corpus uolueris, numquid erit humanum ingenium, quod ipsas quatuor partes ab inuicem ualeat segregare, ut unaqueque per se possit agnosci?

Sic a quatuor auis duo conficiuntur in unum, et de duobus fit una concreatio.

Hanc similitudinem de quatuor elementis, unde homo concreatus est, colligere potes, si eorum unamquamque speciem, que in multis diuisionibus partita est, per discretas inter se assignaueris partes.

Fit idem in metallis; hoc etiam in liquoribus probatur in coloribus pictor prosequitur, arte colores admiscendo, ex uisibilibus fucis corpora fingens.

**C. II.** Soboles ex secundis nuptiis genita consanguineis prioris uiri copulari non debet.

Item Innocentius.

Si cuius patruus uel auunculus uxoratus obierit, et illa uirum alium postea duxerit, filios filias ue ex illo genuerit, cum his modis omnibus commisceri prohibemus, quia uir et mulier una caro est.

[[**C. III.**]

Item ex Romana Sinodo.

Si qua mulier ad secundas nuptias transierit, et ex eis sobolem genuerit, nullo modo potest ad consortium cognationis prioris uiri pertinere.

[**PALEA. C. IV.** De eodem.



Item Higinus Papa.

Si qua mulier transierit ad secundas nuptias, et ex eis prolem habuerit, ipsa proles non potest se copulare cognationi prioris uiri usque ad quartam generationem].

[PALEA. Unde Innocentius Papa:

C. V. De eodem.

Si qua mulier ad secundas transierit nuptias, et filios et filias ad secundum maritum genuerit, debere eas nepotibus prioris mariti coniungi, sancta Romana sinodus prorsus inhibuit].

## CAUSA XXXVI.

### GRATIANUS.

Filiam cuiusdam patre ignorante quidam muneribus illexit, ad conuiuium inuitauit; finito conuiuio iuuenis uirginem oppressit.

Quo conperto a parentibus iuueni traditur puella, ac more nubentium a iuene dotatur, et publice in uxorem ducitur.

(Qu. I).

Queritur, an ille raptum admiserit? (Qu. II).

Secundo, an rapta raptori nubere possit, patre assensum prestante?

### QUESTIO I.

#### GRATIANUS.

Quod autem ille raptum admiserit, probatur auctoritate multorum.

Ait enim Ysidorus in II. libro Ethimologiarum c. 33.:

C. I. Quid sit raptus.

Raptus quoque est illicitus coitus a corrumpendo dictus; unde qui rapto potitur stupro fruitur.

Item Gelasius Papa:

C. II. Ubi raptus admittitur.

Lex illa preteritorum principum ibi raptum dixit esse commissum, ubi puella, de cuius ante nuptiis nichil actum fuerat, uideatur abducta.

Gratian. Cum ergo hec illicito coitu sit corrupta, cum que ita sit abducta, id est a domo patris ducta, quod de eius nuptiis nichil actum ante fuerit, raptam appellandam negari non potest.

Sed non omnis illicitus coitus, nec cuiuslibet illicita defloratio raptus appellatur.

Aliud enim est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus.

§. 1. Fornicatio, licet uideatur esse genus cuiuslibet illiciti coitus, qui fit extra uxorem legitimam, tamen specialiter intelligitur in usu uiduarum, uel meretricum, uel concubinarum.

§. 2. Stuprum autem est proprie uirginum illicita defloratio, quando uidelicet non precedente coniugali pactione utriusque uoluntate uirgo corrumpitur, patre iniuriam ad animum statim post cognitionem non reuocante.

§. 3. Adulterium uero est alieni thori uiolatio.

Unde adulterium dicitur quasi ad alterius thorum accessio.

§. 4. Incestus est consanguinearum uel affinium abusus.

Unde incestuosi dicuntur qui consanguineis uel affinibus suis abutuntur.

§. 5. Raptus admittitur, cum puella a domo patris uiolenter ducitur ut corrupta in uxorem habeatur, siue puellæ solummodo, siue parentibus tantum, siue utrisque uis illata constiterit; hic morte mulctatur.

Sed si ad ecclesiam cum rapta confugerit, priuilegio ecclesiæ mortis impunitatem promeretur.

Unde in Concilio Aurelianensi [I. c. 4]. legitur:

**C. III.** Si raptor cum rapta ad ecclesiam confugerit, quid fieri debeat.

De raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut, si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit, et feminam ipsam uiolentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, et raptor, mortis uel penarum impunitate concessa, aut ad seruiendum subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem.

Si uero que rapitur patrem habere constiterit, et puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, et raptor patri superioris condicionis satisfactione teneatur obnoxius.

Gratian. Ex hac auctoritate liquet, quod aliquando uis infertur parentibus, et non puellæ, cum dicitur: “si puella raptori consenserit”.

Aliquando utrique uiolentiam perferunt, cum premittitur: “si raptor cum rapta confugerit, et feminam ipsam uiolentiam pertulisse constiterit”.

Puellæ autem et non parentibus uis infertur, cum uoluntate patris puella uiolenter abducitur, ut eius patiatur concubitum, cuius copulæ numquam adhibuit consensum.

Hic autem neque parentibus, neque puellæ uim intulisse uidetur, cum neque illis prohibentibus, neque illa renitente uiolenter abducta sit.

Aliud enim est promissionibus aliquam seducere, aliud uim sibi inferre.

Unde, quia neutri uis illata probatur, raptor hic iure dici non debet.

Sed rapina dupliciter fieri dicitur; aliquando enim res ipsa rapitur, aliquando ipsius rei usus tantummodo uiolenter eripitur.

Res ipsa tunc rapitur, cum uiolenter domino eripitur, ut in perpetuum teneatur; aliquando uero non res ipsa affectatur, sed usus eius domino prohibente uiolenter usurpatur.

Hic ergo raptum admisit, quia florem uirginitatis puellæ renitenti uiolenter eripuit.

## QUESTIO II.

### GRATIANUS.

#### I. Pars.

Nunc queritur, an purgato uicio rapinæ raptor in uxorem possit raptam accipere?

Quorum coniunctio auctoritate sanctorum canonum penitus prohibetur.

Legitur namque in Concilio Calcedonensi c. 27.:

**C. I.** Raptores puellarum et consentientes excommunicentur.

Eos, qui rapiunt puellas siue mulieres sub nomine simul habitandi, cooperantes, aut conniuentes raptoribus, decreuit sancta synodus, ut, si quidem clerici sunt, decidant gradu proprio; si uero laici, anathematizentur.

**C. II.** Ob inmanitatem sceleris abiciantur raptores uiduarum uel uirginum.

Item Simacus. [epistola ad Cesarium, c. 3].

Raptores igitur uiduarum uel uirginum ob inmanitatem tanti facinoris detestamur; illos uehementius persequendo, qui sacras uirgines, uel uolentes uel inuitas, matrimonio suo sociare temptauerint.

Quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate a communione suspendi precipimus.

[[**C. III.**]

Item Iouinianus Inp. Codicis libro I. titulo de Episcopis et Clericis.

Si quis non dicam rapere, sed attemptare tantummodo matrimonii iungendi causa sacratissimas uirgines ausus fuerit, capitali pena feriatur.

**C. IV.** De eodem.

Item ex Concilio Cabilonensi.

De puellis raptis, necdum desponsatis, in Calcedonensi concilio scriptum est, eos, qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes et conniuentes raptoribus, decreuit sancta synodus, ut, si quidem clerici sunt, decidant a proprio gradu; si uero laici, excommunicentur.

Quibus uerbis datur intelligi, qualiter huius mali auctores dampnandi sunt, quando participes consilii et conniuentes tanto anathemate feriuntur et iuxta canonicam auctoritatem ad coniugia legitima raptam sibi iure uendicare nullatenus possunt.

**C. V.** Excommunicentur raptores uiduæ uel uirginis, cum sibi fauentibus.

Item Gregorius. [Papa II. in Sinodo Romana]

Si quis uirginem uel uiduam, nisi desponsauerit, rapuerit, uel furatus fuerit in uxorem, cum sibi fauentibus anathema sit.

**C. VI.** Excommunicetur qui uiduam uel filiam alterius extra uoluntatem parentum rapit, aut regis beneficio postulat.

Item ex Concilio Parisiacensi. [I., c. 6].

Nullus aut uiduam, aut filiam alterius extra parentum uoluntatem aut rapere presumat, aut regis beneficio estimet postulandam.

Quod si fecerit, ab ecclesiæ communione remotus anathematis gladio feriatur.

## **II. Pars.**

Gratian. His auctoritatibus euidenter datur intelligi, quod raptor in uxorem raptam ducere non ualet.

Sed raptor et rapta nomina sunt uiciorum, non personarum.

Vicia autem cum per penitentiam purgata fuerint, nomina eorum abolentur.

Unde in quadam omelia Gregorius ait:

[[**C. VII.**]

“Apud omnipotentem quippe Dominum nec ille fallax habebitur, qui culpam mendacii per penitentiam delet”.

[Gratian.] Prohibetur ergo premissis auctoritatibus rapta copulari raptori ante, quam uicium rapinæ aboleatur, donec ille raptor, et illa iure rapta appellatur.

Ceterum, cum illa patriæ potestati restituta fuerit, et raptor suæ rapinæ penitentiam, egerit, cum uoluntas parentum utriusque in unum conuenerit, non prohibentur ad inuicem copulari.

Unde Ieronimus ait:

**C. VIII.** Quot sint legitima coniugia, et quod uoluntate patris rapta raptori nubere potest. Tria legitima coniugia in scripturis leguntur.

Primum legitimum est, uirgo casta in uirginitate data uiro legitime, et reliqua, que secuntur in predictis.

Secundum, uirgo in ciuitate deprehensa a uiro, et illi per uim copulata.

Si uoluerit pater eius, dotabit eam iste uir, quantum iudicauerit pater, et dabit precium pudicitiae eius.

Tertium, filia predicta deprehensa.

Si non fuerit uoluntas patris, trahet eam a predicto uiro, et tradet eam alii, et dotabit eam, et legitima erit ei.

Sed primum his duobus preferitur.

**C. IX.** Cum uoluntate parentum raptas in coniugium habere permittitur.

Item Ambrosius in Apologia Daud. [c. 8].

Denique et puellæ illius pater, que uim concubitus nulli desponsata pertulerit, quinquaginta drachmas argenteas accipiet; ipsa autem in coniugio permanebit.

**C. X.** Post penitentiam raptori uel raptæ licita coniugia concedantur.

Item ex Concilio Meldensi. [c. 65].

Si autem necdum eas, quas rapuerant, cum uoluntate parentum sub desponsationis uel dotalitii nomine in coniugium duxerunt, quando hec constitutio omnibus fuerit promulgata, ab eorum coniunctione separentur, et publicæ penitentiæ subigantur; raptæ autem parentibus legaliter restituantur.

Peracta uero penitentia publica, si etas incontinentiam exegerit, ex utrisque partibus placito coniugio socientur.

Non in his regulam constituimus, sed (ut uerbis magni Leonis utamur) quid sit tollerabilius estimamus.

Quod si unus ex coniugatis obierit, et is, qui publicam penitentiam exegerit et superstes extiterit, iterare coniugium non presumat, nisi episcopus aliquam concesserit indulgentiam, ut grauiorem possit amouere offensam.

Gratian. Hac auctoritate Meldensis concilii non permittitur raptæ raptori post penitentiam copulari, sed permittitur utrique post penitentiam legitimo coniugio copulari, ut rapta uidelicet non raptori, sed alii post penitentiam nubat.

Similiter raptor post penitentiam non eam, quam rapuit, sed aliam permittitur habere uxorem.

Cum enim raptor et rapta penitentiæ subici precipiantur, si utriusque copulam auctoritas illa permetteret, frustra circa finem capituli diceretur: “Quod si unus ex coniugatis obierit, et is, qui publicam penitentiam exegerit, superstes extiterit, iterare coniugium non presumat”.

Eorum namque quolibet decedente, qui penitentiam exegit superstes remanebit.  
Non ergo hac auctoritate raptor probatur in coniugium rapta posse accipere.  
Potius inuenitur in Concilio apud Aquasgrani, quod nec etiam uoluntate parentum  
possunt adinuicem copulari.  
Sic enim in prefato concilio legitur:

**C. XI.** Nec etiam uoluntate parentum raptores raptas possunt habere coniuges.  
Placuit, ut hi, qui, rapiunt feminas uel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant  
uxores, quamuis eis postmodum conueniant, aut eas dotauerint, uel nuptialiter cum  
consensu parentum suorum acceperint.  
Gratian. Hec auctoritas non preiudicat auctoritati Ieronimi, maxime cum illa testimonio  
diuinæ legis nitatur.  
Legitime igitur post peractam penitentiam raptor poterit sibi copulare quam rapuit nisi  
pater puellæ illam raptori detrahere uoluerit.

[PALEA. Item Codicis libro 5. titulo de nuptiis:  
Nec filium quidem familias inuitum ad ducendam uxorem cogi legum disciplina  
permittit.  
Igitur, sicut desideras, obseruatis iuris preceptis, sociare coniugio tuo quam uolueris,  
non inpediris; ita tamen, ut in contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat.  
Item in eodem:  
[leg. 20].  
In coniunctione filiarum in sacris positarum patris expectetur arbitrium.  
Item Digestis de ritibus nuptialibus:  
[leg. 2]. Consistere non possunt nuptiæ, nisi consentiant omnes, id est qui coeunt,  
quorumque in potestate sunt.  
Item Institutionum libro I. titulo de nuptiis:  
Iustas autem nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum precepta legum  
coeunt; masculi quidem puberes, feminæ autem uiripotentes, siue patresfamilias sint  
siue filiifamilias, dum tamen filiifamilias consensum habeant parentum, quorum in  
potestate sunt.  
Nam hoc fieri debere et ciuilis et naturalis ratio persuadet in tantum, ut iussus parentis  
precedere debeat].

**DECRETI PARS TERTIA****DE CONSECRATIONE.****DISTINCTIO I.****GRATIANUS.**

[C. I].

“De ecclesiarum consecratione, et missarum celebrationibus non alibi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota noui et ueteris testamenti precepta”.

[[C. II].

“Tabernaculum enim Moysen Domino precipiente fecisse et sacrasse, cum mensa et altari eius, et ereis uasis et utensilibus ad diuinum cultum explendum legimus, et non solum diuinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione, Domino iubente, perlinisse nouimus.

Qualiter autem hec facta sunt, et non alii ipsa sacra, quam sacerdotes sacra unctione delibuti, Domino que cum uestibus sanctis sacrati, et Leuitæ tractabant, ferebant, erigebant, et deponebant, in ipsis institutionibus, que iubente Domino per Moysem conscriptæ sunt, in lege Domini reperitur.

Qualiter ergo Daud piissimus regum amplificauerit cultum Dei, et templum Domini edificare uoluit, sed propter multum sanguinem, quem effuderat, prohibitus est, et ipse expensas collegerat; Salomon quoque filius eius, quod ipse facere optauerat, iubente et auxiliante Domino perfecit, et templum cum altari, et reliqua ad diuinum cultum peragendum consecrauit, in libro Regum legitur.

§. 1. Fecit ergo Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem, et omnis Israël cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad riuum Egipti coram Domino Deo nostro septem diebus et septem diebus, id est quatuordecim diebus, et in die octauo dimisit populos.

§. 2. Iudei ergo loca, in quibus Domino sacrificabant, diuinis habebant supplicationibus consecrata, nec in aliis, quam in Deo dicatis locis, munera Domino offerebant.

Si enim Iudei, qui umbræ legis deseruiebant, hec faciebant, multo magis, quibus ueritas patefacta, et gratia et ueritas per Iesum data est, templa Domino edificare, et, prout possumus melius, ornare, ea que diuinis precibus, et sanctis unctionibus suis cum altaribus, et uasis, uestibus quoque et reliquis ad diuinum cultum explendum utensilibus deuote et solempniter sacrare, et non in aliis, quam in Domino sacratis ab episcopis, et non a chorepiscopis (qui sepe prohibiti sunt, nisi, ut predictum est, summa necessitate exigente), missas celebrare, nec sacrificia Domino offerre debemus.

Et hoc si summa necessitas agere compulerit, non in domibus offerre prohibita sunt.

§. 3. Si autem, ut legitur in concilio Laudicensi capitulo 27., quod hi, qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis quam in domibus exorcizare non possunt, multo magis maioris gradus ministeria nisi ab eis, qui ad eos gradus sunt consecrati, quibus fungi debent, officia agi debent uel sacrificia offerri licet.

Quod autem, ut paulo superius prelibatum est, oblationes in domibus offerri non debent, in eodem concilio c. 59. prohibitum habetur ita: ‘Non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis uel presbiteris’.

**C. III.** Ecclesiarum consecratio absque missa fieri non debet.

Item Iginus Papa, c. 5.

## **II. Pars.**

Omnes basilicæ cum missa debent semper consecrari.

§. 1. Et ecclesiæ destructæ, ubi autem plures sunt, quam necesse sit, aut maioris magnitudinis, quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopi prouidentia modus inueniatur, qualiter consistere possint.

**C. IV.** Absque precepto sedis apostolicæ noua non dedicetur ecclesia.

Gelasius c. 34.

## **III. Pars.**

De locorum consecratione, quamuis superius strictim fuerit comprehensum, michi quoque patefactum est, quod absque precepto sedis apostolicæ nonnulli factas ecclesias uel oratoria sacrare presumant.

**C. V.** Sine auctoritate summi Pontificis noua non dedicetur ecclesia.

Idem.

Precepta sinodalia, que ante paucos menses de sede nostra ad prouinciam sunt directa, et antiquis canonibus consentiunt, et ea, que minus esse probantur, addidimus, et in utraque parte constat, sine summi Pontificis auctoritate ecclesiam nouiter conditam non posse dedicari; te que ex hac basilica, que taliter fuerat ad cultum processionis adducta, suspendisse missas probabiliter computamus.

Sed quia deuotus locus non debet a ministeriorum gratia diu uacuu permanere, frater karissime, eorum martirum nomine, quorum relatio continet, auctoritatis nostræ suscepta serie consecrabis, ut populorum frequentatio, quam illic auide conuenire mandasti, seruatis regulis ecclesiasticis et canonibus, integrum habeat firmata religione conuentum.

**C. VI.** Non dedificentur basilicæ, que preter auctoritatem apostolicæ sedis fuerint edificatæ.

Idem. [Episcopis per Lucaniam c. 6]

Basilicas nouiter institutas, non petitis ex more preceptionibus, dedicare nemo audeat, nec ambient sibimet episcopi uendicare clericos potestatis alienæ. [Et c. 11]. §. 1. Cum enim decreta uenerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa, que pro alicuius utilitatis conpendio fortasse uideantur, laxanda credamus, cum que nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus

nichil dicere temere, et cum sedes apostolica superior his omnibus, fauente Domino, que paternis canonibus sunt prefixa pio deuoto que studeat tenere proposito: satis indignum est, quemquam uel pontificum uel ordinum subsequendum hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedem et sequi uideat et docere; satis que conueniens sit, ut totum corpus ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic uigere conspiciat, ubi Dominus ecclesiæ totius posuit principatum.

**C. VII.** Publicæ processiones non fiant in oratoriis, que preter auctoritatem sedis apostolicæ consecrantur.

Idem Iohanni, Episcopo Sorano.

Certum est quidem nostris preceptionibus constitutum, ne quis in ecclesia aut in oratorio, quod sedis nostræ non legitur permissione dedicatum, processionem publicam putaret inpendi, ne conditores furtiuis subreptionibus contra regularum statuta prosilirent.

Sed quia Megetia spectabilis femina petitorii nobis oblatione suggessit, in possessionibus propriis suorum corpuscula condidisse, frater karissime, humanitatis intuitu, quod priora statuta non maculet funeribus et sepulchris, tantum in comprehensio petitorio locis ministeria noueris pro solempnitate prestanda, ut defunctorum nomine solummodo diuina celebrentur officia, publica frequentatione et processione cessante.

**C. VIII.** Sine nutu sedis apostolicæ ecclesia non debet institui.

Item Nykolaus Papa Clero et Plebi Nonensis Ecclesiæ.

Ecclesia, id est catholicorum collectio, quomodo sine apostolicæ sedis instituetur nutu, quando iuxta sacra decreta nec ipsa debet absque preceptione Papæ basilica nouiter construi, que ipsam catholicorum intra semet amplecti cateruam dinoscitur?

**C. IX.** Sine designatione episcopi non edificetur ecclesia.

Item ex Concilio Aurelianensi.

#### **IV. Pars.**

Nemo ecclesiam edificet ante, quam ciuitatis episcopus ueniat, et ibidem crucem figat, publice atrium designet, et ante prefiniat, qui edificare uult, que ad luminaria, et ad custodiam, et stipendia custodum sufficiant, et ostensa donatione sic domum edificet, et post, quam consecrata fuerit, atrium eiusdem ecclesiæ sancta aqua conspergat.

**C. X.** Non consecretur ecclesia, que pro questu cupiditatis edificatur.

Item ex Concilio Bracarensi. [II. c. 6].

Si quis basilicam non pro deuotione fidei, sed pro questu cupiditatis edificat, ut quicquid de oblatione populi colligitur medium cum clericis diuidat, eo quod basilicam in terra sua condiderit, hoc de cetero obseruari debet, ut nullus episcoporum tam abhominabili uoto consentiat, nec basilicam, que non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria condicione est condita, audeat consecrare.

**C. XI.** Sacrificia non nisi super altare et in locis Deo consecratis offerantur.

Item Felix Episcopus omnibus orthodoxis. [ep. I].

#### **V. Pars.**



Sicut non alii, quam sacri Domino sacerdotes debent missas celebrare, nec sacrificia super altare offerre, sic nec in aliis, quam Domino consecratis locis, id est in tabernaculis diuinis precibus a pontificibus delibatis, missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas.

Satius ergo est missam non cantare, aut non audire, quam in his locis, ubi fieri non oportet; nisi pro summa necessitate contingat, quoniam necessitas legem non habet.

Unde scriptum est: “Vide, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem uideris, sed in omni loco, quem elegerit Dominus Deus tuus”.

In domibus tamen ab episcopis siue presbiteris oblationes celebrari nullatenus licet.

**C. XII.** Non nisi in locis sacratis missarum solempnia celebrentur.

Item ex Concilio Triburiensi.

Missarum solempnia non ubicumque, sed in locis ab episcopo consecratis, uel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus.

**C. XIII.** precibus diuinis consecrentur ecclesiae.

Item Clemens. [epist. II. ad Iacobum].

Ecclesias per congrua et utilia facite loca, que diuinis precibus sacrare oportet, et non a quoquam grauari.

**C. XIV.** Sacrificare et missas celebrare non licet, nisi in locis sacratis.

Idem.

Hic ergo, id est in presenti uita positos, oportet uos agnoscere uoluntatem Dei, ubi et agendi, et sacrificandi locus est, quoniam in aliis locis sacrificari et missas celebrari non licet, nisi in his, in quibus episcopus iusserit, aut ab episcopo regulariter ordinato, tenente uidelicet ciuitatem, consecrata fuerint.

Aliter enim non sunt hec agenda, nec rite celebranda.

Item Silvester Papa: [in generali residens Sinodo dixit]

**C. XV.** Abiciatur sacerdos, qui in locis non consecratis missas celebrare presumit.

Nullus presbiter missas celebrare presumat, nisi in sacratis ab episcopo locis, qui sui particeps de cetero uoluerit esse sacerdotii.

**C. XVI.** Singulis annis dedicationum solempnitates celebrentur, et consecretur etiam ecclesia, de cuius consecratione dubitatur.

Item Felix Papa omnibus orthodoxis. [ep. I. c. 1. et 2].

## **VI. Pars.**

Solempnitates dedicationum ecclesiarum, et sacerdotum, per singulos annos sunt celebrandae.

§. 1. De ecclesiarum consecrationibus quociens dubitatur, ut nec certa scriptura, nec testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse sacrandas; nec talis trepidatio facit iterationem, quoniam non monstratur esse iteratum quod nescitur factum.

**C. XVII.** De eodem et quod octo diebus dedicationum solempnitas est celebranda.

Item Gregorius.

Solempnitates dedicationum ecclesiarum sunt solempniter celebrandæ per singulos annos, ipso Domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus uenit, sicut scriptum est: “Facta sunt encenia in Ierosolimis, et hiemps erat, et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis”.

Quod autem octo diebus encenia sint celebranda, in libro Regum perlecta dedicatione templi reperies.

**C. XVIII.** Consecrentur ecclesiæ, de quarum consecratione dubitatur.

Item ex Concilio Meldensi, c. 8.

## **VII. Pars.**

Ecclesiæ uel altaria, que ambigua sunt de consecratione, consecrentur, et superflua altaria destruantur.

**C. XIX.** Quando ecclesia est denuo consecranda, et salibus tantum exorcizanda.

Item Iginus Papa.

Si motum fuerit altare, denuo consecretur ecclesia; si parietes mutantur, et non altare, salibus tantum exorcizetur.

§. 1. Si homicidio uel adulterio ecclesia uiolata fuerit, diligentissime expurgetur et denuo consecretur.

**C. XX.** Ecclesia semel Deo consecrata quando sit iterum consecranda.

Item ex Niceno Concilio.

Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiusquam semine pollutæ fuerint; quia sicut infans, a qualicumque sacerdote in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari: ita nec locus Deo dicatus iterum consecrandus est, nisi propter eas causas, quas superius nominauimus; si tamen fidem sanctæ Trinitatis tenuerint qui eum consecrauerunt.

**C. XXI.** De eodem.

Item Iohannes Papa. [Episcopis Italiæ].

Ecclesias Arrianorum ubicumque inueneritis, catholicas eas diuinis precibus et operibus absque ulla mora consecrate, sicut et nos fecimus cum pro causa Theodorici regis Constantinopolim fuisset.

**C. XXII.** De eodem.

Item Gregorius in Dialogo. [lib. III. c. 30].

Arrianorum ecclesia in regione urbis huius, que Subura dicitur, cum clausa usque biennium permansisset, placuit, ut in fide catholica (introducitis illic B. Sebastiani et S. Agathæ martiris reliquiis) dedicari debuisset, quod et factum est.

**C. XXIII.** De eodem.

Agapitus Papa uas catholicum, euangelii tuba, prece iusticiæ, sacra altaris sedis que uelamina, sacrilegis Antimi infecta fabulis, suis catholicis precibus eluit.

**C. XXIV. De eodem.**

Item Iulius Papa. [ad Eutherium epist. I. C. 4].

De fabrica uero cuiuslibet ecclesiæ instauranda, si diruta fuerit, et si in eo loco consecrationis solempnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nichil iudicamus officere, si per eam minime aqua exorcizata iactetur, quia consecrationem cuiuslibet ecclesiæ, in qua Spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tantum scimus esse missarum.

Et ideo, si qua sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innouata sine altaris motione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit missarum celebrata solempnitas, totius consecratio sanctificationis inplebitur.

Si uero sanctuaria, que habebat, ablata sunt, rursus earum depositione, et missarum solempnitate reuerentiam sanctificationis accipiet.

**C. XXV. Absque episcopi permisso in ecclesia consecrata non erigatur altare.**

Item ex Decretis Ormisdæ Papæ c. 10.

**VIII. Pars.**

Nullus presbiter in ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci fuerit sanctificatum uel permissum, ut sit discretio inter sacrum et non sacrum; nec dedicationem fingat, nisi sit.

Quod si fecerit, degradetur, si clericus est; si laicus, anathematizetur.

**C. XXVI. Euertantur altaria, que sine sanctorum reliquiis eriguntur.**

Item ex Concilio Affricano, c. 50.

Placuit, ut altaria, que passim per agros et per uillas tamquam memoriæ martirum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martiris conditæ probantur, ab episcopis, qui eisdem locis presunt, si fieri potest, euertantur.

Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes ammoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt nulla ibi superstitione deuicti teneantur.

Et omnino nulla memoria martirum probabiliter accipiatur nisi ubi aut corpus aut certæ sunt reliquiæ, aut ubi origo alicuius habitationis, uel possessionis, uel passionis fidelissima origine traditur.

Nam que per sompnia et per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omnimodo reprobentur.

**C. XXVII. Non est consecranda ecclesia, in qua paganus sepultus inuenitur.**

Item ex Concilio Aurelianensi c. 3.

Ecclesiam, ubi paganus sepultus est, non liceat consecrari, neque missas in ea celebrare, sed iactare foras, et mundari oportet.

**C. XXVIII. De ecclesia, in qua cadauera fidelium siue infidelium sepeliuntur.**

Item ex Concilio Agrippinensi.

Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet; sed si apta uidetur ad consecrandum, inde euulsis corporibus, et rasis parietibus uel tignis eius loci, reedificetur.

Sed si hec consecrata prius fuerit, missas in ea celebrare licet; si tamen fideles fuerunt qui in ea sepulti sunt.

**C. XXIX.** Super monumenta in campo sacra non distribuantur misteria.

Item ex Concilio Martini Papæ. [Bracarenensis, c. 68. et 69. sinod. grecarum]

Non oportet clericos ignaros et presumptores super monumenta in campum ministeria portare, aut distribuere sacramenta; sed aut in ecclesia, aut in basilica, ubi martirum reliquiæ sunt depositæ, ubi pro defunctis offerri oblationes solent.

§. 1. Nec liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, et sacrificare mortuis.

**C. XXX.** Quomodo in ecclesia combusta missa possit celebrari.

Item ex Concilio Triburiensi.

Concedimus etiam, ut sicubi (quod peccatis nostris exigentibus perplurimum factum est) a Normanis et a Sclavis, ab Ungaris, et a malis Christianis, seu alio qualicumque modo ecclesiæ fuerint incensæ et combustæ, in capellis cum tabula consecrata missas interim celebrari permittimus, donec ecclesiæ ipsæ restaurari queant.

In itinere uero positis, si ecclesia defuerit, sub diuo, seu in tentoriis, item si tabula altaris consecrata cetera que sacra misteria ad id officium pertinentia ibi affuerint, missarum solemnities celebrari concedimus.

**C. XXXI.** Crismate non ungantur altaria, nisi fuerint lapidea.

Item ex Concilio Epaonensi, c. 6.

Altaria, si non sint lapidea, crismatis unctione non consecrentur.

Ad celebranda autem diuina officia ordinem, quem metropolitani tenent, conprouinciales eorum obseruare debebunt.

**C. XXXII.** Crismatis unctione et sacerdotali benedictione sacrentur altaria.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 14].

Altaria placuit non solum unctione crismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

**C. XXXIII.** In priuatis oratoriis licet orare, sed non missas celebrare.

Item ex Concilio Aurelianensi c. 3.

Unicuique fidelium, licet in domo sua oratorium habere, et ibi orare; missas autem ibi celebrare non licet.

**C. XXXIV.** In priuatis oratoriis absque consensu episcopi nullus ministrare presumat.

Item ex VI. Sinodo. [c. 31].

Clericos, qui ministrant in oratoriis, que intra domos sunt, cum consensu episcopi loci illius hoc facere precipimus.

Si quis uero hoc non obseruauerit, deponatur.

**C. XXXV.** Qui extra parrochias habent oratoria, his diebus ad parrochias redire cogantur.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 21].

Si quis etiam extra parrochias, in quibus legitimus est ordinarius que conuentus, oratorium habere uoluerit, reliquis festiuitatibus, ut ibi missas audiat, propter fatigationem familiæ iusto ordine permittimus.

Pascha uero, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten et Natale S. Iohannis Baptistæ, et si que maximæ dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus aut in parrochiis audiant.

Clerici uero, si qui in his festiuitatibus, quas supra diximus in oratoriis (nisi iubente aut permittente episcopo) missas celebrare uoluerint, a communione pellantur.

**C. XXXVI.** Quibus ex causis loca sanctorum mutanda sint.  
Item Augustinus.

### **IX. Pars.**

Tribus ex causis loca sanctorum transmutanda sunt.

Prima, cum necessitas persecutorum loca eorum grauauerit.

Secunda, cum difficultas locorum fuerit.

Tercia, cum malorum societate grauantur.

**C. XXXVII.** Quando alicui corpora sanctorum de loco ad locum transferre non licet.  
Item ex Concilio Maguntiensi, [I]. c. 51.  
Corpora sanctorum de loco ad locum nullus transferre presumat sine consilio principis, uel episcoporum sanctæ que sinodi licentia.

**C. XXXVIII.** In usum laicorum non conuerti licet ligna ecclesiæ dedicatæ.  
Item Iginus Papa.

### **X. Pars.**

Ligna ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam ecclesiam, uel igni comburenda, uel ad profectum in monasterio fratribus; in laicorum opera non debent admitti.

**C. XXXIX.** Vestimenta sacra et uasa pre uetustate consumpta incendantur, et cineres eorum in loca occulta proiciantur.

Item Clemens Iacobo, Iherosolimitanorum Episcopo. [epist. II].

Altaris palla, cathedra, candelabrum, et uelum, si fuerint uetustate consumpta, incendio dentur, quoniam non licet ea, que in sacrario fuerint, male tractari, sed incendio uniuersa tradantur.

Cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, ubi nullus transitum habeat; aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus coinquentur.

**C. XL.** Mortui non obuoluantur uestimentis altaris.  
Idem.

Nemo per ignorantiam clericus mortuum credat aduoluendum aut eius scapulas operire uelit palla que fuit in altari, aut certe que diacono data est in mensa Domini.

Qui hoc fecerit, uel leuiter, quasi nichil et negligenter habuerit, diaconus triennio sex que mensibus a dominico erit remotus altari, graui percussus anathemate.

Eo quod clericum non ammonuerit presbiter, decem annis et quinque mensibus excommunicatus sit, propter quod de dominicis sacramentis subiecta sibi non ammonuerit ministeria; et postea cum grandi humilitate matri reconcilietur ecclesiæ.

§. 1. Pallas uero et uela que in sanctuario sordidata fuerint ac ministeria, diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium, et uelamina dominicæ mensæ abluant, ne forte puluis dominici corporis male decadat.

Sindonem uero non foris abluant, et erit hoc non operanti peccatum.

Idcirco intra sacrarium ministris precipimus cum diligentia custodire.

Sin peluis noua comparetur, et preter hoc nichil aliud tangat.

Sed nec ipsa peluis apponatur lauandis uelis, nisi que ad dominici altaris cultum pertinent; pallæ in alia pelui lauentur, et in alia uela ianuarum.

§. 2. Cura sit etiam hostiariis ex admonitione maioris, ne quis negligens aut ignarus ad uelum ianuæ domus Domini manus incognite tergat; sed statim coercitus discat omnis homo, quia uelum atrii domus Domini est.

C. XLI. Sacra uasa non nisi a sacratis contrectentur hominibus.

Item Sixtus. [epist. II].

In sancta apostolica sede statutum est, ut sacra uasa non ab aliis, quam a sacratis Domino que dicatis contrectentur hominibus.

Ne pro talibus presumptionibus iratus Dominus plagam inponat populo suo, et hi etiam, qui non peccauerunt, pereant quia perit iustus sepissime pro inpio.

C. XLII. Non nisi a sacratis hominibus uestimenta sacra ferentur.

Item Stephanus Episcopus familiari amico Hilario. [epist. I. c. 5].

Vestimenta ecclesiæ quibus Domino ministratur, et sacrata debent esse et honesta, quibus in aliis usibus non debent frui, quam ecclesiasticis et Deo dignis offitiis; que nec ab aliis debent contingi aut offerri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio, que Baltasar regem percussit, super hoc transgredientes ueniat, et corruere eos faciat ad ima.

C. XLIII. Diuina misteria nuptiarum non prestantur ornatibus.

Item ex Concilio Aurelianensi.

Ad nuptiarum ornatum misteria diuina non prestentur, ne, dum improborum tactu uel pompa secularis luxuriæ polluantur, ad offitium sacri misterii uideantur indigna.

C. XLIV. In ligneis uasculis dominici corporis et sanguinis sacramenta non sunt celebranda.

Item ex Concilio Triburiensi, c. 9.

## XI. Pars.

Vasa, quibus sacrosancta conficiuntur misteria, calices sunt et patenæ, de quibus Bonifatius martyr et episcopus, interrogatus, si liceret in uasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes non aureis sed ligneis calicibus utebantur.

Zepherinus, XVI. Romanus episcopus, patenis uitreis missas celebrare constituit.

Deinde Urbanus X. Papa omnia misteria sacra fecit argentea.

In hoc enim, sicut et in reliquis cultibus, magis et magis per incrementum temporum decus succreuit ecclesiarum.

Nostris enim diebus, qui serui patrisfamilias sumus, ne decus matris ecclesiæ minuatur, sed magis cumuletur et amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum misterium corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ligneis uasculis ullo modo conficere presumat, ne, unde placari debet, inde irascatur Deus.

**C. XLV.** Ex qua materia calix cum patena fieri debeat.

Item ex Concilio Remensi c. 6.

Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat.

§. 1. Si quis autem tam pauper est, saltim uel stagneum calicem habeat.

§. 2. De ere autem aut ex auricalco non fiat, quia ob uini uirtutem eruginem pariter que uomitum prouocat.

§. 3. Nullus autem in ligneo aut in uitreo calice presumat missam cantare.

**C. XLVI.** Non in serico, sed in puro lintheo sacrificium consecratur altaris.

Item ex epistola Eusebii et Siluestri Papæ.

Consulto omnium constituimus, ut sacrificium altaris non in serico panno aut intincto quisquam celebrare missam presumat, sed in puro lineo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto; sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit.

**C. XLVII.** A quibus sit tradita missarum celebratio.

Item ex VI. Sinodo. [c. 32].

## **XII. Pars.**

Iacobus frater Domini secundum carnem, cui primum credita est Iherosolimitana ecclesia, et Basilius, episcopus Cesariensis, cuius claritas per totum orbem refulsit, in scripturis addiderunt nobis missæ celebrationem.

**C. XLVIII.** Qua hora sint missarum sollempnia celebranda.

Item Thelesphorus Papa VII. a Petro. [in epistola ad omnes c. 2].

## **XIII. Pars.**

Nocte sancta Natiuitatis Domini saluatoris missas celebrent presbiteri, et ymnum angelicum in eis sollempniter decantent, quoniam et eadem nocte ab angelo pastoribus est nunciatus.

§. 1. Et subito facta est cum angelo multitudo miliciæ celestis laudantium Deum, et dicentium: "Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis".

Reliquis uero temporibus missarum celebrationes ante horam diei terciam minime sunt celebrandæ, quia in eadem hora et Dominus crucifixus est, et super Apostolos Spiritus sanctus legitur descendisse.

**C. XLIX.** Non nisi a ieiunis hominibus sacramenta celebrentur altaris.

Item ex Concilio Cartaginensi, c. 8.

## **XIV. Pars.**

Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniuersario, quo cena Domini celebratur.

Nam si aliquorum promeridiano tempore defunctorum, siue episcoporum siue ceterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, iam pransi inueniantur.

**C. L.** Ante missarum solempnia, circa horam nonam decantata nulli, in Quadragesima comedere licet.  
Item ex Concilio Cabilonensi.

### **XV. Pars.**

Solent plures, qui se ieiunare putant in Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam, manducare.

Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint, quam uespertinum celebretur offitium.

Concurrentum est enim ad missam, et auditis missarum solempnibus et uespertinis offitiis largitis elemosinis ad cibum accedendum est.

Si uero aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad missam uenire non ualeat, estimata uespertina hora, completa oratione sua ieiunium soluat.

### **XVI. Pars.**

Gratian. In ieiuniis etiam quatuor temporum circa uespertinas horas, in sabbato uero sancto circa noctis initium missarum solempnia sunt celebranda.

Unde Leo episcopus: "Quod a patribus nostris".

Item Gelasius: "Ordinationes presbiterorum".

Item Pelagius: "Dilectionis tuæ rescripta".

Require in tractatu ordinandorum.

Prima quoque parte diei missarum solempnia non incongrue celebrantur.

Unde Leo Papa Dioscoro, Alexandrino Episcopo: [epist. LXXIX. al. LXXXI. c. 2].

**C. LI.** Etiam prima parte diei missas celebrare licet.

Necesse est autem, ut quedam pars populi sua deuotione priuetur, si unius tantum missæ more seruato sacrificium offerre non possunt, nisi primi parte diei conuenerint.

Studiose ergo fraternitatem tuam familiariter ammonemus, ut quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis fide et actibus congruamus.

Propter quod remeanti filio nostro Possidonio presbitero hanc ad tuam dilectionem epistolam dedimus perferendam, qui nostris processionibus atque actionibus frequenter interfuit, et tociens ad nos missus quid in omnibus apostolicæ sedis auctoritas teneret agnouit.

**C. LII.** Missæ peculiare non sunt in publico cantandæ.

Item Augustinus.

Et hoc attendendum est, ut missæ peculiare, que per dies solempnes sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis missarum solempnibus, que hora tertia canonice fiunt, abstrahatur.

**§. 1.** Sed sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, et populus in unum ad publicam missarum celebrationem conueniant.



**C. LIII.** Quot missas in die sacerdotibus celebrare liceat.  
Item Alexander Papa.

### **XVII. Pars.**

Sufficit sacerdoti unam in die una celebrare missam, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit.

Non modica res est unam missam facere, et ualde felix qui unam digne celebrare potest.

Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse sit.

Qui uero pro pecuniis aut adulationibus secularium una die presumunt plures facere missas, non estimo euadere dampnationem.

**C. LIV.** Ex Saluatoris et Apostolorum docemur exemplo ymnos cantare.  
Item ex Concilio Tolletano III. [c. 12].

### **XVIII. Pars.**

De ymnis canendis et Saluatoris, et Apostolorum habemus exemplum.

Nam et ipse Dominus ymnum dixisse perhibetur, Mattheo euangelista testante: “Et ymno dicto exierunt in montem Oliueti”.

Et Paulus apostolus ad Ephesios scribit dicens: “Inplemini Spiritu, loquentes uobis in psalmis, et ymnis, et canticis spiritualibus”.

Et quia nonnulli ymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum et martirum triumphos noscuntur esse compositi, sicut hi, quos beatissimi doctores Ylarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant pro eo, quod de scripturis sanctorum canonum uel apostolica traditione non existunt: respuant ergo et illum ymnum ab hominibus compositum, quem cottidie publico priuato que offitio in fine omnium psalmorum dicimus: “Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto in secula seculorum, Amen”.

Nam et ille ymnus, quem nato Christo in carne angeli cecinerunt: “Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis,” et reliqua, que ibi secuntur, ecclesiastici doctores composuerunt.

Ergo nec ipsi in ecclesiis canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum libris non inueniuntur?

Conponuntur missæ, siue preces, uel orationes, siue commendationes, seu manus inpositiones, ex quibus, si nulla decantentur in ecclesia, uacant omnia offitia ecclesiastica.

Ammonet hoc fieri atque hortatur Tymotheum apostolus, dicens: “Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, pro omnibus, qui in sublimitate sunt”.

Sicut igitur orationes, ita et ymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrum ulterius inprobet.

**C. LV.** In nouo testamento qui ymni ab angelis decantati inueniuntur.  
Leo IX.

Hii duo solummodo ymni ab angelis in nouo testamento inueniuntur decantati: “Alleluia,” atque: “Gloria in excelsis Deo”.

Quos pariter in Septuagesima intermittimus, quia peccato hominis ueteris a conuentu angelicæ iubilationis expulsi in huius miseræ uitæ Babilonem, super flumina eius sedemus, et flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet ymnus.

Quod nouem ebdomadibus Alleluia intermittimus, non incongrue per nouem ebdomadas nouem angelorum ordines accipimus, quorum decimus ordo per superbiam corruens angelicum numerum inminuit, et a felicitate perturbauit.

Qui condolentes suæ diminutioni, et parem ruinam sibi timentes, a perfecta laude creatoris fuere prepediti.

Quorum recuperationi et consolationi consulens omnipotens Deus creator primum hominem de limo terræ formauit, qui sui generis multiplicatione dampna celestis patriæ resarciret, atque angelorum gaudia suppleret.

Qua spe angelicus chorus admodicum letatus.

Non mirum, si ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus.

Unde nouem ordinum concentus in laude creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente resurrexit prolapsus ille protoplastus.

Ibi augmento sui collegii, et spe meliori angelicus exercitus gauisus, in nouum Alleluia consurrexit totus, et in eo perstat deuotus.

Quem et nos pro modulo nostro imitantes, a Septuagesima, quando lapsus protoplasti recitatur in ecclesia, Alleluia nouem ebdomadibus intermittimus, scilicet usque in Pasca, ubi Christus resurgens a mortuis tristitiam nostram in gaudium uertit, et Alleluia nobis reddit.

**C. LVI.** In cena Domini Gloria in excelsis decantetur.

Nykolaus Rodulfo, Bituricensi Archiepiscopo.

Porro Gloria in excelsis Deo ab episcopis in cena Domini inter missarum solempnia more nostro dicenda est.

Pallio uero apostolico eadem die uti illis est licitum, quibus est ab apostolica sede permissum.

**C. LVII.** Cum baculo aut capite uelato ad celebrandum missarum solempnia clericus non ingrediatur.

Zacharias Papa. [in Sinodo Romana, c. 13. et 14].

XIX. Pars. Nullus episcopus aut presbiter, seu diaconus ad celebrandum missarum solempnia presumat cum baculo introire, aut uelato capite altario Dei assistere, quoniam et Apostolus prohibet uiros uelato capite orare in ecclesia; et si temere presumpserit communionem priuetur.

Cum uero ingressus fuerit episcopus aut presbiter ad missarum solempnia celebranda, nisi passio aliqua interuenerit, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab aliquo episcopo aut presbitero missarum suppleantur solempnia; sed qui initium ponit; suppleat usque in finem.

Si quis uero presumpserit, preter quod posuimus, agere, a sacro corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.

[PALEA. **C. LVIII.**

Item ex Decretis Soteris Papæ.

Ut illud diuini oraculi singuli precaueant, quo scribitur: “Væ soli, quia, cum ceciderit, non habet subleuantem,” summopere uerendum nobis est atque cauendum, ne horis illis atque temporibus, quibus Deo psallitur uel sacrificatur, unicuique diuinis singulariter

offitiis insistenti pernicioosa passio uel corporis quelibet inualetudo occurrat, que aut corpus subito subruui faciat, aut mentem alienatione uel terrore confundat.

Pro huiusmodi ergo casibus precauentes, necessarium duximus instituere, ut, ubi temporis, uel loci, siue cleri copia suffragatur, habeat quisque canens Deo atque sacrificans post se uicini solaminis adiutorem, ut, si aliquo casu ille, qui offitia inpleturus accedit, turbatus fuerit, uel ad terram elisus, a tergo semper habeat qui eius uicem exequatur intrepidus, et offitium inceptum adimpleat].

**C. LIX.** Quot testes episcopus sacrificans se cum habere debeat.  
Anacletus seruus Christi Iesu, omnibus Episcopis. [epist. 1].

## **XX. Pars.**

Episcopus Deo sacrificans se cum testes habeat.

In solempnioribus quippe diebus aut septem, aut quinque, aut tres diaconos, qui oculi eius dicuntur, et subdiaconos, atque reliquos ministros se cum habeat, qui sacris induti uestimentis in fronte et a tergo, et presbiteri e regione dextra leua que, corde contrito et humiliato spiritu, ac prono stent uultu, custodientes eum a maleuolis hominibus, et consensum prebentes sacrificio.

Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.

**C. LX.** Episcopi sine religiosis testibus Domini sacramenta non conficiant.

Item Lucius Papa omnibus Episcopis.

Iubemus apostolica auctoritate, ut semper testes uobis cum sacerdotes habeatis et Leuitas.

Et licet conscientia possit sufficere propria, tamen propter maliuolos iuxta Apostolum etiam testimonium uos oportet habere bonum ab his, qui foris sunt.

Igitur duo presbiteri, et tres diaconi in omni loco episcopum non deserant, propter testimonium ecclesiasticum.

**C. LXI.** Nisi duobus presentibus presbiter missam celebrare non presumat.

Item Sother Papa.

Hoc quoque statutum est, ut nullus presbiterorum missarum solempnia celebrare presumat, nisi duobus presentibus sibi que respondentibus ipse tercius habeatur; quia, cum pluraliter dicitur ab eo: "Dominus uobis cum," et illud in secretis: "Orate pro me," aptissime conuenit, ut ipsius respondeatur salutationi.

**C. LXII.** Communionem priuentur qui usque ad finem missarum solempnia non audiunt.  
Item ex Canone Apostolorum. [10].

## **XXI. Pars.**

Omnes fideles, qui conueniunt in solempnitatibus sacris ad ecclesiam, et scripturas Apostolorum et euangelium audiant.

Qui autem non perseuerant in oratione, usque dum missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, uelut inquietudines ecclesiæ conuouentes conuenit communionem priuari.

**C. LXIII.** De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 24].

Sacerdote uerbum in ecclesia faciente qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

**C. LXIV.** Die dominico missas ex integro seculares audire debent.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 47].

Missas die dominica secularibus totas audire speciali ordine precipimus ita, ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non presumat.

Quod si fecerint, ab episcopo publice confundantur.

**C. LXV.** Populus non ante discedat, quam missa ex integro celebretur.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I., c. 28].

Cum ad celebrandas missas in nomine Dei conuenitur populus non ante discedat, quam missæ solempnitas compleatur, et ubi episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

**C. LXVI.** Excommunicetur qui pretermisso ecclesiæ conuentu ad spectacula uadit.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 88].

Qui die solempni pretermisso ecclesiæ conuentu ad spectacula uadit, excommunicetur.

**C. LXVII.** Usque ad missam catecuminum nullus ecclesiam ingredi prohibeatur.

Item ex Concilio Cartaginensi IV., [c. 84].

## **XXII. Pars.**

Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, et audire uerbum Dei, siue gentilem, siue hereticum, siue Iudeum, usque ad missam catecuminum.

**C. LXVIII.** Euangelia non sedendo, sed stando audire debemus.

Item Anastasius Episcopus omnibus Episcopis. [epist. I. c. 1].

## **XXIII. Pars.**

Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta euangelia in ecclesia leguntur, ut sacerdotes et ceteri omnes non sedentes, sed uenerabiliter curui et in conspectu euangelii stantes dominica uerba intente audiant, et fideliter adorent.

**C. LXIX.** Ad missarum solempnia semper aliquid est offerendum.

Item Gregorius VII. [in Sinodo Romana habita anno Domini 1078. c. 13].

## **XXIV. Pars.**

Omnis Christianus procuret ad missarum solempnia aliquid Deo offerre, et ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: “Non apparebis in conspectu meo uacuuus”.

Et in collectis sanctorum Patrum liquido apparet quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debent.

Ad ipsum enim prius est confugiendum, qui nostræ animæ possit curare passiones.

Verum homines prepostero ordine ante sibi opem ab hominibus accersunt. Ubi autem humana subsidia defecerint, tunc opinantur diuini fauoris gratiam postulandam.

**C. LXX.** Quare “Sursum corda” in prefatione dicatur.

Item Ciprianus. [sermone VI. de oratione dominica].

#### **XXV. Pars.**

Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, inuigilare et incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio hominis carnalis et secularis abscedat, nec quicquam tunc animus quam id solum cogitet, quod precatur.

Ideo et sacerdos ante orationem prefatione premissa parat fratrum mentes, dicendo: “Sursum corda,” ut dum respondet plebs: “habemus ad Dominum,” ammoneatur, nichil aliud se quam Dominum cogitare debere.

Claudatur contra aduersarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis uenire patiatur.

**C. LXXI.** Que prefationes in missa sunt cantandæ.

Pelagius Romanæ ecclesiæ et apostolicæ sedis Episcopus uniuersis Germaniarum atque Galliarum Episcopis.

#### **XXVI. Pars.**

Inuenimus has nouem prefationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas, id est: unam in Albis pascalibus, aliam die Ascensionis Domini, tertiam die Pentecosten, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octauam de Cruce nonam de ieiunio in Quadragesima tantummodo dicendam.

**C. LXXII.** In omnibus missarum solempnibus pro defunctis oratio fiat.

Item ex Concilio Cabillonensi. [II., c. 39].

#### **XXVII. Pars.**

Visum preterea est nobis, ut in omnibus missarum solempnibus pro defunctorum spiritibus loco competenti ecclesia Dominum deprecetur.

Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro uiuentibus et pro quibuslibet necessitatibus deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces missarum solempnibus Domino fundantur.

Antiquitus igitur hunc morem sancta tenet ecclesia, ut et missarum solempnibus, et aliis precibus Domino spiritus quiescentium commendentur, dicente B. Augustino: “Non sunt pretermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana et catholica societate laudamus.

Defunctorum etiam tacitis nominibus eorum, quos sub generali commemoratione suscepit ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati uel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi”.

**C. LXXIII.** Ante preces non sunt a sacerdote nomina recitanda.

Item Innocentius Episcopus Urbis Romæ Decentio Eugubino. [epist. I. c. 2].

De nominibus recitandis ante, quam sacerdos precem faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, et ipse per tuam prudentiam recognoscis; ut cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamuis illi nichil sit incognitum.

## **DISTINCTIO II.**

### **GRATIANUS.**

**C. I.** Panis, et uinum, et aqua in sacramentis sunt offerenda.

Alexander, Urbis Romæ Episcopus, omnibus orthodoxis. [epist. I. c. 4].

#### **I. Pars.**

In sacramentorum oblationibus, que inter missarum solempnia Domino offeruntur, panis tantum et uinum aqua permixtum in sacrificium offerantur.

Non enim debet in calice Domini aut uinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur.

**C. II.** Vinum sine aqua, uel e conuerso in sacramentis offerri non licet.

Item Ciprianus [lib. II. epist. 2]. Cecilio fratri salutem.

Sic in sanctificando calicem Domini offerri sola aqua non potest, quomodo nec uinum solum potest.

Nam si uinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo.

Quando enim utrumque miscetur, et adunatione confusa sibi inuicem copulantur, tunc sacramentum spirituale et celeste efficitur.

Sic uero calix Domini non est aqua sola, et uinum solum, nisi utrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi utrumque adunatum fuerit et copulatum, et panis unius conpage solidatum.

**C. III.**

Idem de eodem.

Scriptura dicit: ut quotiescumque calicem in commemorationem Domini et passionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus.

Sed uide, frater karissime, si quis de antecessoribus nostris uel ignoranter uel simpliciter non hoc obseruauit et tenuit, quod nos Dominus facere exemplo et magisterio docuit, potest simplicitati eius de indulgentia Domini uenia concedi; nobis uero non potest ignosci, qui nunc a Domino ammoniti et instructi sumus, ut calicem Domini cum uino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.

**C. IV.** Preter uinum et aquam et panem in sacramento nichil debet offerri.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 45].

Non oportet aliquid aliud in sanctuario offerri preter uinum et aquam, que in tipo Christi benedicuntur, quia dum in cruce penderet, de corpore eius effluxit sanguis et, aqua.

Hec tria unum sunt in Christo Iesu; hec hostia et oblatio Dei in odorem suauitatis.

**C. V. De eodem.**

Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 24].

In sacramento corporis et sanguinis Domini nichil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis et uinum aqua mixtum.

§. 1. Nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uuis et frumentis.

**C. VI. Oblationis sacrificio uuas nemo coniungat.**

Item ex VI. Sinodo. [c. 28].

Didicimus, quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis coniungant uuas, que secundum usum in altario offeruntur, et sic simul utraque populo dispensent.

Precipimus igitur, ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat, sed in remissionem peccatorum populo oblationem solam distribuat, et uuas seorsum benedictas populus, qui petierit, accipiat, et fructuum gratias agat.

**C. VII. De his, qui sacrificando uarie errabant.**

Iulius Papa Episcopis per Egiptum.

Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cetero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur?

Audiuimus enim, quosdam scismatica ambitione detentos contra diuinos ordines et apostolicas institutiones lac pro uino in diuinis sacrificiis dedicare; alios quoque intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere; quosdam etiam expressum uinum in sacramento dominici calicis offerre, alios uero pannum lineum musto intinctum per totum annum reseruare, et in tempore sacrificii aqua partem eius lauare, et sic offerre.

Quod quam sit euangelicæ atque apostolicæ doctrinæ contrarium, et consuetudini ecclesiasticæ aduersum, non difficile ab ipso fonte ueritatis probabitur, a quo ordinata ipsa sacramentorum misteria processerunt.

Cum enim magister ueritatis uerum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac, sed panem tantum et calicem sub hoc sacramento cognoscimus dedisse.

Legitur enim in euangelica ueritate: “Accepit Iesus panem et calicem, et benedicens dedit discipulis suis”.

Cesset ergo lac sacrificando offerri, quia manifestum et euidens exemplum euangelicæ ueritatis illuxit, quod preter panem et uinum aliud offerri non liceat.

§. 1. Illud uero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex euangelio testimonium receperunt, ubi Apostolis corpus suum et sanguinem commendauit.

Seorsum enim panis, et seorsum calicis commendatio memoratur.

Nam intinctum panem aliis Christum prebuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non que sacramenti huius institutionem signaret.

Nam quod de expresso botro, id est de uuarum granis, populus communicat, ualde est omnino confusum; sed si necesse fuerit, botrus in calice conprimatur, et aqua misceatur, quia calix dominicus iuxta canonum preceptum uino et aqua permixtus debet offerri, quia uidemus in aqua populum intelligi, in uino uero ostendi sanguinem Christi.

Ergo, cum in calice uino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credit, copulatur et iungitur.

Que copulatio et coniunctio aquæ et uini sic miscetur in calice Domini, ut illa mixtio non possit separari.

Nam si uinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis.

Si uero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.

Ergo, quando botrus solus offertur, in quo uini efficientia tantum designatur, salutis nostræ sacramentum negligitur, quod aqua significatur.

Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut uinum solum, nisi utrumque misceatur.

§. 2. Et ideo, quia ex hoc iam plurima et multiplex maiorum manauit sententia, deinceps omnis talis error atque presumptio cessare debet, ne peruersorum inordinata conpago statum ueritatis eneruet.

Et ideo nulli deinceps licitum erit aliud in diuinis sacrificiis offerre, nisi iuxta antiquorum sententiam conciliorum panem tantum et calicem uino et aqua permixtum.

De cetero aliter quam preceptum est faciens tamdiu a sacrificando cessabit, quamdiu legitima penitentiæ satisfactione correptus ad gradus sui offitium redeat, quod amisit.

**C. VIII.** Nulla oblatio corpori et sanguini Christi comparari ualet.

Item Alexander Papa V. a Petro. [epist. I].

## **II. Pars.**

Nichil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus et sanguis Christi, nec ulla oblatio hac potior est, sed hec omnes precellit, que pura conscientia Domino offerenda est, et pura mente sumenda, atque ab omnibus ueneranda, et sicut potior est ceteris, ita potius excoli et uenerari debet.

**C. IX.** Ante confecta misteria pacem non debemus offerre.

Item Innocentius Papa Decentio, Eugubino Episcopo, salutem. [epist. I. c. 1].

## **III. Pars.**

Pacem igitur asseris ante confecta misteria quosdam populis inperare, uel sibi sacerdotes inter se tradere, cum post omnia (que aperire non debeo) pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, que in misteriis aguntur atque in ecclesia celebrantur, prebuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrantur.

**C. X.** Ecclesiasticis liminibus careat minister, qui post consecrationem communicare contempnit.

Item Anacletus Papa. [epist. I].

Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.

Sic enim et Apostoli statuerunt, et sancta Romana tenet ecclesia.

**C. XI.** Quisque sacerdos, quociens missam celebrat, tociens sacram communionem percipiat.

Item ex Concilio Tolletano XII. [c. 5].

## **IV. Pars.**



Relatum est nobis, quosdam de sacerdotibus non tot uicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die uidentur offerre; sed si in uno die plurima deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communionem suspendunt, et in sola tantum extremi sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi non sit tociens illi uero et singulari sacrificio participandum, quociens corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit.

Nam ecce Apostolus dicit: “Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?”

Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici sacramenti.

Quicumque ergo sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, et se a communionem suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuauit, gratia communionis anno uno repulsum se nouerit.

Nam quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dinoscitur?

Ergo modis omnibus tenendum est, ut, quocienscumque sacrificans corpus et sanguinem Iesu Christi Domini nostri in altario immolat, tociens perceptionis corporis et sanguinis Christi participem se prebeat.

**C. XII.** Corpus Christi sine eius sanguine sacerdos non debet accipere.

Item Gelasius Papa Maiorico et Iohanni Episcopis.

Conperimus autem, quod quidam sumpta tantummodo sacri corporis portione a calice sacrati cruoris abstineant.

Qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio unius eiusdem que misterii sine grandi sacrilegio non potest prouenire.

**C. XIII.** Eucharistiæ communionem qui cottidie accipit, nec reprehenditur, nec laudatur.

Item Augustinus. [de ecclesiasticis dogmatibus, c. 53].

## **V. Pars.**

Cottidie eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec uitupero, omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor; si tamen mens in affectu peccandi est.

Grauari magis dico eucharistiæ perceptione, quam purificari.

Et ideo, quamuis quis peccato mordeatur, peccandi tamen de cetero non habeat uoluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrimis et orationibus, et confidens de Domini miseratione, accedat ad eucharistiam intrepidus et securus.

Sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non grauunt.

Idem:

[epist. 118. c. 3]. §. 1. Dixerit quispiam, non cottidie accipiendam eucharistiam, alius affirmat cottidie: faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.

Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum alteri se preposuit, Zacheus et ille centurio, cum alter eorum gaudens in domo sua susceperit Dominum, alter dixerit: “Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum”.

Ambo Saluatorem honorificantes quamuis non uno modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.

Ad hoc ualet quod manna secundum propriam uoluntatem in ore cuiusque sapiebat.

**C. XIV.** Qui semper peccat celestis sacramenti medicinam semper accipiat.

Item Ambrosius. [lib. IV. de sacramentis, c. ult.].

Si, quocienscumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere.

Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.

**C. XV.** Non absteineat a corpore Domini, nisi qui excommunicari meretur.

Item Hylarius Episcopus.

Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non se debet a medicina corporis Domini separare.

Item Fabianus Papa ait:

**C. XVI.** Ter in anno quisque fidelium communicet.

Etsi non frequentius, saltem ter in anno communicent homines, nisi forte quis maioribus criminibus quibuslibet impediatur; in Pasca uidelicet, et Pentecosten, et Natale Domini.

Item Sother Papa:

**C. XVII.** Etiam in cena Domini sacram communionem debemus accipere.

In cena Domini perceptio eucharistiæ a quibusdam negligitur, que quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his, quibus pro grauibus criminibus inhibutum est) percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam penitentes eadem die ad percipienda corporis et sanguinis dominici sacramenta reconcilientur.

**C. XVIII.** Proiciatur ab ecclesia qui a communionem sacramenti se pro luxuria auertit.

Item ex Concilio Martini Papæ. c. 83.

Si quis intrat in ecclesiam Dei, et sacras scripturas audit, et pro luxuria sua auertit se a communionem sacramenti, et in obseruandis misteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem proiciendum esse de ecclesia catholica decernimus, donec penitentiam agat, et ostendat fructum penitentiæ suæ, ut possit communionem percepta indulgentiam promereri.

**C. XIX.** Non habeantur catholici qui his tribus temporibus communicare despiciunt.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 18].

Seculares, qui in Natale Domini, Pasca, Pentecosten non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.

**C. XX.** Corripiantur qui in ecclesia communicare contempnunt.

Ex Concilio Tolletano. [I. c. 13].

Hii, qui intrant ecclesiam, et deprehenduntur numquam communicare, ammoneantur.

Ut si non communicant, ad penitentiam accedant.

Si communicant, non semper absteineant; si non fecerint, absteineant.

**C. XXI.** Ante sanctam communionem a propria uxore quisque contineat.

Item ex Concilio Elibertano.

Omnis homo ante sacram communionem a propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut septem diebus, nec inter catholicos connumerabitur qui in istis uidelicet temporibus, Pasca, Pentecosten, Natale Domini non communicauerit.

Item Sergius Papa:

C. XXII. Quare tres partes fiant ex corpore Christi.

### VI. Pars.

Triforme est corpus Domini.

Pars oblatae, in calicem missa, corpus Christi, quod iam resurrexit, monstrat.

Pars comesta, ambulans adhuc super terram.

Pars in altari usque ad finem missae remanens, corpus in sepulchro, quia usque in finem seculi corpora sanctorum in sepulchris erunt.

Clemens: [epist. II].

C. XXIII. A quibus sunt contrectanda sacramenta dominica.

### VII. Pars.

Tribus gradibus commissa sunt sacramenta diuinorum secretorum, id est presbitero, diacono, et ministro, qui cum tremore et timore clericorum reliquias corporis domini custodire debent fragmentorum.

Idem:

§. 1. Tanta in altario certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant.

Quod si remanserint in crastinum non reseruentur, sed cum timore et tremore clericorum et diligentia consumantur.

Qui autem residua corporis Domini, que in sacrario relictæ sunt, consumunt, non statim ad accipiendos communes cibos conueniant, ne putent sanctæ portioni miscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum diffunditur.

Si ergo mane dominica portio editur, usque ad sextam ieiunent ministri, qui eam consumpserunt, et, si tertia uel quarta hora acceperint, ieiunent usque ad uesperum.

Sic secreta sanctificatione eterna custodienda sunt sacramenta.

§. 2. Precipimus etiam, ne umquam extero clerico ecclesiæ siue laico de fragmentis oblationum Domini ad mensam donatur.

Unde scis tu, qui passim sanctuarii panes indignis inpendis, unde nosti, si mundi sunt a mulieribus?

Hinc et Dauid ab Abimelech sacerdote interrogatus, cum panem sibi ad comedendum posceret, cum se mundum ante triduum profiteretur, panes propositionis manducauit.

C. XXIV. Inficiuntur, non mundantur scelerosi, qui communicare non desinunt.

Item Ysidorus. [lib. I. de summo bono, c. 24].

### VIII. Pars.

Qui scelerate uiuunt in ecclesia, et communicare non desinunt, putantes se tali communionem mundari, discant nil ad emundationem proficere sibi, dicente Propheta: "Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?"

Numquid carnes sanctæ auferent a te malicias tuas?"

et Apostolus: "Probet," inquit, "se homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat".

Item ex VIII. Sinodo.

Basilii Episcopus dixit:

**C. XXV.** Dampnationem, non salutem acquirit qui indigne sacramentis Christi communicat.

Timorem quidem docet nos Apostolus, dicens: “Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit”.

Fidem uero edocet nos sermo Domini, dicens: “Hoc est, quod pro multis datur, corpus meum.

Hoc facite in meam commemorationem”.

§. 1. Et Apostolus de unigenito Dei filio: “Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis”.

Cum ergo anima fidem habet his dictis, et considerat magnificentiam gloriæ ipsius, et admiratur nimietatem humilitatis, quomodo tantus ac talis obediens patri fuit usque ad mortem pro uita nostra: puto, quia possit prouocari ad affectum, et dilectionem ipsius, et Dei patris, qui unico filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

§. 2. Talem ergo fidem uel affectum preparare debet in animo suo is, qui panem et calicem Domini percipit.

**C. XXVI.** Non a quo, sed ante quem offeratur, considerandum est.

Item Augustinus in libro questionum Numeri. [quest. XX].

Et dixit Dominus ad Moysem, et ad Eleazarum filium Aaron sacerdotem: “Tollite thuribula erea e medio exustorum, et ignem alienum hunc semina ibi, quia sanctificauerunt thuribula peccatorum horum in animabus suis; et facies laminas ductiles, circumpositionem altari, quoniam oblata sunt ante Dominum, et sanctificata sunt, et facta sunt in signum filiis Israël”.

Sed notandum, nouo modo dicta sanctificata pena eorum, a quibus hoc peccatum fuerat perpetratum, quia per eos exemplum datum est ceteris, quo timerent.

Circumpositionem autem altari cur ex eis fieri uoluit, addidit dicens: “quoniam oblata sunt ante Dominum, et sanctificata facta sunt in signum filiis Israël”.

Non ergo in eis reprobari uoluit, quod a talibus oblata sunt, sed potius hoc cogitare et attendi, ante quem oblata sint, id est, quia ante Dominum, ut plus in eis ualeret nomen Domini, ante quem oblata sunt, quam pessimum meritum eorum, a quibus oblata sunt.

**C. XXVII.** Penitentia eius, cuius negligentia de Christi sanguine aliquid stillat.

Item ex Decreto Papæ Pii.

## **IX. Pars.**

Si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram, linguabitur, tabula radetur.

Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradetur, et igne consumetur, et cinis intra altare condetur, et sacerdos XL. diebus peniteat.

Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, et III. diebus peniteat.

Si super linteam altaris, et ad aliud stilla peruenerit, IV. diebus peniteat.

Si usque ad tertium, IX. diebus peniteat.

Si usque ad quartum, XX. diebus peniteat, et lintheamina, que tetigerint stillam, tribus uicibus minister abluat calice subter posito, et aqua ablutionis sumatur, et iuxta altare recondatur.

**C. XXVIII.** Que penitentia sit inponenda ei qui sacrificium euomit.

Item ex Penitenciali Bedæ Presbiteri. [c. de ebrietate]

Si quis per ebrietatem uel uoracitatem eucharistiam euomuerit, XL. diebus peniteat; clerici, uel monachi, seu diaconi, presbiteri LXX. diebus peniteant; episcopi XC. Si pro infirmitatis causa euomuerit, VII. diebus peniteant.

C. XXIX. Sacerdotes non nisi per se diuina sacramenta ministrent.

Item ex Concilio Remensi, c. 2.

#### **X. Pars.**

Peruenit ad notitiam nostram, quod quidam presbiteri in tantum paruipendant diuina misteria, ut laico aut feminæ sacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, et quibus prohibetur, ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committuntur.

Quod quam sit horribile quam que detestabile, omnium religiosorum animaduertit prudentia.

Igitur interdicit per omnia sinodus, ne talis temeraria presumptio ulterius fiat; sed omnimodis presbiter per semetipsum infirmum communicet.

Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit.

C. XXX. Quando celebratur missa, presbiterium laici ingredi non presumant.

Item Clemens Papa.

#### **XI. Pars.**

Sacerdotum aliorum que clericorum ecclesiis seruientium honores a laicorum discrete apparere conueniunt.

Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco, ubi sacerdotes et reliqui clerici consistunt (quod presbiterium nuncupatur), quando missa celebratur, consistere, ut libere ac honorifice possint sacra officia exerceri.

C. XXXI. Sicut in metropolitana ecclesia, ita ubique missarum solempnia celebrentur.

Item ex Concilio Gerundensi. [c. 1].

#### **XII. Pars.**

Institutio missarum, sicut in metropolitana ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omnibus prouinciis tam ipsius missæ ordo, quam psallendi uel ministrandi consuetudo seruetur.

C. XXXII. Quid sit sacrificium, quid sacramentum.

Item Augustinus in libro X. de ciuitate Dei. [c. 5].

#### **XIII. Pars.**

Sacrificium est uisibile inuisibile sacramentum, id est sacrum signum.

Item alibi:

§. 1. Sacramentum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma.

**C. XXXIII. Quid sit signum.**

Idem in libro II. de doctrina Christiana. [c. 1].

Signum est res preter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem uenire.

Item Gregorius in omelia pascale:

**C. XXXIV. Post consecrationem non substantia, sed species remanet.**

Specie et similitudo illarum rerum uocabula sunt, que ante fuerunt, scilicet panis et uini.

Unde in fine cuiusdam missæ oratur et dicitur: “Perficiant in nobis, quesumus Domine, tua sacramenta quod continent, ut que nunc specie gerimus rerum ueritate capiamus”.

Postulat quippe sacerdos, ut corpus Christi, quod sub specie panis et uini nunc geritur, manifesta uisione, sicuti reuera est, quandoque capiatur.

De qua uisione Dominus in euangelio secundum Iohannem: “Qui diligit me diligitur a patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum”.

Quamuis non improbabiler quidam exponant hoc loco carnis et sanguinis ueritatem ipsam eorundem efficientiam, id est peccatorum remissionem.

**C. XXXV. Visibiles creaturæ in Christi corpus et sanguinem inuisibiliter conuertuntur.**

Item Eusebius Emisenus.

**XIV. Pars.**

Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, et illaturus sideribus, necessarium erat, ut die cenæ sacramentum nobis corporis et sanguinis consecraret, ut coleretur iugiter per misterium, quod semel offerebatur in precium, ut quia cottidiana, et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio, et perhennis uictima illa uiueret in memoria, et semper presens esset in gratia uere unica et perfecta hostia, fide estimanda, non specie, nec exteriori censenda uisu, sed interiori affectu.

Unde celestis confirmat auctoritas, quia “caro mea uere est cibus, et sanguis meus uere est potus”.

§. 1. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris ipse etiam est testis ueritatis.

Nam et inuisibilis sacerdos uisibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui uerbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens: “Accipite et comedite, hoc est corpus meum;” et sanctificatione repetita: “Accipite, et bibite, hic est sanguis meus”.

Ergo ad nutum precipientis Domini repente ex nichilo substiterunt excelsa celorum, profunda fluctuum, uasta terrarum: pari potestate in spiritualibus sacramentis, ubi precipit uirtus, seruit effectus.

§. 2. Quanta itaque et quam celebranda beneficia uis diuinæ benedictionis operetur, et, quomodo tibi nouum et impossibile esse non debeat, quod in Christi substantiam terrena et mortalia conuertuntur, te ipsum, qui in Christo es regeneratus, interroga.

Dudum alienus a uita, peregrinus a misericordia, a salutis uia intrinsecus mortuus exulabas; subito initiatus Christi legibus, et salutaribus misteriis innouatus, in corpus ecclesiæ non uidendo, sed credendo transsiluisti, et de filio perditionis adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruisti; in mensura uisibili permanens maior factus es te ipso inuisibiliter sine quantitatis augmento; cum idem atque ipse esses, multo alter fidei processibus extitisti; in exteriori nichil additum est, et totum in interiori mutatum est, ac sic homo Christi filius effectus, et Christus in mente hominis est formatus.

Sicut ergo sine corporali sensu, uilitate preterita deposita, subito indutus es dignitatem nouam, et sicut hoc, quod Deus lesa in te curauit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis, sed sensibus tuis sunt credita: et cum reuerendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, et maxime totum haustu interioris hominis assume.

**C. XXXVI.** Quare in specie panis et uini sacramentum suum Christus nobis ministravit. Item Augustinus.

Quia passus est pro nobis Dominus, commendauit nobis in isto sacramento sanguinem suum et corpus, quod etiam fecit nosmetipsos.

Nam et nos corpus ipsius facti sumus, et per misericordiam ipsius quod accepimus nos sumus.

Ecce, quod accepistis.

Quomodo ergo unum uidetis esse quod factum est, sic unum estote uos, diligentes uos, tenendo unam fidem, unam spem, indiuiduam karitatem.

Heretici, quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quia illi querunt diuisionem, cum panis iste indicet unitatem.

Sic et uinum in multis racemis fuit, et modo unum est, unum est in sua natiuitate calix post pressuram torcularis.

Et uos post illa ieiunia, post labores, post humilitatem et contricionem, iam in nomine Christi tamquam ad calicem uenistis, et ibi uos estis in mensa, et in calice, nobis cum uos estis.

Simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul uiuimus.

Item in sermone de infantibus:

§. 1. Ita Dominus noster Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere uoluit, misterium pacis et unitatis nostræ in mensa consecrauit.

Qui accepit misterium unitatis, et non tenet uinculum pacis, non misterium accepit pro se, sed testimonium contra se.

Nulli est aliquatenus ambigendum, unumquemque fidelium corporis et sanguinis dominici tunc esse participem, quando in baptisate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicis que consortio, etiamsi ante, quam panem illum comedat, calicem que bibat, de hoc seculo migrauerit in unitate corporis Christi constitutus.

Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando in se hoc, quod illud sacramentum significat, inuenitur.

**C. XXXVII.** Dum hostia frangitur, passio Christi ad memoriam reuocatur.

Idem in libro sententiarum Prosperi.

Dum hostia frangitur, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam dominici corporis in cruce immolatio, eius que sanguinis de latere effusio designatur?

Item Leo Episcopus, et sancta synodus, que in urbe Romana conuenit, Clero, honoratis, et plebi consistenti Constantinopolim:

**C. XXXVIII.** De ueritate corporis et sanguinis Christi nulli ambigere licet.

**XV. Pars.**

In quibus isti ignorantiae tenebris, in quo hactenus desidia torpore iacuerunt, ut nec auditu discerent, uel lectione cognoscerent, quod in ecclesia in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis ueritas corporis et sanguinis Christi inter communionis sacramenta doceatur, quia in illa mistica distributione spiritualis alimoniae hoc inpertitur, hoc sumitur, ut accipientes uirtutem celestis cibi in carnem ipsius qui caro nostra factus est, transeamus?

Idem est cibus refectionis, est cibus sanguinis.

Sicut enim caro Domini uere est cibus, ita sanguis uere noster est potus.

Idem:

§. 1. Est corpus, de quo dictum est: “Caro mea uere est esca, et sanguis meus uere est potus”.

Circa hoc corpus aquilae sunt, que alis circumuolant spiritualibus.

§. 2. Unde et idem corpus Christi edimus, ut uitae eternae possimus esse participes.

Idem:

§. 3. Cuius clare argumentis utimur, suis utamur exemplis, incarnationis quoque exemplo astruamus misterii ueritatem.

§. 4. Quid hic queris naturae ordinem in Christi corpore, cum preter naturam sit ipse Christus partus ex Virgine?

**C. XXXIX.** Non natura nascitur, sed consecratione nobis conficitur corpus et sanguis Christi.

Item Ambrosius in libro de catecizandis rudibus.

Panis et calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.

Proinde, quod ita fit nobis, quamuis sit panis et calix, alimentum est resurrectionis, non sacramentum religionis; non quod benedicimus, gratias que agimus Domino in omni eius munere, non tantum spirituali, uerum etiam corporali.

**C. XL.** Quod ante benedictionem panis et uinum est post benedictionem est corpus et sanguis Christi.

Idem in libro de offitiis.

Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus significatur.

Item:

§. 1. In illo sacramento Christus est.

Item:

[lib. 4. de sacramentis, c. 5]. §. 2. Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum.

**C. XLI.** Sub specie panis et uini inuisibilem Christi carnem et sanguinem honoramus.

Item Augustinus in libro sententiarum Properi.

Nos autem in specie panis et uini, quam uidemus, res inuisibiles, id est carnem et sanguinem, honoramus, nec similiter pendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse et uinum, quod natura formauit; post consecrationem uero Christi carnem esse et sanguinem, quod benedictio consecrauit.

**C. XLII.** Confessio Berengarii.

**XVI. Pars.**



Ego Berengarius, indignus ecclesiæ S. Mauritii Andegauensis diaconus, cognoscens ueram, catholicam et apostolicam fidem, anathematizo omnem heresim, precipue eam, de qua hactenus infamatus sum, que astruere conatur, panem et uinum, que in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non uerum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, uel frangi, aut fidelium dentibus atteri.

Consentio autem sanctæ Romanæ ecclesiæ et apostolicæ sedi, et ore et corde profiteor, de sacramentis dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quam dominus et uenerabilis Papa Nykolaus, et hec sancta sinodus auctoritate euangelica et apostolica tenendam tradidit michi que firmavit: scilicet panem et uinum, que in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam uerum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramentum, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri; iurans per sanctam, et homousion Trinitatem, et per hec sacrosancta Christi euangelia.

Eos, qui contra hanc fidem uenerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis eterno anathemate dignos esse pronuncio.

Quod si ego ipse aliquando contra hec aliquid sentire presumpsero aut predicare, canonum seueritati subiaceam.

Lecto et perlecto sponte subscripsi.

§. 1. Hanc confessionem suæ fidei de corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi a Berengario Romæ coram CXIII. episcopis factam misit Nykolaus Papa per urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, et ad quecumque loca fama prauitatis eius peruenire ante potuit, ut ecclesiæ, que prius doluerant de auerso atque aduerso, postea gaudeant de reuerso atque conuerso.

C. XLIII. Quare elementorum species reseruentur, cum uere sit Christi corpus et sanguis.

Ambrosius in libro de offitiis.

Forte dicas, quomodo uera caro, quomodo uerus sanguis, qui similitudinem non uideo carnis, non uideo sanguinis ueritatem?

Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare et conuertere genera et instituta naturæ.

Deinde, ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes, quod carnem suam daret manducare, et sanguinem suum ad bibendum, recedebant, solus tamen Petrus dixit: “Verba uitæ eternæ habes, et ego a te quomodo recedam?”

Ne igitur plures hoc dicerent, et ne ueluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudine quidem accipis sacramentum, sed uere naturæ gloriam uirtutem que consequeris.

“Ego sum,” inquit, “panis uiuus, qui de celo descendi”.

C. XLIV. Non carnaliter, sed spiritualiter Christi corpus et sanguinem debemus accipere.

Item Augustinus in expositione Psalmo LIV.

Prima quidem, inquit, heresis in discipulis Christi, uelut a duricia sermonis eius facta est.

Cum enim diceret: “Nisi quis manducauerit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit uitam eternam,” illi non intelligentes dixerunt ad inuicem: “Durus est hic sermo, quis eum potest manducare”.

Dicentes, quia durus est hic sermo, separauerunt se ab illo; et remansit cum duodecim.

Discedentibus illis instruxit eos, qui remanserant.

Spiritus est, inquit, qui uiuificat; caro nichil prodest.

Verba, que locutus sum ad uos, Spiritus et uita sunt.

Intellexistis spiritualiter? Spiritus et uita sunt.

Intellexistis carnaliter? Etiam sic illa spiritus et uita sunt, sed tibi non sunt.

Spiritualiter intelligite que locutus sum.

Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent.

Sacramentum, aliquod uobis commendauit: spiritualiter intellectum uiuificabit uos; caro autem non prodest quicquam.

Sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere uenditur, aut in macello dilaniatur.

“Sciens autem Iesus ait: hoc uos scandalizat, quia dixi: do uobis carnem meam manducare, et sanguinem meum bibere?”

Si ergo uideritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?”

Quid est hoc? Hinc soluit, quod illos mouerat; hinc aperuit, unde fuerant scandalizati: hinc plane, si intelligerent.

Illi autem putabant, erogaturum corpus suum.

Ille dixit, se ascensurum in celum, utique integrum.

Cum uideritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?

certe uel tunc uidebitis, quia non eo modo, quo putatis, erogatur corpus suum, uel tunc intelligetis, quia gratia eius non sumitur morsibus.

Item:

[tractatu 30. in Iohannem: §. 1]. Donec seculum finiatur, sursum est Dominus; sed tamen etiam hic nobis cum est ueritas Dominus.

Corpus enim, in quo resurrexit, uno loco esse oportet; ueritas autem eius ubique diffusa est.

**C. XLV.** Quomodo Christi corpus quod in cruce pependit, accipitur, et quomodo non.

Item Augustinus in epistola ad Ireneum.

Non hoc corpus, quod uidetis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem effusuri sunt illi qui me crucifigent; ipsum quidem et non ipsum, ipsum inuisibiliter, non ipsum uisibiliter.

Unde et subditur: Si necesse est, illud celebrari uisibiliter, necesse tamen est, inuisibiliter intelligi.

**C. XLVI.** Quid sit corpus Christi manducare, et sanguinem eius bibere.

Item Augustinus in sermone de uerbis euangelii.

Quid est Christum manducare? non est hoc solum, in sacramento corpus eius accipere.

Multi enim indigne accipiunt, de quibus Apostolus ait: “Qui manducat et bibit calicem Domini indigne, iudicium sibi manducat et bibit”.

Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit: “Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo”.

Etsi accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum.

**C. XLVII.** Credere in Christum est manducare ipsum.  
Item Augustinus in libro de remedio penitentiæ.  
Ut quid paras dentem et uentrem? Crede, et manducasti.  
Credere enim in eum, hoc est panem uiuum manducare.  
Qui credit in eum manducat eum.

**C. XLVIII.** Sacramentum, et res sacramenti sacrificium ecclesiæ conficitur.  
Item Augustinus in libro sententiarum Prosperi.  
Hoc est, quod dicimus, quod omnibus modis approbare contendimus, sacrificium ecclesiæ confici duobus, duobus constare: uisibili elementorum specie, et inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne et sanguine; et sacramento, et re sacramenti, id est corpore Christi, sicut persona Christi constat et conficitur ex Deo et homine, cum ipse Christus uerus Deus sit, et uerus homo, quia omnis res illarum rerum naturam et ueritatem in se continet, ex quibus conficitur.  
Conficitur autem sacrificium ecclesiæ duobus, sacramento, et re sacramenti, id est corpore Christi.  
Est igitur sacramentum, et res sacramenti, id est corpus Christi.

Item:

§. 1. Caro eius est, quam forma panis opertam in sacramento accipimus, et sanguis eius, quem sub uini specie ac sapore potamus.

Caro uidelicet carnis, et sanguis sacramentum sanguinis; carne et sanguine, utroque inuisibili, spirituali, intelligibili, significatur corpus uisibile Domini nostri Iesu Christi, et palpabile, plenum gratia omnium uirtutum, et diuina maiestate.

Item:

§. 2. Sicut ergo celestis panis, qui uere caro Christi est, suo modo uocatur corpus Christi, cum reuera sit sacramentum corporis Christi, illius uidelicet, quod uisibile, quod palpabile, mortale in cruce est positum, uocatur que ipsa carnis immolatio, que sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei ueritate, sed significanti misterio: sic sacramentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est.

**C. XLIX.** Quot modis caro Christi intelligatur.

Ieronimus in epistola ad Ephesos. [ad cap. 1].

Dupliciter inquit intelligitur caro Christi et sanguis: uel spiritualis illa atque diuina, de qua ipse ait: “Caro mea uere est cibus, et sanguis meus uere est potus,” et: “Nisi manducaueritis carnem meam, et meum sanguinem biberitis, non habebitis uitam eternam;” uel caro mea, que crucifixa est, et sanguis, qui militis effusus est lancea.

**C. L.** De eodem.

Item Augustinus in libro de trinitate ad Chorinthios.

Quia morte Domini sumus liberati, huius rei memores in edendo et potando carnem et sanguinem, que pro nobis oblata sunt, significamus.

**C. LI.** Quomodo Christus semel sit immolatus, et quomodo cottidie inmoletur.

Item in Psalmo XX.

**XVII. Pars.**

Semel Christus mortuus est, iustus pro iniustis, et scimus, et certum habemus, et spe immobili retinemus, quia, Christus resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.

Verba ista Apostoli sunt; tamen, ne obliuiscamur, quod semel factum est in memoria nostra omni anno fit.

Quociens Pasca celebratur, numquid tociens Christus occiditur? sed tamen anniuersaria recordatio representat quod olim factum est, et sic nos facit moueri, tamquam uideamus in cruce presentem Dominum.

**C. LII.** Item in libro sententiarum Prosperi.

Semel immolatus est in semetipso Christus, et tamen cottidie immolatur in sacramento.

Quod ita intelligendum est, quia in manifestatione sui corporis, in distinctione membrorum suorum omnium uerus Deus et uerus homo semel tantum in cruce pependit, offerens patri se ipsum hostiam uiuam et passibilem, mortalem, uiuorum ac mortuorum redemptionis efficacem, eorum scilicet, quos altitudo diuini consilii redimendos iudicauit, presciuit predestinauit, uocauit, modis atque temporibus, quibus id fieri congruebat.

**C. LIII.** Hostia, que semel oblata est, in recordationem suæ mortis cottidie offertur.

Item Ambrosius in epistola ad Ebreos. [c. 10].

In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens.

Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus?

Offerimus, sed ad recordationem mortis eius, et una est hostia, non multæ.

Quomodo una et non multæ? quia semel oblatus est Christus.

Hoc autem sacrificium exemplum est illius, id ipsum semper id ipsum.

Proinde hoc est sacrificium, alioquin dicitur, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi?

Nequaquam, sed unus ubique Christus, et hic plenus existens, et illic plenus.

Sicut enim quod ubique offertur unum est corpus, et non multa corpora: ita et unum sacrificium.

Pontifex auoem ille est, qui hostiam obtulit nos mundantem.

Ipsam offerimus etiam nunc, que tunc oblata consumi non potest.

Quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est: "Hoc enim facite," ait, "in meam commemorationem".

**C. LIV.** Sacramentum corporis Christi non nisi ieiuni debemus accipere.

Item Augustinus in libro responsionum ad Ianuarium. [c. 6].

### **XVIII. Pars.**

Liquido apparet, quando primo acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos.

Numquid tamen propterea calumpniandum est uniuersæ ecclesiæ, quod a ieiunis semper accipitur?

Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honore tanti sacramenti prius in os Christiani dominicum corpus intraret, quam exteri cibi.

Nam ideo per uniuersum orbem mos iste seruatur.

Neque enim, quia post cibos Dominus dedit, propterea pransi aut cenati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent, aut, sicut faciebant quos Apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere.

Namque Saluator, quo uehementius commendaret misterii illius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem disgressurus erat, et ideo non precepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum.

Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo, quod eum morem nemo mutasset.

Cum uero ait Apostolus, de hoc sacramento loquens: “Propter quod, fratres, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate, si quis esurit, domi manducet, ut non ad iudicium conueniatis,” statim subtexit: “cetera autem, cum uenero, ordinabo”.

Ubi intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quod uniuersa per orbem seruat ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla horarum diuersitate uariatur.

**C. LV.** Ante consecrationem est panis, sed uerbis Christi in eius corpus conuertitur.

Item Ambrosius in libro [IV]. de sacramentis. [c. 4].

XIX. Pars. Panis est in altari usitatus ante uerba sacramentorum; ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi.

Quomodo autem potest qui panis est corpus esse Christi?

Consecratio autem quibus uerbis, cuius sermonibus est? Domini Iesu.

Nam reliqua omnia, que dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris.

Ubi autem sacramentum conficitur, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.

Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.

Quis sermo Christi? hic, quo facta sunt omnia.

Iussit Dominus, et facta sunt celum et terra mare.

Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi.

Si ergo uis tanta est in sermone Domini Iesu, ut inciperet esse quod non erat: quanto magis operatorius est, ut sint que erant et in aliud conmutentur?

Et sic quod erat panis ante consecrationem iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit corpus Christi, et uinum cum aqua in calice missum fit sanguis consecratione uerbi celestis.

§. 1. Sed forte dicis: Speciem sanguinis non uideo; sed habet similitudinem.

Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, et precium tamen operetur redemptionis.

Didicisti, quia accipis corpus Christi. [Et c. 5]. §. 2. Vis scire, quia uerbis celestibus consecratur?

Accipite, que sunt uerba.

Dicit sacerdos: “Fac nobis,” inquit, “hanc oblationem scriptam rationabilem etc.”.

Inde: omnia illa euangelistæ sunt usque ad “Accipite” siue corpus, siue sanguinem.

Inde uerba sunt Christi: “Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus”.

Vide singula.

Qui pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus accepit panem.

Ante, quam consecratur, panis est: ubi autem uerba Christi accesserint, corpus Christi est.

Deinde audi dicentem: Accipite, et edite ex eo omnes; hoc est enim corpus meum.  
Et ante uerba Christi calix est uini et aquæ plenus.

Ubi uerba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.

§. 3. Ergo uide, quam potens est sermo Christi uniuersa conuertere.

Deinde ipse Iesus testificatur, quod corpus suum, et sanguinem suum accipiamus.

De cuius fide et testificatione dubitare non debemus.

C. LVI. Non corpus, sed animam fulcit panis uitæ eternæ.

Item.

Non iste panis est, qui uadit in corpus, sed panis uitæ eternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.

§. 1. Iste panis cottidianus est; accipe cottidie quod cottidie tibi prosit; sic uiue, ut cottidie merearis accipere.

C. LVII. Etiam secundum carnem Christus est panis uiuus.

Item Augustinus in epistola ad Ireneum.

Christus panis est, de quo qui manducat uiuit in eternum, de quo ipsemet dixit: “Et panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita etc.”.

Determinat, quomodo sit panis, non solum secundum uerbum, quo uiuunt omnia, sed secundum carnem assumptam pro mundi uita.

Humana enim caro, que erat peccato mortua, carni mundæ unita, incorporata, unum cum illa effecta, uiuit de spiritu eius, sicut unum corpus de suo spiritu.

Qui uero non est de corpore Christi, non uiuit de spiritu Christi.

C. LVIII. Quod Christus uisibiliter in sacramento spiritualiter in ueritate manducatur et bibitur.

Item.

Qui manducant et bibunt Christum, uitam manducant et bibunt.

Illud manducare est refici; illud bibere est uiuere.

Quod in sacramento uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritualiter manducatur et bibitur.

Manducatur Christus: uiuit manducatus, quia surrexit occisus.

Nec quando manducamus, partes de illo facimus.

Et quia in sacramento sic fit, et norunt fideles, quomodo manducant carnem Christi; unusquisque accipit partem suam, unde et ipsa gratia partes uocantur.

Per partes manducatur et manet integer totus in corde tuo.

Totus erat apud Patrem, quando uenit in Virginem; inpleuit illam, nec recessit ab illo.

§. 1. Quod uidetur panis est et calix, quod etiam oculi renunciant.

Quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis.

§. 2. Ista ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud uidetur, et aliud intelligitur.

Quod uidetur speciem habet corporalem; quod intelligitur fructum habet spirituaalem.

§. 3. Qui accipit misterium unitatis, et non tenet uinculum pacis, non misterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

C. LIX. Quomodo spiritualiter corpus Christi sit accipiendum.

Idem super Iohannem. [ad c. 6. tract. XXVI. et XXVII].

Crede in Iesum Christum, hoc est manducare panem uiuum.

Qui credit manducat.

Inuisibiliter saginatur, quia inuisibiliter renascitur.

“Et qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum uitam habet eternam”.

Participatione enim filii (quod est per unitatem corporis eius et sanguinis) homo manducans uiuit, non sumens tantum in sacramento (quod et mali faciunt), sed usque ad Spiritus participationem, ut in corpore Domini tamquam membrum maneat, et eius Spiritu uegetetur, quod est, dum eius mandata seruat.

§. 1. Ad altare Dei inuisibile (quo non accedit iniustus) ille peruenit, qui ad hoc presens iustificatus accedit.

Inueniet illic uitam, qui hic discernit causam suam.

**C. LX.** Spiritus sanctus inuisibiliter corpus et sanguinem Christi sanctificat.

Idem in libro III. de Trinitate. [c. 4].

Corpus et sanguinem Christi dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, et prece mistica consecratum, recte sumimus ad salutem spiritualem in memoriam dominicæ passionis.

Quod cum per manus hominis ad illam uisibilem speciem perducatur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei, cum hec omnia, que per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur.

**C. LXI.** Per benedictionem panis efficitur corpus Christi.

Item.

Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi.

**C. LXII.** Dupliciter corpus Christi intelligitur.

Item.

Commendauit enim Christus in hoc sacramento corpus et sanguinem suum, quod etiam fecit et nos ipsos.

Nam et nos ipsius corpus facti sumus.

**C. LXIII.** Sacrificium altaris sacramentum est unitatis.

Item. [tractatu XXVI. ad c. 6. Iohannis]

Hoc sacramentum pietatis est, signum unitatis, uinculum karitatis.

Qui uult uiuere, accedat et credat, incorporetur.

§. 1. Hunc cibum et potum societatem uult intelligi corporis et membrorum suorum, quod es ecclesiæ in predestinatis.

**C. LXIV.** Spiritualiter magis quam corporaliter corpus Christi debemus accipere.

Item.

## **XX. Pars.**

Panem de altari spiritualiter manducare est innocentiam ad altare portare.

Peccata etsi sint cotidiana, uel non sint mortifera.

Ante, quam accedatis: “dimittite debitoribus uestris”.

Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est et, non uenenum.

Sed uide, si dimittis, ne mentiaris Deo, quem non fallis.

Mentiri Deo potes: fallere ipsum non potes.

C. LXV. Sacramentum, non ueritatem Christi corporis accipit, qui ab eo discordat.

Item. [in libro Sentenciarum c. 139]

Qui discordat a Christo, nec manducat eius carnem, nec sanguinem bibit, et si tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ perditionis cottidie accipit.

C. LXVI. Sancta nocent malis, et mala prosunt bonis.

Item. [tractatu VI. et LXII. in Iohannem]

Et sancta malis possunt obesse; bonis sunt ad salutem, malis ad iudicium.

Unde Apostolus: “Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit,” non quia illa res mala est, sed quia malus male accipit quod bonum est.

Non enim mala erat buccella, que Iudæ data est a Domino.

Salutem medicus dedit; sed quia ille, qui indignus erat, accipit, ad perniciem sui accepit.

Et mala prosunt bonis, sicut angelus sathanæ Paulo.

Per malum enim fit bonum, cum bene accipitur malum.

C. LXVII. Non prohibeantur mali de mensa Domini manducare.

Idem.

Non prohibeat dispensator manducare pingues terræ mensam Domini, sed exactorem moneat timere.

C. LXVIII. Et qui indigne accedit tamen corpus Christi accipit.

Idem. [in lib. V. de baptismo, c. 8].

Sicut Iudas, cum buccellam Christus tradidit, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum prebuit diabolo, sic indigne quisque sumens corpus Christi, non efficit, ut, quia malus est, malum sit, aut, quia ad salutem non accipit, nichil accipit.

Corpus enim et sanguis Domini nichilominus erat in illis, quibus dicebat Apostolus: “Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat et bibit”.

C. LXIX. Quibus exemplis preter naturam substantia panis et uini in corpus et sanguinem Christi conuerti probetur.

Item Ambrosius de sacramentis.

## XXI. Pars.

Reuera mirabile est, quod manna Deus pluerit patribus, et cottidiano celi pascebantur alimento.

Unde dictum est: “Panem angelorum manducauit homo”.

Sed tamen panem illum qui manducauerunt, omnes in deserto mortui sunt.

Ista autem esca, quam accipitis iste panis uiuus, qui de celo descendit, uitæ eternæ substantiam ministrat, et quicumque hunc manducauerit, non morietur in eternum, et corpus est Christi.

Considera nunc, utrum prestantior sit panis angelorum, an caro Christi, que utique corpus est uitæ.

Manna illud de celo, hoc super celum; illud celi, hoc Domini celorum; illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quicumque religiose gustauerit, corruptionem sentire non poterit.

Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo; illos ad horam satiauit aqua, te sanguis diluit in eternum.



Iudeus bibit et sitit; tu, cum biberis, sitire non poteris; et illud in umbra, hoc in ueritate.

Si illud, quod miraris, umbra est, quantum istud est, Cuius umbram miraris?

Audi, quia umbra est, que apud patres est facta: “Bibebant” inquit, “de consequenti eos petra; petra autem erat Christus.

Sed non in pluribus eorum conplacitum est Deo.

Nam prostrati sunt in deserto.

Hec autem facta sunt in figura nostri”.

Cognouisti potiora: potior enim est lux quam umbra, ueritas quam figuram, corpus auctoris quam manna de celo.

§. 1. Forte dicas: aliud uideo; quomodo tu michi asseris, quod Christi corpus accipiam?

Et hoc nobis adhuc superest ut probemus.

Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, hoc non esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maiorem que uim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur?

Virgam tenebat Moyses; proiecit eam, et facta est serpens.

Rursus apprehendit caudam serpentis, et in uirgæ naturam reuertit.

Vides ergo, prophetica gratia bis mutatam esse naturam, et serpentis et uirgæ.

Currebant Egypti flumina puro meatu aquarum; subito de fontium uenis sanguis cepit erumpere; non erat potus in fluuiis; rursus ad Prophetæ preces cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit.

Circumclusus erat undique populus Ebreorum, hinc Egyptiis uallatus, inde mari clausus.

Virgam leuauit Moyses; separauit se aqua, et in murorum speciem congelauit, atque inter undas uia pedestris apparuit.

Iordanis retrorsum conuersus contra naturam in sui fontis reuertitur exordium.

Nonne claret, naturam uel maritimorum fluctuum, uel fluuiialis cursus esse mutatam?

Sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, et aqua de petra fluxit.

Numquid non preter naturam operata est gratia, ut aquam uomeret petra, quam non habebat natura?

Marath fluuius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset; misit Moyses lignum in aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperauit.

Sub Heliseo propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim mersum est; rogauit Heliseum qui amiserat ferrum; misit etiam Heliseus lignum in aquam, et ferrum natauit.

Utique et hoc preter naturam factum cognouimus.

Grauior est enim ferri species quam aquarum liquor.

§. 2. Aduertimus igitur, maioris esse gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam.

Quod si tantum ualuit humana benedictio, ut naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, ubi uerba ipsa Domini saluatoris operantur?

Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur.

Quod si tantum ualuit sermo Helyæ, ut ignem de celo deponeret, non ualebit Christi sermo, ut species elementorum mutet?

De totius mundi operibus legisti: “quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandauit, et creata sunt”.

Sermo igitur Christi, qui potuit ex nichilo facere quod non erat, non potest ea, que sunt, in id mutare, quod non erant non enim minus est dare, quam mutare nouas naturas rebus.

§. 3. Sed quid argumentis utimur? suis utamur exemplis, incarnationis que misterii astruamus ueritatem.

Numquid naturæ usus presensit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur?

Si ordinem querimus, uiro mixta femina generare consueuerat.

Liquet igitur, quod preter naturæ ordinem uirgo generauit.

Et hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est.

Quid hic naturæ ordinem queris in Christi corpore, cum preter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?

Vera utique caro Christi, que crucifixa est, que sepulta est.

Vere ergo illius carnis sacramentum est.

Ipse Dominus Iesus clamat: “Hoc est corpus meum”.

Ante benedictionem uerborum celestium alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur.

Ipse dicit sanguinem suum.

Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur, tu dicis: Amen, hoc est: uerum est.

Quod sermo sonat affectus sentiat.

**C. LXX.** Quomodo per partes Christus manducatur, et integer permanet.

Augustinus in quodam sermone de uerbis Euangelii.

Inuitat Dominus seruos, et preparat eis cibum se ipsum.

Quis audeat manducare Dominum suum? et tamen ait: “Qui manducat me, uiuit propter me”.

Quando manducatur, uita manducatur, nec occiditur, ut manducetur, sed mortuos uiuificat.

Quando manducatur, reficit, sed non deficit.

Manducatur Christus: uiuit manducatus, quia surrexit occisus, nec, quando manducatur, partes de illo facimus.

Et quidem in sacramento sic fit, norunt fideles, quemadmodum manducant carnem Christi; unusquisque suam partem accipit; per partes manducatur, et manet integer totus; per partes manducatur in sacramento, manet integer totus in celo, manet integer totus in corde tuo.

**C. LXXI.** Cottidianum sacrificium non reiteratio est passionis, sed commemoratio.

Item Pascasius de corpore et sanguine Christi. [c. 9].

## **XXII. Pars.**

Iteratur cottidie hec oblatio, licet Christus, semel passus in carne, per unam eandem que mortis passionem semel saluauerit mundum, ex qua morte resurgens ad uitam, mors ei ultra non dominabitur, qui profecto sapientia Dei patris necessarium pro multis causis hoc prouidit.

Primo quidem, quia cottidie peccamus, saltim in peccatis, sine quibus mortalis infirmitas uiuere non potest, quia, licet omnia peccata donata sint in baptismo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne manet.

Unde Psalmista; “Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas”.

Et ideo, quia labimur cottidie, Christus cottidie pro nobis mystice immolatur, et passio Christi in misterio traditur, ut qui semel moriendo mortem uicerat, cottidie recidua delictorum per hec sacramenta corporis et sanguinis peccata relaxet.

Unde oramus “Dimitte nobis debita nostra,” quia, si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et ueritas in nobis non est.

Item:

§. 1. Iteratur hoc misterium et ob commemorationem passionis Christi, sicut ipse ait: “Hoc quotiescumque agitis, in meam commemorationem facite.

Quotiescumque ergo hunc panem sumitis, et bibitis hunc calicem, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat”.

Non itaque sic accipiendum est, donec mors Christi ueniat, quia iam ultra non moritur, sed donec ipse Dominus ad iudicium ueniet.

Interdum autem semper mors est Christi per seculi uitam posteris nuncianda, ut discant, qua karitate dilexit suos, qui pro eis mori dignatus est, cui omnes uicem debemus rependere karitatis, quia ad hoc nos prior dilexit, cum essemus gehennæ filii, ut diligeremus eum a morte iam liberati.

**C. LXXII.** Non solum sub figura, sed etiam in ueritate dominici corporis et sanguinis sacramentum celebratur.

Item Augustinus.

Utrum sub figura, an sub ueritate hoc mysticum calicis sacramentum fiat.

Veritas ait: “Caro mea uere est cibus, et sanguis meus uere est potus”.

Alioquin quomodo erit magnum: “Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita,” nisi uera sit caro?

Sed quia Christum fas uorari dentibus non est, uoluit hunc panem et uinum in misterio uere carnem suam et sanguinem consecrationem sancti Spiritus potentialiter creari, et cottidie pro mundi uita mystice immolari, ut, sicut de Virgine per Spiritum uera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis et uini mystice idem Christi corpus consecratur.

Corpus Christi et ueritas et figura est: ueritas, dum corpus Christi et sanguis uirtute Spiritus in uirtute ipsius ex panis uini que substantia efficitur; figura uero est id, quod exterius sentitur.

§. 1. Iteratur autem cottidie hec oblatio, licet Christus semel passus sit, quia cottidie peccamus, peccatis, sine quibus mortalis infirmitas uiuere non potest.

Et ideo, quia cottidie labimur, cottidie Christus immolatur mystice pro nobis.

§. 2. Intra catholicam ecclesiam in misterio corporis Christi nichil a bono maius, nichil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in uerbo efficitur Creatoris, et uirtute Spiritus sancti.

Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret.

Nunc autem, sicut ipse est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, et transit in sanguinem.

Unde et sacerdos: “Iube,” inquit, “hoc perferri per munus sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ maiestatis tuæ”.

Ut quid deferenda in lucem deponit, nisi ut intelligatur, quod ista fiant in eo sacerdotio?

Hanc igitur oblationem benedictam, per quam benedicimur; ascriptam; per quam homines in celo ascribimur; ratam, per quam uisceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilem, ut qui nobis ipsis displicemus per hanc acceptabiles eius unico filio simus.

Nichil rationabilius, ut, quia nos iam similitudinem mortis eius in baptismo accepimus, similitudinem quoque et sanguinis sumamus, ita, et ueritas non desit in sacramento, et ridiculum nullum fiat a paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus.

Si enim discipuli patienter ferre nequuerunt, quod Dominus dixerat: “Qui non manducat meam carnem etc.” si dixerunt: “durus est hic sermo,” quomodo ferrent ista increduli?

Credendum est, quod in uerbis Christi sacramenta conficiantur.

Cuius enim potentia creantur, eius utique uerbo ad melius procreantur.

§. 3. Reliqua omnia, que sacerdos dicit, aut clerus chori canit, nichil aliud quam laudes et gratiarum actiones sunt, aut certe obsecrationes et fidelium petitiones.

Unde et sacerdos dicit prius Euangelistarum uerba assumens: “Qui pridie, quam pateretur etc.”.

In hoc ergo creatur illud corpus.

**C. LXXIII.** In sanguine agni Christi sanguis, qui uere nunc sumitur, olim prefigurabatur. Gregorius in omelia Pascali.

Quid sit sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis.

Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.

Item:

[Dial. 1. 4. c. 58]. §. 1. Hec salutaris uictima illam nobis mortem unigeniti per misterium reparat, qui, licet surgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, tamen in se ipso immortaliter et incorruptibiliter uiuens, iterum in hoc misterio moritur.

Eius quoque ubique corpus sumitur, eius caro in salutem populi partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.

Hinc ergo pensemus, quale sit hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur.

Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa inmolationis hora ad sacerdotis uocem celos aperiri?

in illo Iesu Christi misterio angelorum choros adesse?

summa et ima sociari, unum quid ex inuisibilibus atque uisibilibus fieri?

Idem:

§. 2. Uno, inquit, eodem que tempore ac momento et in celo rapitur ministerio angelorum consociandum corpori Christi, et ante oculos sacerdotis in altari uidetur.

Et infra:

§. 3. Tanta est ecclesiae unitas in Christo, ut unus ubique sit panis corporis Christi, et unus sit calix sanguinis eius.

Calix enim, quem sacerdos catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse, quem Dominus Apostolis tradidit, quia, sicut diuinitas uerbi Dei una est, que totum inplet mundum, ita, licet multis locis et innumerabilibus diebus illud corpus consecratur, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices, sed unum corpus Christi, et unus sanguis cum illo, quod sumpsit in utero Virginis, et quod dedit Apostolis.

Diuinitas enim uerbi replet illud, quod ubique est, et coniungit, ac facit, ut, sicut ipsa una est ita corpori Christi, et unum eius corpus sit in ueritate.

Unde animaduertendum est, quia, siue plus siue minus quis inde percipiat, omnes equaliter corpus Christi integerrime sumunt, et generaliter omnes, et specialiter unusquisque.

Item:

§. 4. Misterium fidei dicitur, quia credere debes, quod ibi salus nostra consistat. Prouidens enim nobis dedit hoc sacramentum salutis, ut, quia nos cottidie peccamus, et ille iam mori non potest, per istud sacramentum remissionem consequamur peccatorum. Cottidie enim ipse comeditur et bibitur in ueritate, sed integer, et uiuus, atque immaculatus manet, et ideo magnum et pauendum misterium est, quia aliud uidetur, et aliud intelligitur Sed cum misterium sit, unde corpus et sanguis dicitur? Figuram panis et uini habet faciente Domino, quia non habemus in usu carnem crudam comedere, et bibere sanguinem.

C. LXXIV. Post consecrationem licet figura panis et uini remaneat, tamen nichil est ibi, nisi corpus et sanguis Christi.

Item Ambrosius.

“Omnia, quecumque uoluit Dominus, fecit in celo et in terra”.

Et quia uoluit sic factum est ita licet figura panis et uini uideatur nichil tamen aliud, quam caro Christi et sanguis post consecrationem sunt ipsa ueritas ad discipulos: “Hec,” inquit, “caro mea est, pro mundi uita”.

Et, ut mirabilius loquar, non alia plane, quam que nata est de Maria, et passa in cruce, et resurrexit de sepulcro; hec, inquam, ipsa est.

Et ideo Christi est caro, que pro mundi uita adhuc hodie offertur, et, cum digne percipitur, uita utique eterna in nobis reparatur.

Panem quidem istum, quem sumimus in misterio, illum utique intelligo panem, qui manu S. Spiritus formatus est in utero Virginis, et igne passionis decoctus in ara crucis.

Panis enim angelorum factus est cibus hominum, unde ipse ait: “Ego sum panis uiuus, qui de celo descendi,” et item: “Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita”.

Ex his namque duabus sententiis aperte datur intelligi, quia panis iste et ille non duo, sed unus panis et una caro, proculdubio unum corpus efficitur; illud uere, illud sane, quod sumptum est de Virgine, quod passum est, et sepultum, quodque resurrexit, et in celum ascendit, et sedet ad dexteram Dei patris, et quod uenturum est iudicare uiuos et mortuos.

C. LXXV. Quamuis cottidie manducatur Christus, integer tamen permanet uiuus.

Item Augustinus ex sermone de uerbis Domini.

“Qui manducat me, uiuit propter me”.

Non ergo, fratres, timeamus manducare panem istum, ne forte finiamus illum, et postea quod manducemus non inueniamus.

Manducetur Christus: uiuit manducatus, quia surrexit occisus; nec, quando manducamus, partes de illo facimus.

Et quidem in sacramento sic fit, et norunt fideles, quemadmodum manducant carnem Christi.

Unusquisque accipit partem suam, unde et ipsa gratia partes uocantur.

Per partes manducatur, et manet integer totus; per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in celo; manet integer totus in corde tuo.

Totus enim erat apud patrem, quando uenit in Virginem; impleuit illam, nec recessit ab illo.

Veniebat in carnem, ut homines eum manducarent et manebat integer apud patrem, ut angelos pasceret.

C. LXXVI. Corpus et sanguinem Christi secundum se nulli accipere licet.

Item Ieronimus in Leuitico.

De hac quidem hostia, que in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet; de illa uero, quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se nulli edere licet.

C. LXXVII. Corpus Christi in singulis portionibus singuli totum accipiunt.

Idem in sermone dominicæ V. post Theophaniam.

Singuli autem accipiunt Dominum Christum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se prebet in singulis.

C. LXXVIII. De eodem.

Item Hylarius.

Ubi pars est corporis, est et totum.

Eadem ratio est in corpore Domini, que in manna, quod in eius figura precessit, de quo dicitur: “Qui plus collegerat non habuit amplius, neque qui minus parauerat habuit minus”.

Non est quantitas uisibilis in hoc estimanda misterio, sed uirtus spiritualis sacramenti.

C. LXXIX. Corpus Christi, quod sumitur, et figura est in specie, et ueritas in substantia.

Idem.

Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis et uinum extra uidetur; ueritas autem, dum corpus et sanguis Christi in ueritate interius creditur.

C. LXXX. Carnem uiuificatricem, et ipsius uerbi propriam factam in altari accipimus.

Item ex Simbolo Ephesino.

Necessarie igitur et hoc adicimus.

Incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii seruitutem.

Et sanctificamur participes corporis et preciosi sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec uiri sanctificati, et uerbo coniuncti secundum dignitatis unitatem, sed uere uiuificatricem, et ipsius uerbi propriam factam.

C. LXXXI. Quomodo manna et aqua de petra sint idem cum nostro cibo et potu.

Item Augustinus. [tractatu XXVI. ad c. 6. Iohannis]

Inquit Apostolus: “Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt”.

Spiritualem utique eandem: nam corporalem aliam, quia illi manna manducauerunt, nos aliud, “et omnes eundem potum spiritualem biberunt”.

Aliud illi, aliud nos: sed specie uisibili.

Quod tamen idem est uirtute spirituali.

C. LXXXII. Quod ueritatem dominici corporis et sanguinis sumimus.

Item Hylarius de Trinitate, libro VIII.

### **XXIII. Pars.**

In Christo pater, et Christus in nobis unum in his esse nos faciunt.

Si uere carnem corporis nostri Christus assumpsit, et uere homo ille.

Christus est, nos que uere sub misterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia pater in eo est, et ille in nobis, quomodo uoluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietatis perfectum sacramentum sit unitatis?

Non est humano aut seculi sensu de his rebus loquendum, neque per uiolentam atque imprudentem predicationem dictorum celestium sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ peruersitas est extorquenda.

De naturali enim in nobis Christi ueritate que dicimus, nisi ab eo didicimus stulte atque impie dicemus.

Ipse enim ait: “Caro mea uere est esca, et sanguis meus uere est potus.

Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo”.

De ueritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus.

Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra uere caro est, et uere sanguis est, et hec accepta atque hausta efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit.

Est ergo in nobis ipse per carnem.

§. 1. Quod autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, ipse testatur, dicens: “Vos autem uidebitis me, quia ego uiuo, et uos uiuetis, quoniam ego in patre meo, et uos in me, et ego in uobis”.

Si uoluntatis tantum intelligi unitatem uellet, cur gradum quendam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit nisi ut ille in patre per naturam diuinitatis nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem, et ille rursus in nobis per sacramentorum inesse misterium crederetur, ac sic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in patre, et in patre manens maneret in nobis, et ita ad unitatem proficisceremur, cum qui in eo naturaliter secundum natiuitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente?

§. 2. Quod autem in nobis naturaliter hec unitas sit, ipse ita testatus est: “Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo”.

Non enim in eo erit, nisi in quo ipse fuerit, eius tamen assumptam in se habens carnem, qui suam sumpserat.

Item:

“Sicut misit me uiuens pater, et ego uiuo per patrem, et qui manducauerit meam carnem, et ipse uiuet per me”.

Quomodo per patrem uiuit, eodem modo nos per carnem eius uiuimus.

§. 3. Hec ergo uitæ nostræ causa est, quod in nobis manentem per carnem Christum habemus, uicturi per eum ea condicione, qua uiuit ille per patrem.

Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum uiuimus, id est naturam suæ carnis adepti, quomodo non naturaliter secundum spiritum in se patrem habeat, cum uiuat ipse per patrem?

Item:

§. 4. Hec autem idcirco commemorata sunt a nobis, quia, uoluntatis tantum inter patrem et filium unitatem heretici mentientes unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tamquam nobis ad filium, et per filium ad patrem obsequio tantum et uoluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis et sanguinis communionis naturalis proprietatis indulgeretur, cum et per honorem nobis datum filii, et permanentem in nobis carnaliter, et nos in eo nobis corporaliter et inseparabiliter unitis misterium ueræ ac naturalis unitatis sit predicandum.

Idem:

§. 4. Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis et uinum extra uidetur; ueritas autem, dum corpus et sanguis Christi in ueritate interius creditur.

C. LXXXIII. Quare in sacrificio aqua uino miscetur.  
Item Ambrosius in libro [V]. de sacramentis: [c. 1].

#### XXIV. Pars.

In calice mittitur uinum, et aqua.

Sed dicis: quomodo ergo Melchisedech panem et uinum obtulit?

Quid sibi uult admixtio aquæ? “Bibebant autem de consequenti eos petra: petra autem erat Christus”.

Non immobilis petra, que populum sequebatur.

Et tu bibe, ut te Christus sequatur.

Vide misterium.

Moyses, hoc est Propheta; uirga, hoc est uerbum Dei.

Sacerdos uerbo Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus Dei.

Redundat aqua in calice, salit in uitam eternam.

Item:

Accipe et illud.

§. 2. De latere eius fluxit aqua et sanguis.

Aqua, ut mundaret; sanguis, ut redimeret.

Quare de latere? quia unde culpa, inde gratia; culpa per feminam, gratia per Christum.

Item: [c. 3].

§. 3. Audi Psalmum.

Vide, quam, aptus sit celestibus sacramentis: “Dominus pascit me, et nichil michi deerit etc.

Virga tua, et baculus tuus et cet.”

Virga inperium, baculus passio est, eterna deitas Christi passio temporalis.

Illa creauit, hec redemit.

“Parasti in conspectu meo mensam et poculum meum inebrians, quam preclarum est”.

Item:

§. 4. Quocienscumque bibis, remissionem accipis peccatorum, et inebriaris spiritu.

Unde et Apostolus: “Nolite inebriari uino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto”.

Item:

Preclara ebrietas, que sobrietatem mentis operatur.

Item:

[c. 4]. §. 5. “Fiat uoluntas tua; sicut in celo et in terra.

Panem nostrum cottidianum da nobis hodie”.

Sanguine Christi pacificata sunt omnia uel in celo, et in terra.

Sanctificatum est celum, deiectus est diabolus, ubi uersatur homo, quem ille decepit.

§. 6. Dixi uobis, quod ante uerba Christi quod offertur panis dicatur.

Ubi uerba Christi deprompta fuerint, non iam panis sed corpus dicitur.

Quare ergo in oratione dominica ait: “Panem nostrum?”

Panem dixit quippe sed (*Graece*) epiouision, hoc est supersubstantialem.

C. LXXXIV. Veram Christi carnem, et uerum Christi sanguinem manducamus et bibimus.

Idem in libro VII.



**XXV. Pars.**

Sicut est uerus Dei filius Dominus Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ita uera Christi caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et uerus sanguis eius est potus.

Item:

§. 1. “Ego sum,” inquit, “panis uiuus, qui de celo descendi”.

Sed caro non descendit de celo.

Quomodo ergo descendit de celo panis uiuus? quia idem Dominus Iesus consors est diuinitatis, et corporis.

Et tu, qui accipis carnem, diuinæ eius substantiæ in illo participas alimento.

**C. LXXXV.** In sacrificio non corporalem, sed spiritualem escam accipimus.

Item in libro de misteriis. [cap. 9].

In illo sacramento Christus est, quia Christi corpus est.

Non ergo corporalis esca, sed spiritualis.

Unde et Apostolus de tipo eius ait, quia patres nostri eandem escam spiritalem manducauerunt.

Corpus enim Dei corpus est spirituale: corpus Christi corpus est diuini spiritus.

**C. LXXXVI.** Carnem a Christo susceptam, et corpus transfiguratum in altari offerimus.

Idem in sermone de Abel et Cayn.

Si credis, a Christo, carnem esse susceptam, et offeras transfiguratum corpus in altari, nec tamen distinguis naturam uerbi et corporis, dicitur tibi: “Si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti”.

**C. LXXXVII.** In cena Christus fuit conuiuia et conuiuium.

Item Ieronimus ad Heldibiam [quæst. II].

Nec Moyses dedit uobis panem uerum, sed Dominus Iesus ipse conuiuia et conuiuium, ipse comedens, et qui comeditur.

**C. LXXXVIII.** In ueritate sui corporis et sanguinis Christus suis discipulis presentauit quod Melchisedech sacramentaliter obtulit.

Item super Mattheum. [lib. IV. ad c. 26].

“Accipite et comedite.

Hoc est corpus meum”.

Postquam tipicum fuerat pasca completum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumpsit panem, qui confortator est hominis, et ad uerum Pascae transit sacramentum, ut, quomodo in prefiguratione eius Melchisedech panem et uinum offerens fecerat, ipse quoque in ueritate sui corporis et sanguinis representaret.

**C. LXXXIX.** Christus idem est sacerdos et sacrificium.

Idem in libro de membris Domini.

Sacerdos Dei patris dicitur filius Dei, secundum humanitatem, in qua se pro nobis acceptabile sacrificium Deo obtulit, ut ipse sit sacerdos, qui est sacrificium.

**C. XC.**

Iudei credentes biberunt sanguinem, quem in cruce fuderunt.

Item Augustinus de utilitate agendæ penitentiæ.

Tunc eis Petrus annunciauit eum colendum, quem crucifixerunt, ut eius iam sanguinem biberent credentes, quem fuderant seuiantes.

**C. XCI.** Corpus, quod ex Virgine sumptum est, a fidelibus accipitur.

Idem in epistola ad Ireneum.

Corporeum illud manna nunc est tanti res miraculi, quia uenit quod perfectum est; perfectum autem panis de celo corpus ex Virgine.

**C. XCII.** Verum Christi corpus, uerum que eius sanguinem cottidie manducamus et bibimus.

Idem in psalmo XXXIII. omelia II.

Accesserunt Iudei ad Iesum, ut crucifigerent; nos accedamus, ut corpus eius et sanguinem accipiamus.

Item:

§. 1. Vere magnus Deus et magna misericordia eius, qui nobis dedit corpus suum manducare, in quo tanta perpeusus est, et sanguinem suum bibere.

Item in Psalmo 27. ad Iudeos:

§. 2. Iam et securi bibite sanguinem, quem fudistis.

Psalmo 75.:

§. 3. Ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.

Psalmo 28.:

§. 4. De carne Mariæ carnem accepit, et ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit.

Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit.

Psalmo 33.:

§. 5. “Dauid ferebatur manibus suis”.

Manibus suis nemo portatur.

Quomodo intelligatur in ipso Dauid, secundum literam non inuenimus: in Christo autem inuenimus.

Ferebatur enim Christus manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: “Hoc est corpus meum”.

Ferebatur enim illud corpus in manibus suis.

Idem super Iohannem tractatu 35.:

§. 6. Quousque biberent sanguinem, quem fuderant, desperauerunt.

Idem in Psalmo 54.:

§. 7. Iudei pascebantur tamquam de pena Domini, et nos de cruce Domini pasчимur, quia corpus ipsius manducamus.

Habent ergo inpii epulas suas, habent pii suas.

“Beati, qui esuriunt et sitiunt iusticiam”.

**C. XCIII.** Pro infirmantibus eucharistia semper debet esse parata.

Item ex Concilio Wormaciensi.

## **XXVI. Pars.**

Presbiter eucharistiam semper habeat paratam, ut, quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine comunione moriatur.

**C. XCIV.** Penitentia eius, qui non bene sacrificium custodit.  
Item ex Concilio Aurelianensi.

### **XXVII. Pars.**

Qui bene non custodierit sacrificium, et mus uel aliud aliquod animal illud comederit, XL. dies peniteat.

Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars eius ceciderit, et inuenta non fuerit, XXX. dies peniteat.

**C. XCV.** Ystrionibus sacra non committantur misteria.  
Ciprianus Euricacio confratri salutem. [lib. I. ep. 10].

### **XXVIII. Pars.**

Pro dilectione tua consulendum me existimasti, frater karissime, quid michi uideatur de ystrione et mago illo, qui apud uos constitutus adhuc in suæ artis dedecore perseuerat, et magister et doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id, quod male didicit, ceteris quoque insinuat: an talibus debeat sacra comunio cum ceteris Christianis dari aut debeat communicare uobis cum?

Puto nec maiestati diuinæ, nec euangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor ecclesiæ tam turpi et infami contagione fedetur.

**C. XCVI.** Post conuersionem non est deneganda gratia comunionis.  
Item ex Concilio Cartaginensi III. [c. 35].

Scenicis atque ystrionibus, ceteris que huiusmodi personis, uel apostaticis conuersis, uel reuersis, ad Deum gratia uel reconciliatio non negetur.

**C. XCVII.** Presbiter in altari missam non celebret, in quo eadem die episcopus celebrauit.

Item ex Concilio Urbico.

In altari, quo missam episcopus cantauit, presbiter eo die aliam celebrare non presumat.

## **DISTINCTIO III.**

### **GRATIANUS.**

**C. I.** Tempora feriandi in missa sunt laicis annuncianda.  
Item ex Concilio Lugdunensi.

### **I. Pars.**

Pronunciandum est, ut sciant tempora feriandi per annum, id est: omnem dominicam a uespera usque ad uesperam, ne a Iudaismo capiantur.

Feriandi uero per annum isti sunt dies: Natalis Domini, S. Stephani, S. Iohannis Euangelistæ, Innocentium, S. Siluestri, Octauæ Domini Theophaniæ, Purificatio S. Mariæ, sanctum Pasca cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, sancti dies Pentecostes, S. Iohannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, et maxime sanctorum Petri et Pauli, qui mundum sua predicatione illuminauerunt, S. Laurentii, Assumptio S. Mariæ, Natiuitas S. Mariæ, Dedicatio, S. Michælis Archangeli, Dedicatio cuiuscumque oratorii, et omnium sanctorum, et S. Martini, et illæ festiuitates, quas singuli episcopi in suis episcopiis cum populo collaudauerint, que uicinis tantum circummorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus.

Reliquæ uero festiuitates per annum non sunt cogendæ ad feriandum, nec prohibendæ.

Indictum uero ieiunium quando fuerit denunciatum, ab omnibus obseruetur.

**C. II.** In sanctorum solempnitatibus diuinis offitiis, non saltationibus uel cantilenis, populi debent uacare.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 23].

Irreligiosa consuetudo est, quam uulgus per sanctorum solempnitates agere consuevit.

Populi, qui debent diuina offitia attendere, saltationibus turpibus inuigilant cantica, non solum mala canentes, sed et religiosorum offitiis perstrepunt.

Hoc etenim, ut ab omnibus prouinciis depellatur, sacerdotum et iudicum a concilio sancto curæ committitur.

**C. III.** Ante Ascensionem Domini tribus diebus litaniam celebrentur.

Item ex Concilio Aurelianensi. [I. c. 29].

Rogationes, id est letanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari ita, ut premissum triduanum ieiunium in dominicæ Ascensionis solempnitate soluatur.

Per quod triduum serui et ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs uniuersa conueniat.

Quo triduo omnes abstineant, et quadragesimalibus cibus utantur.

**C. IV.** Episcopus die dominico non desit ecclesiam.

Item ex eodem. [c. 33].

Episcopus, si infirmitate non fuerit impeditus, ecclesiam, cui proximus fuerit, die dominico deesse non debet.

**C. V.** Hos dies ciuibus in uilla celebrare non licet.

Item ex eodem. [c. 27].

Nulli ciuium umquam Pasca, Natalis Domini, uel Quadragesimæ solempnitatem in uilla liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

**C. VI.** Ante solempnitatem Pasca Quadragesima est celebranda.

Item ex eodem. [c. 26].

Sacerdotibus omnibus decretum est, ut ante Pasca solempnitatem non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur.

**C. VII.** Quinta feria ultimæ septimanæ Quadragesimæ ieiunium solui non licet.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 50].

Non liceat quinta feria, fratres, nouissimæ septimanæ ieiunium soluere, et omnem Quadragesimam exhonorare, sed sincere abstinentes totam Quadragesimam perexire.

**C. VIII. De eodem.**

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 50].

Non oportet in Quadragesima quinta feria ultimæ hebdomadæ ieiunium dissolui, et totam Quadragesimam inhonorari; sed per totos dies ieiunare, et escis abstinentiæ conuenientibus, id est aridioribus, uti.

**C. IX. Exceptis diebus dominicis in Quadragesima non soluatur ieiunium.**

Item ex Concilio Agatensi. [c. 12].

Placuit, ut omnes ecclesiæ, exceptis diebus dominicis, in quadragesima etiam die sabbati sacerdotali oratione et discretionis communionem ieiunent.

**C. X. Nec in die dominica, nec in diebus Pentecostes in oratione genua flectantur.**

Item ex Concilio Niceno. [c. 20].

Quoniam sunt in die dominica quidam ad orationem genua flectentes, et in diebus Pentecostes, propterea itaque statutum est a sancta synodo, (quoniam consona, et conueniens consuetudo per omnes ecclesias custodienda est), ut stantes ad orationem Domino uota reddamus.

**C. XI. Quo tempore ab esu carniū sit abstinendum.**

Item Leo IV.

**II. Pars.**

De esu carniū apud nos uetustissima, et non improbanda traditio semper tenenda est, ut a cenæ termino, que fit in principio noctis quartæ feriæ, que lucescit in quarta feria, usque in diluculum quintæ feriæ, et similiter a cena noctis sextæ feriæ, que lucescit in sexta feria, non inperite ieiunatio usque ad sabbati lucem, quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit uel debuerit, protendatur.

**C. XII. Nec die sabbati feriandum, nec die dominico lauacrum est prohibendum.**

Item Gregorius dilectissimis ciuibus Romæ. [lib. XI. epist. 3].

**III. Pars.**

Peruenit ad me, quosdam peruersi spiritus homines praua inter uos aliqua et sanctæ fidei aduersa seminasse, ita ut in die sabbati aliquid operari prohiberent.

Quos quid aliud nisi antichristi predicatorum dixerimus? qui ueniens diem sabbatum atque dominicum ab omni faciet opere custodiri.

Quia enim mori se et resurgere simulat, haberi uult in ueneratione dominicum diem; et quia populum iudaizare conpellit, ut exteriorem ritum legis reuocet, et sibi Iudeorum perfidiam subdat, coli uult sabbatum.

§. 1. Aliud quoque ad me perlatum est, uobis a peruersis hominibus esse predicatum, ut dominico die nullus debeat lauari.

Et quidem si pro luxuria et pro uoluptate lauari quis appetit, hoc fieri nec reliquo die quolibet concedimus.

Si autem pro necessitate corporis hoc nec die dominico prohibemus.

C. XIII. Ob reuerentiam sepulturæ dominicæ sabbato ieiunare debemus.  
Item Innocentius Papa. [ep. I. ad Decentium, c. 4].

#### IV. Pars.

Sabbato uero ieiunandum esse, ratio euentissima demonstrat.

Nam, si diem dominicam ob uenerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solum in Pasca celebramus, uerum etiam per singulas hebdomadas ipsius diei imaginem frequentamus, ac sicut sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum pretermittere non debemus, quoniam inter tristitiam et letitiam temporis illius uidetur inclusum.

Nam utique constat, Apostolos biduo isto et in merore fuisse, et propter metum Iudeorum se occuluisse.

Quod utique non dubium est in tantum eos ieiunasse biduo memorato, ut traditio ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari.

Que etiam forma per singulas tenenda est hebdomadas propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda.

Quod si putant semel atque uno sabbato ieiunandum, ergo et dominica, et sexta feria semel in Pasca erit utique celebranda.

C. XIV. Die dominica et quinta feria non est celebrandum ieiunium.  
Item Melciades Papa. [ad Episcopos Hispaniarum, cap. 3].

#### V. Pars.

Ieiunium dominici diei, et quintæ feriæ nemo celebrare debet, ut inter ieiunium Christianorum et gentilium et ueraciter credentium et infidelium atque hereticorum, uera et non falsa discretio habeatur.

C. XV. De eodem.

Item ex Concilio Cesaraugustano. [c. 2].

Ne quis ieiunet die dominica causa timoris, aut persuasionis, nec Quadragesimarum diebus ab ecclesiis fideles desint, nec habitent in cubiculorum latibulis, ac montium, qui in suspicionibus perseuerant; sed exemplum ac preceptum custodiant sacerdotum, et ad alienas uillas agendorum conuentuum causa non conueniant.

Ab uniuersis episcopis dictum est: Anathema sit qui hoc commiserit.

C. XVI. Quarta et sexta feria sunt soluenda ieiunia.  
Item ex dictis S. Apollonii.

#### VI. Pars.

Ieiunia sane legitima, id est quarta et sexta feria, non sunt soluenda, nisi grandis aliqua necessitas fuerit, quia quarta feria Iudas traditionem Domini cogitauit, et sexta feria crucifixus est Saluator.

Videbitur ergo, qui in his diebus sine necessitate soluerit statuta ieiunia, uel cum tradente tradere Saluatorem, uel cum crucifigentibus crucifigere.

Die autem dominica nichil aliud agendum est, nisi Deo uacandum.

Nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantum ymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus dies illa transigatur.

**C. XVII.** Quinta feria ultimæ hebdomadæ quadragesimæ penitentes remissionem accipiant.

Item Innocentius. [ep. I. ad Decentium c. 7].

### **VII. Pars.**

De penitentibus uero, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus penitentiam gerunt, si nulla interueniat egritudo, quinta feria ante Pasca eis remittendum, Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat.

§. 1. Ceterum de pondere estimando delictorum sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem penitentis, et ad fletus atque lacrimas corrigentis.

§. 2. Sane si quis in egritudinem inciderit, atque usque ad desperationem deuenerit, est ei ante tempus Pascæ relaxandum, ne de seculo absque communionem discedat.

**C. XVIII.** Singulis annis quinta feria ultimæ hebdomadæ quinquagesimæ nouum crisma conficiatur.

Item Fabianus Papa orientalibus Episcopis. [epist. II].

### **VIII. Pars.**

Litteris uestris inter cetera insertum inuenimus, quosdam religionis uestræ episcopos a uestro nostro que ordine discrepare, et non per singulos annos in cena Domini crisma conficere.

Errant uero qui talia excogitant, et mente uesana potius, quam recta sentientes hec facere audent.

§. 1. Sicut enim ipsius diei solempnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti crismatis confectio per singulos annos est agenda, et de anno in annum renouanda, et fidelibus tradendum, quia nouum sacramentum est et per singulos annos, in iam dicta die innouandum, et uetus in sanctis ecclesiis cremandum.

Ista a sanctis Apostolis et successoribus eorum accepimus, uobis que tenenda mandamus.

**C. XIX.** Seruetur ab omnibus festiuitas inuentionis dominicæ crucis.

Item Eusebius Papa. [epist. III].

### **IX. Pars.**

Crucis Domini nostri Iesu Christi, que nuper, nobis gubernacula sanctæ Romanæ ecclesiæ tenentibus, quinto nonas Maii inuenta est, in predicto Kalendarum die inuentionis festum uobis solempniter celebrare mandamus.

**C. XX.** Quare sit institutum, ut aqua sale conspersa sanctificetur.

Item Alexander Papa V. a Petro. [epist. I. c. 5].

### **X. Pars.**

Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur.

Quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.

Nam si cinis uitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat: multo magis aqua sale aspersa, diuinis que precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat.

Et, si sale asperso per Heliseum prophetam sterilitas aquæ sanata est: quanto magis diuinis precibus sacratus sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinos sanctificat, et purgat, et cetera bona multiplicat, et insidias diaboli auertit, et a fantasmatis uersutiis homines defendit?

**C. XXI.** Non nisi die dominico sanctum Pasca celebretur.

Item Pius Papa IX. a Petro Apostolo, in primo suorum decretalium.

Nosse uos uolumus, quod Pasca Domini die dominico annuis temporibus sit celebrandum.

Istis enim temporibus Hermes doctor fidei et scripturæ inter nos effulsit.

Et licet nos idem Pasca predicto die celebraremus, tamen quia quidam inde dubitabant, ad corroborandas animas eorum eidem Hermæ angelus Domini in habitu pastoris apparuit, et precepit ei, ut Pasca Domini die dominico ab omnibus celebraretur.

Unde et nos apostolica auctoritate instituimus, omnes eadem seruare debere, quia et nos eadem seruamus, nec debetis a capite quoquo modo discedere.

**C. XXII.** Non nisi dominico sanctum pasca celebretur.

Item Victor Papa XIII. a Petro, in primo decretali suo.

Celebritatem sancti Pascae die debere, et predecessores nostri iam statuerunt, et os illud eadem die solempniter celebrare mandamus, quia non decet, ut membra a capite discrepent, aut aliter gerant.

A XIV. uero luna primi mensis usque ad XXI. diem eiusdem mensis eadem celebretur festiuitas.

§. 1. Eodem quoque tempore baptisma celebrandum est catholicum.

Sed tamen, si necesse fuerit, aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem uenientes quocumque loco uel momento, ubicumque euenerit, siue in flumine, siue in mari, siue in fontibus, tantum Christianæ credulitatis confessione clarificati baptizentur.

Ipsis etiam quod in baptismo polliciti sunt summopere attendendum est, ne non infideles, sed fideles inueniantur.

Ipsi uero, qui infidelitatis nota asperguntur, infames efficiuntur, atque inter fideles minime reputantur.

§. 2. Hec uero statuta nulla debent improbitate conuelli, nulla nouitate mutari, quia alia ratio est causarum secularium, alia diuinarum.

**C. XXIII.** De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 65].

Pascae solempnitas uno die et tempore celebranda est.

**C. XXIV.** Dies Pascae, et concilii, formatarum subscriptione omnibus intimetur.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 7].

Placuit, ut dies uenerabilis Pascae formatarum subscriptione omnibus intimetur; dies uero concilii XI. Kal. Nouembris seruetur.



Scribendum est etiam ad singularum quarumque prouinciarum primates, ut, quando apud se concilia congregant, istum diem non impediunt.

**C. XXV.** Cum in concilio omnia statuta fuerint, uenturum Pasca annuncietur.

Item ex Concilio Bracarense II. [c. 9].

Placuit, ut post, quam omnia in concilio sacerdotum fuerint ordinata, illud omnimodis obseruetur, ut superuenturum ipsius anni Pasca quo Kalendarum die uel quota luna debeat suscipi, a metropolitano episcopo intimetur.

Quod ceteri episcopi uel clerus reliquus breuiculo subnotantes, unusquisque in sua ecclesia adueniente Natalis Domini die post euangelicam lectionem populo annunciet.

**C. XXVI.** Per orbem uniuersum uno die, et eodem tempore Pasca celebretur.

Item ex Concilio Arelatensi I., quod confirmauit Papa Siluester. [c. 1].

De obseruatione Pascae Dominicae statuimus, ut uno die et tempore per omnem orbem obseruetur, et iuxta consuetudinem litterae ad omnes dirigantur.

**C. XXVII.** De imaginibus sanctorum non uiolandis.

Item Gregorius Sereno, Episcopo Massiliensi. [lib. IX. epist 9].

## **XII. Pars.**

Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris.

Et quidem, quia eas adorari uetisses, omnino laudauimus, fregisse uero reprehendimus.

Dic, frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum quod fecisti?

Aliud enim est picturam adorare: aliud per picturae historiam quid sit adorandum addiscere.

Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis prestat pictura cernentibus, quia in ipsa ignorantes uident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt.

Unde et precipue gentibus pro lectione pictura est.

**C. XXVIII.** Imagines sanctorum memoria sunt et recordatio preteritorum.

Item ex VII. Sinodo, [actione 6].

Venerabiles imagines Christiani non deos appellant, neque seruiunt eis, ut diis, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis expectant futurum iudicium: sed ad memoriam et recordationem primitiuorum uenerantur eas et adorant, sed non seruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturae.

**C. XXIX.** Non in agni, sed in hominis specie Christus est figurandus.

Item Adrianus Papa Tharasio Patriarchae. [in actione II. eiusdem VII. Synodi]

## **XIII. Pars.**

Sextam sanctam sinodum recipio cum omnibus canonibus suis, in quibus dicitur: In quibus scripturis sanctarum imaginum agnus precursoris digito ostensus depingitur, qui in figuram transit gratiae, uerum nobis per legem Moysi premonstrans agnum Iesum Christum Dominum nostrum.

Antiquis ergo figuris et umbris, ad ueritatis prefigurationem ecclesiae sanctae traditis, uale dicentes, gratiam et ueritatem preferimus, et sicut plenitudinem legis recipimus. Verum igitur agnum Dominum nostrum Iesum Christum secundum imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro ueteri agno depingi iubemus.

**C. XXX.** De fide Trinitatis et Unitatis inuiolabiliter seruanda.

Item Augustinus in libro [I]. de Trinitate. [c. 4].

Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, que Deus est, diuinorum librorum ueterum et nouorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unius eiusdem que substantiae inseparabili equalitate diuinam insinuant unitatem, ideo que non sint tres Dii, sed unus Deus, quamuis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est, Filius que a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est, Spiritus que sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantummodo Patris et Filii Spiritus, et Patri et Filio etiam ipse coequalis, et ad Trinitatis pertinens unitatem; non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine Maria, et sub Pontio Pilato crucifixam et sepultam et tertia die resurrexisse, et in celum ascendisse, sed tantummodo Filium; nec eandem Trinitatem descendisse in specie columbae super Iesum baptizatum, aut die Pentecostes post ascensionem Domini sonitu facto de celo, quasi ferretur flatus uehemens, et linguis diuisis, uelut ignis, sed tantummodo Spiritum sanctum; nec eandem Trinitatem dixisse de celo: "Tu es filius meus," siue cum baptizatus est a Iohanne, siue in monte, quando cum illo erant tres discipuli, aut quando sonuit uox dicens: "Et clarificaui, et iterum clarificabo:" sed tantummodo Patris uocem fuisse factam ad Filium, quamuis Pater et Filius, et Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur.

#### **DISTINCTIO IV.**

#### **GRATIANUS.**

**C. I.** Sine sacramento uisibili et fide inuisibili nemo saluatur.

Idem super Iohannem.

#### **I. Pars.**

Necessarium est uisibile sacramentum aquae ad ablutionem uisibilis corporis, sicut necessaria est doctrina inuisibilis fidei ad sanctificationem inuisibilis animae.

Idem:

§. 1. Renascitur homo ex aqua, uisibili sacramento, et spiritu, inuisibili scilicet intellectu, ut symbolum baptismi uisibiliter accipiat, et spiritualem intellectum ipsius simboli percipiat.

Vel ex aqua uisibili et Spiritu sancto.

**C. II.** In baptisate concupiscentia exstinguitur, non ut non sit, sed ut non obsit.

Idem in libro [I]. de baptismo paruulorum. [c. 39].

Per baptismum Christi id agitur, ut caro peccati euacuetur.

Non sic autem euacuetur, ut in carne concupiscentia innata non sit: sed ne obsit.

Nam si post baptismum, ad etatem naturalem peruenerint, ibi habent cum qua pugnent eam que Deo adiuuante superent, si non gratiam in uacuum susceperint.

Nam nec adultis id prestatur in baptismo, nisi forte miraculo Dei, ut lex peccati, repugnans legi mentis penitus exstinguatur, et non sit: sed, ut quicquid ab homine dictum, factum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subiecta mente seruiret, totum aboleatur, et quasi factum non sit habeatur.

**C. III.** Qui ex uiro et muliere concipitur, cum originali peccato nascitur, nec sine baptismo saluatur.

Idem ad Petrum Diaconum, [c. 26].

Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitus uiri et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, morti que subiectum, et ob hoc naturaliter nasci iræ filium, de qua dicit Apostolus: “Eramus enim natura filii iræ, sicut et ceteri”.

A qua ira nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris hominis Iesu Christi.

§. 1. Firmissime tene, non solum homines ratione utentes, uerum etiam paruulos, qui siue in uteris matrum uiuere incipiunt, et ibi moriuntur, siue iam de matribus nati sine baptismatis sacramento, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, sempiterno igne puniendos; quia, etsi peccatum propriæ actionis nullum habent, originalis tamen peccati dampnationem carnali conceptione ex natiuitate traxerunt.

**C. IV.** De eodem.

Item Iohannes Crisostomus.

Non potest quis gratiam uitæ celestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati per penitentiæ confessionem, per donum baptismi salutaris Domini et saluatoris nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula seculorum.

**C. V.** Sicut nunc in baptismo, ita olim in circumcisione remittebantur peccata.

Item Gregorius in Moralibus. [lib. IV. c. 2].

Quod apud nos ualet aqua baptismatis, hoc egit apud ueteres uel pro paruulis sola fides, uel pro maioribus uirtus sacrificii, uel pro his, qui de stirpe Abrahæ prodierunt, misterium circumcisionis.

**C. VI.** Originale peccatum nunc in baptismo, olim in circumcisione remittebatur.

Item Augustinus ad Valerium contra Iulianum. [lib. II. c. 11]

Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei (quod erat tunc signaculum fidei iusticiæ Dei) ad sanctificationem purgationis ualebat paruulis originalis ueteris que peccati, sicut etiam baptismus ex illo ualere cepit ad inuolutionem hominis, ex quo constitutus est.

**C. VII.** Paruulis in fide offerentium prodest fides.

Idem de libero arbitrio, libro III. [c. 23].

Illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid prosit paruulis, cum eo accepto plerumque moriuntur prius, quam ex se quicquam potuerint cognoscere. Qua in re satis pie recte que creditur prodesse paruulo fides eorum, a quibus consecrandus offertur.

Et hoc ecclesiæ commendat auctoritas, ut ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficio, qui propriam nondum habent potestatem, comoda sit.

**C. VIII.** Per fidem et baptismum iustificamur a peccatis.

Idem de baptismo paruulorum. [lib. I. c. 32. et 33].

Filius Dei carnem peccati suscepit, et penam sine culpa, ut in carne peccati et culpa solueretur et pena.

Per fidem ergo et baptismum eius homo a peccato per iustificationem, et a morte liberatur per resurrectionem.

§. 1. Paruuli etiam baptizati inter credentes reputantur per sacramenti uirtutem, et offerentium responsionem.

Qui uero non sunt baptizati, inter non credentes iudicantur ex euangelio Iohannis: “Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei”.

**C. IX.** Per aquam baptismi de terreno fit homo celestis.

Item Ambrosius in libro [I]. de sacramentis. [c. 4. et 5].

Per aquam baptismi transitus est de terrenis ad celestia.

Ideo Pasca, transitus dicitur, hic transitus est de peccato ad uitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad sanctificationem.

Qui per hanc aquam transit, non moritur, sed resurgit.

§. 1. Non omnis aqua sanat, sed illa, que habet gratiam Christi.

Aliud est elementum, aliud est consecratio.

Non sanat aqua, nisi Spiritus sanctus descendat, et consecret aquam illam, sicut legitur, quia, cum Christus formam baptismatis daret, uenit ad Iohannem, et ait illi Iohannes: “Ego a te debeo baptizari, et tu uenis ad me?”

respondit Iesus: Sic decet nos implere omnem iusticiam”.

Vide, que omnis iusticia sit.

Christus ad baptismum descendit non ut caro mundaretur, quam suscepit de nostra condicione.

Non enim ablutio peccati Christo necessaria fuit, qui peccatum non fecit; sed nobis erat necessaria, qui peccato eramus obnoxii.

§. 2. Descendit Christus: descendit et Spiritus sanctus.

Quare autem prior descendit Christus, postea Spiritus sanctus, cum forma et usus baptismi hoc habeat, ut ante fons consecratur, et tunc descendat baptizandus?

§. 3. Christus autem ante descendit, secutus est Spiritus; sanctus?

ut numquam ipse egere sanctificationis misterio uideretur, sed ut sanctificaret ipse, sanctificaret et Spiritus sanctus.

**C. X.** Aqua baptismi non purgaret peccata, nisi tactu dominici corporis esset sanctificata.

Item Iohannes Crisostomus.

Numquam aquæ baptismi purgare peccata credentium possent nisi tactu dominici corporis sanctificatæ fuissent.

**C. XI.** Generale baptisma non nisi sabbato sancto Pascae et Pentecostes celebretur.

Item Siricius Papa Ymerio Terraconensi, [epist. I].

## **II. Pars.**

Non ratione auctoritatis alicuius, sed sola temeritate presumitur, ut passim et libere in natiuitate Christi, seu Apparitione, nec non Apostolorum seu martirum festiuitatibus,

innumeræ plebes baptizentur, cum sibi hoc priuilegium apud nos, et apud omnes ecclesias dominicum specialiter Pasca defendat cum suo Pentecosten.

### C. XII. De eodem.

Item Leo Papa uniuersis Episcopis per Siciliam constitutis. [epist. IV. c. 5].

Duo tempora, id est Pasca et Pentecosten, ad baptizandum a Romano Pontifice legitima sunt prefixa.

Unde, quia manifestissime patet, baptizandis in ecclesia electis hec duo tempora, de quibus locuti sumus, esse legitima, dilectionem uestram monemus, ut nullos alios dies huic obseruantia misceatis.

### C. XIII. Quare in predictis temporibus baptisma celebretur.

Idem. [in eadem epistola c. 3].

Proprie in morte crucifixi, et in resurrectione ex mortuis potencia baptismi nouam creaturam condidit ex uetere, ut in resurgentibus et mors Christi operetur, et uita, dicente apostolo: “An ignoratis, quia, quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?

consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita et nos in nouitate uitæ ambulemus.

Si enim conplantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus,” et cetera, que latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputauit, ut appareret, ex huius doctrinæ spiritu regenerandis filiis hominum, et in Dei filios adoptandis illum diem et illud tempus electum, in quo per similitudinem formam que misterii ea, que geruntur in membris, his, que in ipso sunt capite gesta, congruere, dum in baptismatis regula et mors interuenit interfectione peccati, et sepulturam imitatur triduanam trina dimersio, et ab aquis eleuatio resurgentis instar est de sepulchro.

Ipsa igitur qualitas operis docet, celebrandæ generaliter gratiæ diem legitimum eum esse, in quo orta est et uirtus muneris, et species actionis.

§. 1. Ad cuius rei confirmationem plurimum ualet quod ipse Dominus Iesus Christus postquam resurrexit a mortuis, discipulis suis (in quibus omnes ecclesiarum presules docebantur) et formam et potestatem tradidit baptizandi, dicens: “Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti”.

De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie uoluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione cepisse.

§. 2. Additur sane huic obseruantia etiam Pentecostes ex aduentu Spiritus sancti sacra solempnitas, que de pascalis festi pendet articulo, et, cum ad alios dies alia festa pertineant, hec semper ad eum diem, qui resurrectione Domini est insignis, occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ manum, et eos, quos a die Pascae aut molestia infirmitatis, aut longinquitas itineris, aut nauigationis difficultas interclusit, inuitat, ut quibuslibet necessitatibus impediti desiderii sui effectum dono Spiritus sancti consequantur.

§. 3. Hoc autem nos non ex nostra persuasionem defendere, sed ex apostolica auctoritate seruare, satis idoneo probamus exemplo, sequentes B. Petrum apostolum, qui in ipso die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus sancti repleuit aduentus, trium milium populum sua predicatione conuersum lauacro baptismatis consecrauit.

Quod sancta scriptura, que Apostolorum actus continet, fidei historia docet, dicens: “His auditis conpuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres?

Petrus autem ad illos penitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque uestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti”.

[[C. XIV].

Item.

Si quis autem Epiphaniæ festiuitatem (que in suo ordine debito honore ueneranda est) ob hoc estimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum sancti Iohannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse uirtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur de quibus dicitur: “qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt”.

Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec querens remedium renascendi, sic uoluit baptizari, quomodo et uoluit circumcidi, hostiam que pro emundatione offerri, ut qui factus erat ex muliere (sicut Apostolus ait) fieret sub lege, quam non uenerat soluere, sed implere et implendo finire, sicut Apostolus predicat, dicens: “Finis autem legis Christus ad iusticiam omni credenti”.

Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens se docuit esse principium, et tunc regenerationis potenciam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis.

C. XV. In solempnitate pascali et Pentecostes catecumini baptizentur.

Item ex Concilio Gerundensi. [c. 4].

De catecuminis baptizandis id decretum est ut in Pascali festiuitate uel Pentecostes, ad baptizandum ueniant; ceteris solempnitatibus infirmi tantum debent baptizari.

C. XVI. Necessitate cogente quolibet tempore baptizare licet.

Item Leo Papa. [epist. IV. c. 6].

Hi qui necessitate mortis, egritudinis, obsidionis, persecutionis, et naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari.

C. XVII. Nisi necessitate cogente preter Pasca et Pentecostem nullus baptizare presumat.

Item Gelasius Clero et Plebi Tarentino.

Venerabilis baptismi sacramentum nisi in festiuitate pascali et Pentecostes tradere non presumat episcopus; exceptis egritudine laborantibus, quibus urgente mortis periculo talibus oportet, ne in eternum pereant, remediis subueniri.

C. XVIII. De eodem.

Idem.

Baptizandi sibi quispiam quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam, preter pascale festum, et Pentecostes uenerabile sacramentum, excepto dumtaxat grauissimi languoris incurso, in quo uerendum est ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis egrotans exitio preuentus abscedat.

C. XIX. Nemo nisi sacerdos baptizare presumat.

Item Ysidorus de offitiis, libro II. c. 24.

Constat, baptisma solis sacerdotibus esse traditum eius que ministerium nec ipsis diaconibus explere est licitum absque episcopo uel presbitero, nisi his procul absentibus ultima languoris cogat necessitas.

Quod et laicis fidelibus plerumque permittitur.

Item Gelasius:

§. 1. Diaconos quoque tunc,  
ut supra in tractatu ordinandorum, ubi de reuerentia diaconorum erga sacerdotes agitur.

C. XX. Non presumat mulier baptizare.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 99. et 100].

### III. Pars.

Mulier, quamuis docta et sancta, baptizare aliquos uel uiros docere in conuentu, non presumat.

Gratian. Nisi necessitate cogente.

Unde Urbanus II.: “Super quibus consuluit etc.,” ut supra in tractatu coniugii, ubi de conpatribus agitur.

C. XXI. Etiam laici necessitate cogente baptizare possunt.

Item Augustinus ad Fortunatum.

In necessitate, cum episcopi, aut presbiteri, aut quilibet ministrorum non inueniuntur, et urget periculum eius, qui petit, ne sine isto sacramento hanc uitam finiant, etiam laicos solere dare sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.

[PALEA. C. XXII. De eodem.

Item ex Decreto Martini Papæ III.

Quicumque presbiter in prouincia propria, uel in alia, uel ubicumque inuentus fuerit, commendatum sibi infirmum baptizare noluerit, uel pro intentione itineris, uel de alia aliqua excusatione, et sic sine baptismo moritur, deponatur].

C. XXIII. Non reiteretur baptisma, quod a pagano ministratur.

Ysidorus.

Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit, qui baptizat.

C. XXIV. De eodem.

Item Nykolaus ad consulta Bulgarorum, c. 4.

A quodam Iudeo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria uestra baptizatos asseritis, et quid inde sit agendum consulitis.

Hi profecto, si in nomine S. Trinitatis, uel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt (unum quippe idem que est, ut sanctus Ambrosius exponit) quia non illorum, sed eius est, rebaptizari non debent.

C. XXV. Sicut per bonum, ita per malum ministrum eque baptisma ministratur.

Item Augustinus contra Crescentium Grammaticum. [lib. III. c. 6].

Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est melior baptismus, qui per meliorem datur, nullo modo malus est, qui etiam per malum datur, quando idem baptismus datur, et ideo per ministros dispare Dei munus equale est, quia non illorum, sed eius est.

**C. XXVI.** Non merita ministrorum, sed uirtus Christi in baptismo operatur.

Idem super Iohannem parte 1. tractatu V. [ad c. 1].

Baptismus talis est, qualis ille est, in cuius potestate datur, non qualis ille est, per cuius ministerium datur.

Item:

§. 1. Quid nouerat Iohannes Baptista? Dominum.

Quid non nouerat? potestatem baptismi dominici in nullum hominem transituram a Domino, sed ministerium plane transiturum; potestatem a Domino in neminem sed ministerium in bonos et malos.

Quid tibi facit minister malus, ubi bonus est Dominus?

Quid te impedit maliciosus prece, ubi beniuolus est iudex?

Item:

§. 2. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Item:

§. 3. Ergo dico, et omnes nos dicimus, quia iustos oportet esse, per quos baptizatur, quia iustos oportet esse tanti iudicis ministros, si ministrare iuste uoluerint.

Si autem noluerint esse iusti qui in cathedra Moysi sedent, securum me fecit magister meus, de quo spiritus eius dicit: "Hic est, qui baptizat".

Item:

§. 4. Non timeo adulterum, ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam michi dicitur: "Hic est, qui baptizat".

**C. XXVII.** De eodem.

Idem in tractatu VI. [ad c. 1. Iohannis].

Cum baptizat malus ex aliqua uel ignorantia ecclesie uel tollerantia (aut enim ignorantur mali, aut tolleratur palea, quousque in ultimo uentiletur area), illud, quod datum est, unum est, nec impar propter inpares ministros, sed par et equale propter: "Hic est, qui baptizat".

**C. XXVIII.** Non reiteratur baptisma, quod in nomine S. Trinitatis prestatur.

Idem de ecclesiasticis regulis. [c. 52].

Si qui apud illos hereticos baptizati sunt, qui S. Trinitatis confessione baptizant, et ueniunt ad catholicam fidem recipiantur quidem ut baptizati, ne S. Trinitatis inuocatio uel confessio annulletur: sed doceantur integre et instruantur, quod S. Trinitatis misterium in ecclesia teneatur, et, si consentiunt credere, uel acquiescunt confiteri, purgati fidei integritate firmentur manus inpositione.

Si uero paruuli sunt et ebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illi quia eos offerunt iuxta morem baptizandi, et sic per manus inpositionem crismate communicati cum eucharistie misteriis admittantur.

**C. XXIX.** De eodem.

Idem ad Orosium. [in lib. LXV. Quæstionum dialog. quest. 59].



Quamuis unum baptisma sit, et hereticorum, eorum scilicet, qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizant et ecclesiæ catholicæ: tamen qui foris ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimium formam sacramenti, uirtutem autem eius abnegantes.

Et ideo ecclesia eos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt.

Et ipsa est profecto forma sacramenti.

Ideo, cum reuersi fuerint, accipiant uirtutem Spiritus sancti, quam, qui foris ecclesiam baptizantur, nondum habent.

**C. XXX.** Baptizantur qui tantum in nomine Domini baptizati probantur.

Item Pelagius Gaudentio Episcopo.

Si reuera hi de hereticis, qui in locis dilectioni tuæ uicinis conmorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem uenientes S. Trinitatis nomine baptizabis. Sin uero apud dilectionem tuam eorum, qui conuerti uolunt, manifesta confessione claruerit, quod in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia inpena catholicæ fidei sociare maturabis, ut tali dispensatione seruata nichil aliter, quam quod euangelica iubet auctoritas, temeritatis cuiusquam spiritu uideatur effectum.

**C. XXXI.** An approbetur baptisma, quod a non baptizato prestatur.

Item Augustinus de unico baptismo, libro VIII. [c. 53].

#### **IV. Pars.**

Solet etiam queri, utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si forte hoc aliqua curiositate didicit, quomodo dandum sit, et utrum nichil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur, cum simulatione, an sine simulatione; si cum simulatione, utrum fallens, sicut in ecclesia, uel in ea, que putatur ecclesia, an iocans, sicut in mimo.

§. 1. Verumtamen, si quis me forte in eo concilio constitutum, ubi talium rerum questio uersaretur non precedentibus, quorum sententias sequi mallet, urgeret, ut dicerem quid ipse sentirem, si eo modo affectus essem, quo eram, dum ea dictarem, nequaquam dubitarem, habere baptismum eos, qui ubicumque et a quibuscumque illud uerbis euangelicis consecratum sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent, quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si karitate caruissent, qua catholicæ inseruntur ecclesiæ.

“Si enim habeam fidem, ut montes transferam, karitatem autem non habeam, nichil sum;” sicut iam preteritis maiorum statutis non dubito, illos etiam habere baptismum quia quamuis fallaciter id accipiant, in ecclesia tamen accipiunt, uel ubi ab eis putatur esse ecclesia, in quorum societate id accipitur; de quibus dictum est: “Ex nobis exierunt”.

Ubi autem neque societas ulla esse ita crederetur, sed totum ludicre, et mimice, et ioculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum, concordati oratione, gemitibus esse inplorandum censerem, ita sane, ut post me dicturos sententias, si quid iam exploratum et cognitum afferrent, humiliter explorarem.

**C. XXXII.** Non reiteratur baptisma, quod in fide sanctæ Trinitatis ab hereticis prestatur.

Idem in libro II.

### V. Pars.

Ostenditur, illos in pie facere, qui rebaptizare conantur orbis unitatem, et nos recte facere, qui Dei sacramenta inprobare nec ipso scismate audemus.

In quo enim nobis cum sentiunt, in eo etiam nobis cum sunt.

In eo autem a nobis recesserunt, in quo a nobis dissentiunt.

Item:

§. 1. Sacramentum baptismi est, quod habet qui baptizatur, et sacramentum dandi baptismi est, quod habet qui ordinatur.

Sicut enim baptizatus, si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit: sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, sacramentum dandi baptismi non amittit.

Nulli enim sacramento iniuria facienda est.

Si discedit a malis, utrumque discedit; si permanet in malis, utrumque permanet.

Sicut ergo acceptatur baptismus, quem non potuit amittere qui ab unitate discesserat: sic acceptandus est baptismus, quem dedit ille, qui sacramentum dandi, cum discederet, non amiserat.

Item: [c. 12].

§. 2. Si ad baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa?

Eligant quod uolunt: utrumlibet elegerint, sufficit nobis.

Si dimissa dixerint, quomodo Spiritus disciplinæ effugiet fictum, si in isto remissionem operatus est peccatorum?

Si dixerint non esse dimissa, quero, si postea fictionem suam corde conuerso et uero dolore fateretur, denuo baptizandus iudicaretur?

Quod si dementissimum est dicere, fateantur, uero baptismo Christi baptizari posse hominem, et tamen cor eius in malicia uel sacrilegio perseuerans peccatorum abolitionem non sinere fieri, atque intelligant, in communicationibus ab ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi baptismus eadem celebratione sacramenti datur et sumitur, qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cum, quis reconciliatus unitati sacrilegio dissensionis exiuit, quo eius peccata tenebantur, et dimitti non sinebantur.

C. XXXIII. Valet ad salutem baptisma, etsi non ea fide paruuli offeruntur.

Idem in epistola [XXIII]. ad Bonifatium.

### VI. Pars.

Non illud te moueat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum paruulos ferunt, ut gratia spiritali ad uitam regenerentur eternam: sed hoc eos putant remedio temporalem retinere uel recipere sanitatem.

Non enim propterea non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.

C. XXXIV. Effusio sanguinis inplet uicem baptismi.

Item de unico baptismo, libro IV. [c. 22]

### VII. Pars.

Baptismi uicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est: “Hodie me cum eris in paradyso,” B. Ciprianus non leue documentum assumit.

Quod etiam atque etiam considerans, inuenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conuersionem que cordis, si forte ad celebrandum misterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, neque quia credidit, passus est, sed, dum patitur, credidit.

Quantum itaque ualeat etiam sine uisibili baptismi sacramento quod ait Apostolus: “Corde creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem,” in illo latrone declaratum est.

Sed tunc inpletur inuisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. [c. 24]. §. 1. Et sicut in illo latrone quod de baptismi sacramento defuerat conpleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia, non contemptu, sed necessitate defuerat, sic infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda est, quod non ex inopia uoluntate, sed ex etatis indigentia, nec corde credere ad iusticiam possunt nec ore confiteri ad salutem.

Ideo cum pro eis oratur, ut inpleatur erga eos celebratio sacramenti, ualet utique ad eorum celebrationem, quia ipsi respondere non possunt.

§. 2. Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccauit in alterum.

Item:

[eodem lib. 4. contra Donatistas, c. 23]. §. 3. Sicut autem in latrone, quia per necessitatem corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter affuit: sic, et cum ipsa presto est, si per necessitatem desit quod latroni defuit, perficitur salus.

Quod traditum tenet uniuersitas ecclesiae, cum paruuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt credere ad iusticiam, et ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quin etiam flendo et uagiendo, cum eis misterium celebratur, ipsi mysticis uocibus obstrepunt, et nullus Christianorum dixerit, eos inaniter baptizari.

Item:

[c. 25]. §. 4. Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse sacramentum baptismi, aliud conuersionem cordis: sed salutem hominis ex utroque conpleri.

Nec si unum eorum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, ut et alterum desit, quia et illud sine isto potest esse ut in infante, et istud sine illo potuit esse in latrone, conplente Deo, siue in illo siue in isto, quod non uoluntate defuisset; cum uero ex uoluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuolui.

Et baptismus quidem potest inesse, ubi conuersio cordis defuerit.

Conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo; sed contempto baptismo non potest.

Neque ullo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contempnitur.

**C. XXXV.** Non baptizatur in homine, quicquid in eo est.

Idem contra Iulianum. [lib. VI. c. 6].

Si quicquid in homine est, quando baptizatur et sanctificatur, baptizari et sanctificari credendum est, dicturus es, et ipsa in illo baptizari et sanctificari, que in intestinis et uesica per digestionem corporis digeruntur; dicturus es, baptizari et sanctificari hominem in matris utero constitutum, si ad hoc sacramentum accipiendum necessitas cogat

gravidam, et ideo baptizari iam qui nascitur non debere; postremo dicturus es, baptizari febres et sanctificari, quando baptizantur egroti.

**C. XXXVI.** Valet baptisma etsi per laicos ministretur.

Idem ad Fortunatum.

Sanctum est baptisma per se ipsum, quod datum est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ita ut in eodem sacramento sit etiam auctoritas traditionis per Dominum nostrum ad Apostolos, per illos autem in episcopos, et alios sacerdotes etiam laicos Christianos ab eadem origine ac stirpe uenientes.

§. 1. Nam cum illa historia narratur, omnes, qui audiunt, ad lacrimas mouentur.

Cum in nauis quadam nullus fidelis esset preter unum penitentem, cepit imminere naufragium.

Erat ibi quidam non inmemor suæ salutis, et sacramenti uehementissimus flagitator, nec erat aliquis, qui dare posset, nisi penitens ille; acceperat enim, pro peccato, de quo agebat penitentiam, amiserat sanctitatem, sed non amiserat sacramentum.

Nam si hoc amittunt peccantes, cum reconciliantur post penitentiam, quare non iterum baptizantur.

Dedit ergo quod acceperat, et, ne periculose uitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipso, quem baptizauerat, ut eum reconciliaret, et factum est: euaserunt naufragium.

Cognitum habes quod fecerunt.

Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuisse.

Motus enim animus religiosus et simplex ab homine exegit sacramentum, a Deo inpetrat sanctitatem.

Quod si forte hoc, quod narraui de his, qui naufragio imminente periclitabantur, non uult aliquis credere, (non enim hoc diuinarum scripturarum auctoritas, sed incerto auctore fama commendat), non repugnabo, sed interrogo, si tale aliquid contingat, quid futurum est?

Non enim potest quisquam dicere, relinquendum illum esse, qui morte imminente baptizari desiderat.

Quem baptizatum a penitente quisquis non credit contigisse, oportet, ut credat posse contingere.

**C. XXXVII.** Quamuis recte uiuat catecuminus, sine baptismo tamen non potest saluari.

Idem.

Catecuminum, quamuis in bonis operibus defunctum, uitam habere non credimus, excepto dumtaxat nisi martirii sacramentum conpleat.

Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, et interrogatus respondet.

Hoc idem martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem, et interrogatus respondet.

Ille post confessionem aspergitur aqua.

Hic uero aspergitur sanguine, uel tingitur igne.

Ille manus inpositione pontificis accipit Spiritum sanctum; hic habitaculum efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse, qui loquitur, sed spiritus sanctus, qui in illo loquitur.

Ille communicat eucharistiæ in commemoratione mortis Domini, hic ipsi Christo conmoritur.

Ille confitetur se mundi actibus renunciare, hic ipsis renunciat et uitæ.

Illi omnia peccata dimittuntur; isti exstinguntur.

C. XXXVIII. Non reiteretur baptisma, cuius formam constat integre collatam.  
Item Leo Papa. [epist. XC. al. XCII. ad Rusticum, c. 16].

### VIII. Pars.

Hii de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cuius fidei fuerint qui eos baptizauere, nescire se profitentur, quolibet modo formam baptismatis acceperunt rebaptizandi non sunt; sed per inpositionem manus uirtute Spiritus sancti, quam ab hereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

C. XXXIX. Et per bonos et per malos ministros eque baptizat Christus.  
Item Augustinus super Iohannem. [tract. V. ad c. 1].

### IX. Pars.

Aliud est baptizare per ministerium: aliud baptizare per potestatem.

Item:

§. 1. Ergo baptizabant discipuli eius, et ibi adhuc erat Iudas inter discipulo. eius.

Si quos autem baptizauit Iudas, non sunt iterum baptizati, et quos baptizauit Iohannes, iterum sunt baptizati?

Plane iterum: sed non iterato baptismo.

Quos enim baptizauit Iohannes, baptizauit Iohannes: quos autem Iudas baptizauit, Christus baptizauit.

Item:

[tract. 6]. §. 2. Per hanc enim potestatem, quam Christus solus tenuit sibi, et in neminem ministrorum transfudit, quamuis per ministros baptizare dignatus sit, per hanc inquam stat unitas ecclesiæ, que significatur in columba, de qua dictum est: “Una est columba mea, una est matri suæ electa”.

Si enim, ut iam dixi, fratres mei, transferretur a Domino potestates ad ministrum, tot baptismata essent, quot ministri essent, et iam non staret unitas baptismi.

Intendite fratres.

Ante, quam ueniret Dominus noster Iesus Christus ad baptismum, descendit columba in aquam; cognouit Iohannes quiddam proprium ei cui dictum est: “Super quem uideris Spiritum descendantem, et manentem super eum, ipse, est, qui baptizat in Spiritu sancto”.

Nouerat autem, quia ipse in Spiritu sancto baptizabat; sed quia tali proprietate, ut potestas ab eo non transiret in alterum, quamuis eo donante, ibi didicit.

Item:

[tract. 80]. §. 3. “Iam uos mundi estis propter uerbum, quod locutus sum uobis”.

Quare non ait: mundi estis propter baptismum, quo abluti estis, sed ait: “propter uerbum, quod locutus sum uobis,” nisi quia et in aqua uerbum mundat?

Item:

[tract. 5]. §. 4. Si fuerit iustus minister, computo eum cum Paulo, cum Petro, cum istis computo ministros iustos.

Quia uero iusti ministri gloriam suam non querunt (ministri enim sunt), pro ducibus haberi nolunt, spem in se poni exhorrescunt.

Ergo computo cum Paulo iustum ministrum.

Quid enim Paulus dicit? “Ego plantaui, Apollo rigauit; sed Deus incrementum dedit”.

**C. XL.** Nec baptismum, nec baptizandi potestatem scismatici amittunt.

Idem in libro [I]. de baptismo.

Nullus autem negat, habere baptismum etiam apostatas, quibus utique redeuntibus, et per penitentiam conuersis, non redditur, quia amitti non posse iudicatur.

Sic et illi, qui in sacrilegium scismatis ab ecclesiæ communionem discedunt, habent utique baptismum, quem prius, quam discederent, acceperunt.

Nam etsi ipsi redeant, non eis iterum datur.

Unde ostenditur, illud, quod acceperunt in unitate positi, non potuisse amittere separatos.

Quod si haberi foris potest, etiam dari cur non potest?

Si dicis: non recte foris datur, respondemus: sicut non recte foris habetur, et tamen habetur, sic non recte foris datur; et tamen datur.

Sicut autem per unitatis reconciliationem incipit utiliter haberi quod extra unitatem inutiliter habebatur: sic per eandem reconciliationem incipit utile esse quod extra eam inutiliter datum est.

Item:

[lib. 3. c. 19]. §. 1. Heretici sacramenta et scripturas habent ad speciem, non ad salutem.

Item:

[lib. 4. c. 11]. §. 2. Perfidus, si in perfidiæ permanserit, per baptismum nec extra ecclesiam, remissionem accipit peccatorum; aut, si propter uim sacramenti ad punctum temporis excipit, et foris et intus eam uim operatur, sicut uis nominis Christi expulsionem demonum etiam foris operabatur.

**C. XLI.** Mali non sua potestate, sed Christi uirtute baptismum ministrant.

Item.

Quomodo exaudit Deus homicidam deprecantem, uel super aquam baptismi, uel super oleum, uel super eucharistiam, uel super capita eorum, quibus manus inponitur?

Que tamen omnia et fiunt, et ualent etiam per homicidas, id est per eos, qui oderunt fratres.

Etiam in ipsa intus ecclesia, cum dare nemo possit quod non habet, quomodo dat homicida Spiritum sanctum?

et tamen intus etiam ipse baptizat.

Deus ergo dat etiam ipso baptizante Spiritum sanctum.

Quapropter sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos; ipsam uero gratiam non nisi per se ipsum, uel per sanctos suos, et ideo remissionem peccatorum uel per se ipsum facit, uel per illius columbæ membra, quibus ait: “Si cui dimiseritis, dimittentur”.

Manus autem inpositio si non adhiberetur ab heresi uenienti, quamquam extra omnem culpam esse iudicaretur, propter karitatis tamen copulationem (quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non ualent ad salutem quecumque alia fuerint sancta in homine) manus hereticis correctis inponitur.

Induunt autem homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando et usque ad uitæ sanctificationem; atque illud primum et bonis et malis potest esse commune: hoc autem proprium est bonorum et piorum.

§. 2. Non ob aliud uisum est quibusdam etiam egregiis uiris antistitibus Christi, (inter quos precipue B. Ciprianus eminebat), non posse esse apud hereticos uel scismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu uel usu

sacramenti, et quia eius effectus atque usus in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud hereticos non inueniebatur, ipsum sacramentum quoque illic non esse putabant.

Sed conuertentibus oculos ad interioris paleæ multitudinem (cum et hi, qui in ipsa unitate peruersi sunt, et perditæ uiuunt, appareant remissionem peccatorum nec dare posse, nec habere, quia non malignis filiis sed bonis dictum est: “Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur eis et reliqua,” habere tamen, et dare, et accipere baptismi sacramentum); satis eluxit pastoribus ecclesiæ catholicæ, etiam ouem, que foris errabat, et dominicum characterem foris accipiebat, uenientem ad Christianæ unitatis salutem ab errore corrigi, characterem tamen dominicum in ea cognosci potius, quam improbari, quandoquidem ipsum characterem multi et lupi, et lupis infigunt, qui uidentur esse intus, ueruntamen ad illam ouem, que ex multis una est, non pertinent.

§. 3. Cum malus tradit baptismum bono, id est in unitatis uinculo, ueraci conuersione mutato, inter bonum sacramentum, quod traditur, et bonum fidelem, cui traditur, tradentis malicia non separat, et, cum ueraciter illi ad Deum conuerso peccata dimittuntur ab eis dimittuntur, quibus ipse ueraci conuersione coniungitur, Spiritus sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus sanctis sibi karitate coherentibus, siue se nouerint corporaliter, siue non nouerint.

Similiter, cum alicuius tenentur peccata, ab eis tenentur, a quibus ille cordis prauitate disiungitur, siue corporaliter notis, siue ignotis.

§. 4. Omnes mali spiritualiter a bonis seiuncti sunt.

Si autem corporaliter etiam aperta discessione separentur, peiores fiunt.

Sed nichil interest ad baptismi sanctitatem, quanto quisque peior id habeat, et quanto peiori tradat.

Potest tamen tradere separatus, sicut potest habere separatus.

Sed quam perniciosum est habere, tam perniciose tradere.

Ille autem, cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus acceperit urgente mortis necessitate.

§. 5. Cur heretici foris baptizare non possunt?

an quia peiores sunt eo ipso, quod foris sunt?

Sed nichil interest ad integritatem baptismi, quanto peior id tradat.

Neque enim tantum interest inter malum et peiorem, quantum inter bonum et malum, et tamen, cum baptizat malus, non aliud dat, quam ille, qui minus malus est.

An forte non ad hominis meritum, sed ad ipsius baptismi sacramentum pertinet, ut foris dari non possit?

Si hoc ita esset, nec haberi foris posset, et tocies baptizari necesse esset, quociens recedens quisque ab ecclesia rursus ad ecclesiam remeasset.

§. 6. His, qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur, quia spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, aut in ipso temporis puncto per uim sacramenti dimissa iterum per fictionem replicantur, ut etiam illud uerum sit: “Quotquot in Christo baptizati estis,” et illud: “Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum:” id est, induat eum Christum sanctitas baptismi, et exuat eum Christum perniciēs fictionis.

Nam redire dimissa peccata, ubi fraterna karitas non est, apertissime Dominus in euangelio docet in illo seruo, a quo Dominus dimissum debitum petiuit, eo quod ille conseruo suo debitum nollet dimittere.

Sic non ineditur baptismi gratia, quo minus omnia peccata dimittat, etiamsi fraternum odium in eius, cui dimittuntur, animo perseuerat.

Soluitur enim hesternus dies, et quicquid superest, soluitur etiam ipsa hora momentum que ante baptismum, et in baptismo; deinceps autem continuo reus esse incipit non

solum consequentium, sed etiam preteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus, que dimissa sunt.

**C. LXII.** Quando prosit baptismus ei, qui ficte accedit.  
Idem.

## **X. Pars.**

Tunc ualere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio ueraci confessione recesserit, que, corde in malicia uel sacrilegio perseuerante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.

**C. XLIII.** Non reiterantur sacramenta, que extra ecclesiam ministrantur.  
Idem ad Donatistas. [epist. XLVIII].

Non in uobis mutamus in quibus nobis cum estis, (in multis enim nobis cum estis), nam et de talibus dictum est: “Quoniam in multis erant me cum;” sed ea corrigimus, in quibus non estis, et ea uos hic accipere uolumus, que non habetis illic, ubi estis.

Nobis cum enim estis in baptismo, in symbolo, in ceteris dominicis sacramentis.

In spiritu autem unitatis et uinculo pacis, in ipsa denique catholica ecclesia nobis cum non estis.

§. 1. Isti autem, cum quibus, uel de quibus agimus, non sunt desperandi, adhuc enim in corpore sunt; sed non querant Spiritum sanctum, nisi in Christi corpore, cuius habent foris sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cuius est illud sacramentum, et ideo sibi iudicium manducant et bibunt.

**C. XLIV.** Quomodo recipiantur in ecclesia qui in nomine Trinitatis apud hereticos baptizantur.

Item Gregorius Quirico Episcopo, et ceteris in Hyberia Episcopis. [lib. IX. epist. 61].

Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud heresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam ecclesiam redeunt, aut unctione crismatis, aut inpositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris ecclesiæ reuocentur.

Unde Arrianos per inpositionem manus occidens, per unctionem uero sancti crismatis ad ingressum catholicæ ecclesiæ oriens reformat.

Monofisitas uero, et alios ex sola confessione recipit, quia sanctum baptisma, quod apud hereticos sunt consecuti, tunc in eis uires emundationis accipit cum uel illi per inpositionem manus Spiritum sanctum acceperint, uel isti per professionem ueræ fidei sanctæ et uniuersalis ecclesiæ uisceribus fuerint uniti.

**C. XLV.** Extra ecclesiam baptismus accipi potest, sed non prodest.  
Item Augustinus.

Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem baptismum eius homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem uel percipere, uel tenere.

Non enim in Mesopotamia uel Egypto, quo illa flumina peruenerunt, est felicitas uitæ, que in paradiso commemoratur.

Sic ergo baptismus ecclesiæ potest esse extra ecclesiam, munus autem bonæ uitæ non nisi intra ecclesiam reperitur.

**C. XLVI.** Heresis et sacrilegium hereticorum sunt, non sacramenta.



Idem de unico baptismo, [contra Donatistas] libro III. [c. 11].

Nunc autem non, sicut heresis hereticorum est, sicut error ipsorum est, sicut etiam sacrilegium dissensionis ipsorum est, sic etiam baptisma, quod Christi est, debet dici ipsorum.

**C. XLVII. De eodem.**

Idem libro V. [c. 13].

Cum tantum ualeat baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus, ita nec illius nec illius sed Christi esse cognoscitur.

Item:

[c. 14]. §. 1. Inuenimus dictum ab Apostolis, et gloriam meam, quamuis utique in Domino, et prudentiam meam, et ministerium meum, et euangelium meum, quamuis utique a Domino inperitum atque donatum; baptismum autem eorum nemo meum dixit omnino.

Neque enim omnium equalis est gloria, nec ministrant omnes equaliter; nec equali prudentia uel scientia omnes sunt preediti, et in euangelizando alius alio melius operatur.

Et ideo dici potest alius alio doctior in ipsa salutari doctrina.

Alius autem alio maius minus ue baptizatus dici non potest, siue ab inferiore siue a maiore baptizetur.

**C. XLVIII. De eodem.**

Idem in libro IV. [c. 15].

Satis ostendimus, ad baptismum, quod uerbis euangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam uel dantis, uel accipientis errorem, siue de Patre, siue de Filio, siue de Spiritu sancto aliter sentiat, quam celestis doctrina insinuat.

**C. XLIX. Quod bonis et malis sacramenta ecclesiae communia sunt.**

Idem in libro de baptismo.

Est unitas ecclesiae, que late patet, in sacramentorum uidelicet societate et comunione, que complectitur cum granis etiam paleas, quando eas corporaliter mixtas ita patitur, ut neque illas iusti uitent, neque ab illis iusti uitentur.

Sic sunt in ecclesia homines mali, ut in corpore humano humores mali, qui interdum exeunt ex corpore.

**C. L. Non tamen obsit ad aquam baptismi malicia benedicentis.**

Idem de unico baptismo libro VI.

Non est aqua profana et adultera, super quam nomen Domini inuocatur, etiamsi a profanis et ab adulteris inuocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est.

**C. LI. Non est rebaptizandus qui ab hereticis baptizatur.**

Item Beda omelia XXXVI. [ad c. 3. Iohannis]

Siue hereticus, siue scismaticus, siue facinorosus quisque in confessione sanctae Trinitatis baptizetur, non ualet ille, qui est baptizatus, a bonis catholicis rebaptizari, ne confessio uel inuocatio tanti nominis uideatur annullari.

**C. LII Baptizati a paganis in nomine baptizentur Trinitatis.**

Item Gregorius II. Bonifatio Episcopo.

Quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.

**C. LIII.** Sine exorcismis et exsufflationibus nullus baptizetur.  
Item Celestinus Papa.

## **XI. Pars.**

Siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis ueniunt sacramentum, non prius fontem uitæ adeant, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum Spiritus immundus ab eis abigatur.

**C. LIV.** Offitium baptizandi catecumini preueniant.  
Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 25].  
Ante baptismum catecizandi debet hominem preuenire offitium, ut fidei primum catecuminus accipiat rudimentum.

Item:

§. 1. Prius ipse Christus ceci nati oculos luto ex sputo facto superliniuit, et sic ad aquas Syloe misit, quia prius debet baptizandus fide incarnationis Christi instrui, et sic ad baptismum iam credulus admitti, ut sciat, cuius gratiæ in eo est particeps, et cui iam debitor fiat deinceps.

**C. LV.** Quo tempore catecumini ad exorcizandum sunt deferendi.  
Item ex Concilio Bracarense II. [c. 1].  
Ante uiginti dies baptismi ad purgationem exorcismi catecumini currant, in quibus uiginti diebus omnino symbolum, quod est: Credo in Deum Patrem omnipotentem, spiritualiter doceantur.

**C. LVI.** Qui tempore competentibus symbolum est predicandum.  
Item ex Concilio Agatensi. [c. 13].  
Symbolum etiam placuit ab omnibus ecclesiis una die, id est ante octo dies dominicæ resurrectionis, publice in ecclesia competentibus predicari.

**C. LVII.** In unaquaque ecclesia baptizandi catecizari possunt.  
Item Nykolaus Papa.  
Catecismi baptizandorum a sacerdotibus uniuscuiusque ecclesiæ possunt fieri, sicut in sancta hac Romana ecclesia (cui, Deo auctore, ministerium nostri famulatus exhibemus) solempniter fieri conprobantur.

**C. LVIII.** De eodem.  
Item ex Concilio Laudicensi. [c. 46].  
Baptizandos oportet fidei symbolum discere, et quinta feria ultimæ septimanæ uel episcopo uel presbitero reddere.

**C. LIX.** De eodem.  
Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 49].  
Non liceat ante duas septimanas Pascae, sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem.

Oportet autem, ut in his diebus, qui baptizandi sunt, symbolum discant, et in quinta feria nouissimæ septimanæ episcopos uel presbitero reddant.

**C. LX.** Ante, quam baptizentur, quilibet sunt examinandi.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 85].

Baptizandi nomen suum dent, et diu sub abstinentia uini et carniū, ac manus inpositionis crebra examinatione baptismum percipiant.

**C. LXI.** Baptizandi quare exorcizentur et exsufflentur.

Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 27].

Postquam se baptizandus per confessionem ueræ fidei in alterius commendauerit dominium, et per abrenunciationem a prioris possessoris se alienauerit seruicio, exsufflatur ab eo seua potestas, ut per pium sacerdotis ministerium spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus.

**C. LXII.** De eodem.

Item Augustinus de symbolo, libro I. [c. 1].

Sicut nostis, fratres karissimi, paruuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, que decepit hominem, ut possideret homines.

Non ergo creatura in infantibus exorcizatur aut exsufflatur, sed ille, sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur.

**C. LXIII.** Quare signetur baptizandus in corde et in fronte.

Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 27].

Postea signatur baptizandus signaculo sanctæ crucis tam in fronte quam in corde, ut ab eo tempore apostata diabolus in uase suo pristino, interemptionis suæ cognoscens signum, iam sibi deinceps illud sciat esse alienum.

**C. LXIV.** Quare super eum orationes dicantur.

Idem libro eodem.

Exhinc iam dicuntur orationes super eum, ut fiat catecuminus.

Tunc datur baptizando sal benedictum in os, ut per sal tipicum, sale sapientiæ conditus, fetore careat iniquitatis, ne a uermibus peccatorum ultra putrefiat, sed magis illesus seruetur ad maiorem gratiam percipiendam.

**C. LXV.** Quare sale initientur.

Item Beda super librum Regum.

Sal celestis sapientiæ, quo initiantur catecumini, in cunctis operum nostrorum sacrificiis iubemur offerre.

**C. LXVI.** Quare iterum exorcizentur.

Item Rabanus de institutione clericorum, [lib. I. c. 27].

Dehinc iterum exorcizatur diabolus, ut suam nequiciam cognoscens iustum super se Dei iudicium timens, recedat ab homine, nec iam contendat eum arte sua subuertere, ne baptismum consequatur, sed magis honorem Deo creatori suo exhibens reddat opus Deo factori suo.

**C. LXVII.** Sacerdotes exorcizando demonia depellunt.

Item Gregorius in omelia XXIV.

Sacerdotes, cum per exorcismi gratiam manum credentibus inponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi demonia eiciunt?

**C. LXVIII.** Quare de saliu a nares et aures tanguntur.

Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 27].

Postea tanguntur ei nares et aures de saliu, et dicitur ei uerbum euangelicum, quod Iesus, quando surdum et mutum sanauit, tangens cum sputo linguam eius, et mittens digitos in auriculas eius, dixit: “Effeta,” quod est adaperire.

Hoc enim sacramentum hic agitur, ut per saliuam tipicam et sacerdotis tactum sapientia et uirtus diuina salutem eiusdem catecumini operetur, ut aperiantur ei nares ad accipiendum odorem noticiae Dei, ut aperiantur illi aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum.

**C. LXIX.** Quare nares, non ora baptizandorum episcopus tangit.

Item Ambrosius de sacramentis. [lib. I. c. 1].

Propter gloriam muneris et operis non os tangit episcopus, sed nares, ut bonum odorem accipiat pietatis eternae.

**C. LXX.** Quare a sacerdote inungantur.

Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 27].

Deinde a sacerdote inungitur, ut sacrum baptisma cum accepta fide custodiantur.

Ungitur tunc illius pectus de oleo sanctificato cum inuocatione S. Trinitatis, ut nullae reliquiae latentis inimici in eo resideant, sed in fide S. Trinitatis mens eius confortetur.

Ungitur inter scapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, et ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.

Idem:

[c. 28]. §. 1. Consecratur fons, ut ad ipsum baptismum catecuminus accedat.

**C. LXXI.** Quomodo fontem baptismi Trinitatis presentia consecrat.

Item Ambrosius in libro [II]. de sacramentis. [c. 5].

Venit sacerdos, ad fontem, dicit precem, inuocat nomen Patris, et Filii et Spiritus sancti, utitur uerbis celestibus.

Celestia sunt uerba, que sunt Christi.

Presentia Trinitatis adest; operatur sermo eternus; et ibi descendit Spiritus sanctus, primo descendit quasi columba, ut increduli uocarentur ad fidem.

In principio signum debuit esse: in posterioribus perfectio.

Apostolis enim Spiritus sanctus datus est in linguis igneis propter incredulos; nobis autem in plenitudine iam ecclesiae non per signa, sed per fidem ueritas est colligenda.

**C. LXXII.** Verba erroris per inpericiam prolata non inpediunt aquae sanctificationem.

Item Augustinus de unico baptismo, libro VI. [c. 25].

## **XII. Pars.**

Si non sanctificatur aqua, cum aliqua erroris uerba per inpericiam precatore refundit, multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa ecclesia non sanctificant aquam.

Multorum enim preces emendantur cottidie, si doctoribus fuerint recitatae, et multa in eis reperiuntur contra fidem catholicam.

Numquid, si manifestetur aliquos baptizatos, cum illae preces dictae fuissent super aquam, iubentur denuo baptizari?

Quid ita? quia plerumque precis uicium superat precantis affectus, quia illa cetera uerba euangelica, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum ualent, ut per illa sic euacuentur quaecumque in prece uiciosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum demonium Christi nomine excluditur.

Nam utique hereticus, si afferat precem uiciosam, nec bonum habet karitatis affectum, quo possit illa superari inpericia (et ideo similis est ei, quicumque in ipsa catholica inuidus, inmundus uel maliuolus est, qualis arguit hic Ciprianus), afferat etiam, ut fieri solet, aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei, (multi quippe irruunt in preces non solum ab inperitis loquacibus, sed etiam ab hereticis conpositas, et, per ignorantiae simplicitatem non ea ualentes discernere, utuntur eis arbitantes, quod bonae sint), nec tamen quod in eis peruersum est euacuat illa, quae ibi recta sunt, sed ab eis potius euacuatur.

**C. LXXIII.** Quid significant misteria, quae in fonte baptismatis celebrantur.  
Item Augustinus ad Neophytos. [hom. III].

### **XIII. Pars.**

Prima igitur et secunda predicatione de his tantum locuti sumus, quae uobis prius, quam ad fontem sanctum ueniretis, iuxta catholicae ecclesiae instituta tradidimus.

Et quid significaret unctio, quae diuersis corporis nostri adhibita partibus diuersum intellectum designat, prout Dominus donare dignatus est, interpretati sumus, cum ostenderemus, uos per oleum sanctificationis ad auditum plenae fidei preparatos, et ad bonum Christi odorem uocatos, ex toto corde ad abrenunciandum diabolo esse conmonitos.

Nunc uero de interioribus iam misteriis locuturi sumus, quae in ipso sancto fonte celebrata sunt.

Emissa enim certissima cautione, qua uos abrenunciare omnibus pompis diaboli, et operibus eius, et omni fornicationi diabolicae spondistis, descendistis in fontem, fontem sacrum, fontem redemptionis, fontem sanctificatum uirtute celesti.

Item:

In hoc ergo fonte ante, quam uos toto corpore tingeremus, interrogauimus: Credis in Deum Patrem omnipotentem?

Respondistis: Credo.

Rursum interrogauimus: Credis et in Iesum Christum filium eius, qui natus est de Spiritu sancto et Maria Virgine?

Respondistis singuli: Credo.

Item interrogauimus: et in Spiritum sanctum? Respondistis similiter: Credo.

Hoc autem facimus iuxta Domini nostri Iesu Christi saluatoris imperium, qui, cum ad patrem in celum ascenderet, discipulis suis, id est Apostolis, mandauit dicens: "Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti".

Item:

§. 1. Quod autem interrogauimus: Credis sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem?

non eo modo interrogauimus, ut quomodo in Deum sic in ecclesiam sanctam catholicam.

Propterea sancta et catholica est, quia recte credit in Deum.

Non ergo diximus, ut in ecclesiam quasi in Deum crederetis: sed intelligite nos dicere et dixisse, ut in ecclesia sancta et catholica conuersantes in Deum crederetis, crederetis etiam resurrectionem carnis, que futura est.

**C. LXXIV.** Aliorum fide et professione paruuli baptizantur.

Item Ysidorus de offitiis, libro II. [c. 24].

#### **XIV. Pars.**

Paruuli alio proficiente baptizantur, quia adhuc loqui uel credere nesciunt, sicut etiam egri, muti, et surdi, quorum uice alius proficitur, ut pro eis respondeat, dum baptizantur.

**C. LXXV.** Aliorum testimonio egrotantes sunt baptizandi.

Item ex Concilio Cartaginensi IV., [c. 48].

Egrotantes, si pro se respondere non possunt, cum uoluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur.

Similiter et de penitentibus agendum est.

**C. LXXVI.** Sacramentum fidei, non ipsa fides paruulum facit fidelem.

Item Augustinus. [epist. XXIII. ad Bonifatium]

Nichil est aliud credere quam fidem habere, et per hoc, cum respondetur credere paruulus, qui fidei nondum habet effectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, et conuertere se ad Deum propter conuersionis sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebritatem sacramenti pertinet.

Item:

§. 1. Paruulum, etsi nondum fides illa, que in credentium uoluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit, sicut credere respondetur, ita etenim fideles uocantur, non rem ipsam mente abnuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo.

**C. LXXVII.** Alterius professio non ualet ei, qui per se respondere potest.

Idem in libro [IV]. de baptismo. [c. 24].

Cum pro paruulis alii respondent, ut inpleatur erga eos celebratio sacramenti, ualet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi pro se respondere non possunt.

At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem ualet.

Ex qua regula illud euangelii dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter mouet: "Etatem habet; pro ipse se loquatur".

**C. LXXVIII.** Quare trina mersio in baptismo celebretur.

Item Augustinus in omelia III.

Postquam uos credere promisistis, tertio capita uestra in sacro fonte dimersimus.

Qui ordo baptismatis duplici misterii significatione celebratur.

Recte enim tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine S. Trinitatis.

Recte tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui tertia die resurrexit a mortuis.

Illa enim tertio repetita dimersio typum dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo, et cum Christo resurrexistis in fide, ut peccatis absoluti in sanctitate uirtutum Christum uiuatis imitando.

**C. LXXIX.** De his, qui semel, non tertio in baptismo merguntur.

Item ex Canonibus Apostolorum. [c. 50].

Si quis presbiter aut episcopus non trinam mersionem unius misterii celebret, sed semel mergat in baptismo, (quod dari a quibusdam iubetur in morte Domini), deponatur.

Non enim dixit nobis Dominus: in morte mea baptizate; sed: “Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti”.

**C. LXXX.** De eodem.

Item Gregorius Leandro, Episcopo. [lib. I. epist. 41].

### **XV. Pars.**

De trina mersione baptismatis nil responderi uerius potest, quam quod ipsi sensistis, quia in una fide nil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa.

Nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, et, dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduanæ temporis exprimitur.

Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis estimet ueneratione fieri, neque hoc aliquid obsistit, baptizandos semel in aquis mergere, quia, dum tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo uel ter, uel semel immergere, quoniam et in tribus mersionibus personarum trinitatis, et in una potest diuinitatis singularitas designari.

**C. LXXXI.** De eodem.

Item Ieronimus super Epistolam ad Philippenses, libro II. [ad c. 4. u. 5].

Eodem modo in Patre, et Filio, et Spiritu sancto baptizamur et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum.

Item:

Licet ter baptizetur propter misterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur.

**C. LXXXII.** De his, qui in Christi nomine semel tantum merguntur

Item Pelagius Gaudentio Episcopo.

Multi sunt, qui in nomine Christi solummodo una etiam mersione se asserunt baptizari.

Euangelicum uero preceptum, ipso Deo Domino et saluatore nostro Iesu Christo tradente, nos ammonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere, dicente Domino nostro Iesu Christo discipulis suis “Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti”.

**C. LXXXIII.** In inuocatione Trinitatis tertio in baptismo mergere debemus.

Item Zacharias Papa Bonifatio Episcopo. [in epist., cuius initium: “Sacris liminibus”]

### **XVI. Pars.**

In synodo Anglorum decretum, et firmissime preceptum, et diligenter demonstratum esse dinoscitur, quod quicumque sine inuocatione Trinitatis mersus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet.

Quod omnino uerum est, quia, si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti fuerit baptizatus.

§. 1. Hoc quoque obseruari sacerdotes in supradicta synodo uoluerunt, ut qui uel unam de Trinitate personam in baptismo non nominaret, illud baptisma uerum esse non posset.

Quod pro certo uerum est, quia, qui unum ex sancta Trinitate confessus non fuerit nomen, perfectus Christianus esse non potest.

Qui enim confitetur Patrem et Filium, si confessus non fuerit Spiritum sanctum, neque Patrem habet, neque Filium; et qui confessus fuerit Patrem et Spiritum sanctum, et Filium non fuerit confessus, neque Patrem habet, neque Spiritum sanctum, sed uacuus est a diuina gratia.

**C. LXXXIV.** Rebaptizentur qui in nomine Trinitatis baptizati non fuerint.

Item Gregorius Quirino, Episcopo in Hyberina. [lib. IX. epist. 61].

Hi uero heretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiaci et Catafrigæ (quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti Spiritum S. peruerso sensu esse quendam prauum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt) alii, cum ad sanctam ecclesiam ueniunt, baptizentur quia baptisma non fuit, quod in errore positi S. Trinitatis nomine minime perceperunt.

**C. LXXXV.** Semel in baptismate mergere licet.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 5].

Propter uitandum scismatis scandalum, uel heretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem.

**C. LXXXVI.** De sacerdote, qui per inpericiam linguæ latinæ in inuocatione Trinitatis deliquit.

Item Zacharias Papa Bonifatio Episcopo.

Retulerunt nuntii tui, quod fuerit in eadem prouincia sacerdos, qui linguam latinam penitus ignorabat, et, dum baptizaret, nesciens loqui latine, infringens linguam diceret: baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritus sancta.

Et per hoc tua reuerenda sanctitas considerauit eos rebaptizare.

Sed, sanctissime frater, si ille, qui baptizauit, non errorem introducens aut heresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra diximus hoc baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.

**C. LXXXVII.** Quare baptizati a sacerdote ungantur.

Item Ambrosius de sacramentis, tractatu I. [c. 2].

## **XVII. Pars.**

Venisti ad fontem: ingressus es; considera quid uideris; quid locutus sis repete diligenter; occurrit tibi Leuita, occurrit tibi presbiter; unctus es quasi athleta Dei, ut ad baptismum catecuminus accedas.



**C. LXXXVIII.** Quare baptizatus a presbitero ungetur in cerebro.

Item Rabanus in epistola ad Ephesios libro II.

Postquam ascendit baptizatus de fonte, statim signatur in cerebro a presbitero cum sacro crismate, sequente simul et oratione, ut Christi regni particeps fiat et a Christo possit Christianus uocari.

**C. LXXXIX.** Quid super baptizatum a sacerdote dicatur.

Item Ambrosius de sacramento, tractatu II. [c. 7].

Emersisti: uenisti ad sacerdotem.

Quid tibi dixit? “Deus,” inquit tibi, “Pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua et Spiritu sancto, concessit que tibi peccata tua, ipse te unget in uitam eternam”.

Vide, ubi unctus es: in uitam, inquit, eternam.

**C. XC.** Quare unguentum super caput baptizati ponatur.

Item. [in lib. III. de sacramentis c. 1. et 2].

Accepisti misterium, hoc est unguentum supra caput.

Quare supra caput? quia sapientis sensus in capite eius. [c. 2]. §. 1. Sequitur spiritale signaculum, quod audistis legi hodie, quod post fontes superest, quo perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.

**C. XCI.** Quare candida uestis traditur Christianis.

Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 29].

Post baptismum traditur Christiano uestis candida, que significat innocentiam et puritatem Christianam, quam post ablutas ueteres maculas studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad representandum ante tribunal Christi.

Cuncti uero renati albis induuntur uestibus ad misterium resurgentis ecclesiæ

Item:

§. 1. Utuntur baptizati albis uestibus, ut quorum primæ natiuitatis faciem uetusti erroris pannus fuscauerat habitus secundæ regenerationis gloriæ preferat indumentum.

Tegitur enim post sacram unctionem caput eius mistico uelamine, ut intelligat, se diademate regni et sacerdotali dignitate potiri.

**C. XCII.** De eodem.

Item Ambrosius de misteriis. [c. 7].

Accepisti post baptismum uestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris uoluptatem peccatorum, et indueris innocentiae casta uelamina.

**C. XCIII.** Quot mensibus Iudei inter catecuminos habeantur.

Item ex Concilio Agatensi. [c. 34]

## **XVIII. Pars.**

Iudei, quorum perfidia frequenter ad uomitum redit, si ad leges catholicas uenire uoluerint, octo menses inter catecuminos ecclesiæ limen introeant, et, si pura fide uenire noscuntur, tunc demum baptismatis gratiam mereantur.

Quod si casu aliquo periculum infirmitatis intra prescriptum tempus incurrerint, et desperati fuerint, baptizentur.

**C. XCIV.** De Iudeis plerisque frequenter ad Iudaismum redeuntibus.

Item ex Concilio Tolletano V. [c. 58].

Plerique ex Iudeis, qui dudum ad Christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes Christum non solum Iudaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abhominandas circumcisiones exercere.

De quibus consultu piissimi ac religiosissimi domini nostri Sisemandi regis hoc sanctum decreuit concilium, ut huiusmodi transgressores pontificali auctoritate correcti ad cultum Christianæ dignitatis reuocentur, ut quos propria uoluntas non emendat animaduersio sacerdotalis coherceat.

Eos autem, quos circumciderunt, si filii eorum sunt, a parentum consortio separentur; si serui, pro iniuria corporis sui libertati tradantur.

**C. XCV.** Ante baptismum diabolo et eius operibus abrenunciare debemus.

Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 27].

Primum interrogetur paganus, si abrenunciet diabolo, et omnibus operibus eius dampnosis atque fallacibus cunctis ut primum respuat errorem, et sic appropinquet ad ueritatem, possit que iuxta Apostolum deponere ueterem hominem, secundum pristinam conuersionem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, abnegans impietatem et secularia desideria.

**C. XCVI.** Non transit ad nouam uitam quem non penitet ueteris uitæ.

Item Augustinus de penitencia. [c. 2].

Omnis, qui iam suæ uoluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi eum peniteat uitæ ueteris, nouam non potest inchoare.

Ab hac penitencia, cum baptizantur, soli paruuli immunes sunt.

Nondum enim possunt uti libero arbitrio.

**C. XCVII.** Ante baptisma penitenciam agere debemus.

Idem ad Salectitanum. [epist. CVIII].

Agunt homines ante baptismum penitenciam de prioribus peccatis, ita tamen, ut etiam baptizentur, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, loquente Petro ad Iudeos ac dicente: “Agite penitenciam, et baptizetur unusquisque uestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi”.

**C. XCVIII.** Quadraginta dierum abstinentia Iudeis baptizandis indicatur.

Item Gregorius Faustino Defensori. [lib. VII. epist. 24].

Ne, quod absit, longa dilatio retro possit animos Iudeorum reuocare, cum fratre nostro loci illius episcopo loquere, ut, penitencia ac abstinentia quadraginta dierum indicta, aut die dominica, aut si celeberrima festiuitas occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizes.

**C. XCIX.** Penitencia non est necessaria baptizandis.

Item Ambrosius super epistolam ad Romanos. [ad c. 11].

Sine penitencia sunt dona et uocatio Dei, quia gratia Dei in baptisate non requirit gemitum, non requirit planctum, uel opus aliquod, sed solam fidem, et omnia gratis condonat.

C.

C.

Necessitate cogente in catecismo et confirmatione idem conpater esse potest.

Item Yginus Papa.

XIX. Pars. In catecumino, et in baptismo, et in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit.

Non est tamen consuetudo Romana, sed singuli per singulos suscipiunt.

C. CI. Non plures, sed unus paruulum in baptisate suscipiat.

Item ex Decreto Leonis Papæ.

Non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus, siue uir siue mulier.

In confirmatione quoque id ipsum fiat.

C. CII. Qui non est baptizatus nec confirmatus, alium in crismate uel baptisate tenere non debet.

Item ex Concilio Magontiensi.

In baptisate uel in crismate non potest alium suscipere filiolum ipse qui non est baptizatus uel confirmatus.

C. CIII. Abbati uel monacho non licet conmatres habere.

Item ex Concilio Autisiodorensi. [c. 25].

Non licet abbati uel monacho de baptismo suscipere filios, nec conmatres habere.

C. CIV. De eodem.

Item ex libro Capitulorum.

Monachi sibi conpatres conmatres ue non faciant, nec osculentur feminas.

C. CV. Qui in baptismo paruulos suscipiunt, pro eis apud Deum fideiussores existunt.

Item ex sermone S. Augustini post Pasca Domini, qui sic incipit: "Hodiernus dies".

Vos ante omnia, tam mulieres quam uiros, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, ut uos cognoscatis fideiussores apud Deum exitisse pro illis, quos uisi estis de sacro fonte suscipere.

Ideo semper eos admonete, ut castitatem custodiant, iusticiam diligant, karitatem teneant.

§. 1. Ante omnia symbolum et orationem dominicam et uos ipsi tenete, et illis, quos excepistis, ostendite.

C. CVI. Ad baptizandi offitium et ad uestimenta altaris lauanda sacerdotes propria debent habere uasa.

Item ex Concilio Ylerdensi.

## XX. Pars.

Omnis presbiter, qui fontem lapideum habere nequierit, uas conueniens solummodo ad offitium baptizandi habeat, quod extra ecclesiam non deportetur.

Similiter ad corporale lauandum, et ad pallas altaris propria habeantur uasa, in quibus nichil aliud fiat.

C. CVII. Neque rebaptizationes, neque reordinationes fieri licet.  
Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 38].

## XXI. Pars.

Non licet fieri rebaptizationes, reordinationes, uel retranslationes episcoporum.

C. CVIII. De eodem.

Item ex epistola Augustini [CCIII]. ad Maximinum.

Rebaptizare hereticum hominem, qui hec signa sanctæ trinitatis perceperit, que Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est; rebaptizare autem catholicum inmanissimum scelus est.

C. CIX. De Arrianis, quando rebaptizentur uel quando non.

Item in Concilio Arelatensi I. [c. 8].

De Arrianis, qui propria sua lege utuntur placuit, si ad ecclesiam aliqui de hac heresi uenerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes symbolum, et, si peruiderint, eos in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatos, manus eis tantum inponatur, ut accipiant Spiritum sanctum.

Quod si interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.

C. CX. Baptizentur, de quibus ignoratur, an sint baptizati.

Item Gregorius III. Bonifatio. [epist. IV].

Paruulos, qui parentibus subtracti sunt, et an baptizati sint an non ignoratur, ut hos baptizare debeas secundum Patrum traditiones, si non fuerint qui testificetur, ratio poscit.

C. CXI. De eodem.

Item ex Concilio Cartaginensi V. [c. 5].

Placuit de infantibus, quociens inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per etatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione priuari.

Hinc etiam legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales a barbaris redimunt.

Similiter et de ecclesiis, quociens super earum consecratione hesitatur, agendum est, id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.

C. CXII. De eodem.

Item Leo Papa Rauennæ Episcopo Leoni. [epist. XXXV. c. 1].

Cum itaque baptismi sui nichil recordetur qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, qui sciat consecratum, nec ille, qui consecratur.

Scimus quidem, inexpiabile esse facinus, quociens iuxta hereticorum dogmata contra sanctorum Patrum instituta cogitur aliquis lauacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante sententia, que nobis unam predicat in Trinitate deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum.

Sed in hoc nichil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen uenire quod factum esse nescitur omnino.

Atque ideo, quociens persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite, et longo tempore (nisi forte supremus finis imineat) indagate, utrum nemo penitus sit, qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis, et, cum constiterit, hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cuius in se nullum scit esse uestigium, nec uereamur huic ianuam salutis aperire, quam numquam docetur ante ingressus.

**C. CXIII. De eodem.**

Idem. [epist. XC. al. XCII. ad Rusticum c. 16].

Si nulla extant indicia inter propinquos et familiares, nulla inter clericos aut uicinos, quibus hi, de quibus queritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant, in quibus, quod non ostenditur gestum, nulla ratio sinit ut uideatur iteratum.

Qui autem possunt meminisse, quod ad ecclesiam ueniebant cum parentibus, possunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur acceperint.

Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis uidetur quod collatum esse nescitur, quia non temeritas interuenit presumptionis, ubi est diligentia pietatis.

**C. CXIV. Non baptizatur cum matre, quicquid in eius corpore est.**

Item Augustinus contra Iulianum. [lib. VI. c. 5].

**XXII. Pars.**

Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertineret ita, ut eius pars deputetur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero.

Nunc uero cum etiam ipse baptizetur, non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat.

**C. CXV. Quare non baptizatur cum matre qui in eius utero est.**

Item Ysidorus sententiarum libro I.

Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, regenerari secundum Christum non potest.

Neque enim dici regeneratio in eum potest, quem generatio non precessit.

§. 1. Qui scelerate uiuunt in ecclesia, et communicare non desinunt, putantes, se tali comunione mundari, discant, nichil ad emundationem proficere sibi.

**C. CXVI. De eodem.**

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 54].

Si qua mulier pregnans desiderauerit gratiam baptismi percipere, quando uoluerit, habeat potestatem.

Nam nichil participat in hoc mater infanti, qui nascitur, propterea, quod unicuique propria uoluntas in confessione monstratur.

**C. CXVII. De his, qui ignoranter bis baptizantur.**

Item ex Penitenciali Theodori.

**XXIII. Pars.**

Quis bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo penitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua cogat necessitas.

Qui autem non ignari baptizati sunt iterum, quia quasi iterum crucifixerunt Christum, per septem annos peniteant quarta et sexta feria, et tres Quadragesimas.

Si pro uicio aliquo fecerint, similiter.

Si pro mundicia putauerint, tres annos similiter peniteant.

**C. CXVIII.** De his, qui ex industria bis baptizantur.

Item Felix Papa. [III., epist. I. c. 2. et seqq.].

Eos, quos episcopos, presbiteros uel diaconos fuisse constiterit, et seu optantes forsitan, seu coactos lauacri illius unici claruerit fecisse iacturam, usque ad exitus sui diem in penitencia (si respiscunt) iacere conuenit, nec orationi non modo fidelium, sed nec catechuminum quidem omnimodis interesse; quibus laica tantum communio in morte reddenda est.

§. 1. De clericis autem, et monachis, et puellis Dei, aut secularibus, seruari precipimus hunc tenorem, quem Nicena sinodus inter eos, qui lapsi sunt uel fuerint, seruandum esse constituit: ut scilicet, qui nulla necessitate, nullius rei timore atque periculo, se, ut rebaptizarentur, hereticis in pie dederunt, si tamen eos ex corde peniteat, tribus annis inter audientes sint; septem uero subiaceant inter penitentes manibus sacerdotum; duobus etiam oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo popularibus in oratione sociantur, nec confundantur Deo colla submittere qui eum non timuerunt abnegare.

§. 2. Pueris autem, quibus, quod adhuc inberbes sunt, a pubertate uocabulum est, seu clericis seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur etatis, aliquamdiu sub manus inpositione detentis reddenda est communio, nec eorum exspectanda penitencia, quos excipit ad coercionem censura.

**C. CXIX.** Presbiteris baptizatos crismate ungere licet.

Item Innocentius Papa Decentio Episcopo. [epist. I. c. 3].

#### **XXIV. Pars.**

Presbiteris (seu extra episcopum seu presente episcopo cum baptizant) crismate baptizatos ungere liceat, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt paraclitum.

**C. CXX.** Baptizatos in frontibus presbiteris ungere non licet.

Item ex Registro Gregorii ad Ianuarium, Episcopum Carolitanum. [lib. III. epist. 9].

Presbiteri baptizatos infantes signare in frontibus sacro crismate non presumant.

Sed presbiteri baptizatos ungant in pectore, ut episcopi postmodum confirmant in fronte.

**C. CXXI.** Crismatis pannum secundo linire, et super alium baptizatum mittere licet.

Item ex Concilio apud Beluacum.

Si quis uoluerit crismate pannum iterum linire, et super alium baptizatum mittere, non est absurdum.

**C. CXXII.** De ueteri crismate baptisma consecrare non licet.

Item ex Concilio Lugdunensi.

Si quis de alio crismate, quam de illo nouo, quod proprii episcopi largitione uel concessione accepit, baptizare, nisi preoccupante morte, temptauerit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ dampnationis protulisse sententiam manifestatur.

**C. CXXIII.** Non nisi a propriis episcopis crisma accipiant.

Item ex Concilio apud Valentiam.

Presbyteri, qui diocesianas regunt ecclesias, non a quibuslibet episcopis, sed a suo, nec per iuniorem clericum, sed per se ipsos, aut per illum, qui eiusdem ordinis sit, ante Pascae solempnitatem crisma petant.

**C. CXXIV.** Conficere crisma et per dioceses destinare omni tempore episcopo licet.

Item ex Concilio Martini Papæ. [c. 51. et seqq.].

Omni tempore liceat episcopo crisma conficere, et per suas dioceses destinare ita, ut ad accipiendum crisma diaconus aut subdiaconus ante diem Pascae de singulis ecclesiis ad episcopum destinetur.

§. 1. Presbyter uero presente episcopo non signet infantes, nisi forte at episcopo fuerit illi preceptum.

§. 2. Nec liceat presbytero prius episcopo in baptisterium introire, sed cum episcopo, nisi forte aut absens fuerit, aut egrotus.

**C. CXXV.** Qui baptizandi accipit offitium sine crismate proficisci non debet.

Item ex Concilio Aurasico. [c. 1].

Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit offitium, sine crismate usquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismo crismari.

De eo autem, qui in baptismo, quacumque necessitate faciente, crismatus non fuerit, in confirmatione sacerdos conuocabitur.

Nam inter nos crismatis ipsius non nisi una benedictio est.

Non preiudicantes cuiquam hoc dicimus, sed ut necessaria habeatur crismatio.

**C. CXXVI** Ante, quam crisma infundatur, ad aspergendum aquam de fonte accipere licet.

Item Capitularium libro VI. c. 77.

In sabbato sancto Pascae uel Pentecostes si quis uelit aquam consecratam ad aspersionem in domo sua recipere, ante crismatis infusionem recipiat.

**C. CXXVII.** Unde aspersionis sanctificatio exordium sumpsit.

Item Ciprianus. [lib. IV. epist. 7. ad Magnum]

Nec quemquam mouere debet, quod aspergi uel perfundi iubentur egri, cum gratiam dominicam consecuntur, cum sancta scriptura per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: “Aspergam super uos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inmundiciis uestris, et ab omnibus simulachris uestris mundabo uos; et dabo uobis cor nouum, et spiritum nouum dabo in uobis”.

Item in Numeris: §. 1. “Qui tetigerit cadauer hominis, et propter hoc septem diebus fuerit inmundus, aspergatur ex hac aqua die tertia et septima, et sic mundabitur”.

§. 2. Si fide Trinitatis mundatus non fuerit, in resurrectione apud sanctorum collegium inmundus erit.

“Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.

Omnis, qui tetigerit humanæ animæ morticinium, et aspersus ex hac conmixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, et peribit ex Israël, quia aqua expiationis non est aspersus inmundus erit, et manebit spurcitia eius super eum”.

Et iterum: “Et locutus est Dominus ad Moisen, dicens: Accipe Leuitas de medio filiorum Israël, et purificabis eos, et ita facies eis purificationem eorum, circumsparges eos aqua purificationis”.

Et iterum: “Aqua aspersionis purificatio est”.

Unde apparet, aspersionem quoque aquæ instar salutaris lauacri obtinere, et, quando hec in ecclesia fiunt uerissime scitur per accipientis et dantis fidem, integra omnia stare, et consummari ac perfici posse maiestate Domini, et fidei ueritate.

§. 3. Spiritus uero sanctus non de mensura datur, sed super credentes infunditur totus.

Nam si dies omnibus equaliter nascitur, et si sol super omnes pari et equali luce diffunditur: quanto magis sol et dies uerus in ecclesia sua lumen uitæ eternæ pari equalitate largitur?

Cuius equalitatis sacramentum uidemus in Exodo esse celebratum, cum de celo manna deflueret, et futurorum prefiguratione alimentum panis celestis, et cibum Christi uenientis ostenderet.

Illic enim sine discrimine uel sexus uel etatis gomor singuli equaliter colligebant.

Unde apparebat, Christi indulgentiam et celestem gratiam postmodum secuturam equaliter omnibus diuidi, sine sexus uarietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ super omnem Dei populum spiritualis gratiæ munus infundi.

Plane eadem gratia spiritualis, que in baptismo equaliter a credentibus sumitur, in conuersione atque actu nostro postmodum uel minuitur, uel augetur, ut in euangelio dominicum semen equaliter seminatur; sed pro uarietate terræ aliud absumentur aliud in multiformem copiam uel trigesimi, uel sexagesimi, uel centesimi numeri fructum exuberans cumulatur.

§. 4. Quod si aliquis in illo mouetur, quod quidam de his, qui egri baptizantur, spiritibus adhuc inmundis teneantur, sciat, diaboli nequiciam pertinacem usque ad aquam salutarem ualere; in baptismo uero omnis nequitiae suæ uirus amittere.

Quod exemplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus et in sua perfidia demoratus, tamdiu resistere potuit et preualere, donec ad aquam ueniret, quo cum uenisset, et uictus est et exstinctus.

Mare illud sacramentum baptismi fuisse declarat B. Paulus apostolus, dicens: “Nolo enim uos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari,” et addidit, dicens: “Hec autem omnia figuræ nostræ fuerunt”.

Quod hodie uidelicet per exorcistas uoce humana, et potestate diuina flagelletur, et uratur, et torqueatur diabolus, et cum se exire, et homines dimittere sepe dicat, in eo tamen, quod dixerit, fallat, et id, quod per Pharaonem prius gestum est, eodem modo obstinationis et fraudis exercent.

Cum tamen ad aquam salutarem atque ad baptismi sanctificationem uenitur, scire debemus et fidere, quia illic diabolus opprimitur, et homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur.

**C. CXXVIII.** De his, qui usque ad exitum uitæ suscipere baptisma differunt.

Item Iohannes Crisostomus in epistola ad Ebreos. [homil. XIII. ad c. 7].

## **XV. Pars.**



Quando quis propterea peccat, ut sanctum baptisma in nouissima sua expiratione suscipiat, fortassis non adipiscitur.

Et credite michi, non terrens uos dico quod dicturus sum.

Multos noui, qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt uacui; Deus enim propter hoc baptisma tribuit, ut soluat peccata, non addat.

Si uero quis ad hoc utitur baptismo, ut ampliora delinquat, ipsum fit negligentiae causa.

**C. CXXIX.** Paruulis baptizatis parentum non nocet perfidia.

Item Augustinus ad Bonifatium. [epist. XXIII].

### **XXVI. Pars.**

Queris a me utrum parentes baptizatis paruulis suis noceant, cum eos demoniorum sacrificiis sanare conantur quomodo eis prosit parentum fides, cum baptizantur, quorum non potest eis obesse perfidia?

Ubi respondeo, tantam illius sacramenti uirtutem esse, hoc est baptismi salutaris, in sancta conpage corporis Christi, ut semel generatus per aliorum uoluntatem deinceps non possit uinculo alienae iniquitatis obstringi, cui nulla sua uoluntate consentit.

“Et anima enim patris mea est,” inquit, “et anima filii.

Anima, que peccauerit, ipsa morietur”.

Non enim peccat ipsa, cum parentes eius omnino nescienti uel quilibet alius adhibet sacrilegia demoniorum.

Sed ideo ex Adam traxit, quod sacramenti illius gratia solueretur, quia nondum erat anima separatim uiuens, id est altera anima, de qua diceretur: “Et anima patris mea est, et anima filii”.

Iam itaque cum homo in se ipso est ab eo, qui genuit, alter effectus, peccato alterius sine sua conscientia non tenetur obnoxius.

**§. 1.** Quomodo itaque in paruulum maiores peccant offerentes eum, obligare conantes demonum sacrilegis uinculis?

non est anima utrorumque communis, ut etiam culpam possint habere communem.

Non enim sic communicatur culpa per alterius uoluntatem, quemadmodum gratia communicatur per S. Spiritus unitatem.

Item:

Regenerans Spiritus sanctus in maioribus offerentibus et paruulo renato oblato que communis est.

Idem:

Per hanc societatem unius eiusdem que Spiritus prodest offerentium uoluntas paruulo oblato.

Potest enim et in hoc, et in illo homine unus Spiritus esse, etiamsi se inuicem nesciant, per quem sit utriusque gratia communis; non autem potest spiritus hominis esse et huius, et illius, per quem peccat alter, ut altero non peccante, sit tamen culpa communis.

Ac per hoc potest paruulus ex parentum carne semel generatus Dei spiritu regenerari, ut ex illis obligatio contracta soluatur.

Non potest autem Dei spiritu semel regeneratus ex parentum carne regenerari, ut obligatio, que soluta est, iterum contrahatur.

Et ideo semel perceptam paruulus gratiam Christi non amittit, nisi propria impietate.

§. 2. Verumtamen recte dicuntur parentes, uel quicumque maiores, filios seu quoslibet paruulos baptizatos demoniorum sacrilegiis obligare conantes, spiritaliter homicidæ. Nam in illis quidem interfectionem non faciunt, sed, quantum in ipsis est, interfectores fiunt, recte ergo illis dicitur, quando ab hoc scelere prohibentur: nolite occidere paruulos uestros.

Dicit enim Apostolus: “Spiritus nolite extinguere,” non quia ille extinguere potest, sed, quantum in ipsis est, extinctores eius merito dicuntur, qui sic agunt, ut extinctum uelint.

§. 3. Nec illud te moueat etc.

Et infra:

Celebrantur enim per eos necessaria ministeria.

Offeruntur quippe paruuli ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, (quamuis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt), quam ab uniuersa societate sanctorum atque fidelium.

Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, et quorum sancta atque indiuidua karitate ad communionem S. Spiritus adiuuantur.

Tota hoc ergo mater ecclesia, que in sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit.

§. 4. Difficillimam sane questionem tibi proposuisse uisus es in extremo inquisitionis tuæ, ea uidelicet intentione, qua soles uehementer cauere mendacium.

Si constituam, inquis, ante te paruulum, et interrogem, utrum, cum ad etatem adultam uenerit, futurus sit castus, uel fur, uel non sit futurus?

sine dubio respondebis: nescio; et utrum in eadem paruula etate constitutus cogitet aliquid boni uel mali?

dices: nescio.

Si itaque de moribus eius futuris certi nichil audes promittere, et de eius presenti cogitatione quid est aliud, quod, quando ad baptismum offeruntur parentes pro eis tamquam fidei auctores respondent, et dicunt illos facere quod illa etas cogitare non potest, aut, si potest, occultum est?

Interrogamus enim eos, a quibus offeruntur, et dicimus: Credit in Deum?

de illa etate, que utrum sit Deus ignorat.

Respondent: Credit et ad cetera que singula, queruntur sic respondetur.

Unde miror, parentes in istis rebus tam fidenter pro paruulo respondere, ut dicant, eum tanta bona facere, que ad horam, qua baptizatur, baptizator interrogat, tamen eadem hora, si subiciam, erit castus qui baptizatur, uel fur, aut non erit?

nescio, utrum audeat dicere aliquis, aliquid horum erit, uel non erit, sicut michi sine dubitatione respondet, quod credat in Deum, aut quod se conuertat ad Deum.

§. 5. Ecce facio, quantum possum.

Dominus adiuuet, ut quod postulas possim.

Nempe sepe ita loquimur, ut Pasca propinquante dicamus crastinam, uel perendianam Domini passionem, cum ille ante annos multos passus sit nec omnino, nisi semel, ipsa passio facta.

Nempe ipso die dominico dicimus: hodie Dominus resurrexit, cum ex quo resurrexit tot anni transierint.

Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hec gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipsa dies, que non est ipsa reuolutione temporis sed similis eius, et dicatur illo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo, sed iam olim factum est?

§. 6. Itaque paruulum etc.

Et infra:

§. 7. Cum autem homo sapere ceperit, non illud sacramentum repetit, sed intelligit, eius que ueritati consona uoluntate coaptabitur.

Hoc quamdiu non potest, ualebit sacramentum ad eius tutelam aduersus contrarias potestates, et tantum ualebit, ut, si ante maioris etatis usum ex hac uita emigrauerit, per ipsum sacramentum commendata ecclesiae karitate ab illa condemnatione, que per unum hominem intrauit in mundum, Christiano adiutorio liberetur.

Qui hoc non credit, et fieri non posse arbitratur, profecto infidelis est, etsi habeat fidei sacramentum, longe que melior est iste paruulus, qui, etiamsi fidem non habeat in cogitatione, non tamen ei obicere contrariae cogitationis opponit, unde sacramentum eius salubriter percipit.

C. CXXX. Aliorum fides in baptismo paruulos saluat.

Idem Bonifatio contra heresim Pelagianorum. [lib. I. c. 22].

In ecclesia Saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex aliis que in baptismo remittuntur, peccata traxerunt; nec illud cogitatis, uitam eos habere non posse, qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi, dicente ipso: “Nisi manducaueritis carnem meam etc.”.

C. CXXXI. Corpore et sanguine Christi participat qui per baptisma membrum eius efficitur.

Idem.

Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinis que dominici participem fieri, quando in baptisate membrum Christi corporis efficitur, nec alienari ab illius panis calicis que consortio, etiamsi ante, quam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.

Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc, quod ipsum sacramentum est, inuenitur.

C. CXXXII. Quare sit baptizandus qui de baptizato nascitur.

Idem de baptismo paruulorum. [lib. II. c. 25. et 26]

## XXVII. Pars.

Si baptizata est caro Christi, que sine peccato erat, propter exemplum imitationis: quanto magis baptizanda est caro mortis propter euitandum iudicium dampnationis?

Sicut uero in tempore circumcisionis qui de circumciso nascebatur fuit circumcidendus: sic nunc qui de baptizato nascitur erit baptizandus.

§. 1. Sacramentum enim baptismi sacramentum est regenerationis.

Quare sicut qui non uixerit non potest mori, ita qui natus non fuerit non potest renasci.

Ex quo conficitur, neminem in suo parente potuisse renasci cum nondum sit natus.

Et quamuis parenti post conuersionem propria peccata non obsint, tamen illis obsunt, qui ab eo generantur.

Parenti propter hoc non obsunt, quia renatus est; illis autem, qui de illo nati sunt, nisi eodem modo renascantur, que a parente tracta sunt oberunt, quia etiam innouatus est pater non de nouitate, sed de reliquiis uetustatis carnaliter gignit, et filii ex reliqua

parentum uetustate totius uetustatis carne propagata peccati dampnationem sacramento regenerationis euadunt.

**C. CXXXIII.** In baptisate omnia peccata moriuntur.

Item in Enchiridion. [c. 52].

Ut ostenderet Apostolus, nos mortuos esse peccato: inquit, “an ignoratis quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?”

Si ergo hinc ostendimur mortui esse peccato, quia in morte Christi baptizati sumus, profecto paruuli, qui in Christo baptizantur, peccato moriuntur, quia in ipsius morte baptizantur.

Nullus enim excepto dictum est: “Quicumque baptizati sumus in Christo in morte ipsius baptizati sumus,” et ideo dictum est, ut probaret nos mortuos esse peccato.

Paruuli autem renascendo moriuntur illi peccato, quod nascendo contraxerunt?

Et per hoc ad ipsos pertinet quod sequitur: “Consepulti enim sumus illi per baptismum in morte”.

§. 1. Baptizatis igitur in morte Christi, in qua non solum maiores, uerum etiam paruuli baptizantur, ait: “Sic uos existimate mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo in Christo Iesu”.

**C. CXXXIV.** Sicut nulli baptisma negatur, ita nemo est, qui non peccato moriatur.

Idem in eodem. [c. 43]

A paruulo recenter nato usque ad decrepitem senem sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo.

Sed paruuli tantum originali, maiores autem etiam omnibus moriuntur peccatis, que male uiuendo addiderunt originali.

**C. CXXXV.** In baptismo Iohannis non erat peccati remissio.

Item in eodem. [c. 49]

Non regenerabantur qui baptismo Iohannis baptizabantur.

Sed quodam precursorio illius ministerio, qui dicebat: “Parate uiam Domino,” in quo solo renasci poterant, parabantur.

Huius enim baptisma est non in aqua tantum, ut fuit Iohannis, uerum etiam in Spiritu sancto, ut de illo regeneretur si quis in Christum crediderit, de illo Christus generatur qui regeneratione non eguit.

§. 1. In aqua ergo baptizari uoluit non ut eius iniquitas dilueretur, sed humanitas commendaretur.

Ita quippe nichil baptismus in eo habuit quod ablueret, sicut mors nichil inuenit quod puniret.

**C. CXXXVI.** Non solum originalia, sed etiam actualia peccata remittuntur in baptisate.

Idem de baptismo paruulorum. [siue de peccatorum meritis, lib. I. c. 15. et 16].

Regenerante autem carne tantummodo trahitur originale peccatum; regenerante autem Spiritu non solum originalium, sed etiam uoluntariorum fit remissio peccatorum.

Proinde dici recte potest, paruulos sine baptismo discedentes in mitissimam omnium futuros penam.

Fallit autem et fallitur qui eos in dampnatione predicat non futuros, dicente Apostolo: “Per unius delictum omnes homines in condemnationem etc.”.

**C. CXXXVII.** Quicumque ex concupiscentia nascitur per baptismum regeneratur.

Idem in eodem. [c. 16].

Quisquis ex obedientia carnis, et lege peccati et mortis carnaliter generatur, regenerari spiritualiter habet opus, ut non solum ad regnum Dei perducatur sed etiam a dampnatione peccati liberetur.

Sicut etiam per primum hominem in peccato et morte nascuntur, sic etiam per Christum in iusticia et uita eterna in baptismo renascuntur.

**C. CXXXVIII.** Offerentium fides paruulos facit fideles.

Item in eodem. [c. 19]

Paruuli fideles recte uocantur, qui fidem per uerba gestantium quodammodo confitentur et per eorumdem uerba diabolo etiam mundo abrenunciant.

Paruulus autem, qui baptizatur, si ad annos rationales ueniens non crediderit, nec ab illicitis abstinerit, nichil ei prodest quod paruulus accepit.

**C. CXXXIX.** De eodem.

Item Augustinus in libro de peccatorum meritis et remissione peccatorum. [c. 25. et 19].

Mater ecclesia os maternum paruulis prebet ut sacris misteriis inbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iusticiam, nec ore proprio confiteri ad salutem.

Nec ideo tamen eos quisquam fidelium infideles dicere potest, quod a credendo utique nomen est, quamuis hoc non ipsi, sed alii pro eis inter sacramenta responderint.

Si autem propterea fideles recte uocantur, quoniam fidem per uerba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non penitentes habeantur, cum per eorum uerba gestantium diabolo et huic seculo renunciare monstrantur?

**C. CXL.** Karitas ecclesiae peccata dimittit, uel tenet.

Idem. [in tract. CXXI. ad c. 20. Iohannis]

Ecclesiae karitas, que per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui participes sui sunt, peccata dimittit; eorum, qui non sunt, tenet.

**C. CXLI.** Solus Christus peccata dimittit.

Idem contra Iulianum, libro II.

Nemo tollit peccata, nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi.

Tollit autem et dimittendo que facta sunt, (ubi et originale continetur), et adiuuando ne fiant, et perducendo ad uitam, ubi omnino fieri non possint.

**C. CXLII.** Preter baptismum Christi paruulis nulla salus promittitur.

Idem de baptismo paruulorum.

Nulla preter baptismum salus promittitur infantibus, quia infantes, si per sacramentum, quod ad hoc diuinitus institutum est, in credentium numerum non transeant, in tenebris manent.

**C. CXLIII.** Baptizati in Christo incorporantur, et eius membra fiunt.

Idem in eodem. [c. 26].

Ad hoc baptismus ualet, ut baptizati Christo incorporentur, ut membra eius, et conspiciantur, et oblatis per sacramentum karitatem que fidelium reconcilientur Deo, ut in eo uiui, salui, liberati, redempti, illuminati fiant.

[[C. CXLIV]. Idem. [c. 27].

Quis autem nesciat, credere esse infantibus baptizari non credere autem non baptizari?

**C. CXLV.** Gratia non solum peccata dimittit, sed etiam legem implere facit.

Idem in libro de libero arbitrio. [c. 14].

Gratia, que per Christum datur, non solum peccatorum remissionem facit sed etiam ut lex impleatur, ut natura liberetur, nec peccatum dominetur; Spiritus etiam gratiæ dat fidem, que etiam non petita a Deo conceditur, ut homini petenti et alia concedantur.

Nam fides non est liberi arbitrii tantum, sed donum Dei.

**C. CXLVI.** Vetus infirmitas in baptismo non penitus absumitur, sed uires amittit.

Idem de baptismo paruulorum, [lib. II. c. 7].

### **XXVIII. Pars.**

Non ex quo quisque baptizatur omnis uetus infirmitas in eo absumitur, sed renouatio incipit a remissione omnium peccatorum, et intelligentia, et operatione spiritualium.

Cetera uero in spe, donec fiant in re, quod erit in resurrectione.

Nam in baptismo quamuis fiat plena peccatorum remissio, tamen nondum est plena nouitas et perfecta mutatio, quia adhuc remanet corruptio non solum in corpore, sed etiam in animo, qui est homo interior; in quo si perfecta esset nouitas, non diceret Apostolus, quod de die in diem renouatur.

Item:

[c. 27]. §. 1. Hoc meminisse debemus, omnium peccatorum plenam perfectam que remissionem in baptismo fieri, hominem uero non totum conmutari continuo; sed in bene proficientibus de die in diem crescente nouitate conmutari quod uetustum et carnale est, donec ita renouetur quod animalis infirmitas corporis ad firmitatem spiritualem incorruptam que perueniat.

§. 2. Hec autem lex peccati, de qua dicit Apostolus: “Non regnet peccatum in uestro mortali corpore,” non sic maneat membris eorum, qui renati sunt, tamquam non sit eis facta remissio, ubi plena sit omnium peccatorum nostrorum remissio, omnibus inimicis interfectis, quibus separabantur a Deo: sed manet in uetustate carnis tamquam superatum et peremptum, si non illicito consensu reuiuiscat, et in regnum proprium reuocetur.

Ab hac autem uetustate carnis et peccati, quod remissum est uita Spiritus usque adeo discernitur, in cuius nouitate baptizati renascuntur, ut tales etiam in presenti non solum in peccato, sed etiam nec in carne esse dicantur, cuius desideria non secuntur, sed in Spiritu.

Ipsa uero carne corruptibili bene utitur qui membra eius ad bene operandum conuertit, non secundum desideria carnis uiuens lege peccati, quod, licet iam remissum est, tamen in uetustate carnis manet; bene utuntur fideles coniugati, qui ex eo, quod sunt in nouitate Christi, dominari sibi libidinem non patiuntur; ex eo autem, quod adhuc trahunt Adæ uetustatem, filios regenerandos mortaliter generant cum propagine peccati, qua renati obnoxii non tenentur, et qui nascuntur renascendo soluuntur.

Item:

§. 3. Sicut dicta facta, et cogitata iniqua animæ et corpori pertinent, licet autem quantum ad motus iam preterierunt, et non sunt, tamen eis preteritis reatus eorum manet, nisi peccatum remissione solvatur: sic non preterita, sed adhuc manente lege concupiscentiæ reatus soluitur, et non erit, cum fiat in baptismo plena remissio peccati.

C. CXLVII. Discipuli Christi eius baptismate creduntur abluti.  
Idem in epistola [CVIII]. ad Seleucianum.

### XXIX. Pars.

Quando ab Iherosolimis exiit Iesus cum discipulis suis in Iudeam terram, et ibi morabatur cum eis, baptizabat non per se ipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos siue Iohannis baptismo (sicut nonnulli arbitrantur) siue (quod magis est credibile) baptismo Christi.

Item:

§. 1. Respondit Dominus Petro: “Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus”.

Unde intelligitur, quod iam Petrus fuerit baptizatus.

C. CXLVIII. Apostoli omnes Christi baptismate baptizati creduntur.  
Idem ad Vincentium Victorem.

Si eos, de quibus scriptum non est, utrum fuerint baptizati siue non, sine baptismo de hac uita recessisse contendimus, ipsis calumpniatur Apostolis, qui, preter apostolum Paulum, quando baptizati fuerint ignoramus.

Sed ipsos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quod B. Petro apostolo Dominus ait: “Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet”.

C. CXLIX. Catecuminus catholicus heretico baptizato prefertur.  
Idem in libro [IV]. de baptismate. [c. 21].

### XXX. Pars.

Non dubito, catecuminum catholicum diuina karitate flagrantem heretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsa intus ecclesia catecuminum malo baptizato anteponimus. Nec ideo tamen sacramento baptismi, quo iste nondum, ille iam inbutus est, facimus iniuriam.

§. 1. Merito enim centurio nondum baptizatus Simoni baptizato anteponitur.

Iste enim etiam ante baptismum S. Spiritu accepto repletus est: ille et post baptismum inflatus est inmundo spiritu.

Verumtamen Cornelius, si Spiritu sancto iam accepto baptizari noluisset, contemptu tanti sacramenti reus fieret.

§. 2. Sicut autem bono catecumino baptismus deest ad regnum celorum capessendum, sic malo baptizato uera conuersio.

Qui enim dixit: “Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum celorum,” ipse etiam dixit: “Nisi habundauerit iusticia uestra plus quam scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum”.

**C. CL.** Non tam ablutione corporis, quam fide cordis baptisma constitit.

Idem in libro sententiarum Prosperi.

Verus baptismus constat non tam ablutione corporis, quam fide cordis, sicut apostolica doctrina tradit, dicens: “Fide mundans corda eorum,” et alibi: “Saluos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum”.

**C. CLI.** Sicut in ueteri testamento quidam spirituales, ita in nouo quidam carnales inueniuntur.

Idem de baptismo.

Sicut in sacramentis uestris testamenti uiuebant quidam spirituales, ad nouum scilicet testamentum, quod tunc occultum erat, occulte pertinentes, sic et nunc in sacramento noui testamenti, quod iam reuelatum est, quidam uiuunt animales, qui proficere scilicet nolunt ad percipienda que sunt Spiritus Dei, quod hortatur sermo apostolicus, ad uetus testamentum pertinebunt.

Si autem proficiunt, et ante, quam capiant, ipso accessu et profectu ad nouum pertinent, et, si prius, quam spirituales fiant, ex hac uita rapiuntur custoditi per sacramenti sanctitatem in terra uiuentium computantur.

Nec inuenio quid uerius inueniatur in eo, quod scriptum est: “Inperfectum meum uiderunt oculi tui.

Et in libro tuo omnes scribentur”.

Item:

[lib. 3. c. 14]. §. 1. Non interest, cum de sacramenti integritate tractatur et sanctitate, quid credat, aut quali fide inbutus sit ille, qui accipit sacramentum.

Interest quidem plurimum ad salutis uiam, sed nichil interest ad sacramenti questionem.

Item:

§. 2. Manifestum est fieri posse, ut fide non integra maneat integrum in quoquam baptismi sacramentum.

Item:

[c. 15]. §. 3. Si fieri posset ut singuli diligenter interrogarentur, tot diuersitates opinionum forsitan, quot homines numerantur.

“Animalis enim homo non percipit ea, que sunt spiritus Dei”.

Numquid tamen ideo non integrum sacramentum accipiunt? aut numquid ideo, si profecerint, et opinionum carnalium uanitatem emendauerint, denuo quod acceperant repetendum est?

Accipit quisque secundum fidem suam, sed quantum capit, gubernante misericordia Dei.

**C. CLII.** Non naturae necessitate, sed merito peccati Adam moriturus erat.

Item ex Concilio Mileuitano, cui interfuit Augustinus, et Anselmus Romanae ecclesiae Legatus, contra Pelagianos. [c. 1].

### **XXXI. Pars.**

Placuit igitur omnibus episcopis, qui fuerunt in hac sancta synodo, constituere hec, que in presenti concilio diffinita sunt: ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum ita, ut, siue peccaret siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.



**C. CLIII.** Paruuli non solum penam, sed etiam culpam a parentibus trahunt.  
Item eiusdem Concilii. [c. 2].

Placuit, ut quicumque paruulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem peccatorum eos baptizare, sed nichil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur (unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non uera, sed falsa intelligatur), anathema sit, quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: “Per unum hominem intrauit peccatum in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt,” nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim fidei regulam etiam paruuli, qui nichil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum ueraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.

**C. CLIV.** Gratia et peccata dimittit, et ne reiterentur adiuuat.  
Item. [c. 3].

Placuit, ut quicumque dixerit, gratiam Dei, qua iustificatur homo per Iesum Christum Dominum nostrum, solam remissionem peccatorum ualere, que iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit.

**C. CLV.** Quid sit peccatum gratia docet, et ut uitetur facit.  
Item. [c. 4].

Quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid uitare debeamus, non autem per illam nobis prestari, ut quod faciendum cognouerimus etiam facere debeamus aut ualeamus, anathema sit.

**C. CLVI** Sine gratia diuina mandata impleri non possunt.  
Item. [c. 5].

## **XXXII. Pars.**

Placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere iubemur per liberum arbitrium facilius possimus implere per gratiam, tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere mandata diuina, anathema sit.

## **DISTINCTIO V.**

### **GRATIANUS.**

**C. I.** Post baptisma confirmationis sacramentum prestetur.  
Item Urbanus Papa omnibus Christianis. [ep. I. c. 7].

## **I. Pars.**

Omnes fideles per manus inpositiones episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inueniantur, quia, cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.

**C. II.** Quid conferat Spiritus sanctus in baptisate, quid in confirmatione.

Item Melciades Papa. [in ep. ad Episc. Hisp., c. 2].

Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum prestat ad gratiam.

Et quia in hoc mundo tota etate uicturis inter inuisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad uitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur.

Et quamuis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, uicturis tamen necessaria sunt confirmationis auxilia.

Regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi recipiendos; confirmatio armat et instruit ad agones mundi huius et prelia reseruandos.

Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus ad mortem peruenit, confirmatur morte, quia iam non potest peccare post mortem.

**C. III.** Manus inpositionis sacramentum dignius est sacramento baptismi.

Idem Hispaniarum episcopis.

De his uero, super quibus rogastis uos informari, id est: utrum maius sit sacramentum manus inpositionis episcoporum, aut baptismus?

scitote, utrumque magnum esse sacramentum, et, sicut unum maioribus, id est summis pontificibus est accomodatum, quod a minoribus perfici non potest, ita et maiori ueneratione uenerandum et tenendum est.

Sed ita coniuncta sunt hec duo sacramenta, ut ab inuicem nisi morte preueniente nullatenus possint segregari, et unum sine altero perfici non potest.

**C. IV.** Non ab aliis quam ab episcopis manus inpositionis sacramentum perfici potest.

Item Eusebius Papa. [epist. III. ad Episcopos Tusciæ et Campaniæ]

Manus quoque inpositionis sacramentum magna ueneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam, qui eorum tenent locum, umquam perfici potest aut fieri debet.

Nam si aliter presumptum fuerit, irritum habeatur et uacuum, nec inter ecclesiastica umquam reputabitur sacramenta.

**C. V.** Quare confirmationis sacramentum baptizato tradatur.

Item Rabanus de institutione clericorum. [lib. I. c. 30].

Nouissime a summo sacerdote per manus inpositionem Paraclitus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad predicandum aliis idem donum, quod in baptisate consecutus est per gratiam uitæ donatus eternæ.

Signatur enim baptizatus cum crismate per sacerdotem in capitis summitate; per pontificem uero in fronte, ut in priore unctione significetur super ipsum Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ, et uirtutis uenire in hominem declaretur.

**C. VI.** Ad confirmationem non nisi ieiuni ueniant.

Item ex Concilio Aurelianensi, c. 3.

Ut ieiuni ad confirmationem ueniant perfectæ etatis, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus S. ualeant accipere, et quia numquam erit Christianus, nisi in confirmatione episcopali fuerit crismatus.

**C. VII.** Episcopi non nisi ieiuni baptizatos confirmant.

Item ex Concilio Meldensi c. 6.

Ut episcopi non nisi ieiuni per inpositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis et morte periclitantibus.

Sicut autem duobus temporibus, Pasca uidelicet et Pentecosten, a ieiunis debet baptismus celebrari, ita et traditionem Spiritus sancti a ieiunis pontificibus conuenit celebrari.

**C. VIII.** Secundo uel tertio nullus confirmetur.

Item ex Concilio Terraconensi c. 6.

Dictum est nobis, quod quidam de plebe bis, uel ter, aut eo amplius, episcopis ignorantibus tamen, ab eisdem episcopis confirmantur.

Unde uisum est nobis, eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime debere, quia bis, uel amplius baptizatos aut confirmatos non seculo, sed soli Deo sub habitu regulari uel clericali religiosissime famulari decretum est.

**C. IX.** De eodem.

Item Gregorius II. [epist. IV. ad Bonifatium]

De homine, qui a pontifice confirmatus fuerit, denuo talis iteratio prohibenda est.

**C. X.** Omnia sacramenta crucis signaculo perficiuntur.

Item Stephanus.

## **II. Pars.**

Numquid non omnia crismata sacerdotalis ministerii crucis figura perficiuntur?

Numquid baptismatis unda nisi cruce sanctificata peccata relaxat, et, ut cetera pretereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotii gradus ascendit?

**C. XI.** Energumini omnibus diebus exorcizentur.

Item ex Concilio Cartaginensi IV. [c. 90. et seqq.]

## **III. Pars.**

Omni die exorcistæ energuminis manus inponant, energumini uero pauimenta domorum Dei uerrant.

Quibus assidentibus in domo Dei uictus cottidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.

**C. XII** A quibus neophiti abstinere debent.

Item ex eodem. [c. 86].

Neophiti aliquamdiu a lautioribus epulis, et spectaculis, uel coniugibus abstineant.

**C. XIII De ordine offitiorum.**

Item ex Concilio Agatensi. [c. 30].

**IV. Pars.**

Conuenit ordinem ecclesiæ ab omnibus equaliter custodiri.

Unde statuendum est, ut sicut ubique fit, post antiphonas collationes ab episcopis uel presbiteris dicantur, et ymni matutini uel uespertini diebus omnibus decantentur, et in conclusione matutinarum uel uespertinarum missarum post ymnos capitella de psalmis dicantur, et plebs collecta oratione ad uesperam ab episcopo dimittatur cum benedictione.

**C. XIV. De eodem.**

Item de Concilio Gerundensi. [c. 10].

Id semper placuit obseruari, ut omnibus diebus post matutinos et uesperas oratio dominica a sacerdote proferatur.

Item Gregorius VII. in generali Sinodo:

**C. XV. De eodem.**

In die Resurrectionis usque in sabbatum in albis, et in die Pentecostes usque in sabbatum eiusdem III. psalmos tantum ad nocturnos, tres que lectiones antiquo more canimus et legimus.

Omnibus diebus aliis per totum annum, si festiuitas est IX. lectiones dicimus.

Aliis uero diebus XII. psalmos, et III. lectiones recitamus.

In dominicis diebus XVIII. psalmos (excepto die Pasce et Pentecostes) et IX. lectiones celebramus.

Illi autem, qui in diebus cottidianis tres tantummodo psalmos, et III. lectiones celebrare uolunt, non ex regula sanctorum Patrum, sed ex fastidio conprobantur hoc facere.

Nos autem et ordinem Romanum inuestigantes et antiquum morem nostræ ecclesiæ, imitantes antiquos Patres, statuimus fieri sicut superius prenotauimus.

**C. XVI. De obseruatione Quadragesimæ.**

Item ex omelia Gregorii Papæ.

**V. Pars.**

Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, ut ieiunium in ea, (preter dominicos dies, qui de abstinentia subtracti sunt), nisi quem infirmitas impedit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni.

A prima igitur dominica Quadragesimæ usque in Pasca Domini sex ebdomadæ computantur, quarum uidelicet dies quadraginta et duo fiunt, e quibus dum sex dies dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta et sex dies remanent.

Verbi gratia, si per LXXV. dies annus uoluitur, et nos per XXXVI. dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus.

Sed ut sacer numerus XL. dierum adimpleatur, quem Saluator noster sacro ieiunio consecrauerat, IV. dies prioris ebdomadæ ad supplementum XL. dierum tollantur, id est quarta feria, que caput ieiunii subnotatur, et quinta feria sequens, sexta, et sabbatum. Nisi istos dies IV. superioribus XXXVI. adiunxerimus, XL. dies in abstinentia non habemus.

Iubemur etiam ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.

**C. XVII.** Ieiunia legitima non soluantur absque necessitate probabili.

Item Eusebius Papa.

Ieiunia in ecclesia a sacerdotibus constituta sine rationabili necessitate non soluantur.

**C. XVIII.** Cottidiana ieiunia duplicatis uel triplicatis sunt preferenda.

Item Ieronimus.

Non dico ebdomas, non dico duplicata ieiunia, sed saltim singulos dies absque ciborum luxuria transigamus.

**C. XIX.** De eodem.

Idem.

Sint tibi cottidiana ieiunia, refectio sacietatem fugiens.

Nichil enim prodest tibi biduo uel triduo transmissio uacuum portare uentrem, si pariter obstruatur.

**C. XX.** De eodem.

Idem.

Sint tibi ieiunia pura, continua, moderata que id est cottidie esurire, et cottidie prandere.

Apostolus inquit: "Noli adhuc aquam bibere, sed modico uino utere propter infirmitates tuas".

Curat uulnera delinquentis, curatos que sanctificat ieiunium.

**C. XXI.** Medicinæ precepta diuinæ sunt condicioni contraria.

Item Ambrosius in Psalmo CXXX.

## **VI. Pars.**

Contraria diuinæ condicionis precepta medicinæ sunt.

A ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt.

Itaque qui se medicis dederit, se ipsum sibi abnegat.

**C. XXII.** Quot modis uicium gulæ nos tangat.

Item Gregorius in expositione B. Iob. [lib. XXX. c. 27].

Quinque modis gulæ uicium temptat.

Aliquando namque indigentia tempora preuenit; aliquando tempora non preuenit, sed cibos lautiores querit; aliquando que sumenda sunt, procurari accuratius expetit; aliquando autem et qualitas ciborum, et tempus congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit.

Nonnumquam et abiectius est quod desiderat, et tamen ipso estu immensi desiderii deterius peccat.

**C. XXIII.** Absque puritate mentis ieiunia et orationes non prosunt.

Item Pius Papa. [epist. I].

Nichil enim prodest homini ieiunare, et orare, et alia bona religionis agere, nisi mens ab iniquitate, et ab obtrectationibus lingua cohibeatur.

**C. XXIV.** Mediocre bonum non est magno preferendum.

Item Ieronimus.

Non mediocriter errat qui magno bono preferat mediocre bonum.

Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui uel ieiunium karitati, aut uigilias preferat sensus integritati, ut propter abstinentiam inmoderatam, atque indiscretam psalmodiarum uel officiorum decantationem aut amentiae, aut tristitiae notam incurrat?

Numquid uerborum flecti multitudine ut homo Deus potest?

Non enim uerbis tantum, sed corde orandus est Deus.

Quapropter melior est quinque psalmodiarum cantatio cum cordis puritate, ac serenitate, et spiritali hilaritate, quam psalterii modulatio cum anxietate cordis atque tristitia.

Cum igitur pro centum animabus psalmus uel missa dicitur, nichil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.

Audiant itaque, qui ea, que necessaria sunt, corpori subtrahunt, illud, quod per Prophetam Dominus loquitur: "Ego Dominus odiens rapinam holocaustorum".

De rapina uero holocaustum offert qui uel ciborum nimia egestate uel sompni penuria corpus inmoderate affligit.

**C. XXV.** Non a cibis, sed ab iniquitatibus abstinere, est magnum et generale ieiunium.

Item Augustinus super Iohannem. [tract. XVII].

Ieiunium autem magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et ab illicitis uoluptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium.

§. 1. In hoc seculo quasi Quadragesimam abstinentiae celebramus, cum bene uiuimus, cum ab iniquitatibus et ab illicitis uoluptatibus abstinemus.

Sed quia hec abstinentia sine mercede non erit, exspectamus illam beatam spem, et reuelationem gloriae magni Dei, et saluatoris nostri Iesu Christi.

In illa spe, cum fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem denarium.

§. 2. Denarius ergo, qui accipit nomen a decem numero, redditur, et coniunctus quadragenario fit quinquagenarius.

Unde cum labore celebramus Quadragesimam ante Pascha, cum leticia uero, tamquam accepta mercede, Quinquagesimam post Pascha.

Nam huic tamquam salutari labori boni operis, qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis et felicitatis denarius, ut quinquagenarius fiat.

Significauit ipse Dominus hec multo apertius, quando post resurrectionem quadraginta diebus conuersatus est cum discipulis suis, quadagesimo autem die, cum ascendisset in celum, peractis decem diebus misit mercedem Spiritus sancti.

**C. XXVI.** Raptorem, uel furem non facit necessitas, sed uoluntas.

Item ex dictis Apollonii.

Discipulos, cum per segetes transeundo euellerent spicas, et ederent, ipsius Christi uox innocentes uocat, quia coacti fame hoc fecerunt.

**C. XXVII.** Non necessitas, sed uoluntas facit perseuerantiam.

Item Ieronimus. [in c. 7. Oseae].

Quicquid necessitate fit cito soluitur; quod uoluntate arripitur perseuerat.

**C. XXVIII.** Ciborum temperantia salutem, abundantia contrarium parit.

Item Iohannes Os aureum. [hom. XXIX. ad c. 12. ep. ad Hebr.].

Nichil enim sic iocundum est, sicut cibus bene digestus aut decoctus.

Nichil sic salutem, nichil sic sensuum acumen operatur, nichil sic egritudinem fugat, sicut moderata refectio; sufficientia quippe cum nutrimento et sospitatem simul procreat et uoluptatem; ex habundantia uero morbum facit et molestias ingerit, et egritudines generat et facit.

Quod enim facit fames, hoc etiam plenitudo ciborum; magis autem multo peiora.

Fames quippe in paucis diebus aufert hominem et liberat ex hac uita penali; excessus uero ciborum consumit et conputrescere facit corpus humanum et macerat egritudine diuturna, et tunc cum morte crudeli consumit.

**C. XXIX.** Ciborum deliciae, si superhabundauerint ledunt.

Item Ieronimus. [aduersus Iouinianum, lib. II].

Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comestos partos magno et perditos labore doleamus.

Holerum et pomorum ac leguminum et facilius apparatus est, et arte inpendiis que coquorum non indiget, et sine cura sustentat humanum genus, moderate sumptus (quia nec auide deuoratur quod irritamenta gulæ non habet) et leuiori digestionem decoquitur.

Nemo enim uno et duobus cibus his que uilibus usque ad inflationem uentris oneratur, que diuersitate carniū et saporis delectatione concipitur.

Cum uariis nidoribus fumant patinæ, ad usum sui explenda esurie quasi captiuos trahunt.

Unde et morbi saturitate nimia concitantur, multi que impatientia gulæ uomitu remediuntur, et quod turpiter ingesserunt turpius egerunt.

Ypocrates in aphorismis epidemiis docet, crassa et obesa, que crescendi mensuram inpleuerint, nisi cito sanguinis ablatione inminuantur, in paralysim et pessima morborum genera erumpere, et idcirco esse necessariam demptionem, ut rursus habeant in que possint crescere; non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere, nec posse uiuere animal, nisi crescendi capax sit.

Unde et Galienus uir doctissimus Ypocratis interpretas, quorum uita et ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec uiuere posse diu, nec sanos esse, animas que ita nimio sanguine et adipibus quasi luto inuolutas, nichil tenue, nichil celeste, sed semper de carnibus, eructuare, et uentris ingluuie cogitare.

**C. XXX.** Multorum infirmitates ieiunia sanant.

Idem.

Legimus quosdam, morbo articulari et podagræ humoribus laborantes, proscritione bonorum ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos conualuisse.

Caruerant enim sollicitudine dispensandæ domus et epularum largitate, que et corpus frangunt et animam.

Irridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt penitentiam.

**C. XXXI.** Dies sabbatorum a carnibus abstinere debemus.

Item Gregorius VII. [in Sinodo celebrata Romæ anno sui Pontif. VI., c. 8].

**VII. Pars.**

Quia dies sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorumdem auctoritatem sequentes salubriter ammonemus, ut quicumque Christianæ religionis participem se esse desiderat, ab esu carniū eadem die (nisi maiori festiuitate interueniente, uel infirmitate impediēte) absteineat.

**C. XXXII.** Monacho carnem gustare non licet.  
Item Fructuosus Episcopus.

**VIII. Pars.**

Carnem cuiquam monacho nec gustandi nec sumendi, est concessa licentia, non quod creaturam Dei iudicemus indignam, sed quod carnis abstinentia utilis et apta monachis estimetur, seruato tamen moderamine pietatis erga egrotos.

§. 1. Quod si quis monachus uiolauerit, et contra sanctionem regulæ usum que ueterum uesci carnibus presumpserit, sex mensium spacio retrusioni et penitentiæ subiacebit.

**C. XXXIII.** De cottidianis operibus monachorum.

Item Ieronimus ad Rusticum monachum.

Numquam de manu aut oculis tuis liber psalterii discedat; dicatur ad uerbum, oratio sine intermissione.

Vigilet sensus, nec uagis cogitationibus patens; corpus pariter que animus tendatur ad Dominum.

Iram uince paciētia.

Ama scientiam scripturarum, et carnis uicia non amabis.

Nec uacet mens tua uariis perturbationibus, que, si pectori insederint, dominabuntur tui, et deducunt te ad delictum maximum.

Facito aliquid operis, ut semper diabolus te inueniat occupatum.

Si apostoli, habentes potestatem de euangelio uiuere, laborabant manibus suis, ne quem grauarent, et aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus metere debebant carnalia: cur tu in usus tuos successura non prepares?

Vel fiscellam texe iunco, uel canistrum lentis plecte uiminibus; sarriatur humus; areolæ equo limite diuidantur, in quibus cum holerum iactata fuerint semina, uel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ, hic pulcherrimorum uersuum spectator assistes: “Ecce supercilio cliuosi tramitis undam Elicit; illa cadens raucum per leuia murmur Saxa ciet, scatebris que arentia temperat arua”.

§. 1. Inserantur fructuosæ arbores uel gemmis, uel surculis, ut paruo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas.

Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia, monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus.

Texantur et linea capiendis piscibus.

Scribantur et libri, ut et manus operetur cibos, et anima lectione saturetur.

“In desideriis est omnis otiosus”.

Egiptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere et labore suscipiant, non tam propter uictus necessaria, quam propter animæ salutem, nec uagentur perniciosis cogitationibus, et instar fornicantis Iherusalem diuaricent pedes suos omni transeunti.



Et in sequentibus:

§. 2. Quid? ergo peribunt omnes, qui in urbibus habitant?

Ecce illi fruuntur suis rebus, ministrant ecclesiis, adeunt balnea, unguenta non spernunt, et in omnium flore uersantur.

Ad quod et ante respondi, et nunc breuiter respondeo, me in presenti opusculo non de clericis disputare, sed monachum instituere.

C. XXXIV. Absque prelati sui licentia canonicis nichil agere licet.

Item in V. libro Capitulorum. [c. 115].

### IX. Pars.

In omnibus igitur (quantum humana permittit fragilitas) decernimus, ut canonici clerici canonicè uiuant, obseruantes diuinæ scripturæ doctrinam, et documenta sanctorum Patrum, et nichil sine licentia episcopi sui uel magistri eorum inconposite agere presumant; in unoquoque episcopatu simul manducant et dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit; qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt, in suo claustrò maneant; et singulis diebus mane prima ad lectionem ueniant, et audiant quid eis inperetur.

Ad mensam uero similiter lectionem audiant, et obedientiam secundum canones suis magistris faciant.

C. XXXV. Presbiteri, qui simul conueniunt, ebrietatem et comessiones summopere uitent.

Item ex Concilio Nannetensi. [c. 10].

### X. Pars.

Nullus presbiterorum, quando ad anniuersarium diem trigesimum, uel tertium alicuius defuncti, aut quacumque uocatione ad collectam presbiteri conuenerint, se inebriare nullatenus presumant; nec precati in amore sanctorum uel ipsius animæ bibere, aut ad bibendum cogere, uel se aliena precatione ingurgitare; nec plausus et risus inconditos et fabulas inanes ibi referre aut cantare presumat; uel turpia ioca uel urso uel tornatricibus ante se fieri patiantur; nec laruas demonum ante se ferri consentiant, quia hoc diabolicum est, et sacris canonibus prohibitum.

C. XXXVI. Quibus spectaculis clerici interesse debent.

Item ex Concilio Laudicensi. [c. 54].

Non oportet ministros altaris uel quoslibet clericos spectaculis aliquibus, que aut in nuptiis, aut in cenis, exhibentur, interesse, sed ante, quam thimelici ingrediantur, surgere eos de conuiuio, et abire debere.

C. XXXVII. Clericus uel laicus sine iussione episcopi non peregrinetur.

Item ex eodem. [c. 42. et 41].

XL. Pars. Non oportet ministrum altaris, uel quemlibet clericum preter iussionem episcopi ad peregrinandum proficisci.

§. 1. Laicum etiam sine canonicis litteris, id est formata, similiter non oportet alicubi proficisci.

C. XXXVIII. Colorum fucis mulieres uti non debent.

Item Augustinus ad Possidium, et qui cum eo sunt fratres. [epist. LXXIII].

## XII. Pars.

Fucare pigmentis, quo uel rubicundior, uel candidior appareat, adulterina fallacia est qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt feminæ ornari secundum ueniam, non secundum inperium.

Nam uerus ornatus, maxime Christianorum et Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, uerum ne auri quidem uestis que pompa, sed mores boni sunt.

§. 1. Exsecranda autem superstitio ligaturarum (in quibus etiam in aures uirorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur) non ad placendum hominibus, sed ad seruiendum demonibus adhibentur.

C. XXXIX. Quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio.

Item ex Simbolo Ephesini Concilii CC. Episcoporum, quod habitum est contra Nestorium.

## XIII. Pars.

De Spiritu dicit Dominus in euangelio: “Ille me clarificabit”.

Hoc rectissime sentientes, unum Christum et Filium, non uelut alterius egentem gloria, confitemur a Spiritu sancto gloriam consecutum, quia spiritus eius nec melior, nec superior ipso est, sed quia humana opera faciens ad demonstrationem suæ deitatis uirtute proprii spiritus utebatur, ab ipso glorificatus dicitur, eo quod uirtus sua uel disciplina quelibet unumquemque clarificet.

Quamuis enim in sua sit substantia spiritus eius, et intelligatur in persona proprietas, iuxta id quod Spiritus est, et non Filius: attamen alienus non est ab illo.

Nam spiritus appellatus est ueritatis, et ueritas Christus est.

Unde et ab isto similiter sicut a Deo Patre procedit.

Denique hic ipse Spiritus etiam per sanctorum apostolorum manus miracula gloriosa perficiens glorificauit Dominum Iesum Christum, postquam ascendit in celum.

Nam creditur Christus natura Deus existere per suum spiritum uirtutem efficiens, ideo que dicebat: “De meo accipiet, et annunciabit uobis”.

C. XL. De eodem.

Item Didimus in libro [II]. de Spiritu sancto, contra errorem grecorum.

Saluator, qui et ueritas ait: “Non enim loquetur a semetipso,” hoc est: sine me, et sine meo et sine Patris arbitrio, quia inseparabilis est a mea et Patris uoluntate.

Et amplius:

§. 1. Quia ex se non est, sed ex Patre et a me est.

Hoc enim ipsum, quod consistit, et loquitur, a Patre et a me ille est: “Ego ueritatem loquor,” id est inspiro que loquitur, siquidem spiritus ueritatis est.


Dicere autem et loqui in Trinitate, non secundum consuetudinem nostram, qua ad nos sermocinamur et loquimur, est accipiendum, sed iuxta formam incorporalium naturarum, et maxime Trinitatis, que uoluntatem suam ingerit in corda credentium; eorum cordibus inserit, qui eam digni sunt audire.


§. 2. Liquido ergo est dicere Patrem et audire Filium, uel e contra Filium loquentem audire Patrem, eiusdem naturæ esse Patrem et Filium, et in Patre et Filio consensus est significatio.

Spiritus sanctus, qui est spiritus ueritatis, et spiritus sapientiæ, non potest audire Filium loquentem que nescit, cum hoc ipsum sit, quod profertur a Filio, id est Deus procedens de Deo, Spiritus ueritatis procedens a ueritate, consolator manans de consolatore.

Denique, ne quis illum a Patris et Filii societate et uoluntate discerneret, scriptum est: “Non enim a semetipso loquitur: sed sicut audit et loquitur”.

Cui simile etiam de se ipso Saluator ait: “Sicut audio, iudico,” et alibi: “Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod uiderit Patrem facientem”.





<http://www.internetsv.info>

[email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info)